6
34 N
14

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

# COMMENTARII IN CANTICVM CANTICORVM

AVCTORE

R.P. CORNELIO CORNELII A LAPIDE E SOCIETATE IESV,

S. Scripturæ olim Louanij, poſtea Romæ Profeſſore.

*INDICIBVS NECESSARIIS ILLVSTRATI*

NVNC PRIMVM PRODEVNT.



LVGDVNI.

Sumptibus Iacobi & Petri Proſt, fratr.

*M. DC. XXXVII.*

CVM PRIVILEGIO REGIS

Digitized by Google

Digitized by Google

*Mutius Vitelleſcus, Societatis IESV Præpoſitus Generalis.*

CVM Commenrarios in Cantica Canticorum, Cornelij à Lapide noſtræ Societatis Sacerdotis, duo eiuſdem Societaris Theologi, quibus commiſſum fuit, recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandentur, ſi ita iis ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus, Romæ, die 10. Martij 1637.

MVTIVS VITELLESCVS.

## *CENSVRA OPERIS.*

COmmentarij in Cantica Canticorum R. P. Cornelij à Lapide, Authoris pietatem & doctrinam, tot iam voluminibus orbi teſtatam redolent; tantùm abeſt vt aliquid contineant à fide Catholicâ, vel bonis moribus diſſentaneum. Quare luce digniſſimi ſunt. Lugduni, in Collegio Sanctiſſimæ Trinitatis Societatis IESV, 11. Auguſti 1637.

THEOPHILVS RAYNAVDVS.

IOSEPH GIBALINVS.

## *APPROBATIO.*

DIligenter euoluimus librum hunc, cui titulus eſt, *R. P. Cornelij à Lapide è Societate IESV, Commentarij in Canticum Canticorum:* Nec modò omnia, quæ eo continentur, doctrinæ Catholicæ & bonis moribus congruentia, ſed etiam inſigni eruditione referta, atque adeò digna prælo cenſuimus. Lugduni, die 10. Auguſti 1637.

Fr. CL. COCHET Ord. Prædicatorum.

Fr. BERNARDINVS MOLLIASSON Ord. Minorum.

## *FACVLTAS ORDINARII.*

IOannes Claudius De-Ville, S. Theologiæ Doctor, in S. Crucis Sede ſacta Cuſtos, & Eminentiſſimi, ac Reuerendiſſimi D.D. Cardinalis & Archiepiſcopi Lugdunenſis Vicarius Generalis ſubſtitutus; librum R.P. Cornelij à Lapide, cui titulus eſt, *Commentarij in Cantica Canticorum*, à Doctoribus approbatum, tanquam ſanâ doctrinâ refertum, & eruditione Authoris dignum, in lucem edi facultatem concedimus. Lugduni 13. Auguſti 1637.

DE-VILLE, V. G. S.

## *FACVLTAS PROVINCIALIS.*

CLaudius Boniellus Prouincialis Societatis IESV in prouincia Lugdunenſi, iuxta priuilegium eidem Societ. à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante 14. Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſu imprimant: Permittit Gabrieli Boiſſat & Sociis, vt librum, cui inſcriptio eſt: *Commentarij in Cantica Canticorum P. Cornelij à Lapide*, ad ſex proximos annos imprimere ac liberè diuendere poſſit. Datum Viennæ 3. Septembris 1637.

CLAVDIVS BONIELLVS.

Summa

Digitized by Google

# Summa Priuilegij à Chriſtianiſſimo Galliarum Rege conceſſi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis authoritate ſancitum eſt, ac præſentibus literis cautum, ne quis in Regno ſuo, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem, à die impreſſionis primæ inchoandos ac numerandos excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo & ratione conetur, librum, qui inſcribitur, *Cornelij à Lapide è Societate IESV, Commentarij in Cantica Canticorum*, præter Gabrielem Boiſſat & ſocios Bibliopolas Lugdunenſes, aut illos, quibus ipſimet conceſſerint. Prohibitum inſuper eadem authoritate Regia omnibus ſuis ſubditis, eundem librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quenquam, vbicunque fuerit, ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu dictorum Gabrielis Boiſſat & ſociorum; Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliiſve pœnis in originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis, die vigeſima Auguſti, anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo.

*De mandato Regis,*

Signatum, PETIT.

Deſiit excudi hæc prima editio die 20. Septembris 1637.

---

LEſdits Gabriel Boiſſat & Compagnie, ont tranſporté le ſuſdit Priuilege aux Sieurs Iaques & Pierre Proſt, tant pour la moitié de la preſente Impreſſion, que pour la moitié de celles qui ſe feront par-apres. A Lyon, le 20. Septembre 1637.

# IN CANTICVM
## CANTICORVM
### PROLEGOMENA.

HEBRAICE liber hic inſcribitur שִׁיר הַשִּׁירִים *ſcir haſſcirim*, *Libri inſcriptio.*
id eſt, *Canticum Canticorum*, ſiue carmen carminum. Car-
mina enim ſuam habent metri harmoniam & quaſi con-
centum, ideóque & voce modulatâ concinni ſolebant, vt
ſuauiùs in aures, mentéſque audientium influerent. Vnde
S. Dionyſ. Eccleſ. Hierar. cap. 3. Canticum Canticorum *Canticum eſt carmen diuini amoris.*
vocat *dulcia carmina diuinorum amorum*. Nam, vt ait Euſeb. lib. 12. de Præpar.
cap. 14. ex Platone lib. 6. de Republ. carminibus & canticis ſuauiter inſtil-
landus eſt pueris Dei & virtutis amor; Cauſam addit, dicens: *Vt igitur pueri* *Cur? Dionyſ. Areopag.*
*animus legem ita ſequatur, vt vnà cum ea gaudeat, atque doleat, odas perdiſcant, cre-*
*bróque cantitent, quibus laudes, atque vituperationes earum rerum contineantur, quas*
*lex laudat, atque vituperat. Quoniam enim teneriores anni rationem virtutis non ſuſci-*
*piunt, laudo, atque cantu præparantur. Iure igitur apud nos prophetarum odæ adiſcuntur*
*à pueris*. Hinc & Dauid ignita ſua de Deo & virtute dogmata, carmine,
putà odis Pſalmorum conſcripſit, vt ſubdit Euſeb. Patrem ergo Dauidem
hîc imitatur filius Salomon. Quocirca in Bibliis Arabicis titulus huius
libri eſt: *Carmen carminum & eſt laus laudum Salomoni ſapienti*, hoc eſt, cuius *Arab.*
proprius auctor eſt Salomon mortalium ſapientiſſimus. In Syriacis verò hic
eſt titulus: *Sapientia ſapientiarum ipſius Salomonis liber*, qui vocatur. Hebr. *ſcir* *Syriac. Hebr.*
*haſſcirim*, id eſt, *hymnus hymnorum, ſiue Canticum Canticorum.*

Porrò Canticum Canticorum Hebr. idem eſt, quod Canticum præſtan-
tiſſimum & ſuauiſſimum, ſicut Sanctum Sanctorum, idem eſt, quod tem-
plum ſanctiſſimum. Hoc enim Canticum longè ſuperat, non tantum omnia
cantica & carmina Moſis, Debboræ, Annæ, Ezechiæ & Iſaiæ, vt explicat
Origenes, ſed & ipſius Salomonis. Ipſe enim compoſuit carmina quinque
& mille, 3. Reg. 4. 32. Vnde Chald. vertit: Decem Cantica dicta fuerunt
in ſeculo iſto, & Canticum hoc laudabilius eſt omnibus iſtis. Primum
Canticum fuit Adæ, ſecundum Moſis, tertium filiorum Iſraël, quartum
Moſis, quintum Ioſue, &c.

Addit Euſebius Cæſar cuius verba recitat hîc Coſmas Hortolanus, hoc *Eſt de re præſtantiſſima.*
Canticum dici Canticorum, quia canit rem præſtantiſſimam & dulciſſi-
mam, eámque velut propheta & vates canendo prædicit, nimirum Verbi
incarnationem, *ac per eam Eccleſiæ cum ipſo deſponſationem*. Audi Euſebium: *ſicut* *Coſm. Hortolan. Euſeb.*
*Agnum demonſtrante Ioanne velut Ioannis gratia ſunt lex & prophetæ, ſic etiam quæ in*
*Cantico Canticorum ſignificantur, finis ſunt omnium, quæ in diuina Scriptura ſignifi-*
*cantur, ac ſicut ſecundum legem erant Sancta, & poſt Sancta Sanctorum nullus præterea*



Digitized by Google

*erat locus, ſic & præter Cantica Canticorum, nullam licet expectare interiorem, aut recentiorem promiſſionem.*

Eadem penè ad verbum habet S. Athanaſ. in Synopſi, vnde ea deprompſit Euſebius. Porrò hæc Verbi cum carne noſtra deſponſatio fuit beneficium, miraculum & prodigium ſæculorum omnium maximum. Illo enim, homo Deo, terra cælo, caro Verbo aſſociata eſt arctiſſimo Hypoſtaticæ vnionis vinculo, quò fit, vt homo ſit Deus, & Deus homo. Adam enim audiens à ſerpente: *Eritis ſicut Dij*, appetierat æqualitatem Dei, ſed ſuperbè nimis & perperàm. Chriſtus ergo, vt hunc hominis excellentiæ appetitum corrigendo

Philip. 2. expleret, immensè ſe dimiſit & exinaniuit, *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Philip. 2. vt hominem exaltaret, ac faceret Deum:

Auguſt. *Chriſtus factus eſt homo, vt homo fieret Deus*, ait S. Auguſt.

*Antequam textum aggrediar, quatuor ex more præmittenda ſunt. Primum de libri auctoritate & auctore. Secundum de operis argumento. Tertium de modo & ſtylo. Quartum de eius partitione & partibus.*

## CAPVT PRIMVM.

### *Cantici Auctoritas & Auctor.*

*Canticum reiiciunt Hæretici.*

PHILASTRIVS lib. de hæreſib. cap. 133. & Iacobus Chriſtopolitanus Præfat. in Cantic. ſcribunt Iudæos & Hæreticos nonnullos aſſerere hoc Canticum non eſſe ſcripturã Canonicam, nec ſcriptum eſſe ſpiritu Dei, ſed Cupidinis, eo quòd canat amores Salomonis & vxoris eius, putà filiæ

*Cur?* Pharaonis, ideóque prophanum eſſe & carnale. Vnde in eo nunquam nominari Deum. Id ſenſit olim Theodorus Mopſueſtanus & nunc Anabaptiſtæ. Idem Caſtalioni tribuit Beza Præfat. in Ioſue.

Verùm errant, quia multa ſunt in Canticis, quæ non Reginam Salomonis vxorem, ſed ruſticanam paſtoris coniugem indicanr. Vr illud cap. 1. *Vineam meam non cuſtodiui.* Et; *Abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hædos tuos.* & illud c. 5. *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem, percuſſerunt me & vulnerauerunt me.* Quis enim auſus fuiſſet Reginam vulnerare? multáque talia paſſim occurrunt.

Imò Spiritus ſanctus, vt oſtendat ſe hoc Cantico per Sponſam nullam certam feminam intelligere, nunc eam vt ruſticam, nunc vt filiam Principis inducit, vt Cant. 7. *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis?* nunc eam Sponſam vocat nunc ſororem.

Denique vt oſtendat Sponſam hanc eſſe ſpiritualem, non corporalem, ei dat epitheta, quæ corporalem dedecorent, ſpiritualem verò decorent & ornent; vt quod dat ei caput inſtar Carmeli, naſum inſtar turris, oculos inſtar piſcinæ, dentes inſtar gregum ouium detonſarum, deníque quod eam dicat totam eſſe nigram, ſicut tabernacula Cedar. Quare certum eſt Sponſam hîc non aliam eſſe poſſe, quàm Eccleſiam, & Sponſum Chriſtum, eiúſque ſpirituales nuptias hîc cani.

*Canticum eſt liber Canonicus.*

De fide ergo eſt, hunc librum eſſe Canonicam Scripturam ſpiritu non Cupidinis, ſed charitatis à Deo dictatam: vnde hic liber, tam ab Hebræis, quàm à Chriſtianis ſemper habitus fuit Canonicus, vt patet ex Concil. Florent. Trident. Carthag. III. & cæteris, qui Catalogum librorum Canonicorum texuerunt.

Auctor

Auctor eſt Salomon. Vndè Hebraicè titulus libri eſt: *Canticum Canticorum, quod eſt Salomonis*, qui occaſione nuptiarum cum filia Pharaonis ſcripſit hoc canticum; quare ad eam grammaticè alludit, vt cùm eam vocat filiam Principis; & cùm ait cap. 1. 9. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te.* Hinc & à Salomone vocatur Sulamitis, q. d. Salomonia, ſiue Salomonis vxor. Salomonem enim grammatico ſenſu hîc intelligi patet ex illo cap. 3. v. 7. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt.* & v. 9. *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani.* & v. 11. *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonẽ in diademate*, &c.

Quocirca Honorius Auguſtodunenſis ait ſenſum Literalem eſſe de filiâ Pharaonis, Allegoricum de Eccleſia, vbi per ſenſum Literalem intelligit grammaticum, per Allegoricum verò figuratum & metaphoricum, qui tamen in parabolis eſt literalis. Alij per Sponſam intelligunt Reginam Saba, quæ venit ad Salomonem, vt audiret eius ſapientiam, de qua Æthiopes narrant ipſam concepiſſe ex Salomone filium, qui factus ſit Rex Abyſſinorum: vnde eorum Rex putà Preto Ioannes etiam nunc ſe ſcribit filium Salomonis. Verùm ad literam genuino ſenſu, vt patebit ex ſequent. per Sponſam neutra harum, vel aliarum feminarum, ſed ipſa Eccleſia intelligitur. Ex dictis colligi videtur, quòd Salomon hoc Canticũ ſcripſerit non diu poſt nuptias ſuas cum filia Pharaonis, quando donatus à Deo ſapientiâ cæleſti caſtè & piè Deum colebat. Vnde ab eo vocatus eſt *Ididia*, id eſt, *amabilis domino* 2. Reg. 12. 25. Licet Delrio, Hortulanus, Bacchiarius & alij hunc librum ſcriptũ velint à Salomone poſt lapſum, eúmque vt ſignum pœnitentiæ ipſius aſſignent: ſed ante lapſum ſcriptum eſſe docent Guidacerius, Almonacirius Sottomaior, Dionyſ. Carthuſ. Giſlerius, Salmeron & Bellarmin. lib. 1. de verbo Dei cap. 5. & alij.

Porrò Septuag. Complut. & Regij hunc libro dant titulum. *Canticum Canticorum, quod eſt Salomoni* in datiuo, ſcilicet, verò Salomoni, puta Chriſto Domino dedicatum ait Chryſopolitanus, quodque Salomoni, id eſt, pacifico & à paſſionibus vacuo congruit; hic enim omnes affectus, totumque amorem tranſtulit in Deum, ait Philo Carpathius. Vaticani habent *Canticum Canticorum, quod eſt Salomon*, id eſt Salomonis: videntur enim Septuag. τὸ *Salomon* ponere, vt indeclinabile, quod proinde cuiuſuis poteſt eſſe caſus. Vnde Origen. τὸ *Salomon*, inquit, *vel, Salomoni oſtendit hoc opus tantùm eſſe Salomonis.* Hebræi enim, vt Græci, ſæpe datiuo vtuntur pro genitiuo, præſertim cum rem alicuius propriã eſſe ſignificant: vnde dicunt; villa, quæ eſt mihi, id eſt, quæ eſt mea; liber, qui eſt illi, id eſt, qui eſt illius: ſic in titulis pſalmorum, pro *pſalmus Dauidis* Septuag. vertunt τῷ Δαβίδ, id eſt, *Dauidi* in datiuo, quia Dauidi inſpirati & dictati ſunt pſalmi à Deo, æquè ac Canticum Salomoni. Hinc & Arabicè hic liber inſcribitur: *Carmen Carminum, ſiue laus laudum Salomoni ſapienti*, hoc eſt, cuius vnicus auctor eſt Salomon. Arabes enim datiuo perſonæ vtuntur, cum ſignificant rem alicui eſſe propriam & peculiarem.

*Cur Salomonis à Sept. inſcribitur.*

## CAPVT SECVNDVM.

### *Argumentum.*

SALOMON in prouerbiis fideles quoſlibet docet legem Dei, & communia virtutis dogmata. In Eccleſiaſte eiſdem mundi, vitæque vanitatem demonſtrat. In Cantico à vanitate auulſos, totos ad veritatem; Deíque amorem traducere ſatagit. In Prouerbiis ergo inſtruit incipientes, in Eccleſiaſte proficientes, in Cantico perfectos. Vnde

S.Hieron. in prologo Galeato (qui quaſi galea Bibliis præfigitur) trium librorum Salomonis, puta Prouerbiorum, Eccleſiaſtæ & Cantici Canticorum hoc dat argumentum: *Salomon pacificus & amabilis Domino mores corrigit* (in Prouerbiis); *naturam docet* (in Eccleſiaſte); *Eccleſiam iungit & Chriſtum* (in Cantico) *ſanctarúmque nuptiarum dulce canit Epithalamium.* Epithalamium eſt carmen ſuper thalamo ait Caſſiodorus, Beda & Haymo. Prior id ſcripſit Origenes & poſt eum S. Gregorius Nyſſen. & tres Patres Anonymi apud Theod. Quocirca Anſelm. *Salomon*, ait, *in Prouerbiis eſt Ethicus, quia tractat de moribus; in Eccleſiaſte Phyſicus, quia agit de natura, in Cantico Theologus, quia diuinis incumbit.* Vide dicta in Proœmio Prouerbiorum & Eccleſiaſtis: nimirum prudentiſſimè Deus, vt oſtenderet immenſam ſuam in homines charitatem, quámque ardenti amore Chriſtus homo factus Eccleſiam ſibi copulauerit, voluit à Salomone 1013. (tot enim anni fluxêre à primo anno regni Salomonis vſque ad annum, quo natus eſt Chriſtus) annis ante cani hoc carmen Chriſti nuptiale: Igitur Salomon, quaſi typus & parens Chriſti, eius per incarnationem cum Eccleſia fidelium deſponſationem hoc Epithalamio, id eſt, nuptiali Cantico, ſiue carmine deſcribit, in quo proinde Chriſti prædicationem, paſſionem, mortem, reſurrectionem, aſcenſionem, miſſionem Spiritus ſancti, prædicationem Apoſtolorum & Gentium conuerſionem, Eccleſiæ fundationem, propagationem & perfectionem, ac præſertim reciprocos Chriſti & Eccleſiæ ſpirituales amores graphicè depingit. Ita Patres & Doctores Græci & Latini vnanimi conſenſu, quin & veteres Hebræi, ac Talmudiſtæ ad literam intellexêre hoc Canticum de Meſſia, ſiue de Chriſto & Eccleſia teſte Iſidoro Clario hic. Quare temerarium eſt hoc negare, atque alium Sponſum, aliamque Sponſam hîc fingere.

*Argumentū eſt epithalamium Chriſti & Eccleſiæ.*

Vbi nota, Chriſtus in incarnatione quaſi duplex iniit connubium: primum Phyſicum cum humanitate ſua, quam phyſicè & realiter ſibi vniuit: ſecundum Ethicum, cum Eccleſia, totáque natura humana, quam ſibi per humanitatem à ſe aſſumptam coniunxit, poſterius ſequitur ex primo. Quia enim Chriſtus humanitatem ſuam ſibi copulauit, & quaſi deſpondit, hinc in ea, & per eam totam pariter naturam humanam & Eccleſiam ſibi deſpondit. Ideo enim humanitatem aſſumpſit, vt per eam omnes homines & fideles, quaſi membra ſibi copularet & aſtringeret, vtque eorum eſſet caput & princeps, caput, inquam, homogeneum, eiuſdem ſcilicet cum hominibus generis & naturæ. In priori coniugio Sponſus eſt Chriſtus, Sponſa eſt humanitas à Chriſto aſſumpta, cui proinde primò & propriè adaptari poſſunt quaſi omnia, quæ in Cant. de Sponſa dicuntur: in poſteriori Sponſus eſt Chriſtus, Sponſa eſt Eccleſia: poſterius prioris eſt finis & terminus; finis enim incarnationis Verbi ex Dei dignatione fuit inſtitutio & ſanctificatio Eccleſiæ: quare in inſtitutione Eccleſiæ includitur, & præſupponitur Verbi incarnatio, velut in fine medium, & quaſi in effectu cauſa. Quapropter ſenſu primo, quem de Chriſto & Eccleſia ſingulis verſiculis aſſignabo, intelligendum lectori relinquo, eundem Chriſto & humanitati ab eo aſſumptæ mutato nomine eſſe adaptandum, vti ſubinde ſuis locis diſertis verbis declarabo, præſertim cap. 1. v. 1. Porrò prius coniugium longè nobilius eſt ſecundo, hinc & prior Sponſa longè nobilior eſt poſteriore. Humanitas enim Chriſti longè dignior, pulchrior & ſanctior eſt tota Eccleſia, quia omni virtute, gratia, & gloria longè excellit omnes homines & Angelos etiam coniunctos & ſimul ſumptos, quia ipſa hypoſtaticè vnita eſt Verbo, ac per ſe primò Deum attingit, ab eóque omnes dotes, virtutes & gratias haurit, quæ Verbum decent, & quas humanitatem Verbo hypoſtaticè

*Prima Sponſa Verbi eſt humanitas ab eo aſſumpta.*

vnitam habere par eſt & congruum. Quocirca quæcunque hic dicuntur tã primo ſenſu de Sponſa Eccleſia, quàm ſecundo de Spõſa anima, ac tertio de Sponſa Deipara, præ omnibus attribue humanitati Chriſti; ipſa enim vti eſt caput Eccleſiæ, ita eſt & caput omnium animarum ſanctarum, ipſiúsq; Deiparæ: quamobrẽ ipſa prima eſt Sponſa Verbi, quæ animas ſanctas, ac Deiparam Sponſas efficit, Deóq; deſpondet. Hac de Cauſa humanitas Chriſti Sponſa prima eſt, ſi cũ verbo quaſi Sponſo comparetur: ſin autem cum Eccleſia anima ſancta & Deipara conferatur, iam ipſa non tam Sponſa eſt, quam Sponſus. Chriſtus enim non tantum qua Deus, ſed & qua homo Eccleſiam, animas & Deiparam ſibi vt Sponſo deſpondet, vti docet Apoſt. Epheſ. 5. 32. & 2. Corinth. 11. 2. *Deſpondi*, inquit, *vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*. ita docent Caſſiod. Origen. Theodor. Beda, Nyſſenus, Phylo Carpath. Aponius, Rupert. S. Bernard & alij paſſim hoc libro, ſed præſertim cap. 6. 8. ad illa, *vna eſt columba mea, perfecta mea*, &c.

Prima ergo Chriſti Sponſa eſt eius ſacratiſſima humanitas, ſecunda eſt Eccleſia, tertia eſt Deipara, quarta eſt anima ſancta. Cauſam dat hoc loco Theodoretus, dum ait: *Hoc eſt bonorum caput, diuinæ benignitatis ſumma, ineffabilis bonitas, incredibilis miſericordia, immenſa clemẽtia, inenarrabilis charitas, quod auctor ipſe & effector & procreator, & dominus, & Deus & princeps, atque idem ſemper luteum hoc animal mortale & corruptibile & ingratum, atque inutile à morte & ſeruitute diabolica eripuerit, atque ita libertatem largitus ſit, vt non ſolum nos liberos conſtituerit, ſed in filios adoptarit: néque ſolum tribuerit adoptionis munus, verùm etiam Sponſam & vocarit & fecerit, eodémque numero Sponſum habuerit, atque innumerabilia dona ſponſalia dederit, & cubile, & thalamum adornarit, & nudam induerit, & denique factus ipſe ſit Sponſa & amicus & panis, & potus, & via, & oſtium, & vita & lux, & reſurrectio.*

Porrò quia ſinguli fideles & maximè iuſti ſunt membra Chriſti & Eccleſiæ, hinc de iis ſingulis Canticum accepi poteſt in ſenſu non tam myſtico, quàm literali, ſed inadæquato & partiali. Vnde de anima iuſti ad literam Canticum explicat S. Iuſtus Orgelitanus, Ioannes à Ieſu Maria Carmelitanus & alij, imò Bellarminus cenſet hoc Epithalamium non tam eſſe Chriſti & Eccleſiæ, quàm Chriſti & animæ ſanctæ, præſertim eminentis & perfectæ, hæc enim habet ſodales, quæ crebrò hîc inducuntur, cùm Eccleſia non habeat ſodales, ſed ſubditas & filias.

*Item Chriſti & animæ ſanctæ.*

Rurſum hoc Canticum aptè congruit Chriſto & B. Virgini, tum quia ipſa inter iuſtos eminet, ſicut luna inter ſtellas, tum quia Verbi incarnatio, & per conſequens deſponſatio Eccleſiæ in ipſa & per ipſam perfecta eſt: tũ quia caro Chriſti aſſumpta à Verbo fuit caro B. Virginis: quare cum carnem ſibi deſpondit Chriſtus, quaſi B. Virginem ſibi deſpondit. Vnde de B. Virgine totum hoc Canticum explicat Rupertus, Gulielmus, Raruus, Honorius Auguſtodunenſis, Hailgrinus, Card. Alanus, Inſul. Placidus, Nigidius, & Ioannes Picus Carthuſ.

*Denique Chriſti & B. Virginis.*

Iam verò per Eccleſiam cum Theodor. Aponio, Beda & aliis hic accipe cætum fidelium credentium in Chriſtum, tum ex Gentibus, tum ex Hebræis congregatorum, quæ cœpit ab Abel & Adam, propagata eſt per Abraham, formata per Moſen, ac perfecta eſt per Chriſtum. Omnes enim veteres Patriarchæ & Sancti, qui in lege tam naturæ, quàm Moſaica Deo ſanctæ ſeruierunt, crediderunt in Chriſtum venturum, ac per hanc fidem iuſtificati & ſaluati ſunt: Quare pertinent ad Eccleſiam Chriſti; vti alibi oſtendi ex S. Auguſtino. Hinc patet perperam nonnullos Canticum hoc arctare ad Chriſtianos natos poſt Chriſtum, alios ad Iudæos natos ante Chriſtum, vti Chaldæus R. Salomon & Aben Ezra illud arctant ad Synagogam, quaſi hîc deſcribatur deſponſatio Synagogæ cum Chriſto, quæ facta eſt per Moſen: ſed eis venia danda, quia cũ ſint Iudæi iudaizãt.

*Eccleſia eſt omnium ſæculorum.*

Igitur hoc Cantico tecenſentur amores, gratiæ & beneficia à Deo per Chriſtum in Eccleſiam collata, à primo iuſto Abel non tantùm vſque ad Chriſti reſurrectionem, vt volunt Caſſiodor. Angelomus, Beda, Hailgrinus, Alcuinus & D. Thomas,ſed vſque ad finem mundi, quando Eccleſia triumphans Chtiſto in cæleſti gloria copulabitut, beabitur & regnabit in omnem æternitatem ita Theodor. Aponius & alij.

Totus ergo hic libet ſpitat amores diuinos, adeò vt amor ipſe hic loqui videatur, nimitum in Salomone Deus & Spiritus ſanctus, qui vera eſt charitas, loquitur. Vnde S. Auguſt. in ſpeculo aſſerit Canticum non eſſe aliud,quàm catmen amotis & iubilum charitatis: *Sed de illo*(Cantico)inquit,*in hoc opus quid transferre poſſumus, cum totus amores ſanctos Chriſti & Eccleſiæ figurata locutione commendet, & prophetica pronunciet altitudine: niſi quòd in eo, quamuis ſit ad intelligendum difficillimus: poſſumus tamen facile aduertere, quantum ſit diuina illa & diuinitus infinita charitas appetenda, quantíque pendenda: quandoquidem ibi non ſemel dicitur, ſed alio, atque alio loco iterum ac tertiò repetitur: Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas, ceruóſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit: Adiuro vos filiæ Ieruſalem in virtutibus & viribus agri, ſi leuaueritis charitatem quoaduſque velit. Eccleſia quippe, in qua vtique ſumus, his verbis exhortatur filias ſuas, hoc eſt, ſeipſam in plurimis conſtitutam. Ipſa eſt ager Dei fructuoſiſſimus, cuius virtutes & vires magnæ ſunt, ad quas amando Chriſtum martyres peruenerunt.* Quocirca Hebræi nulli Canticum hoc legere permittebant ante annum ætatis trigeſimum, quæ erat ætas ſacerdotalis, teſte Origene hîc, & S. Hieron. Præfat. in Ezech. Sobrium & temperantem eius lectorem requirit Origenes hom. 1. cap.duabus, cuius iam paſſiones deferbuêre, auulſáque cogitatio & amor à terrenis deſideriis,cæleſtium cupidini adhæreſcit. Nyſſen.hom.1. eos, qui lumbos impatibilitate quadam ſuccinxetint,& veterem concupiſcentiæ hominem exuti:nouum innocentiæ induerint. Beſtiales enim(ait Richard.Victor. in Præfat.) nobis affectus exuendi ſunt, ne ad ſacrum hunc montem accedentes beſtiæ lapidum grandine obruantur, aut cæleſti incendio abſumantur. Maximè verò liber hic ſctiptotem, æquè ac lectorem tequirit chatitate feruentem, & amore Dei incenſum. Qui enim frigidus, vel tepidus hæc amorum incendia ſentiat, vel capiat. Verè Origen. homil. 1. *Beatus*, inquit, *is, qui ingreditur ſancta,beatior qui ingreditur ſancta Sanctorum*, &c. *Beatus,qui intelligit Cantica, & canit ea, ſed multo beatior ille, qui canit Canticum Canticorum.* Addit Gerſon Præf. in Cant. *Amor*, inquit, *expoſitus in Cantic. fruitio Dei, vel oſculatio oris nominatur aptiſſimè, non ſolùm habitualis & tepida, ſed actualis, feruens & extatica & præcipuè ſeraphica, cuius eſt immediatè ferri in Deum, quamuis ex parte animæ concurrat multitudo habituum & influentiarum: Omne præterea datum optimum, & donum perfectum deſcendens à patre luminum*, &c. *Quæ omnia tanquam virtus vniuoca (tradente Dionyſio)replent & reſtituunt animam,eámque conuertunt ad congregantis patris vnitatem & Deificam ſimplicitatem, vbi tunc apex, vel ſeraph mentis ineffabili & ignoto Deo ineffabiliter & ignotè coniungitur, ignotè quidem, quia infinitè & immensè,cum virtus cognoſcent is & actus, prout & natura, ſint finiti.* Hinc Plato, qui à Moſe & Salomone multa hauſit, ideóque ab Euſebio & aliis vocatur *Moſes Atticus*, adde & *Salomon Atticus*. Cantica hæc videtur imitatus in conuiuio, quod totum eſt de amore, vbi ſic orditur: *Magnus Deus eſt amor, & apud Deos & homines mirabilis*, additque ex Heſiodo: *Poſt Chaos hæc duo extitiſſe tellurem & amorem*, citátque illud Parmenidis.

*Amor Seraphicus Cant.*

*Ante Deos omnes primum concepit amorem.*

CAPVT

## CAPVT TERTIVM.

### *Modus & Stylus.*

ORIGENES, S. Gregor. Nazianz. & cæteri Canticum hoc aſſerunt eſſe drama ſponſale,ſiue nuptiale carmen. Vnde S.Baſil.in illud Iſaiæ 5. *Cantabo dilecto meo Canticum dilecti mei*, ait. *Canticum Canticorum nuptiale eſt carmen dramatico opere pertextum.* Drama eſt rei repræſentatio, actus Comœdiarum, ſiue Tragœdiarum fabula. Totus enim liber continua eſt Metaphora,ſiue Allegoria conſcripta ſtylo Comico & Bucolico,quem poſt Salomonem ſecutus eſt Theocritus in Idylliis & Virgilius in Bucolicis : Inducitur enim hic velut in dramate Sponſa, vt virgo paſcens oues, quæ paſtori ſuæ ſortis deſponſata, eum caſto amore amat, eum eóque per modum Dialogi colloquitur, vti fieri ſolet in Comœdia & Tragœdia. Paſtoris autem perſona hic præ aliis aſſumitur,tum quia paſtorum opus & vita eſt antiquiſſima , ſimpliciſſima & innocentiſſima. Vnde Abel, Abraham, Iſaac Iacob,Moſes fuêre paſtores ouium,æquè ac Rachel,cæteræque vxores eorum,imò olim Reges & Principes erant paſtores & agricolæ, vti fuit Iob, Romulus, Remus, Camillus, priſcíque Romani : tum quia paſtores repræſentant Chriſtum, qui rure, puta in præſepio Bethleemitico inter paſtores natus,primò paſtores gregum per Angelum ad ſe euocauit. Deníque Chriſtus eſt paſtor paſtorum. Vnde ipſe de ſe ait : *Ego ſum paſtor bonus : Bonus paſtor animam ponit pro ouibus ſuis.* Ioannis 10. Quocirca ipſe impensè amat paſtores bonos , qui ſubditos paſcunt oratione , verbo & exemplo : hi enim non ſibi ſoli, ſed & aliis plurimis proſunt, ac proximè imitantur vitam Chriſti , atque alios docendo & & charitate accendendo, eam in ſeipſis magis accendant , ſicut ignis ignem accendens , ſeipſum magis accendit. Vnde Chriſtus ad Petrum: *Petre,* inquit, *amas me*, &c. *paſce oues meas.* Ioan 21. Totus ergo hic liber eſt propheticus,adeóque non eſt aliud quàm continua prophetia de Chriſto & Eccleſia , ideóque obſcura, ænigmatica & ſymbolica. *Canticum eſt prophetia de Chriſto.*

Hinc ſequitur, ſicut in parabolis,metaphoris & allegoriis , ſic & in hoc Cantico duplicem quaſi eſſe ſenſum literalem, vnum grammaticalem , quem præ ſe fert ipſe cortex , ipſáque ſuperficies literæ, puta verba; alterum realem & profundum, qui eſt de rebus per verba metaphorica ſignificatis , vt cum ait S. Ioan. Apoc. 5. *vicit Leo de tribu Iuda.* Leo grammaticè ſignificat animal robuſtum & inuictum quod dicitur Leo, realiter verò ſignificat Chriſtum, cuius fortitudinem repræſentat Leo. Hi duo ſenſus ſe habent, & ſe mutuo reſpiciunt,ſibíque ſubordinãtur,vti verborum ſonus & ſenſus,vti cortex & nucleus, vti vmbra & corpus, vti ſuperficies & medulla,vti corpus & animal , vti veſtis & homo : vnde à nonnullis hiſce nominibus vocantur. Vide Canonem quintum , quem præfixi Iſaiæ. Sic in Cantico hoc, Sponſa grammaticè deſcribitur,vt virgo paſtoritia,Sponſus vt paſtor;ſed realiter per illos intelligitur Eccleſia & Chriſtus , Eccleſia ſunt fideles,qui Chriſto velut Sponſo per fidem & dilectionem copulantur, Sponſi ſodales ſunt Apoſtoli , viríque perfecti, præſertim qui animas Chriſto lucrantur & deſpondent, qualis erat S. Paulus dicens : *Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* 2. Corinth. 11. Sociæ Sponſæ ſunt animæ in fide , virtute & amore imperfectæ , adeo , vt necdum Sponſæ Chriſti appellari queant,ſed ſociæ Sponſæ duntaxat,quaſi præparantes ſe & viam virtutis inchoãtes,vt ad nuptias Chriſti ſenſim prouehantur. Sic Abulenſis doctè conſcripſit Paradoxorum emblemata,ſiue ænigmata quinque ſcilicet,primũ *vas mirabil.*;ſecundum *Leo manſuetus*;tertium *Agnus inſuperabilis*; quartum *ſerpens innoxius*; quintum. *Aquila cæleſtis*, quorum primum de B. Virgine , cætera quatuor de Chriſto fusè & eruditè explicat.

*Duplex ſenſus antiqui literalis.*

*Sodales ſpõſi apoſtoli.*

*Sponſæ animæ imperfectæ.*

Porrò Salomon in hoc Canticum imitatur Dauidem, qui Pſalm. 44. & 67. ſimile Drama & Epithalamium Sponſi & Sponſæ, id eſt, Chriſti & Eccleſiæ conſcripſit, Vterque ergo fuit ſacer vates & poëta. Olim enim Poëta vocabatur, qui carmina non quælibet, ſed comica, tragica, dramatica fingebat & componebat: a ποιῶ enim, id eſt, facio, fingo, dicitur ποιητὴς, id eſt, factor, fictor, effector; Vnde illud Horatij de art. 2.

*Pictoribus atque Poëtis.*
*Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas. Et*
*Vt pictura poeſis erit, quæ ſi proprius ſtes*
*Te capiet magis, & quædam, ſi longius abſtes.*

Et Cicero de optimo genere Orat. *Tragicum, Comicum, Epicum, melicum, & dithyrambicum poëma.* Idem lib. 3. de Orat. *claris coloribus picta poëtis.* Et Tuſcul. 4. Anacreontis quidem poëſis tota eſt amatoria.

## CAPVT QVARTVM.

### *Partitio & partes.*

BEDA Canticum partitur in 40. ſectiones, ſiue capita, D. Thomas diuidit in tres ſtatus Synagogæ, puta, Iſraëlis, ſiue Iudæorum primo credentis Chriſto in Apoſtolis & primis Chriſtianis, qui fuêre Iudæi à c. 1. vſq; ad c. 3. v. 7. inde autem incipere agi de Iudæis excæcatis & perſequentibus Chriſtianos vſque ad cap. 6. verſ. 10. inde vſque ad finem libri agi de Iudæis credituris Chriſto in fine mundi. Titelmanus alternis capitibus alternè cenſet loqui Sponſum & Sponſam.

Noſter Delrio in tres partes diuit, vt prima agatur de fidelibus incipientibus, ſecunda de proficientibus, tertia de perfectis. Alij cenſent hic deſcribi fideles vitæ actiuæ, contemplatiuæ & mixtæ, ac denique cæleſtis.

Georgius Ederus in ſua Biblior: Oeconomia Canticum hoc in decem dramata diuidit, quæ omnia nō Eccleſiæ ſed Synagogæ Moſis & Iudæorū attribuit.

Gaſpar Sanchez opinatur perturbatum eſſe ordinem: Caput enim quintum præponendum eſſe primo, eo quòd Sponſa non niſi à Sponſo euocata Sponſo dicere queat. *Oſculetur me oſculo oris tui.* Euocari autem eam cap. 5. Igitur Cantico hoc cenſet priſcos nuptiarum ritus depingi, ac proinde illud velut drama nuptiale in quinque ſcenas partitur. Prima, Sponſus cap. 5. Sponſam inuitat, ambit & euocat; Secunda, ſponſa euocata ſollicitè quærit Sponſum, cap 6. & cap. 1. dicens: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Tertia, nuptiæ celebrantur c. 2. ſub geniali thalamo de quo ait, *ſub vmbra illius.* Quarta, Sponſa cap. 3. in ferculo, id eſt, mobili & geniali lecto componit, mouétque pompam, currúmque nuptialem in Sponſi domum. Quinta, ſcena, quæ eſt cap. 8. Sponſam ſiſtit ad Sponſi fores, ibique ſancto amoris complexu matrimonium ſolenni ritu contrahitur. Verum in hac diſtributione magna eſt capitum traiectio, ordiniſque perturbatio & confuſio.

Planus & germanius cum aliis Canticum diuidas in quinque partes, quę ſunt. Prima, nuptiæ Chriſti cum humanitate per incarnationem, indéque cum Eccleſia hominum fidelium per fidem & charitatem, puta Infantia Eccleſiæ: hanc petractat ab initio cap. 1. vſque ad verſ. 8. cap. 2. *Ecce iſte venit ſaliens in montibus.* Secunda, Eccleſiæ propagatio & incrementa: hanc pertractat à v. 8 cap. 2. vſque ad cap. 3. v. 6. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit.* Tertia, Eccleſiæ plenitudo, eiúſque quaſi in culmine poſitæ ſumma exaltatio & perfectio hanc deſcribit à cap. 3. verſ. 6. vſque ad cap. 4. v. 2. *Ego dormio & cor meum vigilat.* Quarta Eccleſiæ veteraſcentis in ſenium inclinatio: hanc repræſentat c. 5. v. 2. vſque ad c. 6. v. 3. *Pulchra es amica mea.* Quinta,



Digitized by Google

Eccleſiæ renouatio, & ad ſummam perfectionem reſtitutio, eiúſque in cælis glorificatio, hanc oculis ſubiicit à cap. *6.* v.3.vſque ad finem libri.

Infantia Eccleſiæ fuit ab ortu & prædicatione Chriſti vſque ad Pentecoſten: Adoleſcentia à Pentecoſte vſque ad Conſtantinum Imp. Virilis ætas tempore Conſtantini:Seniũ poſtea cœpit graſſantibus Arrianis, Neſtorianis, Eutichianis, Pelagianis. Renouatio fieri cœpta à S.Baſilio,Chryſoſt.Cyrillo,Aug.Ambr.Hier. continuatur ab eorum ſucceſſoribus continuè vſq; ad finem mundi,qui Eccleſiæ fidẽ & ſanctitatẽ contra Hæreticos,Iudæos,Turcas,ſchimaticos,tyrãnos &quolibet perſecutores ſartum tectũ tuentur,eamq; propugnabunt vſq; ad finẽ. mundi,quãdo in die iudicij fiet plena Eccleſiæ renouatio, cõſũmatio & glorificatio.

*Cantico repræſentatur.*

Has quinque Eccleſiæ ætates & ſtatus dramaticè per quinque dramata, ſiue actus, quaſi in ſcena repræſentat hic Canticorum liber.

1\.

*Infantia Sponſæ.*

In primo dramate inducitur Salomon in Libano monte vicino,eóque amœniſſimo & fertiliſſimo obambulans, vel venationi indulgens, incidiſſe in puellã nobilem, ſed more ætatis illius paſtoritiam,quam ob formam inſignem tũ corporis,tum animi,vt Sponſam ſibi deſpondit;vnde noua nupta ad tanti Regis nuptias & thalamum aſpirans: *Oſculetur*, inquit, *me oſculo oris ſui: oleum effuſum nomen tuum*,mox quæritur ſe ſole fuſcatam, quod à fratribus coacta ſit cuſtodem agere in vineis;ſolatur,animátque eam Sponſus Salomon,pollicens ei equitatum Pharaonis;inde ei quaſi nouæ Sponſæ promittit murenulas & monilia: hinc illa ait Sponſum ſibi eſſe quaſi faſciculum myrrhæ & botrum cypri, narrátque ſe ab eo introductam in cellam vinariã, vbi amoris vino,quaſi ebria indormiens,& quaſi deliquiũ paſſa petit fulciri floribus & ſtipari malis,ac Sponſus eam excitari prohibet,quæ omnia ſunt Sponſæ teneræ & nouellæ, ac infantiam Eccleſiæ repræſentant. Eccleſia enim naſcens naſcente Chriſto petit eius oſculum,id eſt,vnionem & amplexum per Verbi incarnationem,in qua ipſe fuit quaſi oleum ſalutiferum,in circumciſione & paſſione effuſum:ideóque Ieſus,id eſt,Saluator eſt appellatus,mox ipſa perſecutionẽ paſſa à Iudæis fratribus ſuis equitatu,id eſt,Apoſtolorum armis & præſidio à Chriſto fuit obarmata,ab eóque murenulas legum & conſiliorum Euangelicorum, ac faſciculum myrrhæ,id eſt,Chriſti paſſionem & botrum cypri, id eſt,eiuſdem reſurrectionem,& cellam vinariam,id eſt,inſtitutionem Euchariſtiæ in vltima eius cœna accepit,cuius guſtu quaſi deliquium paſſa floribus S. Script. & malis bonorum exemplorum ſtipari ſe optat,in iiſque ſuauiter indormiens à Chriſto excitari vetatur.Factũ id cùm diſcipuli ab Aſcenſione Chriſti vſque ad Pentecoſtem,in cænaculo recluſi toti vacabant orationi, Euchariſtiæ & iucundæ contemplationi,nec Iudæi à Chriſto permiſſi ſunt hanc eorum quietem interturbare.

*Repræſentat infantiam Eccleſiæ ſub Chriſto.*

2\.

*Adoleſcentia ſponſæ.*

Secundum drama,quod incipit,c.2.v.6.Sponſa à Sponſo ineunte Vere euocatur in agros & vineas,vt ficuum groſſis,& vineis florentibus vtetq; paſcatur;mox iubet capi vulpeculas,quæ vineas demoliuntur;ſubducit ſe Sponſus,Sponſa eum anxiè requirit in lectulo, & mox à vigilibus, ſed fruſtra: quare iis relictis circumiens vicos & plateas tandem ipſum inuenit nec dimittit, donec introducat eum in domum matris ſuæ. Hæc omnia repræſentant adoleſcentiam Eccleſiæ, quæ cœpit in Pentecoſte, quando Apoſtoli recepto Spiritu S.cœperunt prædicare Euangelium primò Iudæis,deinde Gẽtibus, ac vbíque fundare Eccleſias:vnde tunc facit,quaſi ver Euangelij.Vulpes fuêre primi Hæreſiarchæ,ſcilicet Simon magus,Ebion, Menander, Baſilides, Carpocras, &c. qui Eccleſiam vaſtarunt, quibus reſtitere S. Ioannes, cæteríque Apoſtoli. Eccleſia quæſiuit Chriſtum in lectulo, id eſt, in Iudæa, vbi quiete vacabat Deo, & à vigilibus, id eſt, à ſacerdotibus & ſcribis prædicando Iudæis Euangelium, & Meſſiam in eis natum

*Repræſentat adoleſcentiã Eccleſiæ, quæ cœpit in Pentecoſte.*

ab eis

ab eis requirendo; ſed fruſtrà,pauci enim Iudæorum in Chriſtum crediderunt: quare iis relictis abiit ad gentes totius orbis, ibique in eorum fide & obedientia Chriſtum inuenit, atque Eccleſiam vbique ſtabiliuit, donec ad eam Chriſtum, id eſt,omnes gentes Chriſtianas induceret.

3. *Virilis ætas Sponſæ.*

Tertium drama incipit c.3.6. vbi dicitur Sponſa aſcendere per deſertum,ſicut virgula fumi ex omnibus aromatibus ſuauem odorem exhalantis. Rurſum Spõſi lectulum ambire ſexaginta fortiſſimos ex Iſraël. Ferculum item, ſiue geſtamen aureum eiuſdem deſcribitur,ac diadema,quo coronatur. Denique Spõſæ forma celebratur ab oculis columbinis, capillis hedinis,dentibus ouinis, labiis coccineis,collo turrito,vberibus capreæ,&c. per quæ incolas Montium Libani, Amana, Sanat & Hermon allicit,euocátque in Sion, quaſi in hortum concluſum, & paradiſum nardo, cypro, croco omníque fructu aromatico abundantem.

*Repræſentat virilem Eccleſiæ ætatem,qualis fuit ſub Cõſtantino.*

Hæc omnia adumbrant virilem ætatem Eccleſiæ, quando ex fide omnium gentium velut virgula fumi creuit & aſcendit altiſſimè. Lectulus Sponſi, id eſt Chriſti,eſt Eccleſia Romana,in qua quaſi in lectulo firmè & iucũdè conquieſcit. Ferculum eſt magnificentia Eccleſiæ Romanæ magnificentiam Chriſti & quintuplex eius diadema repræſentans. Oculi columbini notant Prælatos Eccleſiæ vigiles & ſollicitos; capilli Nazaræos, ſiue religioſos, dentes Doctores, labia, Prædicatores, collum Põtifices Romanos,vbera Sacerdotes & Diaconos. Hi populos Gentium euocant de Libano, Amana,Sanit & Hermon, qui erant montes Gentilium,hoc eſt,euocant eos à gentiliſmo,vt veniant in Sion, puta ad Eccleſiã Chriſti,vbi omnium aromatum,id eſt, virtutum ſpiritualium genera germinãt, & ſuauiſſimum ſanctitatis odorem exhalant. Id factum ſub Conſtantino Imp.

4. *Senium Sponſæ.*

Quartum drama incipit cap.5.v 2. vbi Sponſa dormiens Sponſo nocturno rore madido,oſtium pulſante,cum ei tardaret aperire,luit hanc tarditatem: nam eum abeuntem deinde requirẽs,à cuſtodibus vrbis vulneratur & pallio ſpoliatur. Mox eius ſociæ Sponſum quæſituræ petunt ab ea,quis & qualis ſit Sponſus? quibus illa reſpondet,eum eſſe candidũ & rubicundũ, capite aureo,comis nigris, genis aromaticis,labiis liliatis,manibus hyacinthinis,vẽtre eburneo,cruribus marmoreis.

*Repræſentat ſenium Eccleſiæ poſt Conſtantinum.*

Hæc omnia notant declinationem & ſenium Eccleſiæ,cùm videlicet per pacem ipſi datam à Conſtantino,nonnulli eius præſules & fideles dederunt ſe otio, gulæ,deſidiæ: qua occaſione Arriani,aliíque Hæretici,ſuis hæreſibus & blaſphemiis in Oriente impetiêre Chriſti deitatem, vel humanitatem. Quare Chriſtus fidem ſuam ex Oriente transtulit in Occidentẽ. Vnde Eccleſia Orientalis Chriſtum,Chriſtiq; veram fidem requirens à cuſtodibus,id eſt,à Principibus & prælatis hæreticis,quales fuêre Valens,Hunericus,Dioſcorus,Neſtorius læſa & laſerata fuit,ac pallio integrę fidei ſpoliata: quare eius ſociæ,id eſt,ſanctæ Angelorum & hominum animæ,vt Chriſtum quærant,& ab Occidente in Orientẽ reducant, quęrunt à Sponſa,ſcilicet ab Eccleſia Orientali,qualis ſit Chriſtus, quibus illa reſpondet,eum eſſe candidum per innocentiam,rubicundum per paſſionem & patientiam,caput eius eſſe aureum,per diuinitatem; capillos,id eſt conſilia eius eſſe nigra,id eſt fortia,virilia & charitate quaſi toſta; genas binas habere aromaticas, id eſt, per miſericordiam & iuſtitiam ſpirare omnẽ ſanctitatem, labia liliata,hoc eſt,eloquia caſtiſſima,manus hyacinthinas,id eſt,operationes cæleſtes, & tornatiles,verſatiléſque ad omne bonum; ventrem eburneum, id eſt, paſſiones & affectiones puriſſimas & fortiſſimas,crura marmorea,id eſt, itinera validiſſima, quibus per ſe & Apoſtolos totum orbem euangelizando obiens illum ſibi ſubiiciat.

5. *Renouatio Sponſæ.*

Quintum drama incipit c.6.v.3. vbi Sponſa pulchra, fortis & perfecta deſcribitur,ac quaſi caſtrorum acies ordinata. Mox Sponſus deſcendit in hortum nucũ: Sponſa conturbatur propter quadrigas Aminadab, ſed Sponſus occurrit,aitque:

*Quid*

*Quid videbis in Sulamite,niſi choros caſtrorum?* ac rurſum eiuſdem femora,vbera,collũ, oculos,caput, ſtaturam, guttur,&c. depingit & dılaudat. Denique cap. 8. Sponſa optat Spõſum deducere in domum matris ſuæ,eíque intimè,ſemperq; coniungi. Cui Sponſus: *Pone me*,ait,*vt ſignaculum ſuper cor tuum , vt ſignaculum ſuper brachium tuũ.* Mox Sponſa ſorori ſuæ paruulæ proſpicere ſatagens,à ſodalıbus conſiliũ accipit: *Si murus eſt*,inquiunt,*ædificemus ſuper eum propugnacula argentea, ſi oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis.* Quibus ſoror ipſa reſpondet: *Ego murus,& vbera mea turris, ex quo facta ſum coram eo,quaſi pacem reperiens.* Vtriuſq; deinde ſororis vineam,eiúſq; fructum & pretium deſcribit. Tandem Sponſus vltimam Sponſæ vocem,votúmque poſtulans audit ab ea: *Fuge dilecte mi,& aſſimılare capreæ ſuper montes aromatum.*

Hæc omnia repræſentant renouationem Eccleſiæ factam ſæculo Patrum,quo ſcilicet,floruêre Doctores Græci. S. Baſilius, Nazianz. Chryſoſt. Cyrillus;& Latini. S. Auguſt. Hieron. Ambroſ. Gregor. eorúmque ſucceſſores, qui ita Eccleſiam ornant & roborant, vt ipſa inſtar caſtrorum omnibus hoſtibus inuicta reſiſtat. Quare Chriſtus deſcendıt in hortum nucum,id eſt, in Eccleſiam ex duobus populis,ſcılicet,Gẽtibus & Iudæis coalitam:hæc turbatur propter quadrigas Aminadab,id eſt,ob conuerſionẽ Gentilium, vel ob ſchiſmata Saracenorũ,Antipaparum, ac impiorum Imperatorum & Principum.Sed Chriſtus occurrit,iiſque opponit choros caſtrorum, id eſt, Pontifices,Reges & Imperatores orthodoxos & bellicoſos:item cõcilia œcumenica & nationalia:ad hæc Academias,quas quaſi fidei & pietatis nutrices & propugnatrices in ſingulis prouincııs inſtituit, inſuper ordines Religioſos S Benedicti,Romualdi,Bernardi,Dominici,Ignatij,quaſi caſtra veræ religionis validiſſima. *Repræſentat renouationẽ Eccleſiæ factam ab eius Doctoribus.*

Deníque Sponſa Eccleſia ſub finem mundi,completo iam electorum numero cap.8. optat cum Sponſo Chriſto ire in domum genitricis ſuæ,id eſt,cæleſtis Ieruſalem,vt eo fruatur in æternum:cui Sponſus Chriſtus: *Pone*,inquit,*me vt ſignaculum ſuper cor tuum*, id eſt, mei memoria & amore cor tuum obſignes: inſtat enim tibi vltima & acerrima Antichriſti perſecutio,quam non niſi per meam gratiam & charitatem ſuperare poteris,quia aquæ multæ tribulationum non extınguent charitatem;nec flumina perſecutionum obruent illam. Mox Eccleſia Gentium ſorori ſuæ parııulæ,id eſt,Synagogæ Iudæorum in fine mundi per Eliam ad Chriſtum conuertendæ,metuens ab Antichriſto & Antichriſtianis,ne Chriſto in die iudicij diſpliceat,conſilium petit à ſodalibus Sponſi,id eſt à diſcipulis & aſſeclis Eliæ, qui hoc illi ſuggerunt: *Si murus eſt*,&c.q.d.Pars Synagogæ , id eſt, plebis Iudæorum inſtar murı firmo & conſtanti eſt animo , quocirca illã inſtruamus eloquiis S Script. quaſi propugnaculis argenteis : pars altera inſtar oſtij eſt animo exili & verſatili , ergo illam conſtringamus, & roboremus ſanctis fidelium exẽplis, quaſi tabulis cedrinis: Occurrit ſoror ipſa,ſcilicet Synagoga,aítque ſe ſatis in fide eſſe validam : ita enim ab Elia eſſe corroboratam, vt Antichriſto,eiúſque aſſeclis fortiter ſit reſtitura. Quocirca vtráque hæc Chriſti vinea, ſcilicet, tã Synagogæ Iudæorum, quàm Eccleſiæ Gentium, in fine mundi ampliſſimum dabit fidelium & virtutum omnium fructum, qui mille argenteis,id eſt, maximo pretio æſtimetur. Tandem Chriſtus extremam Eccleſiæ in fine mundi vocem poſtulans ab ea hanc excipit: *Fuge dilecte mi* à terra hac fœtida *in montes aromatum*,id eſt, in cælum,eóque me tecum abripe,vt ibi te per gloriam fruar in æternum.

Porrò Coſmas Hortolanus,vt vetus teſtamentum nouo,hoc Canticum Apocalypſi harmonicè adaptet , cenſet Cantico deſcribi ſeptem ſtatus Eccleſiæ,quos per ſeptem ſigilla S. Ioannes in Apocalypſi cap.6.& ſeq.ſymbolice repræſentat. *Harmonia Cantici cum Apocalypſi.*

Primo ergo Apocalypſeos ſigillo equi albi & equitis coronam, arcúmque geſtantis,repræſentatur Chriſti incarnatio,prædicatio, gentiúmque per Apoſtolos

ſubiectio;

ſubiectio;idem repræſentat Canticum dicens,cap. 1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te.*

Secundo Apocalypſis ſigillo,per equum rufum repræſentatur ſtatus martyrũ Eccleſiæ, qui mox poſt Chriſtum & Apoſtolos cœpit à Nerone ac durauit vſque ad Conſtantinum magnum;eundem notat Canticum cap. 1.13. dicens: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi:*& magis ordinatè cap.2.12.dicens:*Tempus putationis aduenit*,&c. *vineæ florentes dederunt odorem ſuum.*

Tertio Apocalypſis ſigillo,per equum nigrum repræſentatur ſecunda Eccleſiæ perſecutio per Arrium & Hæreticos.Eadem in Cãtico repræſentatur per vulpes cap.2.15.*Capite*,inquit,*nobis vulpes paruulas,quæ demoliuntur vineas*,& magis ordinatè cap. 4.4.*Sicut turris Dauid collum tuum,quæ ædificata eſt cum propugnaculis,mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*

Quarto ſigillo Apocal. per equum pallidum repræſentantur hypocritæ, vel potius Mahometani & Saraceni,qui validiſſimè Eccleſiam oppugnarunt & etiãnum oppugnant. Vnde contra eos dicitur Cant.3.7. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios,& ad bella doctiſſimi: vniuſcuiuſq; enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.* Et magis ordinatè c. 6.9. *Quæ eſt iſta,quæ progreditur,quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Et v.11. *Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab*, &c.

Quinto Apocal. ſigillo aperto prodeunt animæ interfectorum propter Verbum Dei, petentes vindictam,audiúntque,vt modicum quieſcant.Quietem hãc martyrum Eccleſiæ repræſentat Canticum cap. 5.1. vbi Sponſa Sponſum in hortum inuitat ad colligenda lilia.Et magis ordinatè cap.8. 2. *Dabo tibi*,inquit,*poculum ex vino condito & muſtum malorum granatorum meorum.*

Sexto Apocal. ſigillo repræſentatur Antichriſti grauiſſima perſecutio.Eandẽ repræſentat Canticum cap.5.v 4. dicens:*Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen & venter meus intremuit ad tactum eius.* Et magis ordinatè cap.8.v.6. *Fortis*, ait, *eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio*, &c. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem,nec flumina obruent illam.*

Septimo Apocal. ſigillo repræſentatur Chriſti aduentus ad iudicium, poſt quem ſequetur Eccleſiæ felicitas & gloria æterna. Idem hic repræſentat Canticum c.6.12.dicens: *Reuertere,Reuertere Sulamitis, reuertere,reuertere,vt intueamur te*, & quæ ſequuntur vſque ad finem libri & præſertim vltima verba: *Fuge dilecte mi,& aſſimilare capreæ, hinnulóque ceruorum ſuper montes aromatum.*

*Analogia Canticorum cum Apocalypſi.*

Igitur magna eſt analogia & ſimilitudo Canticorum cum Apocalypſi.Primò in materia,quia vtrobíque deſcribitur ortus, progreſſus,perfectio, inclinatio,renouatio & glorificatio Eccleſiæ. Secundò in phraſi & ſtylo, qui vtrobíque eſt ſymbolicus,atque per ænigmata & ſymbola Eccleſię Sacramenta obtegit & obuelat. Tertiò in modo: ſicut enim Apocalypſis cap. 7. à primis quinque ſigillis ortum & progreſſum Eccleſiæ ſtrictim ſignificantibus, ſubitò v.12. ſigillo ſexto ſalit ad tempora nouiſſima,illáque fusè proſequitur vſque ad caput 15.puta tempora Eliæ & Antichriſti, ſic prorſus idem facit Salomon in Canticis, vti oſtendam,cap.7.v.1.Quartò in fine ſicut enim Apocalypſis clauditur deſcriptione cæleſtis Ieruſalem, quaſi Sponſæ Chriſti fæliciſſimæ, ſic & Cantica: Vnde noſter Alcazar in alluſionibus ad Apocalypſim toto lib.3.Cantica explicat, vt oſtendat eorum cum Apocalypſi affinitatem & ſimilitudinem.



Digitized by Google

# CANONES QVI PACEM PRÆFERVNT CANTICIS.

Canones.

I.

1\. IN aliis libris Veteris Teſtamẽti Deus vocatur *Iehoua*, *Adonai*, *Elohim*, *El*, cæteriſque decem nominibus, quæ recenſet & explicat S. Hieronymus epiſt. 136. ad Marcellam; quia in iis Deus agit cum Synagoga quaſi cum Ancilla, ideóque ſe Deum, Dominum, Gubernatorem, Fortem, Vindicem, Omnipotentem, Terribilem nominat. In Cantico verò hoc nullum tale nomen Dei eſt reperire, quod terrorem incutiat; quia in eo agit cum Eccleſia, quaſi cum Sponſa dilectiſſima: vnde ſe nonniſi Sponſum, Patrem, Amicum, Amantem & Amatum, ſiue Dilectum nuncupat; quia hæc nomina amorem Sponſæ excitant, fouent, acuunt, & augent. Ita Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei, cap. 5.

*Varia Nomina variè Deo tribuit Scriptura.*

II.

2\. Crebra eſt hîc Enallage perſonarum, qualis ſolet eſſe in Dramatibus; modò enim loquitur in ſecunda, modò, idque mox, in tertia perſona, etſi vna eademque ſit.

III.

3\. Cùm Salomon huius carminis Scriptor, Diuini erga homines amoris reſerauit arcana, eniſus eſt ex naturali amore vniuerſis animis longè notiſſimo, illius Diuini vires exprimere, vt inde diſcamus ex noſtri amoris affectibus, in illius quaſi auguſtiſſima adyta penetrare.

IV.

4\. Canticum hoc eſt Carmen, ideóque metro aſtrictum, quod proinde nonnulli Elegiacum eſſe cenſent ex Hexametris, & Pentametris verſibus conflatum. Verùm priſca Hebræorum Poëſis periit; vnde ratio & metrum priſci eorum carminis ignoratur.

V.

5\. Sicut in Metaphoris & Parabolis duplex eſt ſenſus Literalis, puta Grammaticalis, qui eſt corticis literæ, & Metaphoricus ſiue Parabolicus, qui eſt rei per metaphoram vel parabolam ſignificatæ, qui verus & genuinus eſt parabolæ ſenſus, ideóque literalis; etſi ab Honorio Auguſtodunenſi, & nonnullis aliis vocetur Allegoricus, id eſt Metaphoricus & Parabolicus.

VI.

Palæſtinorum ritus & mores à cæterarum gentium ritibus, & moribus valdè differentes effecerunt, vt nonnullæ ex his ſimilitudinibus arcanis ex medio vulgo ruréue petitæ, non adeò concinnæ videantur exteris; cùm tamen mira ſit in illis ad res exprimendas efficacitas, & cum rerum proprietate congruitas. 6.

VII.

In Cantico hoc, æquè ac in aliis Parabolis, adducuntur ſubinde Emblemata ad elegantiam Parabolæ, quæ proinde non eſt neceſſe, imò ſubinde eſt impoſſibile applicare rei per parabolam ſignificatæ, vt cùm Chriſtus, Matth. 25. in Parabola talentorum ait herum plura vel pauciora talenta cuique famulorum dediſſe ſecundùm propriam virtutem. Id enim herus facere ſolet: At Deus ibi per herum ſignificatus, id non facit: nam gratiam non diſtribuit ſecundùm dignitatem & merita naturæ, vt volebat Pelagius, ſed merè gratis. 7.

VIII.

Canticum hoc eſt Drama, in quo multa non verbis & voce, ſed actorum geſtu & actione repræſentantur, vt cùm duellum, pugnam, conuiuium repræſentant non loquendo, ſed duellando, pugnando, conuiuando in theatro. Quare actio hîc collocutioni perſonarum, quæ alioqui obſcura & inconcinna videtur, inſerenda eſt, vt eam expleat & explicet. Imò Drama ſæpe eſt Actio ſilens, in qua mutæ perſonæ agunt, nec verbis, ſed geſtibus rem repræſentant. Rurſum Dramaticum opus vel poëma eſt, in quo ſolæ perſonæ agunt abſque Poëtæ interlocutione. Quocirca in Cantico non exprimitur, nec diſtinguitur, vbi ſit vox Sponſæ, vbi vox Sponſi, vbi vox Adoleſcentularum, ſed omnes indiſcriminatim commiſcentur: atque hæc res magnam parit obſcuritatem, quæ Interpreti ex ipſa verborum ſententia, & ex antecedentibus & conſequentibus ſolerter elucidanda eſt, vt cuique ſuam vocem & loquendi vicem aſſignet. 8.

*Drama quid?*

IX.

9. Sponſus & Sponſa affectibus amoris indulgent: vnde non tam concinnè & ordinatè, quàm affectuosè loqui ſatagunt: feruntur enim incendij ſui flammis quocumque eos rapit amor.

X.

10. Totalis & adæquatus ſenſus Litteralis hîc eſt de Connubio, ſiue coniunctione Christi & Eccleſiæ per fidẽ & amorem: Partialis Litteralis, eſt de coniunctione Chriſti cum Anima Sancta, præſertim quæ ſtudet perfectioni: hæc eſt enim pars & membrũ Eccleſiæ: Partialis principalis, eſt de Chriſto & B. Virgine: hæc enim eſt præcipua pars, primúmque membrum Eccleſiæ.

XI.

11. Canticum ſcriptum eſt inſtar Dialogi, in quo interlocutores ſunt Spõſus Chriſtus, Sponſa Eccleſia, Spõſi ſodales, puta Apoſtoli & Animæ perfectæ; Adoleſcẽtulæ comites Sponſæ, id eſt Animæ in virtute needum adultæ, ſed teneræ, adoleſcentes tamen & creſcentes in virtute.

Crebrò in Canticis vinearum fit mentio: quia in iis Sponſus vt vinitor, paſtor & ruricola inducitur. Noſter Sanchez probabiliter per vineam & vites in Canticis, accipit frutices quæ fundunt balſamum, quales ipſe cenſet eſſe Cypros,

*Vinea in Cant. quid?* aliáſque arbores aromatiferas. Primò, quia hæ florentes ſuauem expirant odorem, non vites, niſi paucæ. Secundò, quia S. Hieronymus Epitaphio S. Paulæ ait: *Contemplata eſt balſami vineas in Engaddi.* in cap. 27. Ezech. *Balſamum* inquit *quod na-*

Hieronym. *ſcitur in vineis Engaddi.* Tertiò, quia Septuag. cùm vineas dicunt florere, vtuntur verbo *cyprizo*, quod à cypro deducitur. Quartò, quia Hebr. כֶּרֶם *kerem*, id eſt vinea, quemlibet agrum vel hortum ſignificat. Vnde Iud. 15. vocatur *kerem zait*, id eſt vinea oliuæ. Et Cant. 5. pro *meſſui*

Lxx. Septuag. vertunt *vindemiaui myrrhã meam.* Hinc & Pœni, indéque Hiſpani in Regno Granatenſi *carmen* (quod deriuatur ab Hebr. *kerem*, id eſt vinea) vocant hortum quibuſlibet arboribus conſitum. Hinc & cap. 7. verſ. 11. pro *commoremur in villis*, Hebr. eſt בַּכְּפָרִים *baccopherim*, id eſt in cypris, quæ abundabant in Iericho & Engaddi. Quintò, quia cyprus fundẽs balſamum ſimilis eſt viti. Audi Plinium

Plin. lib. 12. c. 25. *Hæc viti ſimilior eſt quàm myrto, malleolis ſeri dicitur nuper vincta vt vitis, implet colles vinearum modo.* Vineę ergo Sponſi non tam vitis & vini, quàm cypri & balſami erant feraces. Hæc ſententia vera eſt, ſed partialiter. Vinea enim hæc & cypros & vites & arbores, præſertim aromatiferas continebat: ſic Romæ vidæmus in vineis eſſe hortos, viridaria, pomaria, agros & ſegetes. Imò in Lombardia idem ager fert ſegetes, fructus & vuas, adeóque idem campus eſt ager, pomarium & vinea: ſegetibus enim immiſcentur vites vlmis infixæ, & vtrorumque limites circumcirca ſunt arbores fructiferæ. Nam Salomon, qui hîc Grammaticè inducitur vt Sponſus, & vineas vitium iuxta Ieruſalem, & vineas cypri balſamíque in Engaddi habebat, vt patet verſ. 14. *Botrus cypri* ait *dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Et Eccleſ. 2. 5. Cant. 1. 14. Eccleſ. 2. 5.

*Plantaui* inquit *mihi vineas, & ſyluas lignorum germinantium.* Porrò an cyprus ſit frutex balſami ferax, diſſeram c. 1. v. 14.

XII.

12. In Canticis ſubinde mẽbrum corporis ſignificat veſtem, quâ tegitur aut ornatur, vt cùm cap. 5. Sponſi caput vocatur aurum optimum, caput ſumitur pro corona capitis; hæc enim erat ex auro optimo. *Mẽbra corporis in Cantico quomodo intelligẽda.* Sic cap. eodẽ cùm venter Sponſæ dicitur eburneus, venter ſumitur pro zona quę ventrem tegebat & cingebat: hæc enim facta erat ex ebore. Hanc expoſitionem exigit honeſtas: Quis enim credat Sponſam caſtiſſimam, ventrem nudum ſpectandum aut deſcribendum exhibuiſſe? Cant. 7. pro eo quod noſter habet: *Comæ capitis sui ſicut purpura*, S. Ambr. Ambroſ. ſer. 17. in Pſal. 118. legit: *Ornatus capitis tui ſicut purpura*, vbi per comam accipit ornatum comæ, puta coronam comæ infixam. Sic nonnulli per *vbera & vmbilicum* intelligunt *mammillare*; puta velum tegens vbera & vmbilicum, iuxta illud Catulli in Argon.

*Non tereti ſtrophio lactantes vincta papillas.* Catull.

Cant. 8. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum*, Cant. 8. 6. id eſt ſuper bullam qua tegitur & ornatur cor tuum; huic enim rem ſummè amatam, v. g. Deum vel idolum ſuum Gentiles inſculpere ſolebant, æquè ac Hebræi, vt illius intuitu Dei ſui ſemper memoriam refricarent, illúmque in corde & mente iugiter cogitarent & amarent. Simili modo apud Oratores & Poëtas ſæpe res veſtita ſignificat veſtem, quâ tegitur & veſtitur per Metonymiam. Sic collum ſignificat collare quo tegitur: crines ſignificant crinalia, femur femoralia; thorax, id eſt pectus, notat veſtem quâ tegitur, quæque exinde thorax dicitur. Sic pes ſignificat calceum, quo pes calceatur. Vnde quod Deuter. 8. v. 4. dicitur *veſtimentum tuum quo operiebaris nequaquam vetuſtate defecit, &* Deuterō. 8. 4.

*pes*

*pes* ( id eſt calceus ) *tuus non eſt ſubtritus*; Clarè exponitur Deuteron. 29. v. 5. vbi dicitur : *Non ſunt atrita veſtimenta veſtra,* Deuteron. 29 5. *nec calceamenta pedum veſtrorum vetuſtate conſumpta ſunt.* Hæc & plura Noſter Sanchez hic prolegom.9.& 10.

XIII.

13. *Pro diuerſit. & nationibus & temporibus diuerſi mores.* Actiones, geſtus & habitus apud Hebræos olim honeſti & decori, apud alias gentes inhoneſti & indecori æſtimati ſunt, & vice verſâ. Quæque enim gens ſuos habet mores, ab aliis diuerſos: & quod olitanis temporibus placuit, poſterioribus diſplicuit. Hinc Hebræorum veſtitus, inceſſus, modus nuptias contrahendi, ſacrificandi, adorandi, comedendi, &c. fuit alius planè: quàm Græcorum & Latinorum, vt patet ex Leuitico aliiſque Scripturæ locis. Sic Homer. lib. 3. Iliad. ſcribit Thetim, mentum & barbam Iouis manu apprehensâ demulſiſſe, vt eam deliniret; quod iam ruſticum & barbarum haberetur. Sic Vlyſſes deprehenſus in Troia, ſupplex Hecubæ Reginæ genas tetigit, vt eius clementiâ mortem euaderet, teſte Euripide in Hecuba; quod modò crimen penè læſæ Maieſtatis haberetur. Sic Amazones nudâ mammâ incedebant, vt liberiùs depugnarent. Vnde Propertius libro 3. Eleg. Propert.

*Qualis Amazonidum nudatis bellica mãmis Turba.*

Idē de Virginibus Dianæ comitibus tradit Callimachus in hymno Dianæ. Et de Virgil. Camilla Virgil. Æneid. 11. *Nudũ exerta latus.* Idē feciſſe Hebræas putant nonnulli, ideóque hîc c.4.v.5. vbera Sponſæ nuda dilaudari. At iam honeſtas & caſtitas omnium penè gentium, ab hac nuditate planè abhorret : de vberibus quid ſentiendum dicam cap. 4. v. 5.

XIV.

14. Hebræi dum indunt nomina, alludunt ad nominis Etymon, illúdque perſonæ vel rei cui nomen indunt, competere ſignificant, vel optant : Sic *Adam* dictus, quia formatus ex *Adama*, id eſt terra : *Iacob*, id eſt ſupplantator, quia ſupplantauit Eſau. Geneſ. 27. *Nabal*, id eſt ſtultus quia ſuperbè & ſtultè reſpondit militibus Dauidis, 1. Reg. 25. v. 25. Sic virgam שקד *Scaked*, id eſt *amygdalinam*, ſiue Ierem. 1.11. *vigilantem* oſtendit Deus Ieremiæ, cap. 1. *Quia*, inquit, *ego vigilabo*, &c. Similes alluſiones ſunt in *prino & ſchino* arboribus, ſub quibus Suſannæ ſcelus ſe deprehendiſſe mentiebantur ſenes, Daniel. 13. Simili alluſione Sponſa hîc vocatur *Sulamitis*, id eſt Salomonia, ſiue Salomonis vxor, quaſi à Pacifico, Pacifica. Et

*Cornel. à Lapide, in Cant. Canticorum.*

cap. 1. *Oleum effuſum* inquit *nomen tuum*; hoc nomen eſt Meſſias ſiue *Chriſtus*, id eſt vnctus oleo ità copioſè, vt illud in alios effundat. Crebrò hîc talia occurrent.

XV.

Sæpe in Scriptura vocatur res talis, 15. qualis foris apparet, etiamſi reuera in ſe *Res in Scriptura vocatur talis qualis exterius apparet.* non ſit talis. Sic Geneſ. 1. Luna vocatur luminare maius, quia citima terræ vicinis hominibus maior apparet, cùm reuera omnibus ſtellis ſit longè minor. Sic Exodi 7. Virgæ à Magis conuerſæ dicuntur in ſerpentes, quia hominibus ita videbatur, cùm reuera iuxta Nyſſenum, Iuſtinum, Tertullianum, & Rupertum, non eſſent aliud quàm præſtigiæ, quibus oculis illudebant, vt faciunt præſtigiatores. Sic Ioſeph vocatur pater Ieſu, & idola vocantur Dij; & dum cometæ diſcurrunt, dicuntur ſtellæ de cælo cadere, atque extrema pars mundi & cæli dicitur, quæ à nobis extrema apparet, cùm tamen in globo rotundo (qualis eſt mundus) reuera nulla pars ſit extrema, ſed omnes eant in orbem. Sic hîc cap. 5. Sponſi caput dicitur ſimile auro; comæ, palmis; oculi, columbis; genæ, aromatibus; labia, liliis; manus, torno; venter, ebori : Sponſæ verò naſus cap. 7. dicitur ſimilis turri Libani, femora monilibus, vmbilicus crateri, vbera hinnulis, venter aceruo tritici, oculi piſcinis, quia eis ſimiles apparebant, etſi reuera tales non eſſent.

XVI.

Olim vxores à viris nomen accipiebant, vt Caij vxor vocaretur Caia, Cornelij Cornelia, Dionyſij Dionyſia, æquè ac hîc Salomonis Sponſa ab eo vocatur Sulamitis. Rurſum à quo inſigne quis beneficium acceperat, eius nomen aſſumebat. Sic S. Cyprianus Cæcilij nomen aſſumpſit à Cæcilio presbytero, qui eum ad Chriſtum conuertit. Euſebius Cæſar. Pamphili nomen ſibi aſciuit, à S. Pamphilo Doctore & martyre. Ioſephus Hiſtor. Flauij prænomen ſibi adiunxit, à Flauio Veſpaſiano Imper. qui eũ honoribus auxit. Inſuper in Scriptura eidem perſonæ & rei diuerſa nomina dantur, iuxta varia idiomata. Sic S. Thomas Apoſt. Hebr. Thomas, Græcè Didymus, Latinè Gemellus dicitur. S. Simon Hebr. Chananæus, Græcè Zelotes cognominatur. Iudas Chaldaicè Thadæus, id eſt vberalis, Hebraicè Lebbæus, id eſt corculum nuncupatur, Matth. 10. Thabitha Hebr. Græcè vocatur Dorcas, Latinè Caprea. Actor. 11. Sic Hebr. Salomon & 16.



Digitized by Google

Sulamitis, Latinè Pacificus & Pacifica indigitantur.

XVII.

17. *Quis hic Sponſus & Sponſa?* Sponſus hîc eſt Chriſtus, Sponſa eſt Eccleſia, & Anima fidelis, non quælibet, aut peccatrix; ſed ſancta, imò perfectioni ſtudens, & amore Chriſti flagrans. Hæc enim ſola Sponſæ Chriſti nomen meretur, cuius hîc ſpirituales amores & ardores diuini deſcribuntur. Cant.4.7. Id ita eſſe patet ex ipſis Cantici verbis, vt cùm dicitur cap.4.7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Et cùm cap.2. Et 2.4. v.4. ait Sponſa: *Intraduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Rurſum paſſim Sponſus Sponſam vocat Amicam, Dilectam, pulchram vt cap.2.v.16. Luna, electam vt Sol. Et cap.2.v.16. ait: *Dilectus meus mihi & ego illi, qui paſcitur inter* cap.4.v.9. *lilia.* Et cap.4.9. *Vulneraſti cor meum ſoror mea Sponſa.* Et cap.6.9. *Vna eſt columba mea,* cap.8 v 5. *perfecta mea.* Et cap.8.5. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, delicijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* Denique Canticum non aliud, quàm cæleſtes amores Chriſti & animæ Sanctæ ſpirat: peccatorum tamen ſubinde meminit, cùm ab eis perſecutionem ſe paſſam ſignificant, vt cùm ait cap.1.v.6. cap.1.6. *Nolite me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decolorauit me ſol: filij matris meæ pugnauerunt contra me*: Aut cùm eos conuertere cap.4.v 8. ſatagit, vt cùm ait cap.4.8. *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum.*

Bernard. Audi S. Bernardum ſerm.61. *Sponſam nuſquam in hoc toto opere adhuc nominarat, niſi modò cùm ad vineas itur, cùm vino charitatis appropinquatur. Quæ cùm venerit, & perfecta fuerit, faciet ſpiritale coniugium, & erunt duo non in carne vna, ſed in vno Spiritu, dicente Apoſtolo: Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt.* 1.Corinth.6.17. Idem ſerm.85. *Quam videris* inquit, *relictis omnibus, Verbo votis omnibus adhærere, Verbo viuere, Verbo ſe regere, de Verbo concipere quod pariat Verbo, quæ poſſit dicere: Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum, hanc puta Coniugem, Verbóque maritatam.* Idem docet Bellarm.lib.3.de Eccleſia militante c.7. reſponſ. ad 1. ac S.Hieron. Epiſt.140. ad Principiam, atque Caſſiod. S.Greg. Beda, Philo, Iuſtus, Anſelm. Rupert. cæterique Patres & inter-Cantic.6.7. pretes ad illa Cantic.6.7. *Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus. Vna eſt columba mea, perfecta mea.*

*Quatuor Amantis gradus.* Porrò huius perfecti Amoris quatuor ſunt gradus & ſtatus, qui hoc Cantici li-1. bro ordine deſcribuntur. Primus ſtatus Amoris, eſt Actuoſæ vitæ, in quo anima affectibus nondum edomitis Deum quidem odoratur, & quaſi deguſtat currens in odorem vnguentorum eius, non eo tamen ad arbitrium & voluptatem ſuam fruitur. *Et mirabar* inquit S. Auguſt.lib.7. Auguſt. Confeſſ.cap.17. *quod iam te amabam & inſiſtebam frui Deo, ſed rapiebar à te decore tuo, móxque diripiebar abs te pondere meo, & ruebam in iſta cum gemitu; & pondus hoc, conſuetudo carnalis.* Et infrà: *Aciem figere non valui, & repercuſſâ infirmitate redditus ſolitis, non mecum ferebam niſi amantem memoriam, & quaſi olfacta deſiderantem, quæ comedere nondum poſſem.* Hic amoris ſtatus deſcribitur c.1. & 2.Cant. Vnde ibidẽ Sponſa ait Spõſo: Cantic.1. *Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentarum tuorũ. Et nolite me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decolorauit me Sol. Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum,* &c.

Secundus amoris gradus & ſtatus animę Deum amantis, eſt vitæ Contemplatricis. 2. In hoc collocatur Anima, facto ſibi ad eum gradu vitioſorum habituum demolitione, paſſionum propriarũ compreſſione, & perfectâ rerum omnium ſuíque abnegatione: & in eo conſtituta non ſolùm ſicut in priore ſtatu, Deum aliquando complectitur contemplationis & amoris actu, ſed eodem continuato aliquandiu ipſum contẽplans amánſque penè poſſidet, magnâ mentis tranquillitate; fitque ſuauiſſimus lectus pacifici Salomonis, & quaſi nuptiale ferculum, in quo Sponſus requieſcit ac vehitur, animam in ſe quieſcentem fouens. Hic amoris gradus deſcribitur cap.3. & 4. Cant. Vnde ibidem poſt primum Sponſæ ſomnum Sponſus adiurat adoleſcentulas, ne quæ illam à ſomno hoc amoris excitet.

Tertius Amoris & Amantis ſtatus, eſt 3. conflatus ex Actione & Contemplatione. In eo anima, ſic iubente Sponſo, à Contemplatione diuulſa, ſe conijcit in turbam & gregem paſtoris illius, qui propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, è ſinu patris in terras deſcendit, quæſiturus magnis laboribus, & proprio ſanguine redempturus ouiculas, quæ perierant: procellam nullam acerbiſſimorum temporum, periculum nullum pœnámve ſubterfugiens, aut dedecus, dum illas recuperaret. Hic amoris ſtatus deſcribitur cap.5.6.& 7.Cant. Vnde ibidem Sponſus Sponſam ad campos & villas inuitat, vt *quaſi bonus paſtor paſcat gregem ſuum, laſſas alleuet, reuocet errantes, infirmos lucretur*, ait S. Ambroſ. lib. de Iſaac & Ambroſ. anima

Digitized by Google

anima cap. 8. Licet enim ibidem Sponſæ negligentiæ inſimuletur, quòd Sponſo oſtium pulſante non ſtatim aperuerit; tamen mox facti pœnitens ipſa in maiorem Sponſi amorem exarſit, perinde ac *Amantium ira, amoris redintegratio ſunt.*

4. Quartus ſtatus eſt, cùm anima vitam ſupra humanam, ac penè diuinam, ſupradictis longè ſuperiorem inexplebili deſiderio appetens, tanto flagrat diuini amoris incendio, tantáque veluti zelotypiâ æſtuat, vt manere in carne mors illi ſit, & peregrinari à Domino alter quaſi infernus illi videatur; ſoletúrque propterea exilium ſuum, ac perferat vno ſtudio, laboréque animarum lucrandarum dilectiſſimo Sponſo. De qua re ſic S. Gregor. lib. 2. ſuper Ezech. hom. 15. (Gregor.) *Qui ſunt in Sancta Eccleſia thalami, niſi eorum corda, in quibus animæ per amorem Sponſo inuiſibili iunguntur, vt eius deſiderio mens ardeat, nulla iam quæ in mundo ſunt concupiſcat, præſentis vitæ longitudinem, pœnam deputet, exire feſtinet; & amoris amplexu in cæleſtis Sponſi viſione requieſcere. Mens itaque quæ iam talis eſt, nullam præſentis ſeculi conſolationem recipit, ſed ad illam quam diligit medullitus ſuſpirat, feruet, anhelat, anxiatur. Vilis fit ipſa ſalus corporis, quia transfixa eſt vulnere amoris.* Hic ſtatus amoris deſcribitur Cant. cap. 8. Vnde ibi poſt tertium ſomnum de ea dicitur: (Cant 8.) *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum: pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum,* &c. *Fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio: lampades eius, lampades ignis atque flammarum.* Ita noſter Bernardinus Roſſignolus de diſciplina Chriſtianæ perfectionis lib. 4. cap. 9. qui deinde ſingula capita ſingulóſque verſus ex ordine, hiſce quatuor amoris gradibus alternatiuè adaptat.

## COMMENTATORES.

### HEBRÆI.

(Chaldæus.) Primvs eſt Chaldæus Paraphraſtes, qui in Cantico fuit R. Ioſeph Cæcus: ſicut in Pentateucho fuit Rabbi Aquila, qui Chaldaicè Onkelos dicitur; in Prophetis verò R. Ionathan filius Vzielis. Hi omnes, vt pote Iudæi, iudaïzant, ac præſertim R. Ioſeph, qui Canticum non tam vertit, quàm explicat, vt non tam Interpres quàm Paraphraſtes, ſiue Commentator eſſe videatur. Quare Canticum de Synagoga, deque lege Moſis, Tabernaculo, manna cæteriſque beneficiis Iſraeli collatis interpretatur, multáque interſerit ex Iudæorum fabulis & Thalmudiſtarum figmentis, quæ colligit & excuſat Franc. Lucas in Apologia Paraphraſis Chaldææ. Habet tamen ſuum vſum, & veræ interpretationi obſecundat; ſicut Synagoga ſubſeruit Eccleſiæ, Lexque Euangelio & Moſes Chriſto, eique quaſi typus præluſit.

Scripſère quoque in Canticum Rabbi Salomon, Aben Ezra & Rabbi Dauid Kimchi. (Rabbini.)

### GRÆCI.

Primus Origenes in Canticum ſcripſit homilias ſex, in quibus *Origenes vicit ſeipſum*, ait S. Hieronym. qui eas ex Græco in Latinum conuertit: quare temerè & ſine cauſa vltimas quatuor Origenis eſſe negat nouus (imo nouator & in fide Cacodoxus) Origenis Interpres. Finit in cap. 2. Cant. verſ. 15. Floruit Anno Domini 226. (Origen.)

S. Gregorius Nyſſenus frater Sancti Baſilij edidit in Cant. homilias 15. finit in c. 6. verſ. 9. Floruit anno Domini 380. (Nyſſenus.)

Philo Carpathiorum Epiſcopus conſtitutus à S. Epiphanio. Extat tomo 1. Biblioth. SS. Patrum: ſed multa illi inſerta vel infarta ſunt à Sciolo quopiam ex S. Gregorio; quæ cum reliqua explicatione parum congruunt. Floruit anno Domini 374. (Philo.)

Theodoret. doctè & genuinè Canticum explicat, atque trium aliorum Patrum, quos non nominat explicationem adiungit. Floruit anno 430. Cenſet Hortolanus tres hoſce patres eſſe S. Gregorium Nyſſenum, S. Nilum Monachum, S. Chryſoſtomi diſcipulū, & S. Maximū. Hi enim Theodoreto fuère coæui, & horum trium breuis Cantici paraphraſis Commentario Theodoreti in Canticum præfigitur. (Theodor.) (3. Patres.)

Michael Pſellus S. Gregor. Nyſſeni eſt compendiator. (Pſellus.)

### LATINI.

Primus eſt Aurelius Caſſiodorus, Cōſul Romanus, ac Theodorici Regis Gothorum Cancellarius: vnde eius nomine plures ſcripſit Epiſtolas tanto viro dignas, qui deinde aulæ pertæſus, mundo valedicens & Monaſticen in monaſterio à ſe conſtructo exercens, totum ſe pietati & Sacris literis tradidit, in iiſque planè ſeneſcens, propè centenarius ſancto fine quieuit, ait Baron. anno Domini 562. in fine. Hic ergo ſcripſit in Canticum breuiter, ſed clarè, ac ſæpe acu tangit ſententiarum difficultatem, ſenſúm- (Caſſiodor.)

que Literæ genuinum aſſignat: vnde ex eo pluta deprompſit Beda, Haymo, & alij, ſed Sciolus quiſpiam nonnulla Caſſiodoro attexuit. Nam cap. 3. v. 11. citat Gregorium Papam, qui centum annis eo fuit poſterior. Floruit anno Domini 539. coæuus & ſocius Sancti Seuerini, Boëtij, ac Symmachi Conſulis Romani.

Iuſt. Orgel. Iuſtus Orgelitanus Epiſcopus ſcripſit in Cant. Extat tomo 1. Biblioth. SS. Patrum. Floruit anno 540. ſub Iuſtiniano Imp. Interfuit Concilio Toletano II. Vide S. Iſidorum de Script. Eccleſ. c. 14. & de Viris illuſtr. cap. 34.

Beda. Venerab. Beda prolixum edidit Comment. anno 700. cui & alium ſubiungit, quē ipſe ex variis S. Greg. locis collegit.

Alcuinus. Albinus, ſiue Alcuinus Flaccus, Bedæ diſcipulus, & Caroli magni magiſter anno 750.

Aponius. Aponius doctè & grauiter ſcripſit in Cant. anno 800. ait Sixtus Senenſis in Biblioth. Poſſeuinus & Bellarmin. de Script. Eccleſ. Sed anteriùs vixiſſe videtur. Nam Aponium citat Beda lib. 4. in Cant. cap. 23. Beda autem floruit anno 700. Finit Aponius in cap. 4. Cant. v. 7. ad illa: *Tota pulchra es amica mea:* ac deinde Commentarium Aponij continuauit Lucas Abbas S. Cornelij, ex ipſis Aponij verbis, ſed ſucciſis & in pauca cōtractis: vnde multi illum citant nomine Aponij.

Angelom. Angelomus Monachus Aponij eſt abbreuiator. Floruit anno 850. tempore Lotharij Imperatoris. Vnde in Præfat. eum laudat, quòd relicto Imperio monaſticen amplexus ſit, in eâque piè defunctus vitam ſtadiúmque ſuum ſanctè conſummarit.

Haymo. Haymo Bedam ferè in compendium redigit, & penè ad verbum tranſcribit Caſſiodorum. Obiit anno 853.

S. Anſelm. S. Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, anno 1081.

Rupert. Rupertus Abbas Tuitienſis Canticum explicuit de B. Virgine, anno 1119.

S. Bernard. S. Bernardus piè & eleganter explicat Canticum, ſed morte præuentus illud non abſoluit; vnde ei ſucceſſit Gilbertus Abbas, qui opus proſecutus eſt. Floruit anno 1130.

Richard. Richardus de S. Vict. S. Bernardo coæuus & amiciſſimus, paucas Cantici ſententias exponit.

S. Thomas. Inter opera S. Thomæ Aquinatis extat Commentarius in Canticum. Dubitant tamen viri docti, an hic Commentarius ſit ipſius, quia ſtylum eius non redolet, atque ex Caſſiodoro & Beda videtur tranſumptus. Idem planè ad verbum extat apud Haymonem, qui 450. annis anteceſſit S. Thomam: quare Commentarius S. Thomæ, quem ſub mortem dictauit monachis Foſſæ nouæ, iuxta Romam, videtur fuiſſe alius ab hoc. Quocirca diuerſus planè ab hoc Commentarius in Canticum nomine S. Thomæ prodiit, ſeorſim impreſſus à Petro Galtero anno Domini 1545. ſoletque iungi Commentario Caietani in Prouerbia & Eccleſiaſten. Hic magis redolet ſtylum Scholaſticum Sancti Thomæ.

Guilielmus Parþus Abbas Beccenſis, Anno 1170. Guil. Parn.

Honorius Auguſtodunenſis Presbyter, Anno 1220. Honorius.

Hailgrinus Cardinalis Sabinenſis, Anno 1233. Hailgrin.

Ex variis S. Ambroſij locis Commentarium integrum in Cantica collegit Antonius Demochares. Extat in fine tomi 5. S. Ambroſ.

## RECENTIORES.

Nicolaus Lyranus, Hugo Cardinalis, Dionyſius Carthuſianus, Iacobus Ianſenius, Ioannes Picus Carthuſianus, Placidus Nigidius, Alphonſus ab Orrozco, Tuccius, Hieron. Almonacirius, & plures alij, quos Romæ reperi. Cæteris eminent Franc. Titelmannus, Luyſius Legionenſis, Coſmas Damianus Ortolanus, Philipp. II. Hiſpaniarū regis Theologus, qui Paraphraſin habet luculentam & ſucculentam; Ioannes à Ieſu Carmelitanus: noſtri Gaſpar Sanches & Ludouic. de Pōte. Nouiſſimè & exactiſſimè noſter Martinus Delrio, Michael Giſlerius, & Ludouicus Sottomaior: denique nuperrimè Ioannes Malderus Epiſcopus Antuerpienſis, ac noſter Ludouicus ab Alcaſar in Alluſionibus ad Apocalypſin toto lib. 3. vterq; ſuccinctè, ſed eruditè & neruoſè. Ex his omnibus ſuccum exprimam, & pollinem florémque decerpā, Literale à Myſtico diſcernam, indigeſta digeram, confuſa diſtribuam, & cuique quod ſuum eſt ordinatè attribuam; atque propria plura addam, memor ſēper ſolitæ breuitatis & methodi.

Porrò Ioannes Gerſon Cancel. Pariſ. Canticum expoſuit de amore Seraphico, quo anima pia ardet erga Chriſtum, anno Domini 1429. ac compleuit die 9. Iulij, & inſtar S. Thomæ poſt triduum, puta die 12. Iulij cum Commentario vitam finiuit, anno ætatis 66. vt amoribus Chriſti frueretur in cælo: vnde identidem repetens illud Cant. 8. *Fortis eſt vt mors Dilectio*, illi immortuus eſt.

PRIMVM

# PRIMVM DRAMA,

SIVE

# PRIMA PARS CANTICI,

## QVA DESCRIBITVR INFANTIA ECCLESIÆ:

(Quæ fuit ab ortu Chriſti vſque ad Aſcenſionem in cælum) à Cap. I. verſ. 1. vſque ad Cap. II. verſ. 8.

## SYNOPSIS.

*Sponſa ambit ſpirituale Sponſi oſculum: vbera, vnguentum, oleum, cellaria. Mox verſ. 5. ait, ſe formoſam, ſed nigram ab æſtu Solis & perſecutionis. Vnde verſ. 7. quærit locum Sponſi; auditque ab eo vt abeat poſt greges & Paſtores. Inde, verſ. 9. eam aſſimilat equitatui, genas turturi, collum monilibus. Denique verſ. 12. aſſerit nardum ſuam dediſſe odorem, præſente Sponſo, quem comparat faſciculo myrrhæ & botro Cypri, cum eôque ſpiritali laudis affectu diſſuauiatur.*

## CAPVT PRIMVM.

VERS. 1. OSCVLETVR me oſculo oris ſui: quia meliora ſunt vbera tua vino,

2. Fragrantia vnguentis optimis. Oleum effuſum nomen tuum: ideò adoleſcentulæ dilexerunt te,

3. Trahe me: poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.

4. Introduxit me rex in cellaria ſua: exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum: recti diligunt te.

5. Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Ieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.

6. Nolite me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decolorauit me ſol: filij matris meę pugnauerunt contra me, poſuerunt me cuſtodem in vineis: vineam meam non cuſtodiui.

7. Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.

8. Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorum.

9. Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea.

10. Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis: collum tuum ſicut monilia.

11. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.

12. Dum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.

13. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.

14. Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.

15. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.

16. Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Lectulus noſter floridus:

17. Tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina.

## VOX SPONSÆ.

Verſ. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.*

INVERECVNDA videtur Sponſa, quæ præter morem fœminarum honeſtarum & verecundarum, prior ambit Spõſum, eiuſque ſpiritale oſculum ſine vlla præfatione illicò poſcit; ſed amore ſancto ebria neſcit erubeſcere: vbi enim amor, ibi nõn eſt timor vel pudor. *Præceps amor*, ait S. Bernard., *nec iudicium præſtolatur, nec conſilio temperatur, nec pudore frænatur, nec rationi ſubiicitur. Rogo, ſupplico, flagito, Oſculetur me oſculo oris ſui.* Eſt tamen hic aliquis in Sponſa pudor, dum non ad Sponſum dirigit ſermonem, vt dicat: *Oſculare*, ſed alios quaſi intermedios alloquitur dicens: *oſculetur me*, vti notat idem S. Bernard. Sic Magdalena amore ebria ſine pudore *importuna* irruit *conuiuio*, ait S. Ambroſ. ſed *opportuna beneficio*, vt oſcularetur non os ſed pedes Chriſti: Hîc autem Sponſa non contenta oſculo pedum, quod eſt ſeruorum & ſubditorum, ambit oſculum oris, quod eſt Sponſarum & ſummè amantium, vti parentes oſculantur filios, fratres ſe mutuò, Amicus Amicum. *O quanta vis amoris!* exclamat S. Bernard. ſerm. 7. *quanta in Spiritu libertatis fiducia! Quid manifeſtius, quòd manifeſta charitas foras mittit timorem.* Et S. Auguſt. in Manuali cap. 19. *Amor, inquit, dignitatis veſcit reuerentiam neſcit.* & cap. 20. *Anima amans fertur votis, trahitur deſideriis, diſſimulat merita, maieſtati oculos claudit, aperit voluptati, &c.* Conſonat quod de amore ſcribit D. Gregor. lib. 6. Epiſt. 4. ad Anaſtaſium, vbi oſtendit amorem & poteſtatem ex æquo præſumere, ac cum auctoritate & imperio liberè loqui. Et Chryſolog. ſerm. 147. *Amor ait, ignorat iudicium, ratione caret, modum neſcit, non accipit de impoſſibilitate ſolatium, non recipit de difficultate remedium. Amor niſi ad deſiderata peruaſerit, necat amantem. Amor quod amat, non poteſt non videre. Hinc eſt, quòd omnes Sancti omnia, quæ meruerant, parua duxerunt, ſi Dominum non viderent. Hinc eſt, quòd amor qui cupit Deum videre, etſi non habet iudicium, habet tamen ſtudium pietatis. Vnde & Moſes audet dicere Deo. Si inueni gratiam coram te, oſtende mihi faciem tuam.* Adde, Sponſa non prior ambit Spõſum, ſed excitata & euocata à Sponſo, vt patebit ex eo, quod ſubdit: *Meliora ſunt vbera tua vino:* hæc enim vbera, id eſt viſcera miſericordiæ à Sponſo oſtenſa Sponſæ ipſam euocant, imò audacem reddunt ad petendum oſculum, quia mirificum illi amorẽ fiduciámque Sponſi ingerunt. Nam vt ait Chriſtus: *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum* per gratiam excitantem & vocantem, vt ex S. Auguſt. docet & definit Concil. Trid. ſeſſ. 6.

Amor neſcit pudorem. Bernard.

Ambroſ.

Bernard.

Auguſtin.

Chryſolog.

Ioan. 6. 44.

Auguſtin.

*Oſculetur me oſculo oris ſui.* Hebr. *Oſculabitur me ab oſculis* (Vatabl. *oſculis*) *oris ſui. Oſculabitur*, id eſt, oſculetur. Hebræi enim per futurum ſignificant Optatiuum, quo carent. Septuag. *Oſculetur me ab oſculis* (Origen. Interprete S. Hieronymo habet *ab oſculo*) *oris ſui.* Arabicus: *Oſculetur* (Syrus vertit in præterito, *oſculatus eſt*) *me ex oſculis oris ſui. Oſculis* in plurali ſignificat vehemens deſiderium & amorem Sponſi, vt eius præſentiâ ſatiari nequeat eámque continuam exoptet. Nam vt ait Poëta:

Vatabl.

Lxx.

Arab. Syrus.

*Verus Amor nullum nouit habere modum,*

& vt ait S. Bernard. *Modus amandi Deum, eſt amare ſine modo.* Plurima Chriſti & Eccleſiæ oſcula fusè recenſet hic Tuccius. Silet Sponſa perſonam Sponſi, dicitque tantùm *oſculetur*, quia cùm nil niſi Sponſum mente pertractet, nil quoque ab aliis mente pertractari opinatur. Vnde actum exprimit, perſonam verò tacet, vt pote quam vti ſibi, ſic & cæteris notiſſimam, omniúmque cogitationibus præſentem æſtimet: ſicut Magdalena Ioan. 20. rogata à Chriſto ſpecie Hortulani apparente: *Mulier quid ploras? quem quæris?*

Bernard.

Ioan. 20.

*quæris?* reſpondit: *Domine ſi tu ſuſtuliſti eum.* Quem *eum?* vtique Chriſtum, qui vti eſt amor meus, imò mens mea & cor meum, ſic & cæterorum eſſe cenſeo. Nimirum ipſa tota plena Chriſto, nec ſe, nec cæteros de alio quàm de Chriſto cogitare poſſe putabat.

## PRIMVS SENSVS TOTALIS ET ADÆQVATVS,

### *De Chriſto & Eccleſia.*

Eſt vox Patriarcharum, ait S. Bernard. ac Synagogæ, ait D. Thom. deſiderantis aduentum Chriſti. q. d. Quia Chriſtus toties mihi aduentum ſuũ promiſit per Prophetas, ego per tria annorum millia auidè & anxiè eum expecto: veniat ergo ipſe, & oſculetur me oſculo oris ſui, vt carnem meam & os meum aſſumens per illud mihi loquatur, ſeſéque coniungat, vt qui olim aperuit ora Prophetarum, nunc os ſuum aperiat.
Origen. Audi Origenem: *Quouſque Sponſus meus mittit oſcula per Moſen, mittit oſcula per Prophetas? Iam ipſius cupio ora contingere, ipſe veniat, ipſe deſcendat. Orat igitur Sponſi patrem, & dicit ad eum: Oſculetur me oſculo oris ſui. Et quia talis eſt, vt compleatur per eam propheticum illud, in quo dicitur: adhuc te loquente dicam, ecce adſum; Sponſam, Sponſi pater exaudit, mittit filium ſuũ. Videns illa eum cuius deprecabatur aduentum, orare deſtitit, & ad eum cominus loquitur: Quoniam bona vbera tua ſuper vinum, & odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.* Sic quoque Theod. Aponius
Theodoret. & Beda. Addit Theod. *Cùm igitur Sponſi pulchritudinem, robur, diuitias, regnum, quod in omnes habet; vim eius æternam, incorruptibilem, nullum habituram finem intellexerit, eum videre concupiſcit, & in complexum ipſius ruere, atque illi oſcula dare ſpiritalia.* Adde: vox hæc, non tam eſt Synagogæ quàm Eccleſiæ, quæ eſt poſt Chriſti Incarnationem. Dicit *oſculetur*, id eſt oſculari me pergat, & oſculum hoc amoris ſui ſemper in me adaugeat. Vnde Hebr. eſt: *Oſculetur me oſculis.*

*Oſculũ Chriſti Phyſicum eſt vnio hypoſtatica.* Oſculum hoc Chriſti Phyſicum, eſt ipſa vnio Hypoſtatica; hæc enim iunxit carnem Verbo, hominem Deo; ſicut per oſculum Sponſus Sponſæ iungitur. Vn-
Bernard. de oſculans, ait S. Bernard. eſt Deus, oſculatus eſt homo, oſculum eſt vtriuſque vnio, per quam fit vna vtriuſque perſona, quæ ſimul eſt Deus & homo: Oſculum enim caſtiſſimum eſt Symbolum cognationis & affinitatis. Vnde apud omnes gentes parentes oſculantur filios, fratres, cognatos, affines. Quocirca Cato fœminas ſibi ſanguine propinquas amore patrio oſculabatur, vt ſciret an vinum olerent. Olim enim Romanis fœminis bibere vinum fas non erat: quod ſi bibiſſent, intemperantes & impudicæ habebantur, vti multis exemplis oſtendit Tiraquellus l. 9. Connub. num. 206. Multò magis Deus oſculans & viſitans animam, inſpicit, an illa delicias & vanitates redoleat, de iiſque illam caſtigat, iuxta illud: *Probaſti cor meum & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.* Pſalm. 16. 4.

*Vinum olim mulieribus Romanis prohibitum.*

Pſalm 16. 4.

Oſculum verò Ethicum ſiue morale, eſt affectus & amor intimus, quo Chriſtus Eccleſiæ & Animæ fideli arctiſſimè coniungitur. Audi S. Bernard. hîc ſerm. 1. votum hoc oſculi in Sponſa piè & patheticè exponentem: *Quà mihi ora hæc ſemiuerbia Prophetarum? ipſe potiùs ſpecioſus formâ præ filiis hominum; ipſe me oſculetur oſculo oris ſui. Non audio iam Moyſen: impeditioris ſiquidem linguæ factus eſt mihi. Iſaiæ labia immunda ſunt: Ieremias neſcit loqui, quia puer eſt, & prophetæ omnes elingues ſunt. Ipſe, ipſe quem loquuntur, ipſe loquatur, ipſe me oſculetur oſculo oris ſui. Non in eis iam, aut per eos loquatur mihi, quoniam tenebroſa aqua in nubibus aëris; ſed ipſe me oſculetur oſculo oris ſui, cuius gratioſa præſentia, & admiranda fluenta doctrinæ fiant in me fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*

*Oſculum Chriſti Ethicum eſt Amor.*

Bernard.

Nota: Oſculum ſymbolum eſt primò Reconciliationis: cùm enim quis alium offendit, reconciliatur ei per oſculum, ſicut pater reconciliatus eſt filio Prodigo, Lucæ 15. Secundò, Pacis & concordiæ. Tertiò, ſalutationis, & bonæ apprecationis. Vnde Apoſtolus: *Salutate inuicem in oſculo ſancto.* 2. Corinth. 13. v. 12. Quartò Amoris & intimæ coniunctionis. Vnde Diuinus Hierotheus apud S. Dionyſium de diuinis nominib. cap. 4. ait amorem habere vim iungendi, miſcendi & vniendi, qui ſignificatur per oſculum.

*Oſculi Symbola quatuor.*

2. Corinth. 13. 12.

Omnibus hiſce de cauſis Eccleſia & Anima fidelis poſcit oſculum Chriſti. q. d. ait Coſmas Damianus: Quouſque tandem iraſcêre ſupplicibus tuis, Optime generis noſtri Conditor, & pater Deus? quamdiu iratus humano generi promiſſa tua repoſci, & nequicquam efflagitari patiêre? Quem ad finem profuſa primum in hominem ſe contrahet, & in theſauris ſuis continebit benignitas tua? Nihilne

Coſmas Damian.

Nihilne te occupatũ à Satana orbis Imperium? nihil in ſeruitutem redacti filij; nihil peccandi, & vel in eos, qui ſemetipſis non peccauerunt, moriendi inducta neceſſitas? nihil ad vitam data lex mihi cedens in interitum? nihil data fides, piorum vota precéſque mouebunt? Iuſta eſt, fatemur, indignatio tua. Iuſta ſunt, quæ in nos exerces, iudicia: incredibilis namque primùm tua fuit in hominem benignitas, ampliſſimi decreti honores, & quæ in eundem contuliſti ingentia beneficia. Contrà verò pro tanta tua benignitate incredibilis noſtra erga te extat impietas, pro ampliſſimis honoribus atroces iniuriæ, próque ingentibus beneficiis, quam nemo homo præſtare poſſit noxa grauiſſima. At iam per tria annorum millia ira tua in totum genus noſtrum deſæuiit, in filios inquam Adæ, qui acerbum illius pomi eſum, patríſque præuaricationem ignorantes, & quaſi agni innocentes, ſed ex patre nocentes luunt: iidem potiori iure filij ſunt tui. Tuorum miſerere, ô Domine. Superexaltet ergo miſericordia tua iudicium. Veniat Chriſtus Adæ, Abrahæ, Iſaac, Iacobo, Moſi, cæteríſque Prophetis promiſſus, induat carnem noſtram, ac per illam nobis oſculum reconciliationis exhibeat: ipſe enim eſt propitiatio pro peccatis mundi, ipſe pax & ſalus noſtra, ipſe amor, anima, halitus, & vita noſtra; *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus*, inquit Ieremias, *captus eſt in peccatis noſtris; cui diximus; in vmbra tua viuemus in gentibus:* Thren. cap. 4. v. 20. (Thren. 4. 20.)

Illi ergo me quaſi Sponſam ab Orbis initio pactam, tandem aliquando coniunge. Illius me amplexibus & oſculis exple. Ipſe me ſacri oris ſui attactu expiet, roſeum ac diuinum os ſuum meo iungat ori. Mille mihi figat baſia. Ipſe pax noſtra ſit, qui pacem tuam mihi tribuat & bonam voluntatem: Eo denique charitatis glutinu me ſibi adiungat & agglutinet, vnus vt cum eo fiam Spiritus, & vnum corpus: nec iam duo ſimus, ſed vnus ex ambobus extet homo. Te igitur aduentantẽ expecto, ô optatiſſime Spõſe mi, te breui affuturum præſtolor, cuius amplectendi & oſculandi à pronubis & paranymphis noſtris, quò maior nobis ſpes fit, eò nobis noſtrum gliſcit & inardeſcit deſiderium; noſtérque medendo ægreſcit animus. Deſine, oro, iam per Legatos me alloqui, per internuncios confirmare: Ipſe veni, ipſe coràm loquere. Accipe meam, tuámque vicisſim da fidem, tu me amplectere, tu me exoſculare, tu qui ſolus potes præſentiſſimam facere medicinam, tu, inquam, impotenter amantis miſertus, noſtro dolori precor vt medeare.

Idem fuit votum omnium Prophetarum Sponſum Chriſtum, Sponſámque eius Eccleſiam ſummè deſiderantium. (*Prophetarũ de Chriſto Eccleſia Spõſo votum.*) Audiantur pauci è multis. Oſee cap. 2. *Et ſponſabo te mihi in ſempiternum, ſponſabo te mihi in iuſtitia, ſponſabo te mihi in iudicio, ſponſabo te mihi in miſericordia, ſponſabo te mihi in fide.* (Oſee. 2. 19.) Similiter & per Ieremiam cap. 2. 2. Prophetam dicitur: *Recordatus ſum tui miſerans adoleſcentiam tuam, & charitatẽ deſponſationis tuæ, quando ſecuta es me in deſerto, in terra quæ non ſeminatur.* (Ierem. 2. 2.) Et per Iſaiam c. 61. v. 10. ſimiliter vox Eccleſiæ ait: *Poſuit mihi mitram ſicut Sponſæ, & induit me veſtimentis ſalutis; ſicut Sponſum decoratum corona, & ſicut Sponſam decoratam monilibus ſuis circundedit me.* (Iſai. 61. 10.) Et per Zachariam cap. 9. v. 9. huiuſcemodi gloriam trepidanti Eccleſiæ nunciat dicendo: *Noli timere filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi mitis & manſuetus: ſedens ſuper pullum aſinæ*: (Zachar. 9. 9.) Saluator ipſe eſt, ita Aponius citat verba Prophetarum. Horum omnium vota ergo hîc exprimit Salomon.

Symbolicè notantur hîc tres S. Trinitatis perſonæ: (*Oſculum S. Trinitatis.*) per *oſculatur* pater; per *oris* filius; hic enim eſt Os & Verbum patris: per *oſculo* Spiritus ſanctus; hic enim eſt nexus, amor & quaſi oſculum, quo ſe oſculantur pater & filius. Ita S. Bernard. ſerm. 7. qui ait Eccleſiam hîc petere oſculum, id eſt Spiritum ſanctum. Poſtulat ergo Eccleſia & Anima, vt tota S. Trinitas ipſam oſculetur, id eſt ipſi intimè per affectum ſeſe coniungat, vt ipſa fiat templum ſanctum S. Trinitatis, imò vt fiat vnus cum ea Spiritus. *Qui enim adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt.* 1. Corinth. 6. 17. (1 Cor. 6. 17.) Oſculum enim iungit os oſculantis ori eius quem oſculatur, vt ſignificet animum ſimili modo animo ipſius coniungi, vt ex duobus amantibus fiat quaſi vnus amãs, vna anima, vnus ſpiritus. Sic Verbum oſculans noſtram carnem & humanitatem, illi afflauit ſuum ſpiritum, ſuámque diuinitatem, vt vnus idémque eſſet Deus & homo, eò quòd naturæ binæ, Humanitas ſcilicet & Deitas in vnam coirent Verbi perſonam.

Porrò Chald. per oſculum accipit legem datam per Moſen, per hanc enim Deus deſpondit ſibi Iſraëlem, eúmque ſibi alligauit & obligauit. (Chald.) *Benedictum*, inquit, *nomen Domini, qui dedit nobis legem per manum*

Digitized by Google

*manum Moſis ſcribæ magni, ſcriptam in duabus tabulis lapideis, & loquebatur nobiſcum facie ad faciem, ſicut vir qui oſculatur ſocium ſuum.* Hic ſenſus licèt Iudaicus ſubſeruit nobis, ad cúmque hîc alludit Salomon, imò eum quaſi typicum præſupponit. Moſes enim oſculum doctrinæ & legis diuinæ dans Iſraeli, typus fuit Chriſti oſculantis oſculo oris ſui Chriſtianos, quo eos amantiſſimè complexus, legem nouam & doctrinam Euangelicam docuit, per eámque illos ſibi deuinxit, & deſpondit. Vnde per oſculum patres permulti accipiunt doctrinam Chriſti, vt oſculum idem ſit quod oraculum. Ita Origen. Philo Carpathius, Anſelm. hîc, & S. Hieron. Epiſt. 146. ad Damaſum ac S. Gregor. 19. Moral. cap. 22. qui & addit ad oſculum hoc alluſiſſe S. Matthęum, cùm de Chriſto ait cap. 5. *Aperiens os ſuum docebat eos dicens: Beati pauperes ſpiritu*, &c. *Tunc*, ait S. Gregor. *os ſuum aperuit, qui priùs aperuerat ora Prophetarum.*

*Oſculum: doctrina Chriſti.*

Matth. 5. 2.

Gregor.

## SECVNDVS SENSVS

### LITERALIS PARTIALIS,

*De Chriſto & Anima Sancta.*

QVæ de Chriſto & Eccleſia iam dixi, Animæ ſanctæ tribui poſſunt, mutato tantùm nomine Eccleſiæ in nomen Animæ, quibus adde hæc exponi poſſe de Anima: primò Pœnitente; ſecundò Innocente & iuſta; tertiò Meditante & contemplando in Deum defixâ; quartò Amante & ecſtaticâ.

*Oſculũ Dei & Pœnitẽtis.*

Quadrupliciter ergo hunc locum de anima exponas. Primò de Pœnitẽte, q. d. Pater æternus mihi animæ peccatrici, quæ eum grauiter offendi, ſed per eius vocationem & gratiã iam pœnitenti, recõciliari dignetur, præbeátque oſculum pacis, quo omnem offenſam abſtergat, imò aboleat & deleat, méque ſibi reconciliet, & priſtinę amicitiæ gratiæque ſuæ reſtituat: ſicut enim oſculum eſt duorum orum & corporum, ſic pax eſt duorum cordiũ arcta coniunctio. Prior ergo Chriſtus animam peccato ſopitam gratiâ ſuâ pulſans excitat, euocátque dicens: *Surge qui dormis, & illuminabit te Chriſtus*, Epheſ. 5. ſiue: *Oſculare me oſculo oris tui*, iuxta illud Pſaltis, quod toties orat Eccleſia: *Conuerte nos Deus ſalutaris noſter.* Et illud Dei per Prophetam peccatores ad ſe euocantis: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Sic Magdalena interiùs euocata à Chriſto ad oſculum accurrit.

Epheſ. 5. 14.

Pſalm. 84. 5.

Zachar. 1. 3.

Ita Concil. Trid. ſeſſ. 6. Porrò deſponſatio Animæ cum Deo fit per virtutes, præſertim fidem, pœnitentiam, caſtitatem, charitatem, iuxta illud: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Rom. 5. 5. vti fusè oſtendi, 2. Corinth. 11. ad illa: *Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Hinc S. Agnes: *Annulo*, inquit, *ſuo ſubarrauit me Dominus meus Ieſus Chriſtus, vt nullum præter eũ amatorem admittam: tanquam Sponſam decorauit me coronâ: illi ſum deſponſata, cui Angeli ſeruiunt, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur. Amo Chriſtum in cuius thalamum introibo, cuius mater virgo eſt, cuius pater fœminam neſcit, cuius mihi organa modulatis vocibus cantant: quem cùm amauero caſta ſum, cùm tetigero munda ſum, cùm accepero virgo ſum.* Ita ex S. Ambroſio ſermone 90. Eccleſ. in officio Eccleſiaſtic. S. Agnetis Denique quanto ſtudio & amore ad hoc reconciliationis oſculum peccatores Deus inuitet, graphicè depingit S. Dionyſius Epiſtol. ad Demophilum: *Quid* inquit, *quòd deliciis quoque reſolutos ac per id redire differentes benigniſſimè tolerat, rationémque reddere per ſe ipſe dignatur, imò & promiſſionibus releuat, blanditiiſque demulcet. Cúmque adhuc procul ſint, quæ ad ſe redeunt, lætus occurrit atque obuius fit, & totus totos complexus oſculatur, nec prioris illos auerſionis culpat, verùm præſenti conuerſione contentus & diem feſtum, agit, & conuocat amicos.*

Rom. 5. 5.

2. Cor. 11.

S. Agnes apud S. Ambroſ.

S. Dionyſ.

Secundò, Purgati à peccato & iuſtificati petunt oſculum Chriſti, quo ſcilicet eis Chriſtus Spiritum ſuum inhalat, vt eo à torpore & vetuſtate, velut Aquila renouentur, & in Dei amore accendantur, ſicut qui ſe mutuò oſculantur, halitum, ſpiritúmque ſuum ſibi mutuò afflant & inſpirant. Alludit ad formationẽ corporis Adæ ex limo terræ, quem Deus quaſi oſculando, *inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* Geneſ. 2. 7. Sicut enim anima, dum aſſumit & quaſi oſculatur corpus, ipſum exanime animat & viuificat; ſic Spiritus ſancti gratia oſculans animam eam viuificat, imò deificat, facítque eam Dei filiam & hæredem. Ita S. Ambroſ. lib. de Iſaac & anima cap. 3. *Petit*, ait, *Sponſi oſculum per quod ſibi transfunditur Spiritus oſculantis.*

*Oſculũ Dei & Iuſti.*

Geneſ. 2. 7.

Ambroſ.

Hinc Symbolicè S. Bernardus per oſculum accipit Spiritum ſanctum, qui eſt oſculum, id eſt amor patris & filij. Audi eum ſerm 8. *Petit oſculum, id eſt, Spiritum ſanctum inuocat, per quem accipiat ſimul & ſcientiæ guſtum & gratiæ condimentum.* Et paulò

*Spiritus Sanctus Oſculũ.*

Bernard.

Digitized by Google

paulò poſt initium Sermonis: *Sufficit*, ait, Bernard. *Sponſa ſi oſculetur ab oſculo Sponſi, etiamſi non oſculetur ab ore. Nec enim exiguum quid aut vile putas oſculari ab oſculo, quod non eſt aliud niſi infundi Spiritu ſancto.* Dicit ergo Sponſa: *Oſculetur me oſculo oris ſui*, hoc eſt Pater æternus Verbi ſui ſpiritu mihi arctiſſimè copuletur, ac me ſuæ naturæ efficiat arcanâ iſtâ coniunctione conſortem. Per gratiam enim ſimus diuinæ conſortes 2 Petr 1 4. naturæ, vt ait S. Petrus epiſt. 2. c. 1. v. 4.

Oſculũ Dei & Orantis. Tertiò, Orantes & Contemplantes petunt & accipiunt oſculum, id eſt, illuminationes, impulſus & ardores diuinos Spiritus ſancti. Vnde S. Ambroſ. loco iam Ambroſ. citato: *Oſculum verbi*, inquit, *eſt lumen cognitionis ſacræ.* Et Nyſſen. hom. 1. *Quia verba*, Nyſſen. inquit, *Sponſi ſpiritus ſunt & vita: quicumque autem conglutinatur ſpiritui, fit ſpiritus, & qui vitæ coniungitur tranſit à morte ad vitam: propterea ſpiritualis anima deſiderat appropinquare fonti vitæ, nempe ori Sponſi, vnde ſcaturientia verba vitæ æternæ implent os ea attrahent.* Et S. Bernard. Serm. 1. *Cuius* (Chriſti) inquit, Bernard. *vtique ſermo viuus & efficax oſculum mihi eſt, non quidem coniunctio labiorum, quæ interdum pacem mentitur animarum, ſed planè infuſio gaudiorum, reuelatio ſecretorum, mira quadam & quodammodò indiſcreta commixtio ſuperni luminis & illuminatæ mentis. Adhærens quippe Deo vnus Spiritus eſt.*

Oſculũ Dei & Amantis. Quartò, Amantes & toti Amori diuino vacantes petunt, & impetrant à Deo oſculum ardentis & plenæ charitatis, de quo Nyſſen. hom. 1. *Sicut Moſes*, inquit, *qui dignus eſt habitus* (Exodi 33.) *cum Deo lo-* Nyſſen. *qui facie ad faciem, eiuſmodi oſculorum maiori tenebatur deſiderio, rogans, vt videret quem deſiderabat, poſtquam ei toties Deus apparuiſſet; perinde ac ſi nunquam eum fuiſſet contemplatus. Ita cæteri omnes, quorum diuinum deſiderium inſidebat imis penetralibus, nunquam ſuum ſitierunt deſiderium quicquid eis eueniebat diuinitus, quo fruerentur eo, qui deſiderabatur, materiam arripientes, & fomitem maioris deſiderij. Quomodo etiam, quæ nunc quoque Deo coniungitur Anima, ſatiari non poteſt fruitione, quò copioſiùs fruitione impletur, eò vehementiori vigens deſiderio, atque adeò dicens: Oſculetur me oſculo oris ſui.* Hinc S. Agnes poſt mortem S. Agnes. glorioſè apparens parentibus: *Nolite*, ait, *me lugere: illi enim ſum iuncta in cælis, quem in terris poſita toto corde, toto Spiritu, totâ mentis deuotione dilexi.* Repete hîc cætera eius verba ſuperiùs alia de cauſa recitata.

Huc facit quòd S. Bernard. ſerm. 3. 4. Oſculum triplex: Pedis, Manus, & Oris. & ſeq. diſtinguit triplex oſculum. Primò pedum, quo Pœnitentes cum Magdalena oſculantur duos Chriſti pedes, puta Miſericordiam & Veritatem, vt per Veritatem peccata pœnitendo condemnent, per Miſericordiam confidendo veniam ſperent. Secundò, Oſculum manus, quo iuſti & proficientes oſculantur manus Chriſti, dum ei bona virtutum opera afferunt, & viciſſim ab eo dona gratiarum recipiunt. Tertiò, oſculum oris, quo anima perfecta vnum Deum ſitiens, eíque Soli inhærere geſtiens dicit: *Oſculetur me oſculo oris ſui*, id eſt infundat mihi, inhalétque Spiritum ſanctum, vt totus vniar amori meo Chriſto. Ad hoc conantur viri Religioſi & perfectionis ſtudioſi, qui omnium rerum amorem à ſe abdicant, vt eum totum in Deum transferant, vt ſcilicet vni Deo vacent, eíque ſe per tria Paupertatis Caſtitatis & Obedientiæ vota deſpondeãt. Hinc B. Ægidius Socius ſancti Franciſci B. Ægidius S. Franciſci Socius. rogatus, *quæ eſſet perfectionis via*: reſpondit: *Vna vni.* q. d. Perfecta erit anima, ſi vna vni Deo totam ſe iungat & tradat.

*Oſculum hoc*, inquit S. Bernard. *non eſt* Bernard. *ſtrepitus oris, ſed ſibilus cordis, non ſonus labiorum, ſed motus gaudiorum, idcircò non competit animæ infantili ac nuper ad Chriſtum conuerſa, ſed iam prouecta, & quæ iam ad ætatem perfectam & nubiles perueniens annos (meritorum, non temporum,) facta eſt idonea calcitu Sponſi nuptiis.* Hæc enim ſola poteſt dicere: *Oſculetur me oſculo oris ſui, meliores namque ſunt amores tui vino*, vt alij traducunt. Deinde quomodo ad hoc oris oſculum gradatim ſit aſcendendum, S. Bernard. Idem. ita docet: *Proſterne te prius ad oſcula pedum, tuiſque lachrymis illos riga, nec inde ſurgas, priuſquam audias: Remittuntur tibi peccata tua, & deinde quantùm profeceris in gratia, tantùm in fiducia dilataberis. Inde proficere poteris ad oſculum manuum, cùm cœperis iam ſtrenuè ac perſeueranter agere in operibus omnium virtutum. Tum demùm forſitan audebis ad ipſum os gloriæ caput attollere (pauens, ac cum tremore dico) non ſolùm ſpeculandum, ſed etiam oſculandum. Oſculum ergo pedum, incipientium eſt; manuum, proficientium; oris, perfectarum.*

Denique tres Patres Anonymi apud Oſculũ Eucharistia. Theodoretum, & S. Ambroſius lib. de Sacramentis cap. 2. cenſent hoc oſculũ eſſe reale, quod Anima ſancta expetit, dum cupit ſumere Chriſtum Sacramentaliter in Euchariſtia, ac ardenter eius amplexus deſiderat: *Anima*, inquit, *videt* Ambroſ. *ſe ab omnibus eſſe mundatam peccatis, & dignã, quæ ad altare Chriſti poſſit accedere: quid eſt enim Altare niſi forma corporis Chriſti? Vidit ſacramenta mirabilia & ait: Oſculetur me ab oſculis oris ſui, hoc eſt oſculum mihi Chriſtus infigat.*

Digitized by Google

*ſigat. Quare? Quia meliora tua vbera ſuper vinum, hoc eſt, meliores ſenſus, meliora ſacramenta tua ſuper illud vinum, quod etſi ſuauitatem habet, lætitiam habet, gratiam habet; tamen in illo lætitia ſecularis, in te autem iucunditas eſt*
S. Agnes. *ſpiritualis.* Hinc S. Agnes: *Iam corpus meum,* inquit, *corpori eius ſociatum eſt, & ſanguis eius ornauit genas meas: ipſi ſoli ſeruo fidem, ipſi me totâ deuotione committo.* Præclarè S. Cyrill. lib. 11. in Ioannem cap. 26. & 27. explicans illud Chriſti ad Patrem de diſcipu-
Ioan. 17. 23. lis: *Vt ſint vnum ſicut & nos vnum ſumus. Ego in eis, & tu in me, vt ſint in vnum conſummati.* Ioan. 17. 23. docet nos per ſumptionem Euchariſtiæ fieri vnum cum Chriſto, & per Chriſtum vnum cum Deo: Vnde hoc axioma elicit: *Nexus igitur vnionis no-*
Cyrill. *ſtræ ad Deum patrem, Chriſtus eſt; nobis quidem vt homo, Deo autem Patri vt Deus naturaliter vnitus.* Cauſam ſubiicit: *Non enim erat poſſibile corruptioni ſubiectam hominis naturam ad immortalitatem conſcendere, niſi natura immortalis atque incommutabilis ad eam deſcendiſſet, ac communione participationéque ſui à mortalitatis noſtræ terminis ad ſuum bonum reformatos eleuaret. Conſummati ergo ſumus, reductique ad vnionem Dei patris mediatione Saluatoris, id eſt Chriſti.* Vnde concludit: *Mirari ergo debemus diuinæ naturæ benignitatem, quæ creaturæ, quæ ſibi propria ſunt, communicare dignetur.*

Porrò per hoc oſculum hauriũt Ani-
*Fructus huiuſce Oſculi.* mæ ſanctæ miras cæleſtis Amoris conſolationes, guſtus & delicias, vt omnes terrenas voluptates faſtidiant, dicántque
Philipp. 3. 8. cum Paulo, Philipp. 3. 8. *Propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam:* quare hoc diuino nectare & ambroſiâ paſti, imò ebrij iam ſibi videntur quaſi eſſe in paradiſo, ac cum Angelis beatíſque Deo frui: Vnde dicunt: *Noſtra conuerſatio,* noſtra cogitatio, noſtra mens, noſter amor, noſtræ deliciæ, noſtra vita *in cælis eſt.* Et cum Pſalte: *Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi*
Pſalm. 62. 2. *caro mea!* Pſal. 62. 2. Et: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt.* Et Domine *quid mihi eſt in*
Pſal. 72. 29. verſ. 25. *cælo, & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis*
verſ. 26. *mei, & pars mea Deus in æternum.* Pſal. 72. Hoc eſt, quod animæ piæ promittit
Oſee 2. 14. Deus per Oſee cap. 2. 14. *Ecce ego lactabo eam, & ducam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Vide ibi dicta. Hinc quod vulgata
Exod. 33. 11. habet Exodi 33. 11. *Loquebatur Dominus ad Moſen facie ad faciem, ſicut ſolet homo loqui ad amicum ſuum,* cùm ſcilicet dedit Moſi le-
Chald. gem promulgandã Hebræis; Chaldæus hîc verſ. 2. per oſculum accipiens eandem legem ore Dei & Moſis datam Hebræis, ſic vertit: *Loquebatur nobiſcum facie ad faciem ſicut vir, qui oſculatur ſocium ſuum.*

Audi S. Gregor. hîc: *Os ſponſi, inſpiratio* Gregor.
*Chriſti: oſculum oris, dulcis amor inſpirationis. Dicit ergo Sponſa deſiderio æſtuans, & in amplexum Sponſi ſui inardeſcens: Oſculetur me oſculo oris ſui; ac ſi diceret: Ille quem ſuper omnia, imò ſolum diligo, veniat, qui dulcedine ſuæ inſpirationis me tangat: quia cùm eius oſculum ſentio, ſubitâ mutatione me derelinquo, & in eius ſimilitudinem illicò liquefacta transformor: Faſtidit quippe ſancta mens omnia quæ per corpus ſentit, & in illa ſpiritalia tota tranſmutari concupiſcit; & dum iſta obſtrepunt, in illa fugit, ſeque abſcondere, ne hæc ſentiat, appetit, ideóque oſculum Sponſi quærit: quia ſi ille gratiſſimi amoris vinculo hanc non trahit, hæc vi ſuæ moleſtiſſimæ grauedinis detenta, quomodo ſe ad illum conferat, omnino non inuenit. Sed pius Sponſus anxietatem eius ſentiens, amorem diligens, votum exaudiens oſculum porrigit; & ne deſiderio laſſeſcat, guſtu ſuæ ſuauitatis lenit, & dum ſuam præſentiam exhibet, eam ad maius dilectionis oſculum accendit.* Omnia hæc Dei oſcula maximè ſentiunt, & quaſi diſſuauiando guſtant viri in Sanctitate, Oratione & Contemplatione eminentes, ac ſubinde ecſtatici, qui miros Dei influxus & illapſus ſuauiſſimos, ſed humanis verbis inexplicabiles, nec niſi experto cognitos perſentiſcunt, quales ſenſit Paulus cùm raptus eſt in tertium cælum, vbi quaſi in Chriſtum transformatus dixit: *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Galat. Galat. 3. 20.
3. 20. Id corporaliter per viſum experta eſt S. Gertrudis, quæ ita de ſe narrat lib.
2. Reuel. cap. 22. *Quadam vice cùm pſalmo* S. Gertrudis.
*diæ tota intenderem, tu Domine dediſti decem vicibus & ampliùs dulciſſimum oſculum ori animæ meæ. O oſculum longè exuperans omnem aromatum fragrantiam, & omnem mellis dulcedinem!* Aliàs ſæpe perſenſit Deum illabi in animam ſuã, ſicut ſol illabitur in aërem ſuo Splendore, ex quo illapſu anima eius tum miris gratiarum virtutibus, tum ineffabili ſerenitate & gaudio perfundebatur; nam intimè penetrabat omnes animæ medullas, ſenſus & potentias.

Myſtici & Cõtemplatiui per oſculum *Myſticum*
hoc accipiunt ſummum Contemplatio- *vnionis oſ-*
nis gradum, quo anima priùs diu mul- *culum.*
túmque in humilitate, oratione, meditatione, patientiâ cæteríſque virtutibus exercitata, à Deo eleuatur ad immediatam & intimam ſui contemplationem & vnionem, quâ fit vt ipſa iam, nec in virtutibus, nec in conſolationibus diuinis, nec in diſcurſibus vel phantaſmatibus, nec in vlla re creata, ſed immediatè in

Pſalm 4. 9.
Fit per illapſum Dei.

ſolo Deo per contemplationem & amorem conquieſcat, dicátque. *In pace in idipſum dormiam & requieſcam.* Hæc vnio fit per illapſum diuinum, vt docet S.Dionyſ. & ex eo S.Bern. S.Bonau. Hugo, Ricard. Gerſon, Laurentius Iuſtinianus, Tauletus, Ruiſbrochius, Harphius, Suſo, & ſimiles, qui de Myſtica Theologia ſcripſerunt. Illapſus hic eſt, quo Deus per ſe

Quo modo?

illabitur Intellectui & Voluntati hominis, illíque intimè præſens fit, ſe totum communicat, oſtendit & in ratione obiecti immediatè coniungit. Intellectui quidem ſub ratione immenſæ lucis, ſed non ita claræ & apertæ qualis eſt in beatis. Voluntati autem ſub ratione ſummi boni, ita vt Deus voluntatem ſibi ipſi ſuæque eſſentiæ, tanquam ſummo bono intimè aſtringat, adeò vt voluntas illius bonitatem immediatè guſtet & ſentiat illâque delicietur & fruatur. Tunc enim intellectus à Deo mirâ luce perfunditur & eleuatur, vt ipſum altiſſimo modo, licèt non intuendo (hoc enim proprium eſt Beatis,) cognoſcat, ſicque illum voluntati præſentem exhibeat ſub ſpecie ſummi boni ſumméque delectabilis, quò fit vt voluntas totáque anima impulſa à Deo, in illud bonum ardentiſſimè rapiatur, illud plenè amplectatur, omnéſque vires ſuas in illo amando, ſibíque aſtringendo & exoſculando exhauriat: hinc fit vt Anima ſubinde tunc non audiat, non ſentiat, non videat, non cogitet, non amet aliud præter Deum, ab eóque tota ſuſpenſa pendeat velut in raptu & ecſtaſi; quæ eſt Myſtica Animæ cum Deo deſponſatio & connubium per mutuam inhæſionem & fruitionem; quo vt ait S. Ambroſ. Anima deſponſa Deo Verbo innubit æterno, ac Verbum

Fit in centro mentis.

illabitur animæ non in apice, ſed in ipſo centro fundóque mentis, illúdque ſibi aſtringit. Hæc capere non valet niſi expertus. Expertus erat S. Bernardus qui proinde Ser. 31. ait Sponſam Dei amore flagrantem, non contentam eſſe aliis illuminationibus vel reuelationibus, *niſi & ſpeciali prærogatiuâ intimis illum affectibus,*

Bernard.

*atque ipſis medullis cordis celitus illapſum ſuſcipiat, habeátque præſto quem deſiderat, non figuratum ſed infuſum; non apparentem, ſed efficientem.* Et mox: *Non tamen adhuc illum dixerim apparere ſicuti eſt, quamuis omnino non aliud*

Richard. Victor.

*hoc modo exhibeat, quàm quod eſt.* Et Richard. Victor. tract. de Gradibus Charit. Violentæ: *Sæpe, ait, ſub hoc ſtatu Dominus deſcendit de cælis, ſæpe viſitat ſedentem in tenebris & vmbrâ mortis, ſæpe gloria Domini implet tabernaculum fœderis, ſic tamen præſentiam ſuam exhibet, vt faciem ſuam minimè oſtendat; dulcorem ſuum infundit, ſed decorem ſuum non oſtendit, infundit ſuauitatem, ſed nan oſtendit claritatem.* Particulatim verò B. Thereſia tract. de perfectione manſion. 7. cap. 1. & 2. *Ani-*

S.Thereſia.

*mæ*, inquit, *in illo centro manenti, viſione intellectuali myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, omnéſque tres perſonæ manifeſtantur; præcedit tamen hanc manifeſtationem ſuauiſſima quædam Spiritus inflammatio, inſtar lucidiſſimæ cuiuſdam nubis, ibique notitiâ quadam admirabili percipit, quâ ratione tres perſonæ ſint vna ſubſtantia, vna potentia, vna ſapientia, & vnus Deus; ita vt quod fide tenemus, Anima quodammodo intuitiuè cognoſcat.*

Eius effectus.

Porrò effectus huius Vnionis ſunt:
1. Primus, ardor Amoris, vt Anima amore æſtuet, liqueſcat, & transformetur in Deum, ſumméque optet illum videre, eóque frui facie ad faciem.
2. Secundus, mirifica animæ pax, ſuauitas, lætitia, quâ anima guſtans *quoniam ſuauis eſt Dominus*, ita eius ſuauitate inebriatur & abſorbetur, vt cætera omnia contemnat & faſtidiat, iámque ſibi penè beata eſſe videatur, nec à beatis niſi corpore, velut pariete interiecto diſtare, iuxta illud Iſaiæ 58. 14. *Tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ*: imò ſubinde vi ardentis Spiritus corpus in ſublime eleuatur, & verſus cælum aſcendit, vti contigit S. Magdalenæ, S.Franciſco, S. Ignatio & aliis. Iſai 58. 14

3. Tertius, magnus virtutum & gratiarum affluxus, vt Anima diuinam ſimilitudinem planè nanciſcatur, ac fiat pulcherrima, imò Deiformis efficiatur, & quaſi deificetur, Chriſtóque conformetur. Vnde eius pulchritudo in Canticis adeò a Spõſo celebratur. Quocirca inſtar Chriſti ambit cruces & tormenta, gaudet opprobriis, in aduerſis exultat, in perſecutionibus gloriatur, vti faciebat S.Paulus.
4. Quartus, eſt ſublimis & perfecta diuinorum myſteriorum cognitio, ipſiúſque Dei illuſtris, quamuis in caligine, vt ait S. Dionyſius, contemplatio, proximè accedens ad claram & aſpectabilem beatorum cognitionem, ad quam pertinet illud cap. 58. verſ. 10. Iſai. 58. 10
Iſaiæ: *Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies. Et requiẽ tibi dabit Dominus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam.*
5. Quintus, talis Anima Deum quaſi ſemper habet in mente præſentem, cum eóque verſatur & colloquitur, etſi eum clarè non videat; perinde ac quis colloquitur cum amico in tenebris, & loco obſcuro, quem audit, ſed non videt.

TER

## TERTIVS SENSVS PRINCIPALIS,

### De Chriſto & B. Virgine.

Quadruplex oſculum Dei & B. Virginis.

QVæ dicta ſunt de Anima iuſta longè potiori iure competunt B. Virgini, quæ iuſtorum omnium fuit anteſignana. Præter illa, B. Virgini ſoli oſculum Dei quadruplex propriè competit.

1. Primum eſt, Oſculum S. Trinitatis, quo ab æterno præ omnibus hominibus & Angelis, Deus pater illam ſibi delegit in filiam, filius in matrem, Spiritus Sanctus in Sponſam, vt per eam eiúſque filium fieret oſculum, id eſt reconciliatio totius generis humani. Hac de cauſa prima ipſa virginitatis votum Deo nuncupauit, vt totam ſe in corpore & anima

Pſal. 72. 26. Deo dicaret, ac diceret: *Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Pſal. 72. 26.

2. Secundum eſt, Oſculum deſiderij & ſuſpirij, quo ipſa præ omnibus Patriarchis ardentiſſimè deſiderabat Verbi Incarnationem, ad mundi reconciliationem & ſalutem. Ipſa ergo quaſi mater omnium fidelium & Sanctorum, totius mundi ſalutem mirificè exoptans, Seraphicis deſideriorum ardoribus dicebat: *Oſculetur nos oſculo oris ſui.* Quare cùm legeret, & ruminaret illud Iſaiæ oracu-

Iſai. 7. 14. lum cap. 7. *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel,* exclamabat: Mitte Domine Virginem hanc, quæ pariat nobis Emmanuelem: Vtinam virginem hanc videre, vtinam eius ancilla fieri merear. Quocirca flagrantiſſimis hiſce deſideriis meruit ipſa de congruo Chriſti Incarnationem, imò eius maternitatem, vt ſcilicet ipſa vna ex omnibus fieret mater Chriſti, vti docent Theologi, & Franc. Suarez 3. part. quæſt. 2. art. 10. diſput. 10. ſect. 8. Vnde

Gregor. S. Gregor. in 1. Reg. 1. *Meritorum verticem,* inquit, *vſque ad ſolium diuinitatis erexit.* Et

Hieronym. S. Hieronym. Epiſt. 22. ad Euſtochium: *Propone,* inquit, *tibi Mariam, quæ tantæ extitit puritatis, vt mater Domini eſſe mereretur.* Et

Anſelm. S. Anſelm. de Laud. Virg. cap. 8. *Sanctiſſima puritas & puriſſima ſanctitas pectoris eius, omnis creaturæ puritatem & ſanctitatem tranſcendens, incomparabili ſublimitate hoc promeruit, vt reparatrix perditi orbis pleniſſimè fieret.*

3. Tertium fuit oſculum in Chriſti Incarnatione: Tunc enim Spiritus ſanctus eam ſibi deſpondit in Sponſam, vt in ea & ex eius puriſſimo ſanguine formaret corpus Chriſti, iuxta illud Gabrielis Archangeli: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, ideóque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei,* Lucæ 1. 35. *Nonne hoc verbum Angeli* Lucæ 1. 35.

ait Rupert. *verbum & ſponſio erat tam imminentis oſculi oris Domini?* Quare cùm ipſa Spiritui ſancto ad Verbi Incarnationem conſenſum ſummâ humilitate, æquè ac charitate præbuit, dicens: *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundùm verbum tuum,* tunc re ipſa dixit: *Oſculetur me oſculo oris ſui,* id eſt aſſumat ex me carnem, eámque oſculetur & ſibi intimè vniat filius Dei: Atque eodem inſtanti inoperante Spiritu ſancto, in ſacro eius vtero peractum eſt Dei cum humanitate oſculum, quo ſe pax & iuſtitia oſculatæ ſunt, cùm *Verbum caro factum eſt. Profectò,* ait Rupertus, Rupert.

*anima tua liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt, ſcilicet Deus pater locutione admirabili, locutione ineffabili, dum ſubſtantiam Verbi ſui, cum illo amore ſuo Spiritu ſancto, tuæ menti, tuo ventri penitus insereret: in quo nec primam ſimilem viſa es, nec habere ſequentem.* Idem.

Rurſum caro à Chriſto aſſumpta, fuit caro B. Virginis: quare dum carnẽ ſuam aſſumpſit Chriſtus, aſſumpſit carnem B. Virginis, eique quaſi oſculum vnionis Hypoſtaticæ impreſſit, itáque eam velut Deificauit.

Quartum oſculum fuit corporeum in 4.

Chriſti natiuitate, quando ipſa peperit Chriſtum, eúmque ceu mater filiũ ſummâ reuerentia & amore eſt exoſculata, atque ex crebris hiſce Dilecti ſui oſculis, ab eo miros ſibi Deitatis ardores afflari ſenſit. Vnde Hebraicè eſt: *Oſculetur me ab oſculis oris ſui.* Huc facit illud Sibyllæ de Chriſto ex B. Virgine naſcituro vaticinium:

*Incipe parue puer riſu cognoſcere matrem.* Virgil. Eclog. 4.

Hinc viri pij & graues prudenter æſtimant B. Virginem, mox vt peperit Chriſtum, eum profundiſſimâ reuerẽtiâ adoraſſe & ſalutaſſe, dicendo: *Benè venerit Deus meus, Dominus meus & filius meus,* ac illicò oſculum dediſſe pedibus eius quaſi Deo, manibus quaſi Domino, ori quaſi filio; deinde verò nudum pannis inuoluiſſe ac vberibus admouiſſe, eique lac virgineum dediſſe: Chriſtum viciſſim ore, oculis & vultu læto matri arriſiſſe & applauſiſſe.

Anagogicè: Chriſtus in reſurrectione oſculando quaſi corpus mortuum inſpirabit illi animam; vt reuiuiſcat, ac ſanctis communicabit ſuas corporis glorioſi dotes. Huius rei typus fuit Eliſeus, Anagogicè.

ſolo Deo per contemplationem & amorem conquieſcat, dicátque. *In pace in idipſum dormiam & requieſcam.* Hæc vnio fit per illapſum diuinum, vt docet S.Dionyſ. & ex eo S.Bern. S.Bonau.Hugo, Ricard. Gerſon, Laurentius Iuſtinianus, Taulerus, Ruiſbrochius, Harphius, Suſo, & ſimiles, qui de Myſtica Theologia ſcripſerunt. Illapſus hic eſt, quo Deus per ſe illabitur Intellectui & Voluntati hominis, illíque intimè præſens fit, ſe totum communicat, oſtendit & in ratione obiecti immediatè coniungit. Intellectui quidem ſub ratione immenſæ lucis, ſed non ita claræ & apertæ qualis eſt in beatis. Voluntati autem ſub ratione ſummi boni, ita vt Deus voluntatem ſibi ipſi ſuæque eſſentiæ, tanquam ſummo bono intimè aſtringat, adeò vt voluntas illius bonitatem immediatè guſtet & ſentiat illâque delicietur & fruatur. Tunc enim intellectus à Deo mirâ luce perfunditur & eleuatur, vt ipſum altiſſimo modo, licèt non intuendo (hoc enim proprium eſt Beatis,) cognoſcat, ſicque illum voluntati præſentem exhibeat ſub ſpecie ſummi boni ſumméque delectabilis, quò fit vt voluntas totáque anima impulſa à Deo, in illud bonum ardentiſſimè rapiatur, illud plenè amplectatur, omnéſque vires ſuas in illo amando, ſibíque aſtringendo & exoſculando exhauriat: hinc fit vt Anima ſubinde tunc non audiat, non ſentiat, non videat, non cogitet, non amet aliud præter Deum, ab eôque tota ſuſpenſa pendeat velut in raptu & ecſtaſi; quæ eſt Myſtica Animæ cum Deo deſponſatio & connubium per mutuam inhæſionem & fruitionem: quo vt ait S. Ambroſ. Anima deſponſa Deo Verbo innubit æterno, ac Verbum illabitur animæ non in apice, ſed in ipſo centro fundóque mentis, illúdque ſibi aſtringit. Hæc capere non valet niſi expertus. Expertus erat S. Bernardus qui proinde Ser. 31. ait Sponſam Dei amore flagrantem, non contentam eſſe aliis illuminationibus vel reuelationibus, *niſi & ſpeciali prærogatiuâ intimis illum affectibus, atque ipſis medullis cordis cælitus illapſum ſuſcipiat, habeátque præſto quem deſiderat, non figuratum ſed infuſum; non apparentem, ſed efficientem.* Et mox: *Non tamen adhuc illum dixerim apparere ſicuti eſt, quamuis omnino non aliud hoc modo exhibeat, quàm quod eſt.* Et Richard. Victor. tract. de Gradibus Charit. Violentæ: *Sæpe,* ait, *ſub hoc ſtatu Dominus deſcendit de cælis, ſæpe viſitat ſedentem in tenebris & vmbrâ mortis, ſæpe gloria Domini implet tabernaculum fœderis, ſic tamen præſentiam ſuam exhibet, vt faciem ſuam minimè oſtendat: dulcorem ſuum infundit, ſed decorem ſuum non oſtendit, infundit ſuauitatem, ſed non oſtendit claritatem.* Particulatim verò B. Thereſia tract. de perfectione manſion. 7. cap. 1. & 2. *Animæ,* inquit, *in illo centro manenti, viſione intellectuali myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, omnéſque tres perſonæ manifeſtantur; præcedit tamen hanc manifeſtationem ſuauiſſima quadam Spiritus inflammatio, inſtar lucidiſſimæ cuiuſdam nubis, ibique notitiâ quadam admirabili percipit, quâ ratione tres perſonæ ſint vna ſubſtantia, vna potentia, vna ſapientia, & vnus Deus; ita vt quod fide tenemus, Anima quodammodo intuitiuè cognoſcat.*

Pſalm 49. Fit per illapſum Dei. — Quomodo? — Fit in centro mentis. — Bernard. — Richard. Victor. — S.Thereſia.

Porrò effectus huius Vnionis ſunt: *Eius effectus.* Primus, ardor Amoris, vt Anima amore 1. æſtuet, liqueſcat, & transformetur in Deum, ſumméque optet illum videre, eôque frui facie ad faciem. Secundus, 2. mirifica animæ pax, ſuauitas, lætitia, quâ anima guſtans *quoniam ſuauis eſt Dominus,* ita eius ſuauitate inebriatur & abſorbetur, vt cætera omnia contemnat & faſtidiat, iámque ſibi penè beata eſſe videatur, nec à beatis niſi corpore, velut pariete interiecto diſtare, iuxta illud Iſaiæ 58.14. (Iſai 58. 14) *Tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ:* imò ſubinde vi ardentis Spiritus corpus in ſublime eleuatur, & verſus cælum aſcendit, vti contigit S. Magdalenæ, S.Franciſco, S. Ignatio & aliis. Tertius, magnus virtu- 3. tum & gratiarum affluxus, vt Anima diuinam ſimilitudinem planè nanciſcatur, ac fiat pulcherrima, imò Deiformis efficiatur, & quaſi deificetur, Chriſtóque conformetur. Vnde eius pulchritudo in Canticis adeò a Spõſo celebratur. Quocirca inſtar Chriſti ambit cruces & tormenta, gaudet opprobriis, in aduerſis exultat, in perſecutionibus gloriatur, vti faciebat S.Paulus. Quartus, eſt ſublimis 4. & perfecta diuinorum myſteriorum cognitio, ipſiúſque Dei illuſtris, quamuis in caligine, vt ait S. Dionyſius, contemplatio, proximè accedens ad claram & aſpectabilem beatorum cognitionem, ad quam pertinet illud cap. 58. verſ. 10. (Iſai. 58. 10) Iſaiæ: *Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies. Et requiẽ tibi dabit Dominus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam.* Quintus, talis Anima Deum quaſi 5. ſemper habet in mente præſentem, cum eôque verſatur & colloquitur, etſi eum clarè non videat; perinde ac quis colloquitur cum amico in tenebris, & loco obſcuro, quem audit, ſed non videt.

TER

## TERTIVS SENSVS PRINCIPALIS,

### *De Chriſto & B. Virgine.*

*Quadruplex oſculum Dei & B. Virginis.*

QVæ dicta ſunt de Anima iuſta longè potiori iure competunt B. Virgini, quæ iuſtorum omnium fuit anteſignana. Præter illa, B. Virgini ſoli oſculum Dei quadruplex propriè competit.

1. Primum eſt, Oſculum S. Trinitatis, quo ab æterno præ omnibus hominibus & Angelis, Deus pater illam ſibi delegit in filiam, filius in matrem, Spiritus Sanctus in Sponſam, vt per eam eiúſque filium fieret oſculum, id eſt reconciliatio totius generis humani. Hac de cauſa prima ipſa virginitatis votum Deo nuncupauit, vt totam ſe in corpore & anima
Pſal. 72. 26. Deo dicaret, ac diceret: *Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Pſal. 72. 26.

2. Secundum eſt, Oſculum deſiderij & ſuſpirij, quo ipſa præ omnibus Patriarchis ardentiſſimè deſiderabat Verbi Incarnationem, ad mundi reconciliationem & ſalutem. Ipſa ergo quaſi mater omnium fidelium & Sanctorum, totius mundi ſalutem mirificè exoptans, Seraphicis deſideriorum ardoribus dicebat: *Oſculetur nos oſculo oris ſui.* Quare cùm legeret, & ruminaret illud Iſaiæ oracu-
Iſai. 7. 14. lum cap. 7. *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel,* exclamabat: Mitte Domine Virginem hanc, quæ pariat nobis Emmanuelem: Vtinam virginem hanc videre, vtinam eius ancilla fieri merear. Quocirca flagrantiſſimis hiſce deſideriis meruit ipſa de congruo Chriſti Incarnationem, imò eius maternitatem, vt ſcilicet ipſa vna ex omnibus fieret mater Chriſti, vti docent Theologi, & Franc. Suarez 3. part. quæſt. 2. art. 10. diſput. 10. ſect. 8. Vnde
Gregor. S. Gregor. in 1. Reg. 1. *Meritorum verticem,* inquit, *vſque ad ſolium diuinitatis erexit.* Et
Hieronym. S. Hieronym. Epiſt. 22. ad Euſtochium: *Propone,* inquit, *tibi Mariam, quæ tantæ extitit puritatis, vt mater Domini eſſe mereretur.* Et
Anſelm. S. Anſelm. de Laud. Virg. cap. 8. *Sanctiſſima puritas & puriſſima ſanctitas pectoris eius, omnis creaturæ puritatem & ſanctitatem tranſcendens, incomparabili ſublimitate hoc promeruit, vt reparatrix perditi orbis pleniſſimè fieret.*

3. Tertium fuit oſculum in Chriſti Incarnatione: Tunc enim Spiritus ſanctus eam ſibi deſpondit in Sponſam, vt in ea & ex eius puriſſimo ſanguine formaret corpus Chriſti, iuxta illud Gabrielis Archangeli: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, ideóque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei,* Lucæ 1. 35. *Nonne hoc verbum Angeli* Lucæ 1. 35.
ait Rupert. *verbum & ſponſio erat iam imminentis oſculi oris Domini?* Rupert. Quare cùm ipſa Spiritui ſancto ad Verbi Incarnationem conſenſum ſummâ humilitate, æquè ac charitate præbuit, dicens: *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundùm verbum tuum,* tunc re ipſa dixit: *Oſculetur me oſculo oris ſui,* id eſt aſſumat ex me carnem, eámque oſculetur & ſibi intimè vniat filius Dei: Atque eodem inſtanti inoperante Spiritu ſancto, in ſacro eius vtero peractum eſt Dei cum humanitate oſculum, quo ſe pax & iuſtitia oſculatæ ſunt, cùm *Verbum caro factum eſt. Profectò,* ait Rupertus,
*anima tua liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt,* Idem.
*ſcilicet Deus pater locutione admirabili, locutione ineffabili, dum ſubſtantiam Verbi ſui, cum illo amore ſuo Spiritu ſancto, tuæ menti, tuo ventri penitus inſereret: in quo nec primam ſimilem viſa es, nec habere ſequentem.*

Rurſum caro à Chriſto aſſumpta, fuit caro B. Virginis: quare dum carnẽ ſuam aſſumpſit Chriſtus, aſſumpſit carnem B. Virginis, eíque quaſi oſculum vnionis Hypoſtaticæ impreſſit, itáque eam velut Deificauit.

Quartum oſculum fuit corporeum in 4.
Chriſti natiuitate, quando ipſa peperit Chriſtum, eúmque ceu mater filiũ ſummâ reuerentia & amore eſt exoſculata, atque ex crebris hiſce Dilecti ſui oſculis, ab eo miros ſibi Deitatis ardores afflari ſenſit. Vnde Hebraicè eſt: *Oſculetur me ab oſculis oris ſui.* Huc facit illud Sibyllæ de Chriſto ex B. Virgine naſcituro vaticinium:

*Incipe parue puer riſu cognoſcere matrem.* Virgil. Eclog. 4.

Hinc viri pij & graues prudenter æſtimant B. Virginem, mox vt peperit Chriſtum, eum profundiſſimâ reuerẽtiâ adoraſſe & ſalutaſſe, dicendo: *Benè venerit Deus meus, Dominus meus & filius meus,* ac illicò oſculum dediſſe pedibus eius quaſi Deo, manibus quaſi Domino, ori quaſi filio; deinde verò nudum pannis inuoluiſſe ac vberibus admouiſſe, eíque lac virgineum dediſſe: Chriſtum viciſſim ore, oculis & vultu læto matri arriſiſſe & applauſiſſe.

Anagogicè: Chriſtus in reſurrectione oſculando quaſi corpus mortuum inſpirabit illi animam; vt reuiuiſcat, ac ſanctis communicabit ſuas corporis glorioſi dotes. Huius rei typus fuit Eliſeus, Anagogicè.

qui oſculando puerum mortuum illum ſuſcitauit: nam vt dicitur 4. Reg. 4. 34.
a Reg 4.14. *Poſuit os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius*, &c. *Vnde oſcitauit puer ſepties, aperuitque oculos.* Idem fecit Elias 3. Reg. 17. 21. Rurſum beati in cælo oſculantur
Philip.1.23. Chriſtum. Vnde Paulus: *Cupio*, ait, *diſſolui & eſſe cum Chriſto.* Hoc imitati Gentiles finxêre Dianam oſculando Endymionē, ſuſcitaſſe eum à ſomno lethifero, vti narrat Pierius Hierogl. 50. c. 29. Inſuper quoad animam Beati in cælo, ac imprimis B. Virgo videns faciem Dei, per hanc viſionem, continuè quaſi oſculantur Deum; atque ex eo omnes Deitatis dotes, delicias & gaudia hauriunt, iuxta illud: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, &*
Pſalm. 35.9. *& torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbi-*
Quàm ſuaue Chriſti oſculum! *mus lumen.* Pſalm. 35. 9. Refertur de anima cuiuſdam Sancti, qui multas in hac vita ærumnas ſuſtinuerat, quòd cùm poſt mortem amico appareret, illéque percunctaretur, num tantis doloribus condigna illi reddita forent gaudia, reſponderit: Ipſa prima cælitum ſalutatio, quâ me cælum ingredientem complexi ſunt, ac præſertim primum Chriſti oſculum, quo me deoſculatus eſt, ita mihi ſuaue accidit, itáque intima mea peruaſit, vt illicò omnium laborum me obliuiſci fecerit, omniúmque dolorum memoriam mihi ademerit & abſterſerit, iuxta illud: *Abſterget Deus omnem lacrymam*
Apoc.21.4. *ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quia prima abierunt. Et dixit qui ſedebat in throno: Ecce noua facio omnia.* Apoc. 21. 4.

---

Verſ. 1. *Quia meliora ſunt vbera tua vino.*

## PRIMVS SENSVS ADÆQVATVS.

*De Chriſto & Eccleſia.*

SANCTVS Bernardus Serm. 9. cenſet hæc verba poſſe accipi, vel vt Sponſi, vel vt Sponſæ, vel vt ſodalium Sponſæ. Verùm propriè & genuinè hæc eſſe ver-
Sponſa loquitur. ba Sponſæ, liquet ex τῷ *quia*. Hæc enim vox dat cauſam cur Sponſa adeo expetierit oſculum Sponſi, quia ſcilicet experta erat, vel in ſe, vel in aliis dulcedinem vberum Sponſi: q. d. Quia dulcorem lactis, id eſt conſolationum ſpiritualium, à tuo amore quaſi vbere manantium guſtaui, cùm primitùs me ad te allexiſti & euocaſti; hinc aſpiro ad tuum oſculum, vt ex eo tuum halitum, ſpiritum & animam, à qua omnis dulcedo promanat, quaſi ex ipſo fonte hauriam. Vbera ergo lac dantia, notant Amorem dantem conſolationes & ſuauitates mirificas. Duplex vber eſt, duplex amor; Duplex Sponſi vber.
Vnus æternus, quo Deus in charitate perpetua ab æterno Sponſam dilexit. Alter eſt creatus, in humana Sponſi Chriſti voluntate repoſitus, inde ad Sponſam materno affectu fouendam à primo cōceptionis ſuæ inſtanti, velut vber è pectore vel potiùs è corde erumpens. Hinc S. Agnes: *Mel*, inquit, *& lac ex eius ore ſuſcepi.* Et Pſaltes Pſalm. 30. *Quàm magna* S.Agnes.
*multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te*, & perfeciſti eam ſperantibus in te, ait Aponius. Audi Haymonem & ex eo S. Thomam: *Per vbera* Pſalm 30. Haymo.
*Chriſti, dulcedo Euangelij intelligitur, quâ velut lacte nutritur infantia credentium. Vinum quippe auſteritatem Legis ſignificat: ſed vbera Chriſti meliora ſunt vino, quia dulcedo Euangelij melior eſt auſteritate Legis.* S.Thom.

Dices, quomodo Sponſo, vtpote viro tribuuntur vbera, quæ ſunt propria fœminarum? Reſp. In Parabolis nonnulla dicuntur, quæ non tam parabolæ, quàm rei per parabolam ſignificatæ conueniunt. Vbera ergo non tam corporalia, quàm ſpiritualia per corporalia ſignificata accipienda ſunt: hiſce enim fideles ſuos paſcit Chriſtus. Rurſum ſicut Scriptura Metaphoras mutuatur ab animalibus, vti Chriſtum vocat Agnum, Bouem, Leonem; ſic etiam mutuatur à fœminis, vt ei det vbera, per quæ ſignificat viſcera miſericordiæ. Vbera quomodo dantur Chriſto? Reſp.1.

Reſpondetur ſecundò: viri nonnulli, qui vtrumque habent ſexum, puta virilem & fœmineum, habent vbera, quales ſunt Androgyni. Hiſce ergo vberibus ſignificatur, Chriſtum fidelium non tantùm eſſe Patrem ſed & Matrem pientiſſimam, vtpote qui vt mater myſticis ſuis vberibus nos paſcat. Hinc Chriſtus vocatur πατερμήτωρ id eſt *patrimater*, iuxta illud quod ipſe vt ſapientia Patris æterna de ſe dicit, Eccleſ. 24. *Ego mater pulchræ* 2.
*dilectionis.* Chriſtus ergo vt ſignificet ſe non tantùm eſſe Sponſum, ſed & Patrem ac Matrem nominat vbera, quibus Eccleſiam quaſi filiam materno affectu & pietate lactat & paſcit. Eccli.24.24.

Tertiò, Hebr. דודים *Dodim* tam amores, 3.

res, quàm vbera ſignificat. Vbera enim ſunt ſymbolum amoris. Vnde Hebræi hîc pro *vbera* vertunt *amores*. Hinc Vatabl. vertit: *Amores tui vinum bonitate ſuperant*. Videtur noſter & Septuag. pro דודים *dodim* legiſſe דדים *daddim*: *daddim* enim *vbera* ſignificat, *dodim* verò *amores*, ait Marinus in Lexico. Vnde דודים *dodim* cùm per *vau* ſcribitur, vt *daddim* legi nequeat, ſemper LXX. & noſter vertunt *amores*, vel *dilectus*, nunquam *vbera*. Hîc verò דדים ſcribitur ſine *vau*, vnde legerunt *daddim*, id eſt *vbera*. Alij teſte Origene vertunt: *Meliores ſunt loquelæ tuæ ſuper vinum*. Hi pro דודים *dodim* videntur legiſſe דברים *debarim*, id eſt *verba, loquelæ*: aut certè vbera explicant per loquelas & ſermones. Hiſce enim nos paſcit Chriſtus.

Vatabl.

Marin.

4. Quartò, Amantes, ait Titelman. præ amoris exceſſu ſolent verba permiſcere, confundere, & quaſi ineptè loqui: ſic hîc Sponſa ex vehemētia amoris, quaſi oblita virilis conditionis Sponſo dat vbera, vt eius beneficentiam immenſam, ſuúmque in eum ſummum affectum indicet. Amor enim amantes facit amentes.

5. Quintò, per vbera Nyſſenus accipit cor, quod vberibus tegitur; & Titelmānus: Poſſemus inquit, per vbera pectus ipſum, vbi locus eſt vberum, accipere, vt pectoris Dominici dulcedinem & pietatem, quam dilecto diſcipulo in cœna illa memorabili ſuper pectus, ſiue in ſinu Sponſi recumbenti datum eſt experiri, commendare intelligatur: quæ etiam vbera & pectus pro Sponſa in cruce tandem perfoſſa ſunt, ſanguinémque & aquam quaſi vinum & lac in regenerationem credentium effuderunt.

6. Denique planiſſimè & facillimè cum Delrio & Sotomaior. Reſpondeas viros habere parua vbera puta papillas, tum ad munimentum & fomentum cordis, vt docet Galenus de vſu partium, quæ proinde ſubinde lac quoque edunt, vti diſertè docet Ariſtot. lib. 1. Hiſtor. anim. cap. 12. & lib. 3. cap. 20. *Viris* ait *poſt pubem exiguum* (lac) *nonnullis exprimitur, ſed per ſuctum frequentiorem multum produiſſe aliquibus traditum eſt*. Vnde & S. Auguſt. 4. de Ciuit. cap. 12. ait Gentiles Ioui dediſſe mammam: Sicut & Hebræi Deum vocant *Saddai*, q. d. mammeum; Quin & Iſaias cap. 40. Deo dat vuluam vterúmque; & cap. 66. vbera & lac. Denique Clemens Alex. in Pædagogo cap. 6. congruenter oſtendit Chriſtum Dominum eſſe quaſi mamillam Dei patris, id eſt amores & delicias Dei Patris. Quo ſenſu etiam ipſe Chriſtus Dominus, Ioan. c. 1. affirmat ſe eſſe in ſinu Dei patris ſui: vſque adeò ſibi in Chriſto filio ſuo Deus pater ſibi complacet, & oblectatur præ nimio amore.

*Planè.*

*E virorum vberibus aliquando lac expreſſū.* Ariſtot.

Quæres ſecundò, quid hîc vbera ſignificent. Primò Noſter Gaſpar Sanchez per vbera accipit labia: hiſce enim quaſi vberibus Chriſtus effudit lac doctrinæ ſuæ, quo nos paſcit: Vnde quidam apud Origenem vertunt: *Meliores ſunt loquelæ tuæ ſuper vinum*. Hic ſenſus aptè cohæret præcedentibus: q. d. *Oſculetur me oſculo oris ſui*, quia *meliora ſunt vbera*, id eſt, labia oris tui *vino*. Hinc & R. Saadias vertit: *Melior eſt ſaliua tua vino*. Saliua enim Chriſti illuminauit cæcum. Ioan. 9. 6.

*Vbera Chriſti quæ? Reſp. 1.*

R. Saadias.

Secundò, Nyſſenus per vbera accipit cor, quod circumdant, tegúntque vbera. In corde enim eſt ſedes amoris, æquè ac ſapientiæ. Vnde Sapiens Prouerb. 23. 26. *Præbe*, inquit, *fili mi cor tuum mihi*. Audi Nyſſen. Hom. 1. *Omnino autem, qui cor quidem occultam & arcanam diuinitatis virtutem intelligit, non errabit: vbera autem diuinæ virtutis pro nobis operationes meritò poſſumus exiſtimare, per quas vnumquemque vitam tanquam nutrix alit Deus, vnicuique eorum, qui accipiunt, conueniens largiens nutrimentum*. Sponſa ergo petens oſculum, petit iungi cordi Chriſti, imò illud ſibi dari poſtulat, vt totum illud totúmque eius amorem poſſideat: ſicut S. Catharina Senenſis à Chriſto petiit ſibi dari eius cor ac obtinuit, non ipſum cor Chriſti (quis enim hoc credat?) ſubſtantiale, ſed effectum formatúmque à Chriſto, ſuóque cordi conforme & ſimile.

2.

Prouerb. 23. 26.

Nyſſen.

Tertiò, Titelman. per vbera accipit pectus: in eo enim ſunt vbera, quæ ſignificant affectum, amorem & beneficentiam Chriſti. q. d. ait Sanchez: *O dilecte mi, ſi inter vbera tua, id eſt, inter læuam & dexteram dormire mihi permittitur, quod Sponſæ licet, imò ſolemne eſt; aut haurire per legitima oſcula ſuauiſſimum halitum, qui ex vberibus, id eſt ex præcordiis tuis expiratur, qui generoſo vino atque optimis vnguentis longè ſuauior eſt: hæc mihi pro omnibus imò & præ omnibus vnguentis præſens erit medicina.* 3.

Sanchez.

Hinc Aponius per duo vbera ſymbolicè accipit S. Ioannem Baptiſtam & S. Ioannem Euangeliſtam, qui quaſi intimus Chriſto in cœna ſuper pectus eius recubuit, indéque fluenta gratiarum quaſi ex vberibus ſuxit. Audi Aponium: *Non erit inconueniens duo vbera Chriſti, Baptiſtam*

*Duo vbera. duo Ioannes.* Aponius.

*ſtam & Euangeliſtam duos Ioannes intelligi propriè, qui Eccleſiæ poſt oſcula ſacramenti prædicti pleniſſima vbera ſunt propinati: Cùm alter eum ſolum peccatum mundi tollẽtem Agnúmque demonſtrat Eccleſiæ; alter in principio Verbum Deum apud Deum patrem manentem; qui per immaculatam vitam ita in amore eius quaſi vbera pectori adhæſerunt, dum alter adhuc paruulæ & lactenti Eccleſiæ verum hominem ſub nomine immaculati Agni oſtendit; alter à creandi effectu eum omnium rerum fabricatorem in principio Verbum Deum demonſtrat, per quem creata ſunt vniuerſa.* Et Origen. hom. 1. *Certum eſt,* ait, *quòd Ioannes in principali cordis Ieſu, atque in æternis doctrinæ eius ſenſibus requieuiſſe dicatur in Euangelio, ibi requirens & perſcrutans theſauros ſapientiæ & ſcientiæ, qui reconditi erant in Chriſto Ieſu.*

Origen.

4. *Duo vbera, duo Teſtamenta.*

Quartò, Origenes, Beda, Iuſtus, Caſſiodorus, Philo Carp. & Aponius per duo vbera accipiunt duo teſtamenta, ſcilicet Vetus & Nouum, ſiue doctrinam Prophetarum & Apoſtolorum: vtraq; enim quaſi duplex vber paſcit fideles, pauítque olim Iudæos, æquè ac Chriſtianos. Audi S. Ambroſium ſerm. 1. in Pſalm. 118. *Tanquam deſpiciens omnes iucunditates & delectationes ſuas, cæleſtibus cupiens inhærere mandatis ait: Quoniam optima præcepta teſtamentorum tuorum, ſuper omnem appetentiam carnis & ſæculi voluptatem: meminerat enim ſe in Eua antè ſic lapſam.*

Ambroſ.

5. Quintò, noſter Sanchez per vbera accipit viſcera, ex quibus halitus ſpirando ducitur: Vnde Syrus pro *vbera* vertit *viſcera.* Cùm verò, inquit Sanchez, Sponſi halitus capite 5. ſuauiſſimus dicatur: id enim valet illud: *Guttur illius ſuauiſſimum:* ideò tantoperè Sponſa expetere videtur oſculum: quia per illud Sponſi anhelitum atque animam haurit, quæ vino, optimíſque vnguentis longè eſt ſuauior. Quòd cor vberum nomine ſignificetur, vide caput 7. ad illud: *Dabo tibi vbera mea.* Aut fortaſſe, quod magis puto veriſimile, ſignificat ſe valdè cupere nuptiarũ tempus: quia tunc ex more Sponſa cubat in Sponſi ſinu, id eſt, inter læuam & dexteram, qui locus eſt vberum, & ſinus vocatur. Sinu autem, aut vberibus Sponſi, vbi ſomnus capiendus eſt ab Sponſa, nil ad ſedandum angorem animi potẽtius. Fortaſſe vbera pro oſculis ſumuntur: neque hæc loquendi forma dura eſt, ſi in vberibus amorem intelligas. Amor enim pro oſculo adhibetur eâ figurâ, quâ res ſignificata pro ſigno ponitur, quod in Scriptura ſacra ſæpè fit. Per vbera ergo Sponſa poſcit ſibi afflari ſuauem, & odoratum viſcerum Sponſi halitum: qua de cauſa olim viri & fœminæ cultiores maſtichen rodebant, vt halitum efflarent ſuauem & odoratum, teſte Clemente Alexand. 3. Pædag. cap. 3. Huic ſententiæ fauet id, quod ſequitur: *Fragrantia vnguentis optimis.* Hæc Sanchez.

Cant. 5. 16. *Vberum nomine ſuauẽ Sponſi halitum expetit Sponſa.*

Sextò & genuinè, vbera ſignificant dulciſſimam lactandi facultatem & vim. Chriſtus enim dulciſſimâ ſuâ doctrinâ & gratiâ, quaſi duobus vberibus dulciſſimè lactat fideles: vbera ergo Chriſti ſunt ipſa eius Sapientia & Beneficentia, ex quibus melliloquentia & doctrinæ, verborúmq; ſuauitas, quaſi melleũ lac profluit, quod omni vino voluptatum carnalium, vtpotè acri & mordaci ſuauius eſt. Vinum enim nota & cauſa eſt libidinis furentis, iuxta illud: 6. *Genuinè.*

*Vt Venus in vinis, ignis in igne furit.*

At lac Chriſti iam dictum, fideles quaſi modò genitos infantes, vt ait S. Petrus, ad plenam Virtutis ætatem, vitámque perfectam perducit, quia non ſcaturit vt vitis & vinum, ex imo terrenæ Sapientiæ vel ſecularis literaturæ; ſed cælitùs ex alto depluit inſtar mannæ & roris matutini. Rurſum ſicut vbera cor ambiunt, ex eóque quaſi vim ſuam hauriunt: ſic Doctrina & Gratia ex Chriſti corde & pectore prodeunt, illúdque nobis quaſi propinant & exhibent. Inſuper ſicut vbera ſunt Sedes amorum & deliciarum, iuxta illud Prouerb. 5. 19. *Ceruа chariſſima & gratiſſimus hinnulus: vbera eius inebrient te in omni tempore.* Sic eorundem ſedes eſt Chriſti pectus & cor, plenum omni conſolatione & gratiâ. Sicut ergo in vberibus maternis infantes omne habent ſuum nutrimentum & ſolatium, neque aliud extra ea quęrunt aut deſiderant: ita ſanctæ Eccleſiæ, in vberibus diuinę miſericordiæ, pietatis & beneficentiæ, ſitum eſt omne bonum, omne nutrimentum, omne ſolatiũ. Nihil quærit extrà, renuit conſolari prælerquàm in Deo. Meliora, inquit, ſunt mihi tua vbera, quàm vinum ſapidiſſimũ, quàm omne quod in hoc mundo quamcumque, aut quantamcumque, aut qualemcumque poteſt afferre conſolationẽ vel lætitiam. Plus me delectat tua beneficentia, & quod ex te accipio ſpiritualis nutrimẽti aut delectationis ſanctæ, quàm omnes huius mundi corporales deliciæ. Poſteaquàm iſta ſemel ſuxi vbera, poſtquàm ſemel lac ſuauiſſimum deguſtaui, quod ex illis ſugitur & trahitur de occultis viſceribus miſericordiæ tuæ, non poſſum aliena guſtare vel videre vbera, alie-

Prouerb. 5. 19.

*Vinum deliciа corporea.*

nas

nas cõſolationes abominor, renuit prorſus conſolari niſi in Deo anima mea. Ita Titelmannus & alij paſſim. Audi tres Patres Anonymos apud Theodoret. *Vberum mentionem facit, quia propinqua ſunt cordi, in qua præcipua mentis eſt ſedes, vnde doctrinæ fontes emanant: Sponſi igitur vbera vis bonorum fontes admiratur, ex quibus commodè, tum infantes adhuc, tum etiam perfecti nutriuntur. Eáque dicit eſſe meliora vino, quod, diuina Scripturæ teſtimonio, cor hominis exhilarat. Figuratè enim vinum lætitiam appellauit, vt cunctis humanis voluptatibus præſtare declararet lætitiam illam, quæ ex ipſius donis ad pios proficiſcitur. Quòd ſi vbera myſticè etiam vis intelligere per vbera illa admiranda & vino præſtantiora, cogita ineffabiles illos altaris fontes, ex quibus omnes nos pietatis alumni nutrimur.*

Tres Patres.

Quibus vltimis verbis per vbera accipiunt Euchariſtiam, in qua ſuâ carne, quaſi cibo nos cibat, & ſuo sãguine quaſi potu & lacte nos potat, lactat & inebriat Chriſtus: hæc enim vbera ſunt intrinſeca Chriſto, cùm cætera ſint extrinſeca. Vnde S. Chryſoſtomus homil. 60. ad Pop. & 83. in Matth. *Quis*, inquit, *loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quis paſtor vnquam membris ſuis oues ſuas nutriuit? Multæ matres poſt partum alijs nutricibus infantes dederunt, quod ipſe facere noluit, ſed proprio corpore nos alit, & ſibi coniungit, nóſque conglutinat.* Et paucis interiectis: *Non videtis quãtâ infantes animi alacritate mamillas arripiunt, quâ preßione papillis infigunt labia? Non minore cupiditate nos quoque ad hanc menſam, & ad huius calicis ſpiritalem accedamus papillam: imò verò maiore deſiderio, quaſi lactentes pueri gratiam Spiritus ſugamus: vnus ſit nobis dolor, vna mæſtitia, ſi hoc alimento ſpiritali priuamur.*

*Vbera dat Chriſtus in Euchariſtia.*

Chryſoſt.

Rurſum Chriſtus lactat nos ſuâ doctrinâ, ſuâ gratiâ, ſuis miraculis, ſuis exemplis, ſuâ paſſione, ſuis vulneribus. Vnde & latus Chriſti in Cruce à Longino lanceâ fuit apertum, ex eôque velut ex vbere manauit ſanguis & aqua inſtar lactis, quo nos lactat. Ioann. 19. 34.

*Interna Chriſti vbera.*

Externa Chriſti vbera ſunt Apoſtoli, & Euangeliſtæ, (vnde Iudas Apoſtolus cognominatus eſt *Thadæus*, id eſt, *vberalis*; תַד *thad* enim Chaldaicè ſignificat *vber*; & *Lebbæus*, id eſt, *corculum*: לֵב *leb* enim eſt *cor*:) de quibus audi S. Iuſtum Orgelitanum Epiſcopum: *Vbera Chriſti Apoſtolos & Euangeliſtas non incongruè accipimus; per ipſos enim in fide nutrimur & ſpirituali alimento reficimur. Idcirco autem meliora vino probantur, quia Euãgelica doctrina eminentior quàm Lex olim data dinoſcitur. Denique illic figura, hîc veritas; illic tanquam auſteritas vini, diligendum tantummodò proximum, & inimicum odiendum oſtendit; hîc dulcedo gratiæ pro inimicis orandum, & eos, qui nos oderunt admonet diligendos.* Et S. Gregorius: *Iſta*, inquit, *ſunt vbera, id eſt, Doctores, qua in arca pectoris fixa lacte nos potant, quia ipſa arcanis ſummæ Contemplationis inhærentes, ſubtili prædicatione nos nutriunt.*

*Externa.*

Iuſtus Orgel.

Gregor.

Hoc eſt quod canit Iſaias cap. 66. 11. *Vt ſugatis, & repleamini ab vbere conſolationis eius*, (Ieruſalem, hoc eſt Chriſti & Eccleſiæ) *vt mulgeatis, & deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius.* Et mox: *Ad vbera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis. Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita ego conſolabor vos, & in Ieruſalem conſolabimini.*

Iſai. 66. 11.

Audi Hortolanum hîc Sponſæ de Sponſi vberibus ſibi gratulãtis voces patheticè, & ſapienter exprimentem. O ingentem tuam in me, Sponſe mi, benignitatem! Ecce ego illa, quæ quondam humilis & ſordidata, in luctu & ſqualore iacens mœrebam, iam nunc gratuito dono, ex imis ſordibus in Regiam euecta dignitatem nitida, compta, diademate, omnîque ornatu ac cultu regio ornata, tua Summi Regis Soror & Sponſa incedo, vniuerſi Orbis miraculum, gratiſſimúmque diuinorum omnium ſpectaculum. Tu ille vnigenitus Dei Optimi Maximi Filius, Deus & ipſe Optimus Maximus, quod vnicum in ſinu ſuo cæleſtis Pater fouet delicium, meæ naturæ factus particeps, me humilem & abiectam ancillam tuam tuæ naturæ participem facere, tuis nuptiis nobilitare, in ſinu tuo fouere, omnibus deliciis oblectare, in ſummis tuis deliciis habes & oblectamentis, Deus in terris, Homo in cælis; Angeli cũ hominibus in terris, homines cum Angelis in cælis iungunt choros. Per te facta eſt vna omnium permixtio. Per te facta eſt iniuriarum obliuio, ſublatæ inimicitiæ, diſſolutum repentè prælium; Deus placatus hominibus, deletum peccatum, mors interempta, factus aditus in cælum nobis hactenus inacceſſum. Scaturiunt inde omnium gratiarum fontes vberrimi, lactea ex ore tuo manat eloquentia, diuina inde ſpirat, quæ me in cæleſtes delicias euehit & rapit, aura. Corpus quidem humi repit, mens tamen mea tecum iam in cælo verſatur, ſuauiſſime Sponſe mi, in cælo tuis amoribus fruitur & eius generis bonis, quæ nec humanus oculus videre, nec auris audire, nec noſter per ſe complecti cogitatione valet animus.

Hortolan.

Myſticè, charitatis vbera meliora ſunt vino, quia nunquam ſtringuntur, nunquam ſunt vacua, ſed ſemper donis af-

*Charitatis vbera.*

fluunt & pereffluunt. Ferunt nonnulli Phyſici coruum, vbi pullos agnoſcit ſuos, cùm lac non habeat, eos ſuâ carne & ſanguine paſcere. Vnde Poëta:

*Et nunquam ſine lacte charitas:*
*Lac non vberat, vberat cruorem.*

Sic Chriſtus ex ardentiſſima charitate in Cruce vberauit cruorem, quo velut pelicanus nos pullos ſuos mortuos peccato viuificauit & aluit. Nimirùm hæc ſunt vbera charitatis.

Gregor. Audi S.Gregorium: *Vbera Sponſi, Dilectio Dei & proximi. Ex his vberibus Sponſam ſuam lacte pietatis nutrit: & inter tentationum turbines his eam fouet & nutrit, & vt perſiſtat reficit. Quid autem per vinum niſi cura temporalis exprimitur, à qua mens ſæcularis cuiuſlibet inebriatur, vt ad inuiſibilia cognoſcenda aut ex toto, aut penè inſenſibilis reddatur? Sed vbera Sponſi vino meliora exiſtunt, quia illud necat, hæc nutriunt: Illud oculos mentis turbat, hæc acuunt: Illud apoſtatare facit etiam ſapientes, hæc ipſos idiotas vtique ſapientiſſimos faciunt: Quæ quot vicibus ſponſa cum dilectionis vbertate ſugit, tot ſententias Sapientiæ ſibi in ventrẽ memoriæ trahit. Charitas enim ſancta cor pacificat, mentem in tentationibus roborat, & vt ſedes Sapientiæ ſit anima iuſti, quietem tribuit & locum præparat.*

Porrò S.Bernard. ſerm.9. per duo vbera accipit benignam longanimitatẽ Dei, quâ peccatores expectat ad pœnitẽtiam; & benignam ſuſceptionem, quâ iam pœnitentes amplectitur & lactat.

*Vinum mũdi oblectamenta.* *Vino.* Per vinum accipe quaſlibet mundi delicias, vt dixi: Myſticè, auſteritatem legis Moſaïcæ, ac cruditatem doctrinæ Philoſophorum, ait Anſelmus: vtrique enim præſtat dulcedo lactis doctrinæ Euangelicæ. Inſuper nonnulli per *vinum* accipiunt iram, indignationem, ſupplicia & vindictam, quæ non rarò inter amantes intercurrunt, iuxta illud: *Stilla-*
Mich.2.11. *bo tibi in vinum & in ebrietatem*, id eſt prophetabo, & propinabo tibi vinum furoris diuini: prænunciabo ſupplicia, quibus Deus te potabit & quaſi inebriabit: Michææ 2. Sic ſenſus erit q. d. Meliora ſunt vbera dilectionis diuinæ, quàm vinum indignationis eiuſdem: tum quia ſuauiora ſunt; tum quia efficaciora: magis enim trahuntur homines amore, quàm timore, dilectione quàm indignatione, beneficiis quàm ſuppliciis. Aut q. d. Eſto, te offenderim ſæpiùs, ô Sponſe mi, túque meritò mihi indignatus ſis, tamen vberum, id eſt miſericordiæ & amoris tui dulcedo ſuperat omnem vini, id eſt iræ tuæ acredinem: tibi enim proprium eſt miſereri & parcere: Quocirca maiora ſemper in me delectationis quàm indignationis argumẽta oſtendiſti. Denique S. Bernardus ſerm. 9. *Meliora ſunt vbera tua vino*, hoc eſt, inquit, *Pinguedo gratiæ, quæ de tuis vberibus fluit, efficacior mihi eſt ad ſpiritalem profectum, quàm mordax increpatio Prælatorum.* Bernard.

## SECVNDVS SENSVS PARTIALIS.

*De Chriſto & Anima fideli.*

ANimæ accommodes, quæ dicta ſunt de Eccleſia, mutato dumtaxat nomine. Vnde Chald. vertit: *Præ multitudine dilectionis, quâ dilexit nos magis quàm ſeptuaginta nationes.* Chald. Anima ergo Chriſto deſpõſata ei dicit: *Meliora ſunt*, ô Sponſe, *vbera tua vino*, id eſt, melior mihi eſt, magíſque mihi ſapit lac tuæ doctrinæ & gratiæ, quàm omne vinum conſolationis, deliciarum, prudentiæ & aſtutiæ humanæ: hoc enim mentem æquè ac corpus infirmat, amaricat, cruciat, diſſoluit animam, decipit, infatuat, dementat, iuxta illud: *Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.* Thren. 4. v. 5. Thren 4 5. Et illud: *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui fouea? cui vulnera ſine cauſa? cui ſuffuſio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis?* Prouerb 23 29. Prouerb. 23. 29. Vide ibi dicta. Tuum verò lac ſuper omnes delectationes humanas lætificat, ſatiat, tuetur à noxiis, firmat à lapſu, roborat in bono, nubila animi diſpellit, iras, amores vanos & odia ſedat, ac cor implet Dei & proximi charitate. Hoc lac guſtarat Pſaltes; vnde exclamat: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* Pſal. 36. 26. Pſalm. 36. 26.

Porrò vbera peculiariter notant conſolationes, guſtus, & delicias ſpirituales, quibus Deus animam lactat, exhilarat, roborat, idque indeficienter & aſſiduè. *Sponſi vbera, Conſolationes ſpirituales.* Vbera enim hominis & terrenarum voluptatum illicò exhauriuntur, & exareſcunt: at vbera Chriſti inexhauſta perpetuum lac deliciarũ fundũt, idque promptiſſimè & largiſſimè. Audi S. Bernard. ſerm. 9. *Carnis, inquiunt* (Animæ piæ deſponſæ Chriſto) *voluptatem, qua paulò antè tenebamur vincunt hæ, quas tua nobis vbera ſtillant deliciæ ſpirituales. Et pulchrè vino comparant carnalem affectum. Vt enim vua ſemel expreſſa non habet iam, quod denuò fundat, ſed perpetuâ ariditate damnatur; ſic caro in preſſura mortis ab omni prorſus ſua delectatione ſiccatur, nec vltrà reuireſcit ad libidines. Vnde Propheta:* Bernard.

*Omnis*

Iſaiæ 40. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni. Exſiccatum eſt fœnum & cecidit* Gal. 6. *flos. Et Apoſtolus: Qui ſeminat in carne, de carne & metet corruptionem. Et rurſum: Eſca ventri,* 1. Cor. 6. *& venter eſcis; Deus autem & hunc & has deſtruet. Subiicit deinde idem de mundi voluptatibus. Vide autem, ne non carni tantùm, ſed & mundo fortè competat iſta proportio. Siquidem & ipſe tranſit & concupiſcentia eius. Et cùm omnia, quæ in mundo ſunt, finem habeant, finis eorum non erit finis. Verùm vbera non ſic: Hæc enim cùm exhauſta fuerint, rurſum de fonte materni pectoris ſumunt, quòd propinent ſugentibus. Meritò proinde meliora carnis, ſæculiue amore aſſeruntur vbera Sponſæ, quæ nullo vnquam lactentium numero areſiunt, ſed ſemper abundant de viſceribus charitatis, vt iterùm fluant: Flumina ſiquidem fluunt de ventre eius, fitque in ea* Ioann. 7. *fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*

Denique S. Bernardus ſerm. 10. duo vbera Prælatis aſſignat, maternum affectum congratulationis, & compaſſionis, Rom. 12. 15. quem præſcribit Apoſtolus Rom. 12. 15. dicens: *Gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus*, vt cõgratulatio fundat lac exhortationis, compaſſio verò conſolationis; vtroque verò irrorari matrem ſpiritualem, cùm per orationem oſculum Sponſi haurit.

## TERTIVS SENSVS PRINCIPALIS,

### *De Chriſto & B. Virgine.*

Rupert. Q*Vid*, inquit Rupertus, *per vbera eius, niſi dulcedinem eius rectè intelligimus: Et quid eſt dulcedo eius, niſi Spiritus ſanctus? Talis dulcedo pulchrè in duo vbera diſcernitur, quia duo ſunt data eiuſdem Sancti ſpiritus. Alterum datum eſt in remiſſionem peccatorum, cuius videlicet dati vbere nullus ante hanc Beatam Virginem lactatus eſt Sanctorum antiquorum. Alterum datum eſt in diuerſarum diuiſiones ſiue diſtributiones gratiarum, quo videlicet vbere lactati patres ſancti & prophetarunt, & multa miracula operati ſunt.*

*Vbera ſunt maternitas Dei.* Porrò vbera propriè à Deo communicata B. Virgini ſunt, ipſa maternitas Dei: huius enim inſigne ſunt vbera: hæc enim, mox vt fœmina parit, fitque mater, intumeſcunt, lacte replentur ad alendam prolem. Deus enim pater ſicut genuit filium, quà Deus eſt; ſic & B. Virgini ceu Matri dedit eundem generare, quà homo; quæ ſumma eſt eius dignitas, ſuperans omne vinum excellentiæ creatæ, ac ſummam requirit gratiarum omnium excellentiam; nam vt docet D. Thom. 1. part. quæſt. 25. art. 6. Deus omnibus rebus à ſe creatis poteſt alias creare meliores & nobiliores, exceptis tribus, ſcilicet Humanitate aſſũptâ à Verbo, Viſione beatificâ, & Maternitate Dei; hæc enim tria cùm Deum habeant pro obiecto, à nulla re ſuperari, & à nullo dono creato tranſcendi poſſunt.

Hinc mulier illa in Euangelio exclamauit: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti.* Lucæ 11. 27. Et S. Auguſtinus *Exempla: Luc. 11. 27.* inter B. Virginem & Chriſtum crucifixum ſe conſtituens: *Hinc*, ait, *lactor ab vbere, hinc paſcor à vulnere.* Hoc vberum ſuorum lac B. Virgo viſibiliter communi- Auguſtin. cans Clerico cuidam Niuernenſi ſibi deuoto, iam animam agenti, cum vitæ *Clerici Niuernenſis.* & ſanitati reſtituit, vti narrat B. Petrus Damian. lib. 6. Epiſt. 29. *Cùm enim*, inquit, Damian. *velut egreſſurus in eius pectore ſpiritus anxiè palpitaret; Ecce glorioſa Mater Dei ſibi viſibiliter aſtitit, & ſacri vberis papillâ lac exprimens eius labiis inſtillauit, & diuinæ virtutis antidoto protinus ille reſumptus viribus ex infirmitate conualuit, & mox clericalibus ornamentis indutus Eccleſiam adiit, ſeſeque choro pſallentium fratrum lætus interſerens, mirum videntibus ſpectaculum præbuit. Dicitur etiam, quòd adhuc tunc in labiis eius quædam lactis videbantur veſtigia.* Hucvſque Damianus.

Idẽ contigit S. Fulberto Epiſcopo Carnotẽſi, qui doctrinâ & ſanctitate illuſtris S. Fulbertus. obiit anno Dom. 1028. Cùm enim ipſe mirè B. Virgini deuotus exiſteret, ac igne ſacro correpta eſſet eius lingua, ita vt totus arderet, nocte quadam cùm prætermorem eo cruciaretur, obtulit ſe ei viſendam Matrona nobilis, à qua monebatur vt ei os aperiret, quod cùm feciſſet, mox ex ſactis ſuis vberibus lac expreſſit in os eius, quo ita refrigerata eſt lingua, vt ardorem omnem extinxerit, & eum perfectæ ſanitati reſtituerit. Ne autem illuſio aut phantaſma eſſe putaretur, in Fulberti gena remanſerunt guttæ aliquot, quas ipſe diligenter ſudario exceptas collegit, hodiéque in theſauro Eccleſiæ Carnotenſis ſummâ cum veneratione ſeruantur. Ita habent Annales Eccleſiæ Carnotenſis, & VVillelmus Malmaſber. lib. 3. de geſtis Anglorum, ac Baronius tom. 2. anno Chriſti 1028. Fertur & S. Bernardus eodem lacte B. S. Bernardi. Virginis ab eadem aſperſus, in dicendo & ſcribendo lacteus & mellifluus euaſiſſe, præſertim vbi de laudibus B. Virginis & Verbi incarnati agit. Vnde & Hymno eiuſdem, cuius initium: *Salue*

*Regina*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

*Regina mater miſericordiæ*, quem compoſuit Hermannus Contractus Comes de Veringem, Monaſticen profeſſus in monaſterio S. Galli ſub annum Domini 1040. quémque ſub veſperam paſſim in Eccleſiis ad honorem B. Virginis decantari audimus, mirè delectabatur S. Bernardus. Hinc in hymnum hunc plures ſermones conſcripſit: ideóque Canonici Spirenſes, S. Bernardo Spiræ Eccleſiam B. Virginis ingrediente, hymnum hunc decantarunt, ipſomet S. Bernardo ter poſitis genibus ſuccinente: *O clemens, ô pia, ô dulcis virgo Maria.* In cuius rei memoriam hæc ipſa verba tribus æneis inciſa laminis, iiſdem locis humi poſitis etiamnum Spiræ viſuntur.

*Quis Auctor Antiphona. Salue Regina.*

Verſ. 2. *Fragrantia vnguentis optimis.*

Hebr. *Ad odorem vnguentorum tuorum bonorum*, ſcilicet Antonomaſticè, id eſt, optimorum. Syrus: *In odorem ſuauitatum tuarum.* Vnde nonnulli hæc referunt ad *oleum*, quod ſequitur, ſicque cum eo nectunt: *ad*, id eſt, *propter odorem vnguentorum tuorum, oleum effuſum eſt nomen tuum.*

Verùm melius noſter τὸ *ad odorem* exponit *odorata*, puta *fragrantia*, refértque ad *vbera*, quæ præceſſerunt. Solent enim fœminæ nobiles & lautæ ad pectus & vbera geſtare olfactoriola & myrothecas, id eſt capſulas muſcum alióſque odores ſuaues in ſe continentes, quæ Pſal. 44. 9. vocantur *domus eburneæ*: domus enim Hebræis thecam quamlibet ſignificat.

*Domus apud Hebræos thecā ſignificat.*

Porrò Septuaginta, τὸ *optimorum* explicantes vertunt: *Et odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.* Si enim vnguenta Sponſi ſunt optima, ergo ſuperant cætera omnia vnguenta & aromata: Alludit ad ritum priſcorum, apud quos Sponſi coronâ redimiti & vnguentis delibuti nuptias inibant. Vnde de Chriſto Sponſo dicitur Pſal. 44. 8. *Vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis: myrrha & gutta & caſia à veſtimentis tuis à domibus eburneis.* Huc facit illud Virgilij:

*Pſalm 44. 8.*

*Virgil.*

*Nec mihi tam pingui ſudabunt tēpora myrrhâ,*
*Pronuba nec caſtos incendet pinus honores.*

## PRIMVS SENSVS,

*De Chriſto & Eccleſia.*

Senſus ergo eſt, q. d. *Meliora ſunt vbera tua vino* ob fragrantiam, ſiue quia redolent & fragrant vnguentis optimis. Sponſa enim nouella vti necdum Sponſi oſcula, ſic nec lac vberum, niſi eminus perceperat, ſed eorum fragrantiâ, id eſt, famâ ineſcata & illecta tam lac vberum, quàm oſculū oris deſiderat. Odor enim Symbolum eſt famæ, iuxta illud: *Melius eſt nomen bonum quàm vnguenta pretioſa.* Eccleſiaſtis 7. 2. & illud: *Chriſti bonus odor ſumus*, id eſt, Chriſti famam prædicando vbique ſpargimus. 2. Corinth. 2. Sic Magdalena illecta ſuaui famâ, quæ ſpargebatur de ſanctitate, ſuauitate & poteſtate Chriſti, ad oſculū pedum eius accurrit. Vnde Chald. hæc more ſuo Synagogæ, id eſt, Moſi & Iudæis, qui fuêre typus Eccleſiæ, id eſt, Chriſti & Chriſtianorum, ſic vertit: *A voce miraculorum tuorum & potentiæ tuæ, quæ feciſti populo tuo domui Iſraël, commoti ſunt omnes populi, qui audierunt famam potentiæ tuæ, & ſignorum bonorum tuorum.* Hinc rurſum vnguenta Chriſti ſunt chariſmata Spiritus ſancti: hæc enim ſuauiſſimum de eo odorem & famam vbique ſpargebant. Vnde Rupertus: *Optima vnguenta*, inquit, *ſunt chariſmata hæc, ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, fides, gratia ſanitatum, opera virtutum, prophetia, diſcretio ſpirituum & cætera, quæ qui habent, boni odoris ſunt, & ſuauiter fragrant ſicut vnguentum optimum. Vnde Apoſtolus: Deo gratias, inquit, qui ſemper triumphat per nos in Chriſto Ieſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco, quia Chriſti bonus odor ſumus Deo.*

*Odor, famæ ſymbolum.*

*Eccleſ. 7. 2.*

*2. Corinth.*

*Chald.*

*Vnguenta Chariſmata Spiritus ſancti.*

*Rupert.*

Nam de Chriſto ait S. Petrus: *Vnxit eum Deus Spiritu ſancto & virtute, qui pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à Diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* Act. 10. verſ. 38. Vnde eius *fama exiit in vniuerſam regionem.* Lucæ 4. 14. Et: *Diuulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.* ibid. v. 37.

*Act. 10. 38.*

*Lucæ 4. 14. verſ. 37.*

Porrò verſionem Septuag. quæ habet: *Et odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata*; & qui eos ſequitur, Arabici: *Et odor ſuauitatum tuarum eſt præſtantiſſimus omnium ſuauitatum*; ſic exponunt Patres, q. d. Chriſti gratia & virtus, quâ vnxit eum Pater, ſuperat omnia dona, gratias & virtutes datas, non tantùm Moyſi, & Prophetis, ſed & omnibus Sanctis ſimul ſumptis. Nam vt de eo ait Habacuc cap. 3. *Operuit cælos virtus eius*; id eſt, cæleſtis eſt, cœlóſque & Angelos cæleſtes tranſcendit. Chriſti enim virtus per ſe eſt ipſa virtus; Chriſti ſapientia, iuſtitia, charitas, &c. per ſe eſt ipſa ſapientia, iuſtitia, charitas, &c. ait Nyſſen. Sic & Origenes, Aponius & Theodoret, quem audi: *Nota*, inquit, *ſunt mihi vnguenta, quæ Moſes confecit, & oleum vnctionis & thymiama compoſitionis, ſed omnium illorum*

*LXX.*

*Arab.*

*Habac. 3. 3.*

*Theodoret.*

*illorum aromatum vnguentum tuum eſt ſuauiſſi-*
*mum. Vnguentum hic vocat gratiam ſpritalem,*
*quâ ille refertus, ex plenitudine ſua nobis omni-*
2. Corint. 2. *bus impertiuit. Quamobrem clarâ voce Beatus*
*Paulus: Chriſti bonus, inquit, odor ſumus in iis,*
*qui ſalui fiunt & in iis, qui pereunt. Alÿs quidem*
*odor mortis in mortem, alÿs autem odor vitæ in*
*vitam.* Chriſtus enim à primo inſtanti cõ-
ceptionis ſuæ, infuſam ſibi à Deo accepit
omnem gratiam & virtutem, ídque in
tanto gradu, perfectione & ſublimitate,
vt ſit gratia capitis, quæ ſcilicet à Chriſto
in omnes Sanctos, velut à capite in mem-
Pſalm. 44. 8. bra deriuatur, iuxta illud: *Vnxit te Deus,*
*Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Pſal.
44. 8. In Chriſto enim habitauit non tan-
tùm ſimilitudo, ſed & plenitudo diuini-
tatis, vt ait Paulus Coloſſ. 1. Vnde de eius
Ioann. 1. 16. *plenitudine* omnes *accepimus.* Ioann. 1. 16.

## SECVNDVS SENSVS,

*De Chriſto & Anima Sancta.*

CHriſtus Sponſus Vbera ſua vnguẽ-
tis & chariſmatibus optimis fragrã-
ria, communicat Sponſæ ſuæ, puta Ani-
mæ ſanctæ, iuxta illud 1. Corinth. 1. 30.
1. Cor. 1. 30. *Ex ipſo vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus nobis*
*Sapientia à Deo, & Iuſtitia, & ſanctificatio &*
*redemptio.* Vnde S. Gregor. qui per duo
vbera accipit duplicem dilectionem Dei
Gregor. & proximi: *Hæc vbera*, inquit, *vnguẽtis opti-*
*mis fragrant, quia odorem ſuauitatis per Sapien-*
*tiæ verba & ſanctitatis exempla ſecum portant.*
*Quicunque enim ſanctâ charitate per gratiam*
*Dei ſe reficit, is ſpiritualium donorum & odorem*
*& ſuauitatem ſentit. Quorum bonorum vbertate*
*proximos quoſque ad interiora guſtanda ſecum*
*trahit, & vt in amorem diuinum conualeſcant,*
*iſtis vberibus nutrit.* Hæc ergo sũt optima,
reſpectu vnguentorum carnalium; quia
quos inungunt, veros Reges ac Sacerdo-
tes efficiunt. Cæteri qui per vbera Chri-
ſti accipiunt Apoſtolos & Doctores
Euangelicos, dicunt eos fragrantiâ gra-
tiarum, virtutum ſanctarum, operatio-
num & miraculorum, indéque conſe-
quentis famæ & gloriæ ſuperare ſanctos
Prophetas, Patriarchas, Sacerdotes &
Reges Moſaïcos: *Quia tantis*, inquit Iuſtus
Iuſt. Orgel. Orgeliran. *virtutibus, tantiſque enituère mira-*
*culis, vt odor iuſtitiæ eorum longè, latéque diffu-*
*ſus tunc intuentes oblectaret, & vſque huc omnes*
*reficiat auditores, ſicut vnus ex ipſis pronunciat*
*dicens: Deo autem gratias, qui ſemper triumphat*
*nos in Chriſto Ieſu, & odorem notitiæ ſuæ mani-*
*feſtat in omni loco per nos.* 2. Corinth. 2. 14.
Et: *Qui vnxit nos Deus, & qui ſignauit nos, &*
*dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* 2. Co-
rinth. 1. Vide quæ vtrobique annotaui.

Denique S. Bernardus ſermone 10. & *Tria animæ*
ſeq. aſſignat tria Myſtica Animæ vnguẽ- *vnguenta*
ta: primum contritionis: ſecundum de- *Myſtica.* Bernard.
uotionis: tertium pietatis, quæ deinde
ſingula fusè proſequitur: *Primum*, inquit,
*eſt pungitiuum dolorem faciens; Secundum, tem-*
*peratiuum dolorem leniens: Tertium, ſanatiuum*
*morbum expellens.* Triplici hoc vnguen-
to Magdalena vnxit, tum pedes, tum ca-
put Chriſti. Anima verò ſancta maximè
cùm vngit vnguento laudis & gratiarũ
actionis, quâ omnem ſuam gratiam, om-
ne meritum, omnem laudem & gloriam
attribuit Chriſto. Idem Serm. 22. per vn-
guenta accipit quatuor virtutes Cardi-
nales, quæ in ſolo Chriſto veræ ſunt, in
Philoſophis verò fictæ & falſæ: *Quid vo-* Idem.
*bis*, inquit, *cum virtutibus, qui Dei virtutem*
*Chriſtum ignoratis? Vbinam vera Prudentia,*
*niſi in Chriſti doctrina? Vnde vera Iuſtitia, niſi*
*in Chriſti miſericordia? Vbi vera Temperantia,*
*niſi in Chriſti vita? Vbi vera Fortitudo, niſi in*
*Chriſti paſſione? Soli ergo, qui eius doctrinâ im-*
*buti ſunt, prudentes dicendi ſunt; ſoli iuſti, qui*
*de eius miſericordia veniam peccatorum conſe-*
*cuti ſunt; ſoli temperantes, qui eius vitam imi-*
*tari ſtudent: ſoli fortes, qui eius patientia docu-*
*menta fortiter in aduerſis tenent: Incaſſùm pro-*
*inde quis laborat in acquiſitione virtutum, ſi*
*aliunde eas ſperandas putat quàm à Domino*
*Virtutum, cuius doctrina ſeminarium pruden-*
*tiæ, cuius miſericordia opus iuſtitiæ, cuius vita*
*ſpeculum temperantiæ, cuius mors inſigne eſt for-*
*titudinis.*

## TERTIVS SENSVS,

*De Chriſto & B. Virgine.*

RVpertus, qui hæc vti & cætera om-
nia totius Cãtici, propriè de B. Vir-
gine accipit, aſſerit vbera Charitatis ge-
minæ conceſſa B. Virgini, fragraſſe odo-
rem ſuauiſſimum virtutũ omnium, quas
Spiritus ſanctus in alios diſpertit, ſed
omnes in Virgine collegit, ídque tantâ
copiâ & plenitudine, vt ipſa ſola iis om-
nibus magis fragrarit, quàm cæteri Sãcti
in vnũ congregati, iuxta illud Eccleſ. 24.
20. *Sicut cinnamomum & balſamum aromati-* Eccli. 24. 20.
*zans odorem dedi, quaſi myrrha electa dedi ſua-*
*uitatem odoris*, &c. *Ego quaſi vitis fructificaui*
*ſuauitatem odoris, & flores mei fructus honoris*
*& honeſtatis. Ego mater pulchræ dilectionis, &*
*timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei. In me gratia*
*omnis viæ & veritatis, in me ſpes omnis vitæ &*
*virtutis. Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis*
*me,*

*me,& à generationibus* ( id eſt, fructibus genitis, ) *meis implemini. Spiritus enim meus ſuper mel dulcis,& hæreditas mea ſuper mel & fauum. Memoria mea in generationes ſæculorum.* Vide ibi dicta.

---

Verſ. 2. *Oleum effuſum nomen tuum.*

OLEVM non tantùm ex oliuis, ſed ex quolibet flore, herbâ, aromate diſtillatur, quod totam rei ſubſtantiam, ſuccum, pinguedinem & vim exugit: Vnde à Medicis vocatur quinta eſſentia, quæ ſi cum oleo aliorum aromatum ſcitè commiſceatur, vnguẽtum facit præſtans & odoratum. Hinc Septuag. Vatabl. & alij vertunt: *Vnguentum euacuatum nomen tuum.* Syrus: *Vnguentum myrrhæ nomen tuum.* Arabicus: *Nomen tuum vnguentum ſuaue effuſum.* Hebr. enim שמן *ſchemen* non tantùm oleum, ſed & vnguentum ſignificat, ídque huic loco magis congruit. Explicat enim τὸ *Fragrantia vnguentis optimis*: q. d. Vbera dulciſſimæ tuæ beneficentiæ, ô Chriſte, meliora ſunt vino, id eſt, omnibus mundi voluptatibus & illecebris, quia fragrant optimis vnguentis, id eſt, expirant chariſmata optima, quæ in omnes effundis, adeò vt oleum, ſiue vnguentum effuſum vocari poſſis, hócque nomen ſit tibi peculiare & proprium. Vnde in Hebræo pulchra eſt Paronomaſia: שם *Schem tuum eſt Schemen* שמן, id eſt, *Nomen* tuum eſt *Oleum*, oleíque Numen. Quocirca Hortolanus ſic paraphraſticè, ſed genuinè & ſapienter exponit, q. d. Hiſce cæleſtibus vnguentis tu à Spiritu ſancto perfuſus totus, Chriſte fragras, ſuauiſſimè oles, atque admirandis dictis ac factis tuis tantùm iam tibi nomen comparaſti; ſic tua inclyta fama, quæ olim intra cælum ſe continebat, per Euangelij tui prædicationem totam ſubitò peruaſit Iudæam & Syriam; ſic ſalutiferum tuum, bone Ieſu, nomen magnâ admiratione innotuit, vt nihil aliud quàm vnguentum pretioſiſſimum videatur, quod è cæleſti myrothecio in terras effuſum, ſuo odore longè, latéque diffuſo circunſtantes mirificè delectat, & ad ſui rapit admirationem & deſiderium. *Effuſum*, quia liquores cùm effunduntur, tum maximè ſuauitatem ſui odoris expirant, eóque aſtantium olfactum demulcent, alliciunt & recreant.

*LXX. Vatabl. Syrus. Arab.*

*Paraphraſis.*

Quæres, quodnam hoc nomen? Primò Chald. accipit nomen Iehoua: *Et nomen tuum ſanctum*, inquit, *auditum eſt in vniuerſa terra, quod eſt electum magis, quàm Oleum vnctionis, quo vnguntur capita Regum, & Sacerdotum.* Vnde multi nomen hic accipiunt Dei, qui in Creatione mundi ſuam bonitatem & beneficentiam in omnes creaturas ceu oleum effudit, ac in eiuſdem Redemptione viſcera miſericordiæ ſuæ, puta Vnigenitum ſuum in carnem noſtram emiſit, imò effudit. *Iehoua* enim ſignificat ipsũ eſſe, ac eſsẽdi Oceanum, ſiue pelagus immenſum, primúmque omnium principiũ, à quo res omnes velut è fonte ſuum eſſe mendicant & hauriunt, *Iehoua* verò in Ieſum transmutatus eſt, cùm Deus factus homo, gratiæ & ſalutis ſuæ pelagus in fideles omnes effudit. Addit Euſebius lib. 4. de Demonſtr. cap. 5. Iehoua, id eſt, Deum patrem totam ſuam diuinitatem in filium per generationem effundere: Patrem verò & filium eandem in Spiritum ſanctum per ſpirationem transfundere. Vnde idem lib. 5. de Demonſtr. cap. 1. filium vocat fragrantiam patris.

*Nomẽ Chriſti, Oleum effuſum. Quodnam? Reſp.* 1. *Iehoua.*

Porrò nomen *Iehoua*, id eſt Dei, olim ſolis Iudæis notum, ac in Iudæa quaſi concluſum, per Ieſum, id eſt Verbum incarnatum, ſparſum & effuſum eſt per totum orbẽ, cùm ad prædicationem Apoſtolorum omnes gentes, etiam atheæ cognouerunt, amarunt, & glorificauerunt Deum. Ita Origenes, Anſelmus, & alij. Audi S. Ambroſium lib. 3. de Virgin. poſt medium: *Semper vnguentum hoc erat, ſed erat apud patrem: erat in patre, olebat tantùm Angelis & Archangelis tanquam intra vas cæli, Aperuit os pater dicens: Ecce poſui te in teſtamentum generis mei, in lucem gentium, vt ſis in ſalutem vſque ad extremum terræ: deſcendit filius: Repleta ſunt omnia nouo odore.* Et nõnullis interiectis: *Ipſe Dei filius in corpore tanquam in vaſe odorem primò cohibebat ſuum, operiens tempus; ſicut ait: Dominus dat mihi linguam eruditionis, vt ſciat quando me oporteat dicere ſermonem: Venit hora, aperuit os: Exiuit vnguentum, quando virtus exibat de eo. Hoc vnguentum exinanitum ſuper Iudæis, & collectum eſt à gentibus: exinanitum in Iudæa, & redoluit in omnibus terris.* Ambroſ.

Secundò, magis propriè & genuinè, nomen hoc eſt Chriſtus: ipſe enim à Iudæis vocatus eſt *Meſſias*, à Græcis *Chriſtus*, à Latinis *Vnctus*, quia in Incarnatione, quâ homo per gratiam Dei patris vnctus & conſecratus eſt Summus Pontifex, Propheta Legiſlator, Rex & Redẽptor orbis. Vnde hoc gratiæ ſuæ vnguentum in omnes credentes in ipſum effudit, & in dies 2. *Chriſtus.* *Vnguentum gratiæ.*

in dies effundit: hinc à Chriſto omnes vocantur Chriſtiani: *Cùm enim vim ſuam*
Philo Carp. *& poteſtatem Apoſtolis tradidit, totus mundus pietatem ſanctiſsimè inoluit*, ait Philo Carpath. Vnde & in Baptiſmo viſibiliter Chriſtiani chriſmatis vnguento in corpore; & gratiâ Spiritus ſancti in anima inuiſibiliter perunguntur, ait Theodor. Quocirca Nazian. Orat. in S. Baptiſma:
Nazian. *Vnguentum illud*, inquit, *noſtrâ causâ exhauſtum odoremur, ſpirituali modo illud accipientes, atque ab eo ita efformati & commutati, vt ex nobis quoque ſuauis odor efflectur.* Sicut enim Magdalena vnguentum effundens in caput Chriſti, totam domum odore ſuaui repleuit: ſic Chriſtus gratias ſuas in fideles effundens totam Eccleſiam, imò totum orbem ſuauiſſimo Euangelij odore compleuit. Sic & Caſſiodor. Iuſtus Orgelitan. Beda & S. Gregor. quem audi:
Gregor. *Nomen*, inquit, *Sponſi Chriſtus eſt: ſed nomen Sponſi quaſi oleum effunditur, quia quicumque nomine Chriſtiano in veritate cenſentur, charitate affluunt, quâ molliuntur: & vt flammas exemplorum emittant, eadem charitate continuè ſuffunduntur.*

Et S. Auguſtinus Conc. 3. in Pſalm. 30. per vnguentum Chriſti, intelligens eius miſericordiam: *Nec*, ait, *vnguentum mi-*
Auguſt. Vnguentum Miſericordia. *ſericordia tua in Ieruſalem quaſi in vaſe tenuiſti, ſed tanquam confracto vaſe, vnguentum diffuſum eſt per mundum, vt impleretur quod dicitur: Vnguentum effuſum nomen tuum; & ita mirificaſti miſericordiam tuam in ciuitate circumſtantiæ, id eſt, in omnibus gentibus diffundens miſericordiam tuam.*

Simili modo Philo Carpath. per vnguentum accipit ardentiſſimã Dei Chriſtique charitatem in nos effuſam & profuſam. Hac de cauſa Pontifices æquè ac reges & Principes oleo vnguntur, vt plenam in ſubditos charitatem effundant. Hinc de Ieſu Pontifice & Zorobabel Principe dicitur, Zachar. 4. 14. *Iſti ſunt duo*
Zachar. 4. 14. *filÿ olei, qui aſſiſtunt dominatori vniuerſæ terræ.* Ac de Elia & Enoch dicitur Apocalypſis 11. 4. *Hi ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra,*
Apocal. 11. 4. *in conſpectu Domini terræ ſtantes.* Vide vtrobique dicta.

Porrò Euſebius lib. 4. Demonſt. c. 15. addit Chriſtum non tantùm quà homo eſt, ſed etiam quà Deus eſt, ab æterno vnctum eſſe oleo, id eſt, accepiſſe à Patre plenitudinem diuinitatis: *Supremæ*, inquit,
Euſebius. *atque ingenitæ diuinæ eſſentiæ virtutem illam, quæ omnia valet, omne bonum præſtat, omnem pulchritudinem ſubminiſtrat, diuinus Spiritus proprio & conuenienti exemplo conferens atque accommodans, Dei oleum appellat. Quare & Cornel. à Lapide in Cant. Canticor. Chriſtum, & vnctum eum, qui illius particeps eſt, vocat.* Et paucis interiectis: *Eum*, inquit, *qui ſolo hoc toto oleo vnctus eſt, quiue diuinæ, atque eius, quæ cum nullis aliis communicatur, paternæ fragrantia princeps factus, & qui ſolo ex illo genitus, Deus Verbum, communicatione gignentis ingeniti, Deus de Deo eſt declaratus, Chriſtum atque vnctum vocauit.*

Verùm propriè agitur hîc de Chriſto, quà homo eſt: ſic enim eſt Sponſus Eccleſiæ, ideóque dicitur Chriſtus, id eſt, vnctus, ídque adeò copioſè & plenè, vt non tantùm vnctus, ſed & Vnguentum ac Oleum nominetur: *Oleum*, inquit, *effuſum, nomen tuum*, quâ effuſione Chriſtianos conſecrauit in Myſticos Reges & Sacerdotes, iuxta illud 1. Petri 2. 9. *Vos* 1. Petr. 2. 9.
*autem gens ſancta, regale Sacerdotium, genus electum, populus acquiſitionis, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum.*

Chriſtus ergo quà homo, duplici oleo Chriſti duplex vnctio.
ſiue vnguento, id eſt, duplici gratiâ vnctus fuit; Prima eſt Gratia vnionis hypoſtaticæ, per quam caro vnita eſt Verbo, & homo factus eſt Deus. Secunda, ex priore iam dicta conſequens, eſt Gratia habitualis infuſa animæ Chriſti, quæ eũ non tantùm ſanctificauit, ſed & ſanctitatis fontem ac Sanctorum omnium caput & cauſam conſtituit: inde enim ſecuta eſt omnis gratiæ effuſio in cunctos fideles & Sanctos cuiuſlibet gentis, ætatis, ſexus, conditionis, gradus & ordinis. *Iudæus*, ait S. Bernardus: *habet oleum, ſed non* Bernard.
*effuſum. Habet in codicibus, ſed non in cordibus. Quid tibi prodeſt pium Saluatoris nomen lectitare in libris, nec habere pietatem in moribus?* At Chriſtianus à Chriſto accipit pietatem in moribus, quia vnctionem Chriſti accipit in cordibus.

Denique per nomen accipitur res & perſona nomine ſignificata, q. d. ait Beda: *Oleum effuſum nomen tuum*, hoc eſt, rectè nominaris, ô Chriſte, id quod es, puta plenus Spiritu, eiúſque donis, quæ copioſè in aliós effundis. Oleum enim notat Spiritum ſanctum, eiúſque charismata, quæ Chriſtus in Pentecoſte in Apoſtolos, cæteróſque fideles largè diſtribuit, juxta illud: *Effundam Spiritum meum* Ioel 2. 28.
*ſuper omnem carnem.* Ioëlis 2. 28.

Tertiò, nomen proprium Sponſi Ec- 3.
cleſiæ eſt *Ieſus*; nomen enim Chriſtus eſt Ieſus.
nomen officij; nomen verò Ieſus eſt proprium perſonæ, ſcilicet huius hominis, qui vnitus eſt hypoſtaticè Verbo. Nomen enim Ieſus illi impoſitum eſt in Circumciſione; ſicut nobis in Baptiſmo



Digitized by Google

imponitur nomen Cornelij, Petri, Pauli, &c. Ieſus enim ſignificat Saluatorem, qualis ſolus fuit homo Deus, ſiue Verbum incarnatum: hoc enim gratiam ſalutiferam, eámque variam & multiplicẽ in fideles effundit, quâ ad ſalutem & gloriam æternam perueniant, iuxta illud:

Act. 4. 12.

*Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Actor. 4. 12. Ieſus enim Virgini effundit gratiam caſtitatis virginalis: Viduis vidualis, Cõiugatis coniugalis; Martyribus aſpirat fortitudinem, Doctoribus doctrinam, Religioſis religionem, Anachoretis ſolitudinem, Actiuis actionem, Contemplatiuis contemplationem, &c. Atque hæc omnia non ſtillat parcè, ſed largè effundit, ídque cum mira ſuauitatis fragrãtia, adeò vt animæ ſanctæ nil ſit ſuauius, nil dulcius, quàm cogitare, nominare, inuocare Ieſum:

Bernard.

*Ieſus*, ait S. Bernard. *mel in ore, melos in aure, iubilus in corde. Nil canitur ſuauius, nil auditur iucundius, nil cogitatur dulcius, quàm Ieſus Dei Filius: Ieſu dulcedo cordium, fons viuus, lumen mentium, excedens omne gaudium, & omne deſiderium.* Vide totum hymnum S. Bernardi de nomine Ieſu.

Dicit ergo Eccleſia & Anima fidelis Chriſto: Tu mihi es Ieſus, tu meus Saluator, tu mea ſalus, tu vnguentum ſalutis tuæ in omnes Sanctos effundis. Hoc enim Nominis tui vnguentum compoſitum eſt ex pretioſiſſimis aromatibus diuinitatis & humanitatis tuæ, puta carnis, ſanguinis & animæ tuæ, omnibus donis & virtutibus ornatiſſimæ, cum diuinitate commixtis. Ita S. Cyrill. lib. 4. & 9. de Adorat.

*Nomen Ieſu includit cætera Dei nomina.*

Ideóque nomen Ieſu includit nomen Iehoua, cæteráque omnia Dei & Chriſti nomina, quæ ſunt Emmanuel, Admirabilis, Conſiliarius, Deus Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis, &c. Iſaiæ 9. 6. Numer. 13. 17.

*Quàm ſæpè à S. Paulo & S. Ignatio repetitum.*

Hinc nomen Ieſu ità ſuaue & amabile fuit S. Paulo, vt illud ſingulis ſæpè periodis repetat, cum eóque diſſuauietur. Hinc in paucis ſuis Epiſtolis illud iterat 219. Chriſti verò nomen 401. Idem fecit S. Ignatius, vt patet ex eius Epiſtolis, præſertim in Epiſt. ad Romanos, vbi & illud: Ieſus meus, amor meus, crucifixus eſt. Sic & S. Dionyſius, qui cap. 4. Eccleſ. Hierarch. p. 3.

Dionyſ. Areop.

*Scimus*, ait, *auguſtiſſimum Ieſum ſuperſubſtantialiter odorem fragrãtem, ſpiritualibus diſtributionibus mentem noſtram diuinâ voluptate replere.*

Et S. Franciſcus, inquit S. Bonauentura in eius vita,

Bonauent.

*Cùm nomen Ieſu exprimeret vel audiret, iubilo quodam repletus interiùs, totus videbatur exteriùs alterari, ac ſi mellifluus ſapor guſtum, vel harmonicus ſonus ipſius immutaſſet auditum.*

Ieſu nomen dicitur תורק *turak*, Septuag. ἐκκενωθὲν, id eſt, *euacuatum* & *exinanitum*, tum in Circumciſione, vbi primitias ſanguinis effundens nomẽ hoc meruit; tum in Paſſione & Cruce, vbi totum ſanguinem, ſpiritum & vitam nobis effudit, iuxta illud:

Philipp. 2. 7.

*Semetipſum exinaniuit formã ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominũ factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemetipsũ factus obediens vſque ad mortem, mortẽ autem Crucis.* Philip. 2. 7. Vnguentum in vaſe concluſum non ſentitur, at effuſum fragrantiam in omnes effundit. Sic Ieſu nomen in Chriſto quaſi concluſum non ſentiebatur; at vbi in Circumciſione & Cruce ſeſe effudit, ſuauiſſimos amoris, omniúmque virtutum odores in omnes exhalauit, inquit Theodor. Philo Carpathius, & Aponius:

Pſal. 21. 15.

*Sicut aqua*, inquit ipſe, *effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea.* Pſalm. 21. 15.

Ambroſ.

Audi S. Ambroſ. ſerm. 1. in Pſalm. 118. *Vnguentum exinanitum nomen tuum, hoc eſt, totus immundis impuritatibus diuerſorum facinorum fœtebat hic mundus, nunc ſpirat vbique ſuauitate pudicitiæ vnguentum fidei, flos integritatis.* Idem lib. de Iſaac & anima, cap. 3.

Idem.

*Aſpirat in Verbo odor gratiæ & remiſſio peccatorum, quæ in totum diffuſa mundum, omnia tanquam exinanito replens vnguento: quia per vniuerſos grauis vitiorum colluuies deterſa eſt.*

Alludit ad cãdelabrum aureum, quod ſeptem calamis, ſiue lucernis olei ardebat in Sancto ante Propitiatorium, Cherubim, & Arcam, quæ erant in Sancto Sanctorum. Vnde & Hebr. nomen ישוע *Ieſcua*, id eſt, Ieſus, mediam præcipuámq; literam continet ש, quæ ſpeciem habet candelabri, ſiue lucernæ tricipitis. Candelabrum autem, eiúſque lucernæ repræſentabant Chriſtum, eiúſque in vita & doctrina ſplendorem. Vide dicta Exodi 25. v. 31.

*Oleum, ſymbolum*

*1. Tranquillitatis:*

Porrò Oleum ſymbolum eſt, Primò, Pacis, & tranquillitatis; vnde illud: *oleo tranquillior.* Oleum enim adeò tranquillum eſt, vt & mare tumultuans tranquillet: qua de cauſa vrinatores ſolẽt oleum ſpargere deſcendentes in mare, vt illud tum quietum & ſerenum, tum lucidum reddant, vt hac luce id quod in eo merſum, perditúmque requirunt, inueniant, teſte Plinio lib. 2. c. 103.

*2. Gratiæ.*

Secundò, Oleum ſymbolum eſt gratiæ

& miſe

& miſericordiæ : vnde Græcis vicina
ſunt nomina ἔλαιον & ἔλεος, id eſt, *oleum*
& *miſericordia*, vt vnum ab altero vim &
nomen ſumpſiſſe videatur. Hîc facit
quod air Plinius lib. 15. cap. 2. *Oliuantibus*
Plin. *lex antiquiſſima fuit: Oleam ne ſtringito, néue*
*verberato.* Hac de cauſa ſub natiuitatem
Chriſti, Romæ fons olei ſcaturiit, qui per
integrum diem continuè oleum manauit,
ſignificans iam naſci Chriſtum, qui
oleum ſuauitatis, clementiæ & gratiæ
ſpargeret per totum Orbem. Prodigium
hoc narrat Oſorius lib. 6. cap. 19. &
Euſeb. in Chronico, Paulus Diaconus, &
ex iis Baron.

3. Tertiò, Oleum ſymbolum eſt pin-
*Caloris:* guedinis & caloris, quem affert amor &
charitas: oleum enim eſt aëreũ, & mul-
tum ſpiritus continet, ideóque aquis ſu-
pernatat, air Ariſtoteles lib. 2. de Gene-
rat. anim. c. 2. Hinc & *opimat pecus olea*, ait
Ariſtot. idem lib. 8. hiſtor. anim. c. 10. Idem aſſe-
rit apes gaudere oleâ, vt mellificent. Ad-
dit ex Theophraſto Plinius lib. 15. cap 2.
Plin. *Olei cauſa eſt calor: quare & in torcularibus, &*
*& iam in cellis multo igne quæritur.* Idem c. 4.
*Oleo*, inquit, *natura eſt tepefacere corpus, &*
*contra algores munire.*

4. Quartò, odoris & fragrantiæ boni
*Odoris:* exempli, nominis, & famæ: Oleum
enim hîc non purum, ſed ex variis aro-
matum & odorum ſpeciebus artificioſè
commiſtum, ideóque fragrantiſſimum
intelligitur.

5. Quintò, Oleum ſignum eſt & cauſa
*Hilaritatis:* hilaritatis: vnctos enim exhilarat, niti-
dóſque & lætos ac lucidos efficit; vn-
Pſalm. 103. de illud: *Vt exhilaret faciem in oleo* Pſal. 103.

Sextò, Oleum, & magis vnguentum
6. *Deliciarũ:* ſymbolum eſt voluptatis & deliciarum:
Vnde olim in conuiuiis conuiuæ vn-
guentis pretioſis vngebantur ad lauti-
tias & delicias.

7. Septimò oleum confortat corpus, vi-
*Roboris:* réſque membris vel laſſis itinere, vel la-
bore quolibet defatigatis reſtituit: Vnde
Samaritæ captiuos, quos ex Iuda abdu-
xerant, monitu Prophetæ cibo potûque
refectos, & oleo vnctos ad abſtergen-
dam defatigationem itineris, in patriam
remiſerunt, 2. Paral. 28. Hinc & Athletæ
in ſtadio decertaturi, oleo ſe ad maius
robur perungebant; atque victores oleâ
coronabantur. Audi Plinium lib. 15. c. 4.
Plin. *Oleæ honorem Romana maieſtas magnum præ-*
*buit, turmas equitum Idibus Iuliis ex ea coro-*
*nando: ita minoribus triumphis ouantes: Athenæ*
*quoque victores oleâ coronabant.* Idem lib. 23.
Idem. cap. 4. *Omni oleo*, inquit, *mollitur corpus, vigo-*
*rem & robur accipit*, &c. *Venena omnia hebe-*
*tat. Et laſſitudinum perfrictionúmque refectio*
*eſt: tormina calidum potum pellit: Item ventris*
*animalia: vulnerariis emplaſtris vtile, faciem*
*purgat*, &c. *Lethargicis magis auxiliare, & in-*
*clinato morbo. Capitis doloribus remedium eſt:*
*item ardoribus in febri.* Plura addit in hanc
rem.

Octauò: Notiſſimum eſt oleum adhi- 8.
beri vulneribus medicandis: vnde eſt *Medicinæ.*
illud prophetæ: *Vulnus, & liuor, & plaga* Iſaiæ 1.
*tumens non eſt circumligata, nec curata medi-*
*camine, nec fota oleo.* Et Samaritanus ille
Euangelicus, in vulnera Semiuiui oleum
infudiſſe narratur & vinum. Lucæ c. 10.
Hęc omnia præſtat nomen IESV. Nam *Hæc omnia*
primò iratos tranquillat, & paſſiones *præſtat Ieſus.*
omnes ſedat: ſecundò gratiam & miſe-
ricordiam affert, imò effundit: tertiò
animam impinguat & calefacit amore
& ardore cæleſti: quartò ſuauiſſimum
gratiæ decus & famam omnibus aſpirat:
quintò mœſtos exhilarat: ſextò fideles
cæleſtibus deliciis paſcit, imò inebriat:
ſeptimò Martyres & pro virtute depu-
gnanres, ac certando delaſſatos corro-
borat, vt omnia tormentorum genera
alacriter & generoſè ſuperent, ac victo-
res coronat: octauò omnibus animæ
vulneribus medetur. Audi S. Bernardum
ſerm. 15. Olim, inquit, hoc nomen infu-
ſum erat, ſed non effuſum: *Iam cæli habe-* Bernard.
*bant illud, iam Angelis innotuerat. Eſt autem fo-*
*ris miſſum, & quod Angelis ita erat infuſum; vt*
*eſſet & priuatum; effuſum & in homines eſt, ita*
*vt iamtunc meritò clamaretur de terra: Oleum*
*effuſum nomen tuum.* Et inferiùs: *O nomen be-*
*nedictum! O oleum vndequaque effuſum! Quouſ-*
*que de cælo in Iudæam, & inde in omnem terram*
*excurrit, & de toto orbe clamat Eccleſia: Oleum*
*effuſum nomen tuum. Effuſum planè, quod non*
*ſolùm cælum terráſque perfudit, ſed aſperſit &*
*inferos, adeò vt in nomine Ieſu omne genu flecta-*
*tur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, &*
*omnis lingua confiteatur & dicat: Oleum effu-*
*ſum nomen tuum.* Et poſt nonnulla: *Oleum,* Idem.
inquit, *lucet, paſcit & vngit. Fouet ignem, nu-*
*trit carnem, lenit dolorem, lux, cibus, medicina.*
*Vide idem nunc & de Sponſi nomine, lucet præ-*
*dicatum, paſcit recogitatum, inuocatum lenit &*
*vngit. Et percurramus ſingula. Vnde putas in*
*toto orbe tanta & tam ſubita fidei lux, niſi de*
*prædicato Ieſu? Nonne in huius nominis luce*
*Deus nos vocauit in admirabile lumen ſuum,*
*quibus illuminatis & in lumine iſto videntibus*
*lumen, dicat meritò Paulus: fuiſtis aliquando te-*
*nebræ, nunc autem lux in Domino.* Et poſt
pauca: *Nec tantùm lux eſt nomen Ieſu, ſed eſt*
*& cibus. An non toties confortaris quoties re-*

*cordaris? Quid æquè mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat ſenſus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honeſtos, caſtas fouet affectiones? aridus eſt omnis animæ cibus, ſi non oleo iſto infunditur: Inſipidus eſt, ſi non hoc ſale conditur. Si ſcribas, non ſapit mihi niſi legero ibi Ieſum. Si diſputes, aut conferas, nõ ſapit mihi niſi ſonuerit ibi Ieſus. Ieſus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. Sed eſt & medicina. Triſtatur aliquis noſtrum? Veniat in cor Ieſus, & inde ſaliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit ſerenum. Labitur quis in crimen, currit inſuper ad laqueum mortis deſperando; nonne ſi inuocet nomen vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitam? Cui aliquando ſtetit ante faciem ſalutaris nominis durtia, vt aſſolet, cordis, ignauiæ torpor, rancor animi, languor acediæ? Cui fons fortè ſiccatus lachrymarum, inuocato Ieſu non continuò erupit vberior, fluxit ſuauior? Cui in periculis palpitanti & trepidanti, inuocatum virtutis nomen non ſtatim fiduciam præſtitit, depulit metum?* Denique ex dictis ita concludit: *Nihil ita iræ impetum cohibet, ſuperbiæ tumorem ſedat, ſanat liuoris vulnus, reſtringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, ſitim temperat auaritiæ, ac totius indecori fugat pruriginem. Siquidem cùm nomino Ieſum, hominem mihi propono mitem, & humilem corde, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, & omni denique honeſtate ac ſanctitate conſpicuum, eundémque ipſum Deum omnipotentem, qui ſuo me & exemplo ſanet, & roboret adiutorio. Hæc omnia ſimul mihi ſonant, cùm inſonuerit Ieſus. Sumo itaque exempla mihi de homine, & auxilium à potente*, &c. *Semper tibi in ſinu ſit, ſemper in manu, quò tibi omnes in Ieſum & ſenſus dirigantur & actus. Denique & inuitaris: Pone me* (inquit cap. 8.) *ſignaculum in corde tuo, ſignaculum in brachio tuo.* Plura vide apud eundem, Serm. 15. & 18.

*Superiora B. Virgini & Animæ S. aptanda.*

Hæc omnia quæ dicta ſunt de Chriſto & Eccleſia, facile mutato nomine eſt applicare Animæ ſanctæ, & magis B. Virgini. Vnde Rupertus per nomen accipiens Verbum, ſiue Filium Patris æterni, per quem creauit omnia: *Quis poteſt*, inquit, *æſtimare fortitudinem eius? Porrò nomen hoc tam forte, tam magnum, ecce eſt Oleum effuſum: mira res. Quid Verbo fortius, & quid Oleo ſuauius? Ergóne Verbum eſt à ſua natura immutatum? non. Sed qualitates creaturarum, cum quibus illi ratio eſt, hinc pro virtute, illinc vitio diuerſa, imò contrariæ ſunt. Verbi gratia: Diabolus in cælo per vitium ſuperbus fuit: Tu, Virgo, per virtutem humilis in terra apparuiſti. Pro qualitatibus tam diuerſis támque contrariis, vitium, idémque verbum, illi vt flumen, tibi vt oleum ſeſe exhibuit, iuxta illud: Deus ſuperbis reſiſtit; humilibus autem dat gratiam.* Et poſt pauca: *Effuſum ergo eſt oleum, id eſt, nomen tuum, quia proceſſit de ſecreto ſubſtantiæ tuæ. Verbum tuæ fortitudinis cum ſuauitate miſerationis.*

Rupert.

Iacobi 4.

Rupert.

---

Verſ. 2. *Ideò adoleſcentulæ dilexerunt te.*

*Quanam hic adoleſcentulæ?*

SANCTVS Bernardus Serm. 19. addit *nimis*, ſed id non habent Hebr. Græca & Latin. Adoleſcentulas vocat Eccleſias, & animas in fide & iuſtitia nouellas, ac recenter per Baptiſmum in Chriſto regeneratas, quæ inſtar adoleſcentum ſenſim vti ætate, ita & virtute proficiunt & adoleſcunt, vt tandem perfectè Chriſto ſociari, eique ſpirituali nuptiarum vinculo oſculóque intimè copulari mereantur. Ita Caſſiodorus, Beda, Haymo, Iuſtus & alij. Hebr. pro *adoleſcentulæ* eſt עֲלָמוֹת *alamoth*, id eſt, Virgines: עַלְמָה *alma* enim vocatur virgo, quia abſcondita & viro incognita eſt, à Rad: עלם *alam*, id eſt, abſcondit, vti fusè oſtendi, Iſaiæ 7. ad illa: *Ecce virgo* (Hebr. *haalma*, id eſt, illa virgo puta Virgo Deipara) *concipiet & pariet filium.* Senſus ergo eſt, q. d. Adoleſcentulæ, hoc eſt animæ in fide & virtute nouellæ, quaſi virgines à corruptelis mundi abſconditæ, dum fragrantiam olei ſiue vnguenti, hoc eſt chariſmatum Chriſti Sponſi odorantur; dúmque ſentiunt quàm nomen Ieſu Chriſti ſit Oleum, ſiue vnguentum effuſum, ídque ſuauiſſimum & odoratiſſimum, hoc odore & hac ſuauitate illectæ in eius amorem rapiuntur, eúmque tenerè diligunt. Vnde Chald. vertit: *Et ideò dilexerunt iuſti ambulare poſt viam bonitatis tuæ, vt poſſideant ſeculum hoc & ſeculum venturum.*

Iſaiæ 7.

Chald.

Notat Caſſiodorus ac ex eo Beda, & Haymo vocari Adoleſcentulas femininè: quia, inquit, Animæ Sanctorum, quò maioris fragilitatis ſibi ſunt conſciæ, eò amplius Chriſtum diligunt. Porrò cauſa dilectionis eorum eſt *oleum effuſum*, id eſt, effuſa liberalitas Chriſti. Vnde Rupertus: *Niſi*, inquit, *oleum effuſum fuiſſet, niſi Verbum caro factum eſſet, Animæ imperfectæ auſæ non fuiſſent diligere Deum; imò nec auſæ fuiſſent illum audire; vnde & dicebant: Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Exodi 19.

Rupert.

Sic & Origen. Niſi, inquit, Chriſtus velut vnguentum ſeſe exinaniiſſet, capere eum nullus in ſua illa diuinitatis plenitudine

Digitized by Google

dine potuiſſet, niſi ſola fortaſſis Sponſa. q. d. Perfecti capiunt Chriſtum in ſua Diuinitate, & imperfecti in ſua Humanitate: hinc propter eos Chriſtus ſe effudit in carnem factus homo. Et S. Bernard. ſerm. 19. *Effuſio quippe*, inquit, *nomen facit amabile, ſed adoleſcentulis dumtaxat: Qui capaciores ſunt, integro gaudent, effuſo non indigent. Angelica creatura irrepercuſſâ mentis acie intuetur diuinorum iudiciorum abyſſum multam, quorum ſumma æquitatis ineffabili delectatione beata, gloriatur inſuper effectui ea mancipari per ſuum miniſterium, ac palàm fieri, ac propterea meritò diligit Dominum Chriſtum.*

Bernard.

*Adoleſcentula, Anima perfecta.*

Rurſum alij per adoleſcentulas intelligunt animas non imperfectas, ſed ſtrenuas & perfectas, quæ in virtute adoleuerunt, vt & eandem aliis communicare, ac filios ſpirituales Chriſto parere poſſint, quales ſunt Martyres, ait Philo Carpath. Sic & Theodoret. ac S. Gregor. 19. Mor. cap. 9. Adoleſcentia enim, id eſt, iuuentus media eſt inter pueritiam & ſenectutem, ideóque matura, ſtata & optima eſt ætas, Vnde aliqui ex Hebræo ſic vertunt: *Quia adoleſcentulæ dilexerunt te, idcircò eis oleum vel vnguentum effuſum eſt nomen tuum.* Audi Nyſſen. hom. 1. *Sola*, inquit, *anima illa, quæ ſtatum tranſiit infantilem, & ad ſpiritualis ætatis florem peruenit, nec maculam accepit aut rugam, aut aliquid huiuſmodi; & neque propter infantiam caret ſenſu, neque ob vetuſtatem eſt imbecilla, quæ adoleſcentula hoc loco nominatur, ea diligit toto corde totiſque viribus illam pulchritudinem, cuius deſcriptionem, exemplúmque & interpretationem non inuenit cogitatio.*

Nyſſen.

Hoc quoque verum eſt. Nam in principio Eccleſiæ tanta effuſa fuit in fideles recèns baptizatos Chriſti gratia, vt eos amore Chriſti incenderet, facerétque illicò eiuſdem præcones & martyres: Senſus ergo eſt q. d. Cùm, ô Ieſu Chriſte, nomen tuum feciſti oleum effuſum, id eſt cùm te ipſum in paſſione pro ſalute noſtra totum effudiſti & exhauſiſti, ac nominis huius vim & fidem per Apoſtolos in omnes gentes effusè diſperſiſti, atque copioſam gratiam in credentes effudiſti; ex triplici hac tui effuſione tam liberali factum eſt, vt vbique terrarum homines certatim ad tui fidem & dilectionem conuerterentur, adeò feruenter & fortiter, vt illicò fierent Euangelij prædicatores, ac pro eo libenter mortem oppeterent. Id ita contigiſſe patet ex Pentecoſte & Prædicatione S. Petri, Act. 2. & ſeq.

*Paraphraſis.*



Amor ergo Chriſti effuſus in Incarnatione & Paſſione, inflāmauit homines ad eum toto corde redamandum, iuxta illud Chriſti, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur?* Lucæ 12. 49. Hinc adoleſcentulas has in Hebræo vocat עֲלָמוֹת *alamoth*, id eſt, virgines, id eſt, puritatis ſtudioſas, quæ mundi gaudia ſpernentes totum amorem in Chriſtum tranſtulerunt, nec niſi Ieſum ſuū diligūt, Chriſtus enim & Chriſtianiſmus Orbi inuexit ſtudium caſtitatis & puritatis Angelicæ, ideóque ex virgine natus, virginitate & puritate Angelos omnes ſuperauit. Hac de cauſa primi fideles ab Apoſtolis conuerſi, plerique omnes fuêre Virgines vel cælibes, adeò vt multi putarent Chriſti legem vetarè matrimonium, & præcipere Chriſtianis omnibus cælibatum, vt patet ex quæſtione, quam Corinthij propoſuerunt S. Paulo: An Chriſtianis licitus eſſet vſus matrimonij? 1. Corinth. 7. Atque his omnibus vexillum prætulit B. Virgo, quæ prima votum virginitatis Deo nuncupauit, ideóque mater Dei fieri meruit. Nam, vt ait S. Bernard. hom. 2. ſuper *Miſſus eſt: Deum huiuſmodi decebat natiuitas, quæ nonniſi de Virgine naſceretur. Talis congruebat & virgini partus, vt non pareret niſi Deum.* Itaque per adoleſcentulas hîc omnes fideles intelliguntur, ſed maximè virgines: hæ enim fragrantiam Chriſti præ cæteris ſentientes, non alium quàm ipſum diligunt; vnde & ſequuntur Agnum quocumque ierit. Apocal. 14. Tales fuêre S. Catharina, S. Cæcilia, S. Dorothea, S. Agnes, cuius mirificum in Chriſtum amorem graphicè deſcribit S. Ambroſius ſerm. 9. de quibus canit Pſaltes: *Adducentur regi virgines poſt eam.* Pſal. 14.

Luc. 12. 49.

*Adoleſcentula Anima Caſta.*

*Plurimus in primitiua Eccleſia Cælibatus.*

Bernard.

Pſalm. 14.

---

Verſ. 3. *Trahe me; poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.*

HVcvsqve fuit vox Synagogæ optantis Chriſti oſculum, id eſt, Incarnationem, iam incipit vox Eccleſiæ, quæ Chriſto iam nato illecta fragrantiâ ſuauiſſimorum eius chariſmatum, poſtulat poſt eum trahi, vt eius ſanctiſſimam vitam, quam in terris egit, paſſionem, & crucem imitetur. Scit enim ſe infirmam & impotentem ad Chriſti ſequelam, multò magis ad oſculum, niſi ad illud gratiâ Chriſti impellatur, imò trahatur, iuxta illud Chriſti: *Nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit eum.* Ioan. 6.

*Hic incipit Vox Eccleſiæ.*

Ioan.



Digitized by Google

Ita Caſſiod. Beda, Haymo & alij; præſertim quia crux Chriſti excelſa eſt, ideóque conſcenſu difficilis & ardua; vnde ipſe ait: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum* Ioan. 12. 32. Trahe ergo me à vitiis ad virtutes, ab ignorantia ad fidem tuíque cognitionem, à carne ad Spiritum, à corpore ad feruorem, ab inchoatione ad profectum, à paruis & planis ad magna & ardua, à terrenis ad cæleſtia, à timore ad amorem, à voluptate ad crucem & mortificationem. Septuag. pro מָשְׁכֵנִי *moſchkeni*, id eſt *trahe me*, aliis punctis legentes מְשָׁכוּנִי *meſchacuni* vertunt *traxerunt me*. Porrò Codices Septuag. hic mirè variant. Nam Roman. Nyſſen. Theodor. & alij legunt: *Propterea adoleſcentulæ dilexerunt te, traxerunt te.* S. Ambroſ. lib. 1. de Virginit. *attraxerunt te.* Idem lib. de iis, qui myſter. initian. cap. 6. primùm habet *& attraxerunt te*, deinde *attrahe nos poſt te*. Complut. *traxerunt me*. Origen. *Attraxerunt te poſt ſe*, Verùm vera lectio eſt: *trahe me: poſt te curremus.* Sic enim habent Hebræa, Latina, Aquila, Symmach. & Chald. omnes tamen lectiones eodem redeunt, idémque ſignificant. q. d. Tanta eſt fragrantia tua, ô Chriſte, támque ſuaue eſt oleum à te effuſum, vt Adoleſcentulæ certatim te ad ſe trahere percupiant, ac viciſſim ipſæ à ſe ad te trahi mecum exoptent: imò ipſæ me ad te traxerunt, vt mecum tibi intimè iungantur, ac poſt te non ambulent, ſed currant; quare ego cum illis & pro illis dico, obſecróque: *Trahe me: poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Vbi rectè aduertit Theodoret. adoleſcentulas priùs tractas à Chriſto, Chriſtíque amore, deinde per eum ſatagere viciſſim Chriſtum ad ſe trahere, vt ardentiùs eum ament, & intimiùs eo fruantur.

*Ioan. 12. 32.* — *LXX. Lectiones variæ.* — *Origen.* — *Paraphraſis.*

Porrò anima ad ſe trahens Deum per orationem quaſi funem, nõ tam Deũ ad ſe trahit, quàm ipſa trahitur ad Deũ: ſicut qui nauim per funem trahit ad rupẽ, videtur rupẽ ad ſe trahere, ſed reuera ipſe non trahit rupem, ſed cum naui trahitur ad rupem; Et ſicut qui per funem manibus attractum conſcendit in cacumen domus, non cacumen ad ſe detrahit, ſed ipſemet ad cacumen attrahitur & aſcendit. Vtrumque hoc exemplum dat S. Dionyſ. de diuin. nom. cap. 3.

*Mens ad ſe trahens Deũ trahitur ad Deum.*

Nota: τὸ *poſt te* primò referri poteſt ad id, quod præcedit, *Trahe me:* optat enim Sponſa trahi ad Sponſum, vt ipſum per omnia ſequatur. Ita Aponius, Iuſtus Orgel. Chaldæus, S. Bernard. & alij. Secundò & meliùs referas ad τὸ *curremus*, quod ſequitur, q. d. Trahe me, vt ego cum adoleſcentulis poſt te curramus. Ita Hebr. Septuag. Latin. Rom. & paſſim veteres. Vnde notat Origen. Nyſſen. Anſelm. & S. Baſil. in Iſaiæ cap. 3. verſ. 24. Sponſam hîc loqui in perſona, non tam ſua quàm Adoleſcentularum. Sponſa enim apprehendit dexteram Sponſi, & cum eo pari paſſu incedit: Adoleſcentulæ verò velut ancillæ & pediſſequæ, vtrumque à tergo ſequuntur: vnde optant poſt vtrumque trahi; aiúntque: *poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.*

*Ad quid referatur poſt te?*

Rurſum Hebræa duntaxat habent: *trahe me: poſt te curremus:* Septuag. verò, & eos ſecutus Noſter, addunt, *In odorem vnguentorum tuorum*; de eo enim ſermo præceſſit.

*Hebr.*

Nota ſecundò: τὸ *Trahe me* ſignificat primò infirmitatem Sponſæ, vtpote quæ Sponſum ſequi nequeat, niſi ab eo trahatur. Secundò eiuſdem tarditatem ad ſequendum Sponſum, & progrediẽdum in via virtutis. Tertiò, renitentiam cupiditatis, quæ reſiſtit charitati & ſequelæ Sponſi, ideóque ad eum trahi debet. Tractus enim violentiam ſignificat: trahi enim ſolent nolentes & inuiti, iuxta illud:

*Trahe notat renitentiam cupiditatis.*

*Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.*

Concupiſcentia enim nobis innata reſiſtens rationi & virtuti, facit, vt efficaci gratiâ ad eam quaſi nolentes trahi debeamus, iuxta illud Apoſtoli: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Rom. 7. 23. & v. 14. *Lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato. Quod enim operor non intelligo: non enim quod volo bonum, hoc ago; ſed quod odi malum, illud facio.* Optat ergo Sponſa trahi à gratia Chriſti, vt per illam impedimentum ſequelæ Sponſi, putà reſiſtentia cõcupiſcentiæ tollatur, vel ſuperetur. q. d. Vellem te ſequi, ô Sponſe, ſed concupiſcentiâ reluctante non valeo. Tolle ergo, vel ſupera eius luctam per tuam gratiam, quæ mihi infuſa me efficaciter ad te trahat, ac poſt te non tantùm ambulare, ſed & currere faciat. Ita S. Bernard. ſerm. 21. *Trahe*, inquit, *me poſt te, quia ſatius eſt mihi, vt me trahas, vt ſcilicet vim qualemcumque mihi aut terrendo minis, aut exercendo flagellis inferas, quàm parcens in meo me torpore malè ſecuram derelinquas. Trahe quodammodò inuitam, vt facias voluntariam: trahe torpentem, vt reddas currentem.* Priùs enim timore, deinde amore immiſſo Deus animam

*Rom. 7. 23.* — *v. 14.* — *Bernard.* — *Trahit Deus amore & timore.*

animam ad ſe trahit, vt traxit S. Paulum Actor.9. inquit Aponius. Vnde Arabicus vertit: *Trahe me à poſt te*, hoc eſt, trahe me à tergo ad faciem, vt quæ fui poſt te, fiā ante te, tuâque ſocietate & facie fruar.

Arab.

Tertiò, optat trahi non catenis vel flagris, vti trahuntur boues & aſini; ſed vi amoris, vti trahuntur homines, iuxta illud Oſee. 11.v.4. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Vnde S. Gregor. & Anſelmus aiunt, nos trahi per Spiritum ſanctum. Audi S. Auguſt. ſerm. 1. de Verbis Apoſtoli, qui citās illud Chriſti, Ioan. 6. *Nemo venit ad me niſi Pater, qui miſit me traxerit eum. Non dicit*, inquit, *duxerit. Iſta violentia cordi fit, non carni. Quid ergo miraris? Crede & venis, ama & traheris. Ne arbitreris iſtam aſperam moleſtámque violentiam; dulcis eſt, ſuauis eſt, ipſa ſuauitas te trahit. Nonne ouis trahitur, cùm eſurienti herba monſtratur? Et puto quia non corpore impellitur, ſed deſiderio colligatur. Sic & tu veni ad Chriſtum, noli longa itinera meditari; vbi credis, ibi venis. Ad illum enim qui vbique eſt, amando venitur, non nauigando.* Idem tract. 26. in Ioannem: *Quomodo*, inquit, *voluntate credo, ſi trahor? Ego dico parum eſt voluntate, etiam voluptate traheris. Quid eſt trahi voluptate? Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Eſt quædam voluptas cordis, cui panis dulcis eſt ille cæleſtis. Porrò ſi Poëtæ dicere licuit:*

Oſee 11 4.

Auguſt.

Idem.

Virg. in 2. Eclog.

*—— trahit ſua quemque voluptas;*

*Non neceſſitas ſed voluptas; non obligatio, ſed delectatio: Quantò fortiùs nos dicere debemus trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iuſtitiâ, delectatur æternâ vitâ, quod totum Chriſtus eſt? An verò habent corporis ſenſus voluptates ſuas, & animus deſeritur à voluptatibus ſuis? Si animus non habet voluptates ſuas, vnde dicitur: filij autem hominum ſub tegmine alarum tuarum ſperabunt; Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis deliciarum tuarum potabis eos: Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen? Da amantem & ſentit quod dico, da deſiderantem, da eſurientem, da in iſta ſolitudine peregrinantem, atque ſitientem & fontem æternæ patriæ ſuſpirantem, da talem & ſcit quid dicam: ſi autem frigido loquor, neſcit quid loquor.*

Quartò, anima peccatrix præuenta à gratia Sponſi, optat extrahi ex profundo cœno peccatorum, ac trahi ad pœnitentiam & iuſtitiam: Anima verò iam iuſtificata optat ab eadem trahi ad iuſtitiæ incrementum, ad bona opera, ad virtutes heroïcas, quales ſunt abdicare mundum, vacare cum Magdalena Contemplationi & Amori diuino.

Tropologicè S. Bernardus hæc verba intorquet in eos, qui ambiunt dignitates: *Sponſa*, inquit, *nec cellam, nec cubiculum ingredi ſine rege introducente præſumit: tu irreuerenter irruis nec vocatus, nec introductus. Trahe me poſt te, ait illa. Nunc autem trahit ſua quemque voluptas, & odorem turpis lucri ſectantes quæſtum æſtimant pietatem, quorum certa eſt damnatio.*

Moraliter. Bernard.

Porrò Chald. more ſuo hæc referens ad Iudæos, duce columnâ euntes in terram promiſſam, ſic vertit: *Quando egreſſi fuerunt populus domus Iſraël de Ægypto, maieſtas Dominatoris ſæculi erat dux eorum in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem. Dixerunt iuſti illius generationis: Dominator totius ſæculi trahe nos poſt te, & curremus poſt viam bonitatis tuæ.* Hic ſenſus Iudaïcus eſt, & quaſi Grammaticus. Vnde ſenſui Chriſtiano & genuino ſubſternitur & ſubſeruit: Columna enim ignis & nubis trahens, ducénſque Iudæos per deſertum in Chanaan, typus fuit Spiritus ſancti, eiúſque gratiæ, quæ Chriſtianos per huius vitæ tentationes & remoras ducit, imò trahit in cælum.

Chald.

*Poſt te curremus.* Per curſus, id eſt, vitæ tuæ imitationem: *poſt te curremus*: Ergo idem eſt, quod te imitabimur, mores tuos, actúſque agiliter, expeditè, & proximè ſequemur. Velox eſt Sponſus ac currit inſtar Solis; quare qui eum ſequi velit, poſt eum non ambulet, ſed currat oportet. Audi S. Ambroſ. de Iſaac & anima cap. 3. *Exultat tanquam gigas ad currendam viam, & quia egreſſus eius à ſummo cælo, & occurſus eius vſque ad ſummum eius, videns ſe imparem tantæ velocitati dicit: Attrahe nos. Bona anima, quæ non pro ſe ſola, ſed pro omnibus rogat. Habemus enim cupiditatem ſequendi, quā vnguentorum tuorum inſpirat gratia: ſed quia curſus tuos æquare non poſſumus, attrahe nos, vt auxilio tuo fulta, veſtigiis tuis poſſimus inſiſtere.* Vnde poſt pauca concludit: *Vides quòd libenter nos attrahit, ne remaneamus ſequentes; ſed qui vult attrahi, currat vt comprehendat, & currat ſuperiora obliuiſcens, & ea quæ ſunt priora appetens: ſic enim poterit Chriſtum comprehendere.*

*Curre poſt Chriſtum, Cur?*

Ambroſ.

Porrò anima carni immerſa, indéque grauis & torpida, vt currat in cœlum, id eſt, ad Chriſtum, indiget alis magnæ alacritatis, quas illi ſuggerunt diuinæ conſolationes. Audi S. Bernardum ſerm. 21. *Propterea opus habeo trahi, quoniam refriguit paulisper in nobis ignis amoris tui, nec valemus à facie frigoris huius currere modò, ſicut heri & nudiuſtertius. Curremus autem poſteà cùm reddideris lætitiam ſalutaris tui, cùm redierit melior*

*Alis alacritatis.*

Bernard.

*lior temperies gratiæ, cùm ſol iuſtitiæ iterum incaluerit, & pertranſierit tentationis nubes, quæ hunc operire ad horam cernitur, atque ad leuem flatum auræ blandioris ſolito, cœperint vnguenta liqueſcere & aromata fluere, & dare odorem ſuum. Tunc curremus, in odore illo curremus, ſpirantibus, inquam, vnguentis curremus, quoniam abſcedet torpor, qui nunc eſt & reuertetur deuotio : & tam non erit opus nobis vt trahamur, quippe odore excitatis, vt ſponte curramus. Nunc verò interim trahe me poſt te.*

Pſalm. 118. Id faciebat Pſaltes dicens Pſalm. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri cùm dilataſti cor meum.* Amor enim dilatans cor, dilatat & pedes greſſúſque, quos torpor conſtrixerat. Vnde idem Pſal. 75. 7. *Quis,* ait, *dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam?* Pluribus deinde interiectis S. Bernardus ſubiungit : *Et quid mirum ſi indiget trahi, quæ poſt gigantem currit, quæ comprehendere nititur eum, qui ſalit in montibus, tranſilit colles? Velociter, ait, currit ſermo eius. Non valet ex æquo currere, non poteſt pari cum illo celeritate contendere, qui exultat vt gigas ad currendam viam; non poteſt ſuis viribus, & propterea rogat ſe trahi. Feſſa ſum, (inquit,) deficio, noli me deſerere, ſed trahe me poſt te, ne incipiam vagari poſt amatores alios, ne curram quaſi in incertum. Non curram ego ſola, etſi ſolam me trahi petierim: current & adoleſcentulæ mecum. Curremus pariter, curremus ſimul, ego odore vnguentorum tuorum; illæ meo excitatæ exemplo atque hortatu, ac per hoc omnes in odore vnguentorum tuorum curremus. Habet Sponſa imitatores ſui, ſicut & ipſa eſt Chriſti. Et ideò non ait ſingulariter, curram, ſed curremus.*

Pſal. 75. 7.

Bernard.

Cur dicit trahe me & curremus? Quærit deinde S. Bernard. cur Sponſa in ſingulari dicat *trahe me*, non in plurali *trahe nos*; in curſu verò dicat in plurali *curremus*, non *curram* in ſingulari, ac reſpondet : *Trahimur, cùm tentationibus & tribulationibus exercemur. Currimus, cùm internis conſolationibus & inſpirationibus viſitati, tanquam in ſuaueolentibus vnguentis reſpiramus. Ergo quod auſterum & durum videtur, retineo mihi, tanquam forti, tanquam ſana, tanquam perfecta, & dico ſingulariter trahe me. Quod ſuaue & dulce, tibi tanquam infirmo communico, & dico curremus. Noui ergo Adoleſcentulas delicatas & teneras eſſe, & minùs idoneas ſufferre tentationes, & propterea mecum volo vt currant, ſed non vt mecum trahantur. Volo habere ſocias conſolationis, non autem & laboris. Quare? quoniam infirmæ ſunt, & vereor ne deficiant, ne ſuccumbant. Me, inquit, ô Sponſe corripe, me exerce, me tenta, me trahe poſt te: Quoniam ego in flagella parata ſum, & potens ad ſuſtinendum. Certatim ſimul curremus, id eſt ſola trahar, ſed ſimul curremus. Curremus, curremus, ſed in odore vnguentorum tuorum, non in noſtrorum fiducia meritorum. Nec in magnitudine virium noſtrarum currere nos confidimus, ſed in multitudine miſerationum tuarum. Nam etſi quando cucurrimus, voluntariè fuimus, non fuit volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei.* Aliter S. Gregor. Trahe, inquit, me poſt te, vt te quaſi Deum ſolum diligam, ita tamen vt ſimul fideles mei mecum currant ad mutuam proximorum dilectionem & opem.

Planiùs & pleniùs reſpondet Beda, Sponſam puta Eccleſiam de ſe loqui nunc in ſingulari, eo quod ipſa ſit vna per plurium fidelium aggregationem: nunc in plurali, eò quod in ea ſint plures fideles, pluréſque fidelium ordines & gradus, Incipientium, Proficientium, Perfectorum, Paſtorũ, Subditorum, &c. Ait ergo ipſa de ſe, id eſt, de ſuis Prælatis & Paſtoribus, qui adoleſcentulas dirigunt: *trahe me*: id eſt meos paſtores, vt ipſi trahant adoleſcentulas, id eſt, populum ſibi ſubditum, atque cum eis currant in odorem vnguentorum tuorum. Igitur Eccleſia in Apoſtolis viriſque Apoſtolicis, qui ſumma ſunt Eccleſiæ capita, eſt Sponſa Chriſti perfecta, atque cum Sponſo ſuppari quaſi paſſu graditur, iuxta illud: *Aſtitit regina à dextris tuis.* Pſal. 44. Pſal. 44. Eadem in Paſtoribus proximè Chriſtum ſequitur, ac poſt ſe ducit adoleſcentulas, puta Animas infirmiores minúſque perfectas, cum eiſque ait: *Curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Simili phraſi & gradatione, Cicero lib. 2. ad Atticum Epiſt. 23. euocans ad ſe Pomponium, vt illicò veniat: *Si dormis,* inquit, Cicero. *expergiſcere: ſi ſtas, ingredere: ſi ingrederis, curre: ſi curris, aduola.*

Porrò Rupertus hæc adaptat B. Virgini viſitanti Eliſabeth: *Trahebatur,* inquit, *poſt Dominum femina deſideriorum, trahebatur & currebat in odore vnguentorum ac beneficiorum talium, & ipſam currere, id eſt in montana cum feſtinatione abire, erat dicere, Trahe me poſt te: Nam qui veraciter diligit, & trahitur & trahi cupit.* Vnguenta autem, Dei interpretatur beneficia: *Pretioſum,* ait, *erat vnguentum, magnum erat beneficium, quod Dominus dederat ſterili, conceptum tanti viri, qui in Spiritu & virtute Heliæ deberet præire ante Dominum, & quo maior non ſurrexerit inter natos mulierum. Tanti ac talis vnguenti odorem perceperat: talis ac tanti beneficij famam, ſine nuntium ab ipſo Angelo acceperat.*

De B. Virgine viſitante Eliſabeth explicat Rupertus.

Rupert.

Sic B. Virgo præ omnibus attracta à Chriſto, totâ vitâ poſt eum cucurrit, eius ſanctiſſimos mores præ omnibus imitando,

Digitized by Google

do, ſuiſque actibus repræſentando, vt ipſa fuerit viua Imago Christi, ac Apoſtolis cæteriſque fidelibus puriſſimum Speculum vitæ Chriſtianæ & perfectæ, adeò vt nonnulli Hæretici cenſuerint eam eſſe Deam, ac vt Deam adorarint. Imò S. Dionyſ. Niſi ait, ſcirem vnum eſſe Deum, hanc Deam eſſe credidiſſem, vt alibi citaui.

*Dionyſ. Areop.*

*In odorem vnguentorum tuorum.* Ita legendum cum Græcis & Latinis. Mirum ergo S. Ambroſium pro *vnguentorum* legere *veſtimentorum*, idque referre ad Reſurrectionem, cuius typus & anagoge eſt Baptiſmus; ſic enim ait lib. de iis, qui myſter. initiantur cap. 6. *Quanta hodie renouatæ* (per Baptiſmum) *animæ dilexerunt te Domine Ieſu, dicentes: Attrahe nos poſt te: in odorem veſtimentorum tuorum curremus, vt odorem reſurrectionis haurirent.* Vrget Origenes τὸ *in odorem*, q.d. Si Sponſi odor ita allicit ad ſui ſequelam & curſum, quomodo alliciet eiuſdem aſpectus, vox, guſtus & tactus, ac quomodo alliciet ipſa eius ſubſtantia? *Ego puto*, inquit, *quòd ſi aliquando ad hoc peruenerint, iam non ambulent, neque currant, ſed vinculis quibuſdam charitatis eius adſtrictæ adhæreant ei, ne vltrà mobilitatis alicuius vllus in eis reſideat locus, ſed ſint cum eo vnus Spiritus & compleatur in eis illud, quod ſcriptum eſt: Sicut tu Pater in me & ego in te, ita & iſti in nobis vnum ſint.* O quàm potens odor, quàm iucundus & delectabilis curſus, quando anima percepto virtutum Chriſti trahentis odore omnium aliarum rerum, etiam ſui oblita, ingenti cum voluptate currit ad paupertatem, ad contemptum, ad labores, ad contumelias, ad mortem, ad crucem: Per vnguenta accipe Chriſti gratias & chariſmata, ac miracula, ait S. Auguſt. 9. Confeſſ. cap. 7. Vide S. Bernard. ſerm. 22. Porrò hæc Chriſti fideles percipiunt in Baptiſmo, quo vnguntur quaſi Chriſtiani, & in Confirmatione, quâ vnguntur quaſi milites & athletæ Chriſti, ſed præſertim Sacerdotes, Paſtores & Prælati, qui in Sacramento Ordinis vnguntur & conſecrantur quaſi Duces & Doctores fidelium, qui proinde præ cæteris poſt Chriſtum currere, eiúſque vitam & mores quàm maximè imitari, & viuâ actione exprimere debent: ſic enim fragrantiâ virtutum ſuarum omnes trahent poſt ſe ad Chriſtum; ſicut columbarij columbas capiunt emittendo columbam fragranti odore delibutam, quę cæteras hoc odore illectas ad ſe allicit, ſecúmque ducit ad columbarium, ait S. Baſil. Epiſt. 175. ad Iulittam.

*Ambroſ.*

*Origen.*

*Ioan. 17.21.*

*Vnguenta, Chriſti gratia, Chariſmata Miracula.*

Anagogicè: Eccleſia, & Anima ſancta contemplans Chriſtum in cœlum aſcendentem, clamat: Trahe me poſt te, vt tecum è valle lacrymarum in montes æternitatis & æternæ voluptatis aſcendam. Ita Caſſiodor. & S. Bernardus. Audi S. Auguſtinum in Pſalm. 90. *Amemus & imitemur, curramus poſt vnguenta eius: venit enim & oleuit; & odor eius impleuit totum mundum. Vnde odor? de cælo, ſequere ergo ad cælum, ſi non falſum reſpondes quod dicitur ſurſum cor, ſurſum cogitationem, ſurſum amorem, ſurſum ſpem.* Ita S. Hieronymus, Epiſt. ad Euſtochium de cuſtod. Virgin. de ſeipſo in eremo Syriæ degente ſcribit: *Poſt multas lachrymas*, inquit, *poſt cælo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi agminibus intereſſe Angelorum, & latus gaudénſque cantabam: Poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Et S. Auguſtin. lib. 13. Confeſſ. cap. 8. *Da*, inquit, *mihi te Deus meus, redde mihi te. En amo, & ſi parum eſt, amem validius. Non poſſum metiri, vt ſciam quantùm mihi deſit amoris ad id quod ſatis eſt, vt currat vita mea in amplexus tuos, nec auertatur donec abſcondatur in abſcondito vultus tui. Hoc tantùm ſcio, quia mihi malè eſt præter te, non ſolùm extra me, ſed & in meipſo, & omnis mihi copia, quæ Deus meus non eſt, egeſtas eſt.* Huc facit illud Iſaiæ cap. 40. verſ. vlt. *Qui autem ſperant in Domino mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Vide ibi dicta.

*Anagogicè.*

*Auguſtin.*

*Hieronym.*

*Auguſtin.*

*Iſaiæ 40.31.*

---

Verſ. 4. *Introduxit me rex in cellaria ſua: Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum; recti diligunt te.*

## PRIMVS SENSVS ADÆQVATVS,

### *De Chriſto & Eccleſia.*

SENSV Grammatico, ſiue Dramatico Sponſa cum adoleſcentulis ſociabus currens poſt Sponſum, ab eo introducta fuit in in cellaria, ſed ſola, adoleſcentulis foris remanentibus, vnde egreſſa, ad illas conuerſa narrat vbi fuerit, dicens: *Introduxit me rex in cellaria ſua*: cui congratulantes & applaudentes adoleſcentulæ reſpondent: *Exultabimus & lætabimur in te.* Symmach. pro *Introduxit*, vertit

*Colloquium Sponſæ & Adoleſcentularum.*

*Symmach.*

Digitized by Google

vertit *introducat*, in Futuro, vel potius Optatiuo. Eſt enim prophetia de futura Eccleſiæ introductione per Chriſtum naſciturum. Sic *introduxit* poſſet accipi pro *introducet*; quia enim Sponſa dixerat Sponſo: *Trahe me poſt te*, quaſi idipſum iam à Dilecto ſuo conſecuta ait: *Introduxit*, id eſt citò certóque me introducet in cellaria ſua intima: amantes enim ſunt pleni bonâ ſpe, vt videantur ſibi poſſidere quod ſperant: amor enim dilatat cor, phantaſiam & mentem. Vnde illud:

*--- Et amans ſibi ſomnia fingit.*

Sponſum, puta Chriſtum incarnatum nunc vocat Regem, quia ipſe quà homo, eſt Rex regum & Dominus dominantium, Apocal. 19. 16. Nunc Paſtorem, quia olim Reges & principes erant paſtores ouium & gregum: talis enim fuit Abraham, Iſaac, Iacob, Moſes, Dauid. Itaque τὸ *Rex* ſignificat cellaria hæc, in quæ inducta eſt Sponſa fuiſſe regia, opulenta, omnibúſque bonis & gazis referta, ait Origen.

*Cella à celando.* *Cellaria* Hebr. חדריו *chadarau* ſignificat intima ſiue penetralia, qualia ſunt conclauia & cubicula, in quibus herus ipſe ſecretò degit, ac ſuas opes & theſauros recondit. Vnde Syrus vertit: *Introduxit me in thalamum*. Arabicus, *in cubiculum ſecretum*, proprium & peculiare. Idem ſignificat Græcum ταμεῖον, vt vertunt Septuag. & Latinum *cellaria*. Cella enim vel cellarium dicitur à celando, quòd in ea celentur, quæ volumus eſſe occulta, ait Seruius. Hinc cella ſignificat apothecam frumenti, vini, olei. Vnde Donatus: *Cella*, ait, *& cellarium à reponendis, celandíſque rebus eſculentis & poculentis dicitur*. Et Cicero de Senect. *Semper*, inquit, *boni aſſiduíque Domini referta eſt cella vinaria, olearia, mellaria & panaria*. Hinc cella ſignificat cubiculum ſecretum, itē partem Templi ſecretiorem, in quam ingredi fas non erat: vnde Gellius ſcribit Scipionem in Capitolium veniſſe, iuſſiſſéque cellam Iouis aperiri, ibíque ſolum demoratum fuiſſe. Hinc Cella S. Bernardo chara & pretioſa erat velut cælum, vtpote in qua liber à mundi ſtrepitu ſolus cum Deo ſolo agebat.

(Margin: *Syrus.* *Arab.* *Donat.* *Cicero.*)

Alludit ad cellaria, quæ fabricauit Salomon in Templo, in quibus theſauri & opes Templi recondebantur. 1. Paralipom. 28. 11.

*Cellaria quæ?* Quæres, quænam ſunt hæc cellaria Sponſi, in quæ ipſe Sponſam introduxit? Chald. accipit ſecretarium diuinitatis diuinæque Sapientiæ, ex quo lex prodiit: Vnde ſic vertit: *Et applica nos ad radices montis Sinai, & da nobis legem tuam de theſauro tuo, qui eſt in firmamento, & delectabimur & exultabimus*. Hoc Iudaïcum eſt, ſed Chriſtiano ſenſui ſubſeruit. Cellaria enim hîc ſignificant ſecreta diuinitatis, in quibus Sponſus Sponſæ oſtendit arcana ſua myſteria, æquè ac bona & dona recondita, quæ magna & multiplicia ſunt. Quare innuit Sponſa vota ſua exaudita, quibus optarat: *Oſculetur me oſculo oris ſui*. Sponſum enim eis annuiſſe, ac in cellariis hiſce oſculum ei præbuiſſe: ita S. Ambroſ. cuius verba mox recitabo, ibi quoque guſtaſſe vbera Sponſi: nam de iis mox ſubdit: *Exultabimus & lætabimur in te memores vberum tuorum*. In cellis enim ſiue cellariis reconduntur opes, deliciæ, monilia, theſauri & pretioſa quæque.

(Margin: *Chald.* *Cellaria, ſecreta Diuinitatis.*)

Igitur Sponſa hîc ſignificat ſe à Sponſo inductam in cellaria, id eſt, in conclaue & intimum penetrale, vbi cum Sponſo familiariſſimè agat. Secundò, ſe ſecretorum eius factam participem. Tertiò, ſe gazarum & theſaurorum eius fuiſſe inſpectricem, eorúmque factam eſſe conſortem, ideóque mirâ frui voluptate, ſummíſque deliciis.

Quæres ſecundò, quænam in particulari ſunt hæc cellaria? Reſp. eſſe varia & multiplicia. Primò, Theod. S. Gregor. Iuſtus Orgel. & S. Hieron. Epiſtol. 142. ad Damaſum per cellaria accipiunt S. Scripturam ſiue Moſen & Prophetas, quaſi Sponſa cognitionem myſteriorum in S. Scriptura abſconditorum à Sponſo acceperit, ac præſertim cognitionem Deitatis & S. Trinitatis, ſiue Dei in eſſentia vnius & in perſonis trini. Hanc enim accepit Eccleſia per Chriſtum & Apoſtolos. Vnde Chriſtus Apocalyp. 5. 6. reſerauit librum ſignatum ſeptem ſigillis; atque Apoſtolis dedit ſenſum, vt intelligerent Scripturas, Lucæ cap. 24. verſ. 32. & 45.

(Margin: *Quænā hæc Cellaria in particulari? Reſp. 1.* *S. Scriptura*)

Secundò S. Ambroſ. ſerm. 1. in Pſalm. 118. ad v. 7. & 8. per cellaria hæc accipit ſecreta ſiue myſteria Incarnationis, Paſſionis, Crucis, & Reſurrectionis Chriſti, in quæ inducta eſt Sponſa, quando eorum cognitionem & fidem per prædicationem Apoſtolorum accepit: *Quando*, inquit, *introduxit eam rex in cubiculum ſuum, paſſionis tempus, lateris compunctio declarat, ſanguinis effuſio, ſepultura vnguentum, reſurrectionis myſterium; vt oſculum quaſi Sponſa acceperit; In cubiculum autem Chriſti ſit intra-ducta*

(Margin: *2. Myſteria Incarnationis Mortis & Reſurrectionis Chriſti.*)

*ducta Eccleſia; Non iam quaſi tantummodò deſponſata, ſed quaſi nupta: nec ſolùm thalamum ſit ingreſſa, ſed etiam legitimæ claues copulæ conſecuta ſit.* Et poſt pauca: *Introduxit enim eam rex in omnia interiora myſteria, dedit ei claues, vt aperiret ſibi theſauros ſcientiæ ſacramentorum, clauſas antea fores panderet; cognoſceret quieſcentis gratiam, defuncti ſomnum, virtutem reſurgentis.*

Huc accedit Philo Carpath. Cellarium, inquit, ſiue promptuarium Chriſti primum eſt corpus illud, in quo ſibi domicilium fabricauit. Verbum enim in
Philo Carp. carne quaſi in cella inhabitauit iuxta
illud: *Verbum caro factum eſt, & habitauit in*
Ioan. 1. *nobis.* Ioan. 1. Vnde hæc Chriſti cellaria
Coloſ. 2. 2. explicans Apoſtolus Coloſ. 2. 2. *Inſtructi,* ait, *in charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitionem myſterij Dei & patris Chriſti Ieſu, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.* Hæc Philo.

Tertiò, alij per *Cellaria* accipiunt ſe-
3. *Secreta Dei conſilia.* creta Dei conſilia & iudicia, quæ Deus Sanctis reuelat, inter quæ vnum & præcipuum eſt Sanctis parari cruces & tribulationes, vt purgentur, magiſque ſanctificentur, ideóque beatos eſſe patientes, eò quòd crux ſit recta ad gloriam via, iuxta illud: *Beati qui perſecutionem pa-*
Matth. 5. *tiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Matth. 5. ita Philo Carp.

Quartò, alij per *Cellaria* vel cellas ac-
4. *Cælum.* cipiunt cælum, in quo ſunt multæ cellæ & māſiones pro diuerſitate meritorum, Ioan. 14. quaſi Sponſa hìc acceperit reuelationem bonorum & gaudiorū cæleſtium, quæ Deus præparauit timentibus & diligētibus ſe: Ita Caſſiodor. Aponius, Anſelmus, & Beda, quem audi Spōſæ ſenſa exprimentem: *Ideo deprecor Spon-*
Beda. *ſum, vt nos poſt ſe currentes datâ manu ipſe, ne deficiamus, adiuuet, quia iam dulcedinem Regni cæleſtis prælibaui: iam guſtaui & vidi, quoniam ſuauis eſt Dominus: iam bona, quæ mihi in cælis ſunt præparata ipſo reuelante cognoui. Móxque ad ipſum conuerſa, ei gratias agens: Exultabimus inquit, & lætabimur in te: ac ſi diceret: Nequaquam ipſi de perceptis muneribus extollimur, ſed in omni quod bene viuimus exultamus, imò exultabimus & lætabimur in tua miſericordia.*

Rurſum, alij per cellaria accipiunt para-
*Paradiſus terreſtris.* diſum terreſtrem, in quem à Deo inductus Adam omnes mundi delicias, omnem ſcientiam, omnem fidem & ſpem accepit: ſed expulſus ab eo eſt cum poſteris ob præuaricationem: quare Chriſtus eum reduxit, ac homines primææ iuſtitiæ, gratiæ & gloriæ reſtituit.

5. Quintò, S. Ambroſ. lib. de Iſaac & anima cap. 3. per cellaria accipit ſecreta Dei, puta reuelationes, viſiones, conſolationes, raptus, amores, gaudia cæleſtia, in quæ Anima per contemplationem vel ecſtaſim rapitur, vti raptus fuit S. Paulus in tertium cælum, vbi audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui, 2. Corinth. 12. Audi S. Ambroſ. *Beata anima,* *Reuelationes Viſiones, Raptus, Conſolationes, &c.*
*quæ Dei ingreditur penetralia: inſurgens námque de corpore ab omnibus fit remotior, atque intra ſemetipſam diuinum illud ſi quo modo aſſequi poſſit, ſcrutatur & quærit: quod cùm potuerit comprehendere ea, quæ ſunt intelligibilia, ſupergreſſa, in illo confirmatur, atque eo paſcitur. Talis erat Paulus, qui ſciebat ſe raptum in paradiſum, ſed ſiue extra corpus raptum, ſiue in corpore, neſciebat. Et poſt nonnulla: Etenim perfectioni ſtudens, ſolum illud bonum diuinitatis intendit, nec aliud quicquam requirendum putat, quia tenet quod ſummum eſt, ſoláque ſibi abundat, quia ſola ſibi eſt ſatis. Nec ſola aliquando eſt, cui præſul Dominus adeſt. Denique in illud diuini illius introducta ſecretum: Exultemus, inquit, & lætemur in te. Non enim in diuitiis auri argentique theſauris, non in poſſeſſionum fructibus, non in poteſtatibus, non in conuiuiis, ſed in ſolo Deo exultat.* Ambroſ.

Sextò, appoſitè idem S. Ambroſ. lib. 5. 6.
de Sacram. cap. 2. per Cellaria accipit Sacramenta, præſertim Euchariſtię, in qua, *Sacramēta, maximè Euchariſtia.* ſub orbiculo panis, & ſpecie vini, velut ſub cella panaria & vinaria habitat Chriſtus nos paſcens ſuâ carne, & potans ſuo ſanguine: *Vbi bona libamina,* ait S. Ambroſ. *vbi boni odores, vbi mella ſuauia, vbi fructus diuerſi, vbi epulæ variæ, vbi epulis plurimis tuum prandium conditur.* Ambroſ.

## SECVNDVS SENSVS PARTIALIS,

### *De Chriſto & Anima Sancta.*

CEllaria Dei, in quæ Chriſtus animam inducit, boniſque omnibus replet & inebriat, ſunt attributa Dei, inter quæ præcipua ſunt duodecim, ſcilicet Dei Infinitas, Immenſitas, Æternitas, Omnipotentia, Omniſcientia, Bonitas, Sanctitas, Amor, Dominium, Prouidentia, Miſericordia, Iuſtitia, quæ eruditè & piè pertractat Noſter Leſſius lib. de perfect. diuinis. Hæc enim ſingula ſunt infinita & quaquauerſum immenſa, ac proinde dum in illa per meditationem, contemplationem, raptum, & ecſtaſin à Chriſto introducitur Anima, velut in abyſſo bonorum omnium natat, imò mergitur *Cellaria, Attributa Diuina.*

Digitized by Google

mergitur, totáque in amorem & admi-
rationem diuinitatis abripitur, vt aliud
cogitare, narrare, amare nequeat. Ibi
enim,vt ait Pſaltes, *Inebriabuntur ab vber-
tate domus tua, & torrente voluptatis tua pota-*
Pſal. 35. 9. *bis eos.* Pſalm. 35. 9. Ibi Sancti exultant
& lætantur in Deo, ibi lactantur ab vbe-
ribus dulcedinis diuinæ. In hæc Deitatis
Cellaria ingreſſus S. Paulus obſtupeſcēs
exclamat: *O altitudo diuitiarum ſapientia &*
Rom. 1. 31. *In Dei Cellariis exultat Anima Sancta.* *ſcientia Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt iu-
dicia eius, & inueſtigabiles via eius!* Et S.
Petrus in transfiguratione Chriſti, per
vmbram corporis glorioſi, non tam ſpe-
ctans quàm coniectans gloriam Diuini-
tatis,gaudio quaſi ebrius: *Domine*,inquit,
*bonum eſt nos hic eſſe: faciamus hic tria taber-
nacula: tibi vnum, Moyſi vnum, & Elia vnum.*
Matth. 17. 4. 1. Ioan. 1. Matth. 17. Et S. Ioannes Epiſt. 1. cap. 1.
*Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidi-
mus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus
noſtra contrectauerunt de Verbo vita*, &c. *an-
nunciamus vobis.* Hæc cellaria inuenit *mu-
lier compuncta* ( Magdalena ) *ſecus pedes*
Bernard. Domini Ieſu,ait S. Bernard. *Thomas in la-
tere, Ioannes in pectore, Petrus in ſinu patris, Pau-
lus in tertio calo, ſecreti huius gratiam ſunt aſſe-
cuti, Quis noſtrum dignè diſtinguere ſufficiat
has veritates meritorum, vel potiùs pramiorum.
Ne omnino tamen prateriiſſe, quod ipſi nouimus
videamur, prior mulier ſtrauit ſibi in tuto humi-
litatis, poſterior in ſolio ſpei: Thomas in ſolido
fidei, Ioannes in lato charitatis, Paulus in intimo
ſapientia, Petrus in luce veritatis.*

In hæc omnia Cellaria præ cunctis
deducta fuit B. Virgo. Vnde Rupert. re-
fert hæc ad B. Virginem viſitantem Eli-
Lucæ 1. 47. ſabeth, eíque dicentem: *Magnificat ani-
ma mea Dominum*, &c. *quia fecit mihi magna
qui potens eſt*, cui reſponderit Eliſabeth:
*Exultabimus, & latabimur in te.* Nam ad vo-
cem & ſalutationem Mariæ Eliſabeth
impleta eſt Spiritu S. & exultauit infans
Lucæ 2. 19. in vtero eius. Lucæ 1. Huc facit illud:
*Maria autem conſeruabat omnia verba hac con-
ferens in corde ſuo.* Lucæ 2. 19.

*Exultabimus & latabimur in te.* Sunt ver-
ba adoleſcentularum congaudentium
Sponſæ, quòd in cellaria tam opima ſit
inducta; aut certè optantium, vt & ipſæ
in illa inducantur, ideóque ad Sponſum
ſe conuertunt, eíque dicunt: *Exultemus*
LXX. *& latemur in te*, vt vertunt Septuag. Sym-
Symmach. mach. ἱλαρωσώμεθα, id eſt *hilares ſimus, iu-
cundemur, exhilaremur in te.* Hoc poſterius
cenſet Origenes, Nyſſenus, Theodore-
Anſelm. tus, Bernardus & S. Anſelmus quem au-
di: *Quia tu Domine Sponſam tuam iam in ſecre-
ta tua introduxiſti, ideo & nos praparabimus
idoneas, vt cum ea introducamur: Exultabimus
enim, ſcilicet in corpore bene operantes cum exul-
tatione, & latabimur in anima, quia cum latitia
bona cogitabimus; vel latabimur ſi bona feceri-
mus, non coactè, ſed voluntariè, & hoc in te,
omnia tibi attribuentes tanquam prima cauſa.*

Secundò, magis connexè & planè: Planè & cōnexè magis.
(ne ſit tam ſubita perſonarum mutatio:)
hæc verba attribuas Sponſæ, quæ egreſ-
ſa è cellariis narrat adoleſcentulis ſuas
quas in iis delicias hauſit, aítque: *Introdu-
xit me Rex in ſua cellaria*, omnibus opibus
& deliciis referta, quæ non mihi ſoli, ſed
& vobis, vbi in virtute adoleueritis, præ-
parauit: Agite igitur, ô ſociæ, mihi æquè
ac vobis congratulamini, ac Sponſo gra-
tias agite, mecúmque iubilando dicite
ingiter: O Ieſu bone, *exultabimus & lata-
bimur in te.* Venite ergo, exultemus Do-
mino, iubilemus Deo ſalutari meo, præ-
occupemus faciem eius in confeſſione,
& in Pſalmis iubilemus ei. Exultabimus,
inquam, memores *vberum tuorum*, id eſt,
dulciſſimæ tuæ beneuolentiæ & benefi-
centiæ, quam mihi Sponſæ communi-
caſti, & meis adoleſcentulis ſuo tempo-
re communicabis. Ita Hortolanus. Porrò
meminit vberum Sponſi, vt à Chriſto di-
ſcant Paſtores & Prælati ſubditis ſe ex-
hibere matres, eóſque vberibus lactare.
Audi S. Bernard. ſerm. 23. *Audiant hoc* Bernard. Prælatus ſubditis ſit Mater.
*Pralati, qui ſibi commiſſis ſemper volunt eſſe
formidini, vtilitati rarò. Erudimini qui iudi-
catis terram. Diſcite ſubditorum matres vos eſſe
debere, non dominos. Studete magis amari quā
metui. Et ſi interdum ſeueritate opus eſt, Pater-
na ſit, non Tyrannica. Matres, fouendo; Patres
vos corripiendo exhibeatis. Manſueſcite, ponite
feritatem. Suſpendite verbera, producite vbera,
pectora lacte pingueſcant, non typho turgeant.
Quid iugum veſtrum ſuper eos aggrauatis,
quorum potiùs onera portare debetis? cur morſus
à ſerpente paruulus fugit conſcientiam Sacerdo-
tis, ad quem magis eum oportuerat tanquam ad
ſinum recurrere matris? Si ſpirituales eſtis, in-
ſtruite huiuſmodi in ſpiritu lenitatis, conſide-
rans vnuſquiſque ſeipſum, ne & ipſe tentetur.
Alioquin ille in peccato ſuo morietur, ſangui-* Galat. 6.
*nem autem eius ( ait ) de manu tua requiram.* Ezechiel. 3.

Myſticè Bartol. de Martyribus Ar-
chiepiſcopus Braccarenſis, in Compen-
dio ſpiritualis doctrinæ verè diuinæ, c.
15. in fine, ſeptem gradus aſſignat, qui- Gradus 7. ad Contemplationem.
bus poſſimus ad hæc Chriſti Cellaria,
hoc eſt, ad Contemplationem, vniti-
uúmque amorem aſcendere, qui ſunt;
Guſtus, Deſideria, Satietas, Ebrietas, Se-
curitas, Tranquillitas. Septimi verò no-
men ſoli Deo innoteſcere dicit. Primus
ergo

1. *Guſtus.* ergo meritò vocatur Guſtus, quòd in
guſtuum mutatione conſiſtat: peccato-
ribus enim, qui carnales tantùm nouère
Pſal.33.9. guſtus, dicitur: *Guſtate & videte, quoniam
ſuauis eſt Dominus*: immutate guſtus, nec
exiſtimetis cæleſtes ſapores aliunde
quàm à Deo prouenire poſſe. Ideò Do-
minus incipientibus ſolet ſpiritus con-
ſolationes impertiri, quòd ſciet infirmã
ac fragilem animã vix poſſe niſi præuio
guſtu ad diuina euolare. Anima in hoc
primo gradu vacet compunctionibus,
macerationibus, meditationibus qua-
tuor vitæ nouiſſimorum, ac Paſſionis
Chriſti præſertim, mortificationibus ac
eradicationibus malarum cogitationum
& conſuetudinum, vt in Deum liberè
tranſire valeat, quod non ſine maximo
Matth.11.12. fit conatu. *Regnum* enim *cælorum vim pa-
titur, & violenti rapiunt illud*, non autem
2. *Deſideria.* puſillanimes & delicioſi. Secundus: quia
diuina, quò plus guſtantur, plus appeti
ſolent, ideò guſtum conſequuntur deſi-
deria magis ac magis fruendi Deo, cùm
externarum rerum omnium ſaporem
cum tædio reſpuat. Ex his deſideriis ſub-
oritur ſtudium non ſolùm meditandi,
ſed etiam Chriſti vitam imitandi, & ar-
Ioan.14.6. dor per illum incedendi qui dixit: *Ego
ſum via*. Paſſus autem quibus debes ince-
dere, hi ſunt: Humilitas, Manſuetudo,
Patientia, Charitas, Oratio, eius Crux &
3. *Satietas.* labores. Tertius: Satietas, quando Anima
eò peruenit, vt quæ mundana ſunt, abo-
minetur, & intimè oderit; mox etiam
quieſcit Anima, & ſolo diuino amore ſa-
tiatur, re námque ipsâ experitur nullibi
ſe poſſe niſi in Deo plenè ſatiari. Quar-
4. *Ebrietas.* tus: Ebrietas, quæ eſt quædam ecſtaſis, &
mentalis exceſſus ex prædicta diuini
Amoris ſatietate procedens, quæ nulla-
rum imaginationum ac phantaſmatum
aquâ miſcetur, à quibus difficillimè abſ-
trahimur, niſi Dominus ipſe manu ducat
animam, atque eam in ſecretum ſuum
cubiculum, id eſt, in ſe intromittat, & re-
cipiat, ſenſibus foràs dimiſſis, & eorum
muneribus ſuſpenſis. Quintus: ſecuritas
5. *Securitas.* timorem excludens: guſtatâ enim diui-
næ charitatis perfectione manet Anima
omninò reſignata in diuinum benepla-
citum, ita vt gehennam ferre perpetuò
parata ſit, ſi Deo ſic placitum foret. Ex-
peritur inſuper in ſeipſa quoddam ſtri-
ctiſſimum diuinæ amicitiæ vinculũ adeò
firmum, vt ſeparari nunquam ab eo ſe
6. *Tranquillitas.* poſſe exiſtimet. Sextus: Tranquillitas,
ſcilicet tanta pacis & iubilationis vber-
tas, vt Anima quaſi in ſilentio & ſomno

ſupra pectus Domini recumbens, viuere credatur.

*Memores vberum tuorum ſuper vinum: recti diligũt te.* Hebr. eſt נזכירה *nazkira*, quod primò ſignificat *memores erimus*; vnde Syr. vertit *Recordemur amoris tui præ vino*. Lxx. *diligemus*: Secundò, *commemorabimus*, celebrabimus. Vnde Vatabl. vertit: *Prædicabimus amores tuos vino praſtãtiores, quia familiariſſimè tibi æquitas adiuncta eſt.* Tertiò nonnulli vertunt: *Olfaciemus vbera tua* (vel amores tuos) quia vt dixit v.2. *Fragrantia ſunt vnguentis optimis*. Alludit ad id quod dixit v.1. *Meliora ſunt vbera tua vino.* Vnde colligitur vbera hæc eſſe Sponſi non Sponſæ, quæ Sponſi dulcedinem, beneficentiam & lactationem denotant, vti ibidem dixi. Rurſum, inde liquet *τὸ meliora* hîc ſubintelligi, q.d. Memores erimus vberum tuorum, quæ meliora & ſuauiora ſunt ſuper vinum, id eſt, ſuper omnes delicias, mundíque voluptates; in his enim primas tenet vinum. Porrò qui vbera Sponſæ non Sponſi hîc accipiunt, per vbera intelligunt amores, quaſi adoleſcentulæ hîc congratulentur Sponſæ de coniugio & amoribus Sponſi, quòd ſcilicet ei tam fortunata ſors, tam felix amor, tam nobile cum Chriſto coniugiũ obtigerit, vt illud perpetuò memorari, commemorare, & celebrare decernant. Ita Sanchez. Vnde Nyſſen. & Theodoret. ſic explicant, quaſi adoleſcentulæ & Chriſtiani quilibet dicant Eccleſię: Quia tu dilexiſti vbera Chriſti ſuper vinum voluptatis & ſapientiæ mundanæ, hinc nos pariter diligemus vbera & doctrinam tuam, támque ſecurè ſugemus, quia Rectitudo, hoc eſt, Chriſtus dilexit te: hoc ſenſu Nyſſen. id aptat S. Ioanni, qui ſuper pectus Chriſti in cœna recubuit.

*Varia lectiones.* *Syrus.* *Lxx.* *Vatabl.*

*Recti diligunt te.* Hebr. מישרים *meſcharim*, id eſt, *rectitudines*, æquitates. Vnde Septuag. vertunt: *Æquitas dilexit te.* Arabicus: *Rectitudo dilexit te.* Syrus verò: *Pro rectu dilexi te.* Sunt verba Sponſæ ad Spõſum, vt dixi, q. d. Exultabimus in te, ô Chriſte, memores vberum, id eſt, amorum & dulcorum tuorum, qui ſuauiores ſunt vino, id eſt, quibuslibet corporis deliciis, quia amor tuus non eſt carnalis & impurus, ſed ſpiritualis, puriſſimus & ſanctiſſimus: Nam rectitudines dilexerunt te, id eſt, Te omnes rectitudines, id eſt, omnes virtutes & gratiæ complexæ ſunt, vt filius virtutum & gratiarum eſſe videaris; ac reuerà talis es, quia es Filius Dei, quem omnes diuinæ dotes, omnia decora, omnia chariſmata ambiunt, or-

*Hebr.* *Lxx.* *Syrus.* *Sponſa Spõſum alloquitur.*



Digitized by Google

nant & coronant. Ita Origen. Secundò, alij *meſcharim* vertunt in Ablatiuo, *in rectitudinibus*, q. d. Virgines diligunt te rectitudinibus, hoc eſt, amore omni ex parte recto, id eſt, caſto & puro, quia in tui amore ſumma ineſt rectitudo, ſumma æquitas, ſumma honeſtas, ſummum decus. Tertiò R. Abraham, *meſcharim*, id eſt, rectitudines, refert ad vinum, q. d. Memores erimus vberum, id eſt, amorum tuorum, quæ meliora ſunt ſuper vinum rectitudinum, id eſt, ſuper vinum ſincerum, purum & præſtantiſſimum. Verùm hoc obſcurum, frigidum & contortum videtur.

R. Abrah.

*Abſtractum hic pro Concreto.*

Denique noſter optimè *meſcharim* vertit *recti*, ſiue quia *meſcharim* tam rectos, quàm rectitudines ſignificat, ſiue quia metonymicè abſtractum ponitur pro concreto, puta rectitudines pro rectis. Senſus eſt, q. d. Iugiter exultabimus, & iubilabimus, & lætabimur in te, ô bone Ieſu, Sponſe animæ noſtræ; quia recordabimur vbera tuæ dulcedinis & miſericordiæ meliora eſſe vino, id eſt, deliciis omnibus totius mundi: hinc enim recti, qui ſcilicet guſtum mentis habent rectum & ſincerum, non morbo concupiſcentiæ deprauatum, qui ſcilicet omnia metiuntur rectâ ratione, non prauâ cupiditate, diligunt te, quia vbera, id eſt dulcedines tuæ ſunt rectiſſimæ, id eſt, iuſtiſſimæ, æquiſſimæ, planéque rationi, legi, virtuti, ac Deo conformes. Hinc Symmachus vertit: *Recti ſunt, qui diligant te*, quia à recta ratione, lege, & virtute ducuntur. Porrò Rectitudo duo requirit, primò, vt vita & actio in ſe ſit recta, id eſt honeſta & iuſta; ſecundò, vt rectâ intentione fiat. Hinc S. Thomas interpretatur q. d. *Recti*, id eſt, qui rectam habent intentionem, qui ſcilicet vni Deo placere ſtudent, eúmque ſibi vitæ & operationum omnium finem præſtituunt, hi inquam diligunt te. Cenſet Origenes hîc tacitè à Sponſa perſtringi adoleſcentulas, q. d. Qui planè in animo & amore ſunt recti, vt rectos habeant omnes ſuos affectus, hi plenè diligunt Chriſtum; at adoleſcentulæ meæ, quia adhuc non planè rectos effecêre ſuos affectus, ſed adhuc vinum voluptatum diligunt, ac vitioſæ quid concupiſcentiæ in eis reſidet, hinc non plenè diligunt Chriſtum; ſed adoleſcent ac ſenſim depurabunt ſuos amores, vt omnino recti euadant, túncque erunt Sponſæ Chriſti, eúmque toto corde, totíſque animæ viribus diligent. Hinc collige: ſi vis amare Chriſtum, rectifica tuam mentem, ac tuos amores & mores. Nulli enim niſi recti diligunt Chriſtum. Ita S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 2. ad v. 1. *Æquitas*, ait, *dilexit te, hoc eſt, non flexuoſa itinera te ſequuntur, ſolus ad te poteſt iuſtitia trames peruenire. Qui enim diligit iuſtitiam, non ſe auertit à Christo.* Rurſum hinc collige, rectitudinem vitæ & morum eſſe charitatem, & amorem Chriſti. Hic enim amor rectiſſimus eſt, & omnia torta rectificat; quare quod huic amori conforme eſt id rectum eſt; quod difforme, id curuum & tortum. Ita Caſſiodor. Iuſtus Orgelit. Beda & alij. Charitas ergo eſt rectitudo animæ, omniúmque eius virium & potentiarum. Porrò huius rectitudinis animã admonet corpus rectum, & à Deo rectiſſimo datum præ cæteris animalibus. Audi S. Bernardum. ſerm. 24. *Quid enim indecentius, quàm curuum recto corpore gerere animum? Peruerſa res eſt & fœda, luteum vas, quod eſt corpus, de terra oculos habere ſurſum, cælos liberè ſuſpicere, cælorúmque luminaribus oblectare aſpectus: ſpiritualem verò cæleſtémque creaturam ſuos è contrario oculos, id eſt, internos ſenſus atque affectus trahere in terram deorſum, & quæ debuit nutriri in croceis hærere luto, tanquam vnam de ſuibus, amplexarique ſtercora. Erubeſce anima mea diuinã in pecorinam commutaſſe ſimilitudinem; Erubeſce volutari in cœno, quæ de cælo es. Erubeſce anima, ait corpus, in meî conſideratione. Creata ſimilis creanti recta, me quoque accepiſti adiutorium ſimile tibi, vtique ſecundùm lineamenta corporea rectitudinis.*

Symmach.

*Ad* Rectitudinẽ *duo requirũtur.*

Ambroſ.

*Charitas eſt rectitudo Amoris.*

Bernard.

Tropologicè: Prælatus probus, ait S. Bernard. & vir Apoſtolicus, qui vberibus doctrinæ ſuæ alios lactat, ſæpè patitur ab impiis & prauis perſecutiones & calumnias; ſed ſoletur ſe, quòd recti diligunt eum, ac imprimis Deus, qui eſt rectorum rectiſſimus, juxta illud: *Rectus Dominus Deus noſter, & non eſt iniquitas in eo.* Pſal. 91. 16. quare eo fretus, & teſtimonio conſcientiæ lætus, impiorum iudicia deſpiciat, dicátque cum Pſalte: *In Domino laudabitur anima mea, audiant manſueti & lætentur.* Pſal. 33. 3. Rurſum S. Gregor. hæc accipit de commemoratione paſſionis Chriſti, quæ inflammat in nobis Chriſti dilectionem: *Sancta anima*, inquit, *Sponſa Chriſti in Sponſi ſui deliciis exultat, dum corporalia reſpuit, & in ſpiritualibus ſe occultat; Eumdémque Sponſum delicias ſuas facit, in cuius reſpectu mundana omnia non curat. Sed hæc in memoria vberum agit; quia dum recolit quantâ charitate Chriſtus eam dilexerit, qui ſanguine ſuo eam moriens in Cruce redemit,*

*Moraliter.*

Pſal 91. 16

Pſalm. 33. 3

Gregor.

*& quo*

*& quotidie eam in ſinu Eccleſiæ matris eiuſdem ſanguinis lacte nutrit, procul dubio magis ac magis in eius dilectionem intendit. Quod lac bene ſuper vinum dulce eſſe dicitur: quia per ſanguinem Chriſti miſericorditer educamur, qui per legis litteram ſeuerè priùs conſtringebamur. Per quam dilectionem adimpletur quod dicitur: Recti diligunt te. Soli vtique recti Chriſtum diligunt: quia quicumque adhuc per diſtorta vitiorum ex deſiderio currunt, dum in rectitudinis lineam ſemper offendunt, ipſum iuſtitiæ auctorem Chriſtum omnino diligere non poſſunt.* Deni-

Chald. que Chald. vertit: *Et delectabimur & exultabimus & recordabimur eorum, & diligemus Deitatem tuam. & recedemus ab Idolis populorum, & omnes iuſti, qui faciunt quod rectum eſt, coram te timebunt te, & diligent præcepta tua.*

---

Verſ. 5. *Nigra ſum ſed formoſa, filiæ Ieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.*

Hebr. *Nigra ſum, ſed formoſa*, Heb. שחורה *ſchechora*, id eſt, ſubnigra & *fuſca* ſum, vti legit S. Ambroſ. in Apolog. Dauid, ſcilicet cute manuum & faciei, vti ſolent quæ in agris oues paſcunt; ſed facie liberali, & lineamentis decoris, ac totius membris corporis formoſa ſum &

Arab. venuſta, *filiæ Ieruſalem, ſicut tabernacula* (Arabicus, ſicut habitationes) *Cedar, ſicut pelles*

Aquila. Symmach. (Aquila & Symmach. *tentoria*, quæ fiunt è pellibus) *Salomonis*. Hæc poſterior ſimilitudo priori nectenda eſt reſpectiuè & diſiunctim, hoc modo: *Nigra ſum ſicut ta-*

Cedar quid? *bernacula Cedar*, id eſt Arabum: (Cedar enim fuit filius Iſmaelis & pater Arabum, ſiue Nomadum, in ſolitudine Saracenorum habitantium in tentoriis) *ſed formoſa ſicut pelles Salomonis.* Ita Origen. Theodoret. Caſſiod. S. Gregor. Ruperr. S. Bernard. S. Anſelm. & alij: licèt Nyſſen. & Aponius vtramque ſimilitudinem, ſcilicet tabernaculorum Cedar & pellium Salomonis referant tam ad nigredinem, quàm ad formoſitatem Spon-

*Obiectionem præoccupat Sponſa.* ſæ. Eſt occupatio: Dicet enim quis: Quomodo tu, ô Sponſa paſtoritia & ruſticana, quæ inſtar Cedarenorum in tabernaculis perpetuò degis, vt paſcas greges, ibíque æſtu ſolis adureris & denigraris, audes ambire nuptias Regis, ac dicere: *Oſculetur me oſculo oris ſui?* Occurrit & reſpondet: Eſto exteriùs nigra ſim vt Cedarenæ pelles & tabernacula, tamen interiùs pulchra ſum vt pelles, & pellium tabernacula Salomonis, qui vti in omni re, ita & tentoriis ſuis (quibus vtebatur dum iter faceret,) cultiſſimus & pretioſiſſimus erat: vnde ea auro & gemmis, picturis pretioſis ornabat. Sic Pli-

Plin. nius de Nerone: *Cui*, inquit, *erant ſigillata tentoria, & aurati papiliones.* Rurſum cohæ-

*Connexio cum præcedentibus.* rent hæc cum proximè præcedentibus, q. d. *Recti diligunt te*, ô Sponſe Chriſte, æquè ac me, quæ tibi ſum Sponſa: at verò praui multi oderunt & perſequuntur, tam me quàm te. Nigra ergo ſum per ærumnarum caliginem & perſecutionum afflictionem, ſed formoſa per patientiam, cõſtantiam & victoriam, quâ perſecutores ſuperaui, imò domui, conuerti, mihíque & tibi ſubieci. Tribulationum ergo nigredo me non turpauit, ſed honeſtauit & illuſtrauit.

*Alluſio ad vxorẽ Moyſis Æthiopiſſam.* Alludit ad Æthiopiſſam vxorem Moſis, ob quam contra Moſen murmurans ſoror eius Maria, à Deo leprâ percuſſa eſt. Numer. 12. hæc enim typus fuit Eccleſiæ ex Gentibus infidelitate atris à Chriſto collectæ; ob quam murmurantes Iudæi, à Deo reprobati ſunt. Ita Origen.

Porrò Orientales & Meridionales multi ſunt fuſci, vt Mauritani, Ægyptij, viciníque Iudæi, Arabes, & Æthiopes, qualis erat Andromede Cephei ipſorum Regis filia, de qua Ouidius:

Ouid. —— *Placuit Cepheia Perſeo*

*Andromede, patriæ fuſca colore ſuæ.*

*Fuſci apud Æthiopes pulcri, albi verò deformes.* Hinc apud eos fuſci habentur pulchri, albi verò deformes. Vnde Æthiopes Iudam & Dæmones pingunt albos; S. Petrum verò & Angelos pingunt nigros. Adde fuſcum mixtum & medium eſſe colorem inter album & nigrum, ideóque ſuam habere elegãtiam. Hinc aurora Hebr. dicitur שחר *Schacar*, id eſt ſubnigra, quia ipſa eſt confinium noctis & diei, ſiue tenebrarum & lucis: Eadem tamen eſt pulchra, ob radios ſolis pulchrè inter tenebras ſplendentes & radiantes. Vnde eidem comparatur Sponſa cap. 6.

Cantic. 6. 9. verſ. 9. *Quæ eſt iſta*, inquit, *quæ progreditur quaſi aurora conſurgens; pulchra vt luna, electa vt Sol?*

*Filias Ieruſalem Angelos quidã interpretantur.* Per filias Ieruſalem nonnulli cum Aponio Angelos accipiunt, qui ciues ſunt cæleſtis Ieruſalem. q. d. Nolite, ô Angeli, mirari, quod non tota candida ſim, vti vos eſtis, ſed nigra, quia licet nigra, formoſa tamen ſum, vt vos. Secun-

*Alij Iudæos.* dò, alij accipiunt Iudæos, qui perſecuti ſunt Chriſtum & Chriſtianos, præſertim Gentiles, quòd fuiſſent nigri per infidelitatem. Ita Theodoret. & S. Athanaſ. in



Digitized by Google

Synopſi. Tertiò & planiùs accipias adoleſcentulas, id eſt, animas in fide Chriſti nouellas, hæ enim vocantur filiæ Ieruſalem alluſione ad Sponſam; quæ erat vxor Salomonis, qui erat Rex Ieruſalem.

*Al. Adoleſcentulas animas.*

*Eccleſia nigra & formoſa.*

1\. Quæres; quomodo Eccleſia nigra ſit ſimul & formoſa? Nyſſen. S. Gregorius, Philo Carpath. S. Hieronym. in cap. 2. Sophon. S. Chryſoſt. Homil. 1. de virtute, & alij paſſim cenſent Eccleſiam Gentium dici nigram ob præcedentem idololatriam & ſcelera, quibus in Gentiliſmo ſeruiuit peccato & Diabolo. Formoſam verò per conuerſionem & gratiam Chriſti, quâ nigredinem ſcelerum in Baptiſmo eluit, ſéq; in ſanguine agni dealbauit. Vnde S. Ambroſ. ſerm. 2. in

Ambroſ. Pſalm. 118. *Fuſca*, inquit, *per culpam, decora per gratiam. Fuſca per vitium, decora per lauacrum. Fuſca ſum, quia peccaui; decora, quia iam me diligit Chriſtus*. Idem lib. de iis qui myſter. init. cap. 7. *Nigra*, inquit, *quia ex peccatoribus: decora, fidei ſacramento*. Audi S. Bernard. ſerm. 25. *Sed audiamus vnde nigram*

Bernard. *& vnde formoſam ſe dixerit. An nigram quidem ob tetram conuerſationem, quam priùs habuit ſub Principe huius mundi, imaginem terreſtris hominis adhuc portans: formoſam verò de cæleſtis ſimilitudine, quam poſteà commutauit ambulans iam in nouitate vitæ? Sed ſi hoc eſt, cur non magis de præterito: Nigra fui, & non, nigra ſum, dicit? Si cui tamen placet hic*

Cant. 1. *ſenſus, id quod ſequitur: ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis; ſic oporteret intelligi, vt de veteri quidem conuerſatione, Cedar; de noua verò, Salomonis ſe dixerit tabernaculum. Hoc enim eſſe pelles, quod tabernaculum Propheta oſtendit dicens: Repentè vaſtata ſunt ta-*

Ierem. 4. 20. *bernacula mea: ſubitò pelles meæ*. Ierem. 4.

*Paraphraſis.* Sẽſus ergo eſt, q. d. ait Origen. & Nyſſen. Ego Eccleſia gentium, olim infidelitate fui nigra, ac proinde fui tabernaculum Cedar, id eſt, obſcuritatis, in quo habitauit Princeps tenebrarum Diabolus; nũc autem per Baptiſmum abluta, & per gratiam Chriſti ſanctificata facta ſum formoſa ſicut pelles, id eſt, tabernaculum Salomonis, quia effecta ſum Templum Chriſti, qui verus eſt Salomon & Rex pacificus.

Huc accedit Chaldæus, qui more ſuo hæc refert ad Iudæos vitulum aureum adorantes: *Quando*, inquit, *fecerunt domus*

Chald. *Iſraël vitulum, denigratæ ſunt facies eorum ſicut filiorum Æthiopiæ, qui morantur in tabernaculis Cedar: & quando egerũt pænitentiam, & dimiſſum fuit peccatum, multiplicatus fuit ſplendor vultus eorum ſicut vultus Angelorum, eò quòd fecerunt cortinas tabernaculi, & reſe-dit in medio eorum maieſtas Domini. Moſes autem magiſter eorum aſcendit ad æthera.*

Simili enim modo Eccleſia tranſiit à tabernaculis Cedar ad pelles, id eſt, ad tabernacula Salomonis, cùm de errore ad veram fidem, de mendacij caligine ad lucem veritatis, de ſanguinolenta iracundia ad pacis tranquillitatem, de propugnatione idolorum ad propugnationem veræ religionis Dei tranſmigrauit, ait Aponius.

Secundò, Eccleſia dicitur nigra & 2.
formoſa, quæ conſtat ex Peccatoribus & Iuſtis. Ita Beda & S. Auguſt. lib. 3. de Doctrina Chriſtiana c. 32. aut quia conſtat Gentilibus olim in gentiliſmo incircũciſis, fœdis & atris; ac Iudæis, qui ab olim fuêre circumciſi, fideles & populus Dei. Ita Theodor. & Philo Carpath.

Tertiò, S. Auguſt. ſerm. 201. de Tem- 3.
pore, ait Eccleſiam & Animam fidelem nigram eſſe per naturam peccato corruptam, id eſt, per concupiſcentiam: formoſam verò per gratiam: *Vnde*, inquit, *eſt Eccleſia nigra & formoſa? Nigra per naturam, formoſa per gratiam. Vnde nigra? Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea. Vnde formoſa? Aſperges me hyſ-*
*ſopo & mundabor, lauabis me & ſuper niuem* Pſalm. 50.
*dealbabor. Vnde nigra? Apoſtolus dicit: Video* Rom. 7. 23
*aliam legem in membris repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati. Vnde formoſa? Quis me liberabit de*
*corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chri-* Verſ. 24.
*ſtum Dominum noſtrum. Verè Eccleſia gentium coruis ſimilis erat, quando viuentem Dominum contemnebat, & ante acceptam gratiam velut morticinis cadaueribus, idolis miniſtrabat.* Et S. Ambroſ. lib. de iis qui myſter. init. c. 7. *Nigra eſt*, inquit, *per fragilitatem conditionis*
*humanæ, decora per gratiam*. Et Aponius: *Ex* Aponius.
*captiua*, ait, *libera, ex peregrina ciuis; ex viliſſima, Regina & Sponſa Creatoris, Verbi Dei Chriſti benignitate effecta.*

Quartò, & valdè appoſitè nigra eſt 4.
Eccleſia per perſecutionum & paſſionũ turbines, formoſa per inuictam animi patientiam & conſtantiam. Hunc ſenſum exigit id quod ſequitur: *Nolite me cõſiderare, quòd fuſca ſim, quia decolorauit me Sol. Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Nigra ergo eſt propter ærumnas; formoſa, primò propter decus fortitudinis, humilitatis, aliarúmque virtutum, quas patiẽdo & pugnando conquirit & adauget: Secundò, propter coronas pulcherrimas, quas in cælis ſibi meretur: Tertiò, propter multiplices Sanctorum ordines, quibus decoratur, ait Aponius. Et S. Ambroſ.

Ambroſ.

broſ. de Spiritu ſancto cap. 11. *Nigra*, inquit, *eſt exercitij ſui puluere, dum præliatur: decora, dum victoriæ ſuæ inſignibus coronatur.* Et in Pſalm. 118. ſerm. 18. *Præmiſit*, inquit, *nigram, vt augeret decoram.* Sic & Caſſiodor. Cedar, inquit, id eſt, Saraceni Arabes hoſtes Iſraëlis, denotant perſecutores Eccleſiæ, qui illam denigrare ſatagunt, ſed illa formoſa eſt, quia ipſa eſt tabernaculum (quod fit ex pellibus,) Salomonis, hoc eſt, Chriſti, ideóque digna eius viſitatione & conſolatione; præſertim quia illa aſſiduè ſtudet mortificationi, cuius ſymbolum ſunt pelles, quæ animalium mortuorum ſunt exuuiæ. Sic & Beda, qui & addit Eccleſiam aſſimilari Cedar filio Iſmaëlis, de quo dictum eſt: *Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.* Geneſ. 16. 12. Similí enim modo Chriſtus prædixit Apoſtolis & Eccleſiæ: *Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Matth. 10. 22. Exemplum dat Iuſtus Orgelitan. S. Paulum: Conſidera, ait, nigram & formoſam in Paulo: *In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur, aporiamur, ſed non deſtituimur; deiicimur, ſed non perimus.* Tabernacula Cedar ſunt cùm ait: *tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema.* Pelles verò Salomonis, cùm ait: *Semper mortificationem Ieſu in carne noſtra circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtra mortali.* 2. Corinth. 4. Hæc Iuſtus.

Gen. 16. 12

Matth. 10. 22.

2. Corinth. c. 4. v. 8.

1. Corinth. 4. 13.

2. Corinth. 4. 10.

## SECVNDVS SENSVS PARTIALIS,

### *De Chriſto & Anima ſancta.*

1.
*Anima nigra per culpam, formoſa per pœnitentiam.*
Origen.

PRimò Anima peccatrix & pœnitens nigra eſt per culpam, ſed formoſa per pœnitentiam; nigra per torporem, formoſa per feruorem: *Speciem enim ei largitur conuerſio*, ait Origen. *cùm ab humilibus incipit ad alta conſcendere, dicitúrque de ea; quæ eſt iſta quæ aſcendit dealbata?* Huc accedit Nyſſen. docens animam peccato denigratam fieri formoſam, quia Chriſtus dilexit illam iuxta id, quod præceſſit: *Rectitudo dilexit te.* Audi Nyſſen. *Nolite mirari* (ô adoleſcentulæ) *quòd me dilexerit rectitudo, ſed quòd cùm nigra eſſem peccato, & per opera affinis eſſem & coniuncta tenebris, me pulchram fecit per dilectionem, ſuâ pulchritudine commutatâ cum mea turpitudine: in ſe enim tranſlatis ſordibus meorum peccatorum, mihi ſuam impertijt puritatem.*

Nyſſen.

*Similitudo Noctis & Aurora.*

Affert ſimile noctis & auroræ: nox enim omnia facit tenebroſa & nigra; at aurora fugatis atris tenebris candidam, pulchrámque rebus omnibus lucem inducit. Idem facit Chriſtus, cùm animam errore & peccatis tenebroſam, lucidâ ſuâ gratiâ ſpecioſam efficit. S. Gregorius verò refert hæc ad Animam ſanctam, ſed cum Magdalena pœnitentem, quæ præteritorum peccatorum memor, vocat ſe nigram, ſed formoſam, per præſentem Chriſti gratiam & iuſtitiam: *Nigram quippe*, inquit, *& formoſam ſancta anima ſe bene dicit, quia ſemper & turpitudinem peccatorum ſuorum perſpicit, & tamen illius iuſtitiæ, quam in intimus videt, in exterioribus actibus ſecum ſolerter formam gerit. Quæ benè ſicut tabernacula Cedar nigra, & ſicut pelles Salomonis formoſa dicitur: quia in quantum tenebras mortalitatis portat, nigredine corruptionis ſordidatur. Cedar enim tenebræ interpretatur: Salomon verò, qui Chriſtum ſignificat, pacificus dicitur. Formoſam ergo ſe ſicut pelles Salomonis dicit: quia dum Sanctos quoſque, qui ad imitationem Chriſti ſe mortificant, imitari non negligit, eorum vtique pulchritudini per ſimilitudines ſe iungit.*

Gregor.

Quare pœnitens, qui futura peccata præcauere, ſéque in gratia Dei ſtabilire ſatagit, iugiter cum S. Magdalena peccata quæ commiſit, in mente verſet, lugeat & defleat: hæc enim humilitas, contritio, & compunctio gratiam Dei conciliabit, quæ ei donum perſeuerantiæ præſtet.

Secundò; Anima iuſta nigra eſt forinſecùs ob defectus & culpas veniales, in quas ſæpe incidit; formoſa verò intrinſecùs per gratiam, charitatem, cæteráſque virtutes. Rurſum nigra eſt ob pericula peccandi mortaliter, damnationis & gehennæ: hæc enim pericula ſuggerunt ei quotidianæ tentationes diaboli, mundi, & carnis, ob quæ in humilitate cum timore & tremore ſalutem ſuam operatur, ideóque formoſa eſt: formoſam enim eam facit humilitas & timor ſanctus, qui proinde eam confirmat, vt tentationibus generosè reſiſtat, itáque victoriam & ſalutem ei quaſi aſſecurat, vti docet S. Bernard. 2.

*Anima Iuſta nigra per defectus, formoſa per humilitatem.*

Tertiò, hæc accipias de Anima cùm concupiſcentiis & paſſionibus luctante. q. d. Nigra ſum per fœdos iræ, gulæ, libidinis omníſque concupiſcentiæ motus; ſed formoſa, quia cum iis aſſiduè fortiter confligo & vinco, itáque per bellum veram pacem, per gratiam Salomonis, id eſt, Chriſti Regis pacifici conſequor, in qua pace ſita eſt animæ harmonia & 3.

*Nigra per luctam, formoſa per victoriam.*





Digitized by Google

pulchritudo. Ita S. Ambroſ. de iis qui myſter. init. cap. 7. Idem Exhort. ad Virgin. hæc cuilibet virgini adaptans: Nigra, inquit, per carnem, decora per virginitatem, ſicut pelles, id eſt, tabernacula Salomonis è pellibus confecta, ſed auro & gemmis intexta, ac opere Phrygio & Babylonico elaborata.

4. *Nigra per ærumnas, formoſa per patientiam.* Quartò, hæc accipias de Anima ſancta, quæ æmulorum obloquia, perſecutiones cæteráſque ærumnas huius vitæ ſuſtinet: hæc enim nigra eſt per ærumnas, ſed formoſa per patientiam: quare nigredo ærumnarum patientiæ eius formoſitatem adauget. *Felix nigredo*, ait S.
Bernard. Bernard. ſerm. 25. *quæ mentis candorem parit, lumen ſcientiæ, conſcientiæ puritatem.* Et in-
2. Corinth. 12. feriùs citat exemplum Pauli 2. Corinth.
Bernard. 12. *Libenter, ait, gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. Optanda infirmitas, quæ Chriſti virtute compenſatur. Quis dabit mihi non ſolùm infirmari, ſed & deſtitui ac deficere penitus à memetipſo, vt Domini virtutum virtute ſtabiliar? Nam virtus in infirmitate perficitur. Denique ait: quando infirmor, tunc fortis ſum & potens. Quod cùm ita ſit, pulchrè Sponſa conuertit ſibi ad gloriam, quod ei pro opprobrio ab æmulis intorquetur, non modò formoſam, ſed & nigram eſſe ſe glorians. Non enim erubeſcit nigredinem, quam nouit præceſſiſſe & in Sponſo, cui ſimilari quanta etiam gloria eſt? Nil ſibi glorioſius proinde putat, quàm Chriſti portare opprobrium. Vnde vox illa prorſus exultationis & ſalutis: Abſit mihi gloriari, niſi in*
Gal. 6. *cruce Domini mei Ieſu Chriſti: Grata ignominia crucis ei, qui crucifixo ingratus non eſt. Nigredo eſt, ſed forma & ſimilitudo Domini.*

Porrò Theodoret. per pelles Salomonis accipit pelles pretioſas, quibus veſtiebatur Salomon. q. d. Ego ſum Sponſa veri Salomonis, id eſt, Chriſti, ideóque ſum formoſa, quia eo eiúſque veſtibus veſtita incedo. Denique audi pelles Sãctorum deſcribentem Paulum, Hebr. 11.
Hebr. 11. 37. 37. *Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & in cauernis terræ.*

## TERTIVS SENSVS, PRINCIPALIS,

*De Chriſto & B. Virgine.*

*B. Virgo quomodo nigra & formoſa?*
1. PRimò B. Virgo nigra fuit non in ſe, ſed in patre ſuo Adam, qui peccauit & peccato totam ſuam poſteritatem (exceptâ B. Virgine) infecit. Eſt ergo ipſa nigra per denominationem extrinſecâ, quia filia peccatoris: in ſe tamen eſt formoſa per gratiæ plenitudinem. Vnde S. Ambroſ. ſerm. 2. in Pſal. 118. Caro, in- Ambroſ.
quit, peccatrix quam relegauit in Eua, recepit ex Virgine, ſuſcepit ex Maria primæuam ſuam puritatem & decorem.

Secundò, Rupert. B. Virgo, inquit, ni- 2.
gra viſa eſt cùm à Ioſeph inuenta eſt Rupert.
grauida, qui proinde voluit occultè eam dimittere; ſed formoſa fuit in veritate, quia concepit obumbrante Spiritu ſancto.

Rurſum, Nigra fuit per humilitatem, quâ ſe exteriùs geſſit ſicut cæteræ matres, quæ ex viro concipientes, & parientes ſordidantur, ideóque die quadrageſimo purificantur. Sic enim & B. Virgo purificata fuit, ſed interiùs fuit formoſiſſima & pulcherrima, adeóque humilitas hæc tanta nouum ei decus, nouámque pulchritudinem conciliauit.

Tertiò, eadem Iudæis cæteriſque in- 3.
fidelibus vilis & deſpecta fuit, vti tabernacula Cedar; ſed fidelibus, imò Angelis & Deo formoſa ſicut pelles, id eſt tabernaculum, (Tabernaculum enim Moſis foris operiebatur pellibus, intus verò auro, argento, &c.) & Templũ Salomonis, quia ipſa fuit Templum, imò cælum non manu factum, quod ſibi Sapientia Dei, putà Chriſtus ædificauit. Prouerb. 9. 1. Ita Hailgrinus, quem audi: *Nigra*
*ſum in apparentia, & deſpecta tanquam mater* Halgrin.
*leproſi; ſed formoſa in veritatis exiſtentia, & tanquam veri Dei genitrix glorioſa. Nigra ſum tanquam tabernacula Cedar, quia non reputor tabernaculum Regis iuſtitiæ, ſed ſicut cæteræ matres, quarum ventres tabernacula ſunt filiorum mæroris & tenebrarum; inter tabernacula Cedar reputata ſum, quòd interpretatur, tenebræ vel mæror. Veruntamen ego formoſa ſum ſicut pelles dedicatæ vero Salomoni Chriſto, vero pacifico. Nam ſicut illæ pelles Arcam typicam continuerunt; ſic ego intra mea viſcera veram Arcam continui, Chriſtum videlicet, cuius caro ſignificatur per Arcam, cuius anima deſignatur per vrnam auream, quæ erat in arca, & deitas deſignatur in manna: & ſicut pelles protegebant totum tabernaculum; ſic ſub vmbra mea protectionis defendo totam Eccleſiam. Ego quidem ſimilis pelli rubricatæ, quia per compaſſionem doloris tincta ſum in paſſione filij. Similis quoque pelli hyacinthinæ, contemplatione cæleſtium & amore.*

Quartò, optimè Guilielmus paruus, 4.
& Hailgrinus referunt ad tempus paſ- *B. Virgo nigra & formoſa in Paſſione filij.*
ſionis, quando morienti filio aſtitit ma-

ter

ter doloroſa,& obnubilato ſole obnubilatus fuit ſplendor & decor, quem hæc Lunà pulchior de Sole ſuo hauriebat. Cenſent enim à Spiritu ſancto hîc exhiberi nobis perſonam Virginis matris, quaſi in veſte pulla contemplantē acerbiſſimos filij cruciatus. q.d. Sicut filius non miſerè ſed miſericorditer moriens, hunc indignum, & indecorum ſibi luctum dedignabatur impendi; ſic & mater feliciſſima pro affectu commoriens filio, & quodammodò in ipſo moriens, quia os ex oſſibus eius, & caro ex carne eius ipſe: Quid, ait, fleris ſuper me, quaſi ſupra miſeram mulierem & matrē miſeri hominis? Nigra nunc ſum, quia oportet me cum filio deſpecto deſpici, & cū reputato leproſo leproſam reputari. Ille
Iſai. 53. Apoc 6. Iſai. 53. iuxta Prophetam ſol meus, nunc factus quaſi ſaccus cilicinus in oculis veſtris,& cui non eſt ſpecies neque decor; me quoque decet illi conformari, & pullo, atrôque habitu reorum aſſimilari: ſicut tabernacula Cedar, quaſi aliqua de peccatricibus, ait Honorius.

*Anagogicè.* Anagogicè: Anima nigra eſt, dum in hoc corpore miſero velut in vili & atro tabernaculo Cedar degit; ſed erit formoſa dum ad pelles Salomonis, id eſt, ad cælum emigrabit; Deus enim *extendit cælos ſicut pellem*. Pſalm. 103.2. Sicut enim pelles cælaturis, ſic cæli ſtellis & Angelis diſtinguuntur. Ita S. Bernard. Quare Anima iugiter aſpirās ad beatam vitam, formoſa eſt, quia ſimilis cælo, ait Orig. Audi S.Bernardum, ſerm.27. *Nec immeri-*
Bernard. *tò inde ſumit ſimilitudinem, unde ſumpſit originem. At quâ ratione huiuſcemodi cælis ſuam comparat formam? quia unum Deum adorat & colit, ſicut & Angeli: Chriſtum ſuper omnia amat; quomodo Angeli: caſta eſt quomodo Angeli, idque in carne peccati & fragili corpore, quod non Angeli: quærit poſtremò & ſapit quæ apud illos ſunt, non quæ ſuper terram. Quod euidentius cæleſtis inſigne originis quàm ingenitam, & in regione diſsimilitudinis retinere ſimilitudinem? gloriam vitæ cæleſtis in terra & ab exule uſurpari? in corpore denique penè beſtiali viuere Angelum; cæleſtis ſunt iſta potentiæ, non terrenæ.*

Symbolicè: Eccleſia & Anima fidelis *nigra eſt* per labores, diſtractiones, immunditias vitæ actiuæ, qualem agebant & agunt Cedareni, id eſt, Arabes, qui proinde nuſquam quieſcunt, aut ſedem fixam habent, ſed perpetuò in tabernaculis mobilibus; quæ æſtu, imbre, puluere ſordidata nigreſcunt, habitant, ac de regione in regionem vagantur, vti faciunt Nomades. Eadem *formoſa*, & vt S. Ambroſ. legit in Apolog. Dauid, *decora* eſt, per ſpeciem & quietem vitæ Contemplatiuæ, quam repræſentant pelles, id eſt tabernaculum Salomonis, hoc eſt, Regis pacifici.

Denique Eccleſia, & Anima fidelis militans nigra eſt ſicut tabernacula caſtrenſia Cedar, per luctas & vulnera, quæ dat vel accipit, dum aſſiduè cum hoſtibus confligit. Eadem verò triumphans formoſa eſt, Hebr. נאוה *naua*, id eſt, expetibilis, amabilis ſicut pelles Salomonis, quia cæleſti pace, honore, gloriâ, omnique bono perfruitur. Vnde ad illam aſpirans Pſaltes ingemiſcit: *Hei mihi*, inquit, *quia incolatus meus prolongatus eſt: habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea*. Pſal. 119. Dicit ergo Ec- Pſalm. 119.
cleſia filiabus Ieruſalem, id eſt, Animabus & Angelis in cælo triumphantibus: videte ne me militantem & puluere denigratam contemnaris, quia per has luctas generoſè certando ad veſtros tendam triumphos.

Tropologicè: Fideles & ſancti exteriùs *Moraliter.*
apparent abiecti, viles, luridi, atri; ſed interiùs ſunt virtutibus & ſapientiâ ſpecioſi. *Sepè*, inquit ille, *ſub vili palliolo latet Philoſophus.* Quocirca ſapienter monet Eccleſiaſtici cap.11.2. *Non laudes virum in* Eccli. 11.2.
*ſpecie ſua, neque ſpernas hominem in viſu ſuo.* Probat exemplo: *Breuis* (μικρὰ, id eſt parua) *in volatilibus eſt apis, & initium* (Græ- verſ.3.
cè ἀρχὴν, id eſt, *principatum*) *dulcoris habet fructus illius*, puta mel quod apis conficit. Vide ibi dicta.

---

Verſ. 6. *Nolite me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decolorauit me ſol.*

PRo *decolorauit* Hebr. eſt שזפתני Hebr.
*ſcheſchſchezaphatni*, quæ vox hîc tan- LXX.
tùm reperitur & Iob 20.9. vbi *Varia verſiones.*
Noſter vertit *vidit*, Septuag. *aſpexit*; Alij *intuitus eſt*. Varij ergo hîc variè vertunt. Septuag. *Nolite aſpicere, quòd ego ſim nigra*, LXX.
quia περιέβλεψε, *deſpexit*, hoc eſt obliquè aſpexit *me ſol*. Symmach. παρενέβλεψε, Symmach.
id eſt *obliquè aſpexit*. Theodotion: *torrefecit* Theodot.
*me ſol*. Aquila: *combuſsit me ſol*. S. Hierony- Aquila Hieronym.
mus: *quia deſpexit me ſol, ſiue vt melius in He-* Ambroſ.
*bræo continetur, decolorauit me ſol*. S. Ambroſ. verò lib. de Iſaac. cap. 4. *Quoniam non eſt intuitus me ſol*: παραβλέπω enim ſignificat obliquare oculos, quod ſæpe fit, cùm homines diſſimulant ſe videre quod vidēt,



Digitized by Google

& non rectâ facie, ſed tranſuerſâ intuentur, quod perinde eſt ac non intueri, itē limis toruiſque oculis aſpicere, inquit, Vatabl. Budæus. Vatab. *Eo quòd Sol me radiis feriendo intuitus* eſt. Symmach. *attigit*. Philo Carpathius pro παρέβλεψε; id eſt, *deſpexit*, legit περιέβλεψε; id eſt, *circumſpexit*, q. d. Nolite conſiderare me, quòd olim in gentiliſmo fuerim fuſca per infidelitatem, quia iam circumſpexit me ſol iuſtitiæ, qui ſuâ fide & gratiâ me circumquaque illuminauit.

## PRIMVS SENSVS TOTALIS,

*De Chriſto & Eccleſia.*

POſſunt hæc quadrupliciter exponi, iuxta quatuor ſenſus verſu præcedenti aſſignatos. Vnde per ſolem accipi poteſt æſtus, primò peccatorum mortalium: ſecundò venialium: tertiò concupiſcentiarum: quartò perſecutionum & tribulationum.

*Primus ſenſus.* Primò ergo aliqui ſic exponunt, q. d. Nolite me mirari méque deſpicere, quòd fuſca ſim; non per naturam, ſed per præterita idololatriæ, libidinis, gulę, ſuperbiæ, &c. ſcelera, quia ſol, id eſt, æſtus tentationum me fœdauit & denigrauit; ſed has maculas elui baptiſmo & pœnitentiâ. Ita Nyſſen. Aponius & alij. Aponius tamen per ſolem accipit Diabolum, qui ferè eſt incentor omnis tentationis, quâ decoloramur.

Vnde Chald. more ſuo hæc tribuens Chald. Iudæis, ſic vertit: *Dicit cœtus Iſrael coram populis: Nolite me deſpicere eò quòd nigrior vobis ſum, & quia feci iuxta opera veſtra, & adoraui ſolem & lunam.* Sic & Theodotion, Denigrata, inquit, ſum, dum creaturas adoro præterito Creatore, & Solem hūc viſibilem colo pro Sole iuſtitiæ, ſed breui candidabor per Chriſti gratiam, tuncque exclamabitis: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit* Cantic. 8. *dealbata?* Cantic. 8. 5.

Porrò S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. Ambroſ. 2. legens: *non eſt intuitus me ſol*, putà Sol iuſtitiæ, id eſt, Chriſtus, hunc verſum accipit de Synagoga relictâ, & ad tempus reiectâ à Chriſto, cùm ſcilicet Euangelium à Iudæis incredulis tranſtulit ad Gentes. Dicit ergo Synagoga Iudæorum, inquit S. Ambroſ. *Nolite refugere me, quia fuſca ſum: ideò fuſca ſum, quia ſol me reli-* Ambroſ. Malach. 4. *quit iuſtitiæ, qui antè illuminare conſueuerat: amiſi colorem vultus mei, obtuſa facta eſt acies oculorum meorum, quibus antè ſolem videbam. In tenebris ambulo, quia diem Chriſti neſcio.* Ioan. 11. *Nolite tamen deſpicere me, quoniam qui reliquit, poteſt rurſum aſpicere, miſereri iterum. Solet congregare diſperſos, deſertos requirere, colligere deſtitutos.* Et poſt pauca: *Non eſt intuitus me ſol, & ideo offuſcata ſum. Sed lucet Sol ſuper iuſtos & iniuſtos: ſuper iuſtos pro gratia, ſuper iniuſtos pro miſericordia, illis mercedem meritorum tribuens, iſtis peccata dimittens. Et gentibus non lucebat antè, nunc lucet. Nunc illis oritur, qui oriebatur mihi: qui illis remiſit, remittet & mihi. Nolite arbitrari quoniam obfuſcata ſum, quòd penitus reliquerit me ſol & iam non intueatur, nec reuiſat nigram. Diſſimulauit à me, quia non ſeruant mandata eius: reconciliabitur cùm viderit meorum pœnitentiam delictorum. Non vidit me ſol, quia non recepi aduenientem, non aperui feneſtras, vt lumen vitæ intraret. Cùm aperuero illuminabit oculos meos, qui venit vt totum mundum illuminaret, & videant etiam non videntes.*

Idem Serm. 12. in Pſalm. 118. idipſum attribuit Eccleſiæ Gentium, quaſi ipſa Synagogæ ſibi obiicienti gentiliſmum humiliter reſpondeat, confitendo priorem ſuam idololatriæ nigredinem, eò quod ſol fidei Chriſti eam, vtpote aſpectu eius indignam non reſpexerit. q. d. Quia ego ad Chriſtum credendo non aſpexi, hinc nec ille gratiâ ſuâ me reſpexit, ſed præteriit & deſpexit, inquit, Origen. hom. 2. ex quatuor.

Rurſum, Origen. hom. 3. παρέβλεψε vertit *obliquè aſpexit*. q. d. Fuſca fui, quia obliquè & diſtortè me aſpexit ſol iuſtitiæ Chriſtus, eo quòd ego prior ipſum obliquè & peruersè aſpexerim: omnis enim obliquitatis & peruerſitatis cauſa & origo eſt à nobis, iuxta illud Leuit. 26. 23. iuxta Septuag. *Si inceſſeritis mecum obliqui, & ego ambulabo in furore meo vobiſcum obliquus.* Hæc Origen. Lxx.

Secundò, Eccleſia & Anima iuſta dicit de ſe: Nolite mirari quòd fuſca ſim 2. per defectus & culpas veniales; hi enim non denigrant, ſed offuſcant animæ nitorem, quia decolorauit me ſol, id eſt, æſtus tentationis.

Tertiò, q. d. Nolite mirari, quòd fuſca ſim per varias paſſionum fuligines 3. & caligines, quia haſce iugiter exhalat innata mihi concupiſcentia, quæ me decolorat. Vnde S. Hieron. in cap. 3. Amos notat, quòd ſicut corpora otioſa & inertia ſole feriente vruntur, & fuſcantur; ſic quoque otioſi, otiôque marcentes tentationum æſtu flammantur, & denigrantur: quæ verò in ſole mo-



Digitized by Google

uentur, ambulant & laborant, ſolis radios parum ſentiunt; ſic quoque homines laborioſi, qui ad luctas & certamina ſe præparant, ſuperant mundi iniurias, & benedictionem Spiritus ſancti conſequuntur dicentis ad iuſtum : *Per*
Pſalm. 120. *diem ſol non vret te, neque luna per noctem.* Pſal. 120.6.

4. Quartò & genuinè. q. d. Nolite mira-
*Genuinè.* ri, quòd per tribulationes & ærumnas fuſcata ſim, quia hiſce me decolorauit æſtus perſecutionis; ſed idem mihi patientiam & conſtantiã afflauit, quæ longè magis me illuſtrat. Ita Caſſiod. Beda, Iuſtus Orgel. & alij. Simili ſenſu de Nazaræis in excidio Ieroſolymæ fame luri-
Thren. 4.8. dis & atris ait Ieremias: *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum & non ſunt cogniti in plateis.* Thren. 4.8. Hunc eſſe ſenſum liquet ex eo quod ſequitur : *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.*

Anſelm. Paulò aliter S. Anſelm. decolorauit, inquit, me ſol iuſtitiæ Chriſtus, quia ob eius fidem & amorem perſecutiones haſce ſuſtineo, quibus offuſcor.

Et S. Gregor. ac S. Bernard. ſerm. 28, qui ſic explicant: q. d. Candida ſum & pura in meipſa, ſed fuſca videor ſi cum ſplendore Sanctitatis Chriſti comparer: hic enim tantus eſt, vt me offuſcet & quaſi decoloret, ſicut ſtellæ oriente ſole eius ſplendore offuſcantur.

## SECVNDVS SENSVS PARTIALIS,

*De Chriſto & Anima iuſta.*

HÆc omnia quæ de Eccleſia dixi attribue Animæ, ſolo nomine commutato; quibus adde:

*Sol, Charitas.* Symbolicè; Sol accēdens, itáque quaſi conſumens & denigrans animam, eſt Charitatis æſtus, item ardēs deſiderium fruendi Deo, atque zelus iuſtitiæ, quo quaſi tabeſcit anima, cùm videt Dei offenſas & animarum perditionem, iuxta
Pſal. 68.10. illud Pſal. 68.10. *Zelus domus tuæ comedit me,*
& 118. 139. & illud Pſal. 118.139. *Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei.* Ita S. Bernard. ſerm. 28. qui & addit Charitatem quaſi decolorare animam, dum eam vrit & cruciat, vt fleat cum flentibus, infirmetur cum infirmis, dicátque cum Paulo: *Quis infirmatur & ego non infir-*
2. Cor. 11. *mor? Quis ſcandalizatur & ego non vror?* 2. Corinth. 11.

Similì modo deſiderium fruendi Deo languorem inducit animæ, indéque quaſi pallorem, fuſcedinem & deliquiũ.
Bernard. Audi S. Bernar. *Decolorari à Sole eſt igneſcere charitate fraternâ, flere cum flentibus, cùm infirmantibus infirmari, vri ad ſcandala ſingulorum. Vel ſic: Sol iuſtitiæ decolorauit me Chriſtus, cuius amore langueo. Languor iſte coloris quædam exterminatio eſt, & defectus in deſi-*
Pſal. 76. *derio animæ. Vnde & dicit: Memor fui Dei & delectatus ſum, & exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus. Ergo inſtar vrentis Solis deſiderij ardor peregrinantem in corpore decolorat, dum vultui gloriæ inhiantem impatientem facit repulſa, & excruciat amantem dilatio. Quis noſtrûm ita ſancto amore ardeat, vt deſiderio videndi Chriſtum omnem colorem præ-*
Ierem. 17. *ſentis gloriæ lætitiæq́; faſtidiat, & deponat: illa et propheticâ voce conteſtans: Et diem hominis non deſideraui; tu ſcis. Item cum ſancto David:*
Pſalm. 76. *Renuit conſolari anima mea, id eſt, præſentium bonorum inani lætitiâ deſpicit colorari.*

## TERTIVS SENSVS PRINCIPALIS,

*De Chriſto & B. Virgine.*

PRimò, B. Virgo quoad colorem fuit fuſca & ſubnigra, quales ſunt Ægyptij & Palæſtini, quia Sole torrentur. Id liquet ex imagine eius à S. Luca depicta, quæ Romæ in Baſilica S. Mariæ maioris religioſè colitur. Vnde Niceph. lib. 2. Hiſtor. c. 23. ex S. Epiphan. ſic eius formã
*B. Virginis facies deſcripta.* deſcribit: *Colore fuit triticeo, capillo flauo, oculis acribus, ſubflauas & tanquam oleæ colore pupillas in eis habens: Supercilia ei erant inflexa & decenter nigra, naſus longior, labia florida & verborum ſuauitate plena, facies non rotunda & acuta, ſed aliquantò longior, manus*
*B. Virgo fuſca.* *ſimul & digiti longiores.* Eadem habet ſanctus Anſelmus & Cedrenus in Compendio. Huc facit & Theocritus Idyllio 10. qui Syras fœminas eſſe fuſcas hiſce verſibus teſtatur:

*Bombyce gratioſa, vocant te omnes* Theocrit.
*Gracilem Sole combuſtam,*
*Ego autem ſolus mel recens.*

Secundò, B. Virgo in puritate & ſanctitate fuit luciſſima, quę tamen ſi cum tranſcendenti ſanctitate Dei & Chriſti comparetur, videtur offuſcari, ſicut Lunæ fulgor ſplendore Solis hebetatur & fuſcatur.

Tertiò, fuſca fuit, quia grauida fœtum vtero geſſit, eúmque peperit ſicut matres cæteræ, quæ dum concipiunt & pariunt, palleſcunt & fuſcantur: At B. Virgo conceptu & partu hoc non fuſcata, ſed potiùs deaurata & quaſi deificata fuit,

Digitized by Google

fuit, quia cõcepit & peperit Dei Filium, qui eſt lux mundi. Ita Rupert. *Nolite*, ait, *filiæ Ieruſalem conſiderare me quòd fuſca ſim, id eſt, corrupta, quia quòd tumentem habeo vterum, quòd inuenta ſum in vtero habens, non fecit vir, quia virum non cognoſco, ſed ita decolorauit me Sol. Verus Sol, & Sole Deus longè pulchrior, ſemetipſo me impleuit, de ſemetipſo vterum meum tumentem reddidit. Hoccinę eſt decolorari? Non apud vos, ô filiæ Hieruſalem, quæ habetis oculum ſimplicem, ſed apud ſuperborum cogitationes, quorum nequam eſt oculus. Non erat nequam oculus Ioſeph ſed quandam excuſabilem ignorantiæ nebulam habens, citò purgatus eſt, dicente ſibi Angelo Domini, quòd ſana cute decolorata eſſem, quam non flamma ignis de deorſum, ſed deſuper Sol decolorauit, quòd ſaluâ virginitate grauida eſſem, quam non vir terrenus, ſed Pater cæleſtis de Spiritu ſancto grauidam fecit.* Maternitas ergo Virginitatem in B. Virgine non decolorauit, ſed ſummè decorauit.

Rupert.

Denique in paſſione Chriſti aſſiſtens Cruci, non tam ſolis, quàm doloris ardoribus fuit fuſcata, ſed hanc fuſcedinẽ mox abſterſit glorioſa Chriſti Reſurrectio & Apparitio. Ita Hailgrinus & Guilielmus, q.d. Nolite me contemnere propter filij paſſionem & meam compaſſionem, aut propter totius vitæ varias contumelias, irriſiones & afflictiones: hæc enim nullâ meâ vel filij culpâ meritòve accidère, ſed quia decolorauit me Sol Iudaicæ inuidiæ & æſtus afflictionum, eò quòd filius meus me ſuæ Paſſioni conformari & aſſimilari voluerit.

---

Verſ. 6. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me: Poſuerunt me cuſtodem in vineis: Vineam meam non cuſtodiui.*

Hebr.

*Varia verſiones.*

P*Vgnauerunt contra me.* Hebr. נִחֲרוּ־בִי *Nicharu-vi*, id eſt, *irati ſunt*, vel *excanduerunt in me*. Alij, *contenderunt*, vel *rixati ſunt contra me*. Origen. *Dimicauerunt in me.* Septuag. *pugnarunt* ἐν ἐμοὶ, id eſt, *in me* in ablatiuo, id eſt, pro me: vel *in me*, id eſt, contra me, vt paſſim vertunt alij. Sæpè enim ἐν ἐμοὶ, id eſt, *in me*, Græcis ſumitur pro εἰς ἐμὲ, id eſt, *contra me*, in Accuſatiuo: poteſt tamẽ *in me* ſumi propriè in Ablatiuo, vti mox oſtẽdam. Symmach. *Oppugnauerunt me.) Poſuerunt me cuſtodem in vineis: vineam meam non cuſtodiui.* Pro *meam*, Hebr. habent, *quæ mihi eſt*, ſcilicet propria vel hæreditaria, aut dotalis, aut meis laboribus parta, aut mihi ſingulariter chara, & dilecta. Vatabl. *Filij namque matris meæ excandeſcentes in me poſuerunt me cuſtodem vinearum; ego autem vineam meam non cuſtodiui.*

Symmach.

Vatabl.

Grammaticè: Sponſa dat cauſam, cur decolorarit eam Sol, quòd ſcilicet fratres perſequentes illam cogerent agere cuſtodem in vineis alienis, vt propriam vineam cuſtodire non potuerit: in quibus dum ſingula luſtrando & cuſtodiendo oberrat, radiis Solis percuſſa, decolorata, & obfuſcata ſit. Ita Aben Ezra.

*Grammaticè*

*Filij matris meæ* ſunt fratres mei, ex eadem matre & eodem vtero geniti, qui proinde me, vt ſororem ſuam vterinam defendere, & ſummè diligere debuerũt: hi tamen contra omne naturæ ius & fas, contra omnem fraternum & maternum amorem pugnauerunt contra me: Magis enim ſe mutuò diligere ſolent fratres & ſorores ex eadem matre, quàm ex eodem patre, ſed ex alia matre geniti. Mater enim magis ſuos filios, vti in ſuo vtero conceptos, ſic & iam natos in ſua domo continuâque educatione & curâ aſſociatos, inter ſe vnit & copulat. Rurſum *filij matris* hîc vocantur ex alio patre geniti, ideóque diſſimiles habentes amores, affectus, & mores, ob quos pugnauerunt contra ſororem ſuam vterinam, ab alio patre genitam.

Iam quoad ſenſum Parabolicum & germanum per filios matris, Primò aliqui accipiunt filios Euæ, puta Gentes quaſlibet idololatras, quæ oppugnarunt Eccleſiam. Lyran. accipit Pharaonem & Ægyptios, qui perſecuti ſunt filios Iſraël. Exodi. 1. Vtrique enim, poſt deſcenſum Iacob in Ægyptum erant nati in Ægypto: vtrique ergo erant filij eiuſdem matris, id eſt, terræ Ægypti.

*Filij matris qui? Reſp. 1. Gentes idololatræ.*

Secundò, alij accipiunt Iudæos, qui apoſtatando à Deo vero & Moſe, deſciuerunt ad idola & ritus Gentium tempore Iudicum, Regum & Machabæorum, vt hæc querela, non ſit Eccleſiæ, ſed Synagogæ, putà Iudæorũ ritè Deum in Iudaiſmo colentium. q.d. Fratres mei Iudæi ex eadem ſtirpe Iſraelis, & Synagogâ velut matre mecum progeniti, deſciſcentes ad Idola, me Synagogam fidelium Iudæorum vnum Deum colentiũ oppugnarunt, atque multos ex eis peruerterunt, & ad idololatriam ſuam pellexerunt, quos proinde poſuerunt cuſtodes in vineis, id eſt, præſides & præfectos in adulterinis idololatrarum cœtibus, ac peruerſis Gentium religionibus, vt eas propagarent, omnéſque Iudæos ad illas traducerent; quò factum

*2. à Iudaiſmo Apoſtata.*

*Paraphraſis, Synagoga.*

eſt

Digitized by Google

eſt vt vineam meam, id eſt, veram Dei religionem, cultum, & fidem, verámque Dei Synagogam cuſtodire non potuerim, ſed multi ex ea defluxerint ad vineas, id eſt, Synagogas Gentium profanarum, iuxta illud: *Vinea Domini exercituum domus Iſraël eſt, & vir Iuda germen eius delectabile; & expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iuſtitiam, & ecce clamor.* Iſaiæ 5. 7. (Iſaiæ 5. 7.) Ita Chald. (Chald.) qui vertit: *Quia propheta falſi fuerunt cauſa, vt deuolueretur ira furoris Domini ſuper me, & docuerunt me, vt ſeruirem Idolis veſtris, & ambularem in inſtitutis veſtris: Domino autem ſeculi, qui eſt Deus non ſeruiui, neque ambulaui in legibus eius, neque cuſtodiui præcepta eius & legem eius.* Verùm Sponſa in hoc Cantic. libro eſt Eccleſia Chriſtianorum, non Synagoga Iudæorum; quare hæc verba ſunt Eccleſiæ, non Synagogæ.

3. *Genuinè. Iudæi.* Tertiò & genuinè, *filij matris* hîc intelliguntur Iudæi perſequentes Eccleſiam Chriſti: hi enim cum ea ex eadem matre putà Synagogâ (ex ea enim natus eſt Chriſtus, Apoſtoli cæteríque primi Chriſtiani, qui omnes fuère genere & gente Iudæi, iuxta illud; *De Sion exibit lex* (Euangelica) *& verbum Domini de Ieruſalem*. Iſaiæ 2. 3.) ſunt geniti, (Iſai. 2. 3.) ſed ex alio patre, putà Diabolo, cùm Eccleſia prognata ſit ex Deo & Chriſto, iuxta illud: *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri* (vt me occidatis) *vultis perficere*, Ioan. 8. 44. (Ioan. 8. 44) Sênſus ergo eſt, q. d. Iudæi obſtinati in Iudaïſmo, (*Paraphraſis Eccleſiæ.*) me Eccleſiam Chriſti, id eſt, Apoſtolos & primos Chriſtianos oppugnauerunt acerrimè, ideóque coëgerunt illos Iudæam deſerere, ac fugere ad Gentes, ibíque erigere & cuſtodire vineas, id eſt, Eccleſias exteras Gentium: quo factum eſt, vt vineam meam, id eſt, Eccleſiam in Iudæa ſitam, quæ mihi natiua & propria erat, ac vnicè à Chriſto commendata, cuſtodire non potuerim: quare ab ea expulſa, oberrare coacta ſum per vineas Gentium, vbi varios ſolis, id eſt, perſecutionis æſtus perpeſſa, ærumnis decolorata, afflicta, & offuſcata ſum: vbi obiter nota fructum perſecutionis Iudæorum; hæc enim cauſa fuit conuerſionis omnium gentium. Dum enim Iudæi, ait Lyran. voluerunt perturbare Eccleſiam, nolentes effecerunt vt Euangelium latiùs ſpargeretur, ac pro vna Eccleſia in Iudæa in omnibus gentibus conſtituerentur. Hoc eſt quod Iudæis improperat Paulus: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ,* (Act. 13. 46.) *ecce conuertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus.* Actor. 13. 46. Ita Origen. Caſſiod. Beda, Iuſtus Orgel. Haymo, Anſelm. & S. Bernard. ſerm. 29. Vnde Auctor Imperfecti in S. Matth. apud S. Chryſoſtom. hom. 3. *Viperarum*, ait, *natura eſt rumpere viſcera matrum ſuarum, & ſic naſci.* (Imperfect. in Matth.) *Quoniam ergo Iudæi aſsiduè perſequentes Prophetas corruperunt matrem ſuam Synagogam, ſicut ipſa lugens dicit in Cant. Filij matris meæ pugnauerunt in me, ideo Ioannes vocauit genimina viperarum.* Lucæ 3. 7. Quocirca huc alludens Chriſtus inducit parabolam vineæ, in quam mittens Deus operarios Prophetas, qui omnes à colonis, id eſt, à Iudæis occidebantur, tandem miſit filium, qui ab eiſdem crucifixus, Iudæam & Iudæos diſperdidit. Matth. 21. 33. Huc accedit S. Gregor. qui per filios matris accipit primos Chriſtianos iudaïzantes, qui ſuâ importunitate coëgerunt primitiuam Eccleſiam iudaïzare, & ſeruare Circumciſionem cæteráque lege veteri præſcripta. Huc accedunt & illi, qui putant hîc eſſe Hiſterologiam ſiue inuerſum ordinem, ſic enim rectò ordine hæc eſſe collocanda: *Poſuerunt me* (Apoſtoli) *cuſtodem in vineis*, id eſt, in Eccleſiis Gentium, quia *vineam meam* (id eſt Eccleſiam Iudææ) *non cuſtodiui*, id eſt, cuſtodire non potui; quoniam *filij matris meæ* (Iudæi) *pugnauerunt contra me.*

Quartò; filij matris accipi poſſunt 4.
Hæretici, qui Eccleſiam Matrem ſuam, *Hæretici.*
in qua baptizati & renati ſunt, oppugnant, affligunt, & decolorant, dum adulterinas ſuas vineas, id eſt, Synagogas Satanæ, in quibus ſuas hæreſes docent, inducunt, eíſque cuſtodes, id eſt, presbyteros, doctores & prædicatores præficiunt: quò fit vt Eccleſia orthodoxa ſeipſam cuſtodire nequeat, quin ab eis laceretur & lanietur. De his ait Ioan. *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis.* 1. Ioan. 2. 19. (1. Ioan. 2. 19) & Paulus Actor 20. *Ex vobis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe.* (Actor. 20.)

Quintò, filij matris accipi poſſunt 5.
praui Eccleſiæ Paſtores, Epiſcopi & *Praui Eccleſiæ Paſtores.*
Prælati, præſertim qui ambiunt Epiſcopatus & prælaturas, vt conſtituantur cuſtodes vinearum, id eſt, præſides Eccleſiarum, non Chriſti & animarum ſtudio, ſed vt opes congerant, ac cæteris ſuperbè præſint & dominentur in cleris: quare hi vineam ſuam, id eſt, Eccleſiam ſibi commiſſam non cuſtodiunt, ſed diſſipant & euertunt. Ita Origen. homil. 1. & Aponius. Vide S. Bernard.

hom.

hom.30.vbi pulchrè explicat quomodo animæ ſanctæ fugiant cuſtodiam vinearum,id eſt,præfecturam Eccleſiarum eò quòd dicant : *Vineam meam non cuſtodiui*, id eſt ; meam ipſius animam ſeruare & regere nequeo; quomodo ergo regam alienas in tanto numero? quare ſi inuitæ præficiantur aliis, iugiter mœrent & lugent.

*Symbolicè.* Symbolicè : Theodoret. S. Gregor. Philo Carpathius & Bernard. ſerm. 29. ac S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 2. ad v. 1. per filios matris accipiunt Apoſtolos, qui pugnauerunt contra Eccleſiam, ſed in vtilitatem Eccleſiæ, vt ſcilicet eā ab erroribus & vitiis expurgarent, ſicut contra Synagogam pugnauerunt Prophetæ.

Idem de Angelis ſanctis accipit Origen. hom. 2. qui in nobis pro nobis pugnant contra dæmones vt ſcelera deſtruant & virtutes inſerant. Verùm hæc accommodatitia ſunt, non litteralia, imò litteræ parum conſona.

## SECVNDVS SENSVS PARTIALIS,

*De Chriſto & Anima iuſta.*

*Primus ſenſus.* PRimò ; Filij matris oppugnant fratrem vel ſororem ſuam, cùm fideles impij perſequuntur virum fidelem & religioſum,v.g. Superiorem,Prædicatorem, Doctorem, &c. qui eorum impietatem & ſcelera redarguit, caſtigat,& reformat. Quoties in monaſteriis, Capitulis,Societatibus,vrbibus, &c.videmus & audimus Religioſos, Canonicos, Sacerdotes, Ciues diſſolutos vel ambitioſos oppugnare ſuum Ordinem, Eccleſiam, Congregationem, Vrbem? vt ipſa ſuſpirans geménſque dicat : *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Vide S.Bernard. ſerm.29.

2. *Filij Matris, Senſus & Concupiſcētia pugnant contra Rationem.* Secundò, Filij matris,id eſt, eiuſdem Animæ ſunt ſenſus & concupiſcentiæ, quæ ex eadem Anima pullulantes oppugnant ſuam ſororem, id eſt, Animæ rationem & mentem, dum ei rebellant, eámque ad ſua concupita, puta ad bona ſenſibilia contra legem Dei,quaſi ad vineas adulterinas trahere ſatagunt,& reipſa ſæpe pertrahunt : quò fit vt anima vineam ſuam,id eſt, ſtatum gratiæ, charitatis & virtutum, ex quo omnium bonorum flores & fructus germinabant, non cuſtodiat, ſed diſſipet & prodigat, iuxta illud : *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.* Thren. 3. 11. Ita S. Ambroſ. lib. de Iſaac & anima cap. 4. *Filij matris pugnauerunt in me, hoc eſt*, inquit, *impugnauerunt me corporis paſſiones, carnis illecebræ decolorauerunt me, ideò Sol iuſtitiæ mihi non refulſit.* Thren 3 11. Ambroſ.

Huc facit verſio Septuag. *filij matris meæ pugnauerunt in me.* In eadem enim anima ſunt concupiſcentiæ, quæ luctantur contra rationem & mentem,iuxta illud: *Caro concupiſcit aduerſus Spiritum, & Spiritus aduerſus carnem.* Galat.5. Quocirca Religioſi, qui norunt quàm difficile ſit homini cuſtodire vineam voluntatis ſuæ, quæ à ſororibus ſuis,puta à tot concupiſcentiis aſſiduè impugnatur, eam ſubiiciunt Prælato,illiúſque cuſtodiæ committunt. Hinc nonnulli apud S.Bernard. ſerm.29. inter quos eſt Gregor. Nyſſen. hom.2. & Pſellus apud Theodor. per filios matris accipiunt dæmones, qui primitus creati fuerunt in cælo iuſti & recti, quaſi filij ſupernæ Ieruſalem matris noſtræ,ſed à Lucifero ſeducti rebellantes Deo, ideóque cælo expulſi, fideles Dei odio Vatiniano perſequuntur,ideóque in eis excitant omnes prauos concupiſcentiæ motus, qui eos decolorant, & ſæpe comburunt perimúntque; nam *Concupiſcentia cùm conceperit parit peccatum, peccatum verò cùm conſummatum fuerit generat mortem.* Iacobi 1. L x x. Iacob. 1.

Anima ergo eſt quaſi ſpiritualis Vinea,cuius Pater æternus vinitor & agricola eſt.Ioan.15.1.quæ proinde ritè culta fert botros ſuauiſſimos, ex quibus exprimitur vinum exultationis & confeſſionis : alioqui *Vua eius vua fellis, & botri amariſſimi:fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.* Deuter. 32. 32. Rurſum vinea eſt ſtatus cuiuſque, v.g. ſacerdotium,coniugium,paſtoratus,&c. Sed præſertim virginitas: hæc enim ſuauiſſimas dat vuas & vinum deuotionis, orationis,contemplationis, vnionis cum Deo & Chriſto. Vnde S.Ambr. Exhort. ad Virg.ante medium:*Nemo*, inquit, *auferat vineam anima veſtra, & vilia olera ſerat. Vinea enim quidam fructus virginalis eſt : coniugia velut olerum plantaria ſunt, in quibus frequens Zelus eſt ; & ideo ſicut olera herbarum citò cadunt atque marceſcunt, niſi finem imponat ſenectus, aut ad perfectum vehat continentia. Non veniat ergo in vos Achab, qui concupiſcat vineam veſtrã delere & extinguere: Nec veniat in vos Iezabel, vanum illud & ſæculare profluuium ; hoc enim ſignificatur vocabulo, vana & vacua redundantia:ſed veniat Nabuthe,qui venit*

*Vinea eſt Anima :* Deut 32 32. *Et ſtatus cuiuſque.* Ambroſ.

*nit à patre, ſicut ſignificat nominis ipſius interpretatio, qui vineam ſanguine defendat ſuo, & pro eo mortem offerat.*

*Alluſio ad Paradiſum terreſtrem.*

Alludit,ait Nyſſen.hom.2.ad paradiſum terreſtrem, qui quaſi vinea tradita fuit Adæ à Deo, vt eum cuſtodiret. Geneſ.2.15. Sed Adam tentatus à dæmone & Eua, quaſi à fratre & ſorore ſua, nec ſe nec paradiſum cuſtodiuit. Vnde peccans, ex eo expulſus totam ſuam poſteritatem perdidit, & peccato originali decolorauit.Idem enim facit homo, qui animam quaſi vineam ſuam non cuſtodit; ſed eam peccato decolorat & dæmoni tradit,itáque excolit vineam, non paradiſi ſed inferni; non virtutum, ſed vitiorum; non legis diuinæ, ſed concupiſcentiæ.Vnde Nyſſen.cenſet Animam hic lugere caſum & ruinam ſuam, quà a vinea paradiſi expulſa eſt, quando in Adamo expugnata à ſerpente non cuſtodiuit vineam immortalitatis, impaſſibilitatis,ſimilitudinis Dei,& auerſionis à peccato. Denique S. Gregor. hom.17. in Euang.*Vineæ*,inquit, *noſtra ſunt actiones, quas vſu quotidiani laboris excolimus; ſed cuſtodes in vineis poſiti vineam noſtram non cuſtodimus, quia dum extraneis actionibus implicamur, miniſterium actionis noſtræ negligimus.*

Gregor.

## TERTIVS SENSVS PRINCIPALIS,

*De Chriſto & B. Virgine.*

1. PRimò, Iudæi Sororem ſuam, id eſt, B. Virginem genere Iudæam, æquè ac Chriſtum eius filium, variis iniuriis vexarunt & inſectati ſunt. Vnde nec filij morte mortua ſunt eorum odia. Pugnarunt, ait Rupertus, pugnas verborum, pugnas linguarum blaſphemantiũ; prædicarunt illis Apoſtoli & filiũ meum eſſe Deum, & me Dei matrem; illum de Spiritu ſancto conceptum, me intactam virginem in partu & poſt partum permanſiſſe.Mihi peculiaris erat cura populi mei, ſed eius improbitas coëgit me hanc curam aliò transferre.Verùm Deus pro vna vinea plurimas mihi colendas, & cuſtodiendas eſt largitus: quæ omnes cuſtodiam,ait,meam habent, & habere deſiderant de meritis meis præſumentes; de interceſſionibus meis confidentes,& pro huiuſmodi cuſtodia ad me iugiter clamantes. Sic Rupertus de peculiaribus totius Orbis Eccleſiis: nonne idem optimè vſurpemus de tot Parthenōpæis vbique Sodalitiis, quæ priuatæ quædam & peculiares ſunt Deiparæ vineæ? ait Delrio.

2. Aliter Guilielmus: Iudæi, inquit, pugnantes contra B. Virginem eiuſque filium Saluatorem mundi, pugnarunt cōtra ſuam ſalutem. Poſuerunt B. Virginem cuſtodem in vineis, quia ipſis contra eam vſque ad mortem ſæuientibus, illa animam ſuam poſuit in redemptionem (per Chriſtum) pro multis, &, vt multas vineas cuſtodiret, vineam ſuam non cuſtodiuit, id eſt, vt multas animas ſaluas faceret, vitam ſuam ſuíque filij morti expoſuit.

Guilielm.

---

Verſ. 7. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.*

*Conſtructiõ Textus.*

I*Ndica mihi* (Tu,ô Sponſe mi, qui es is) *quem diligit anima mea* (pluſquam ſeipſam, quia tu es anima & vita animæ meæ. Chriſtus enim eſt filius charitatis, ipſaque dilectio, ait Origen.hom.2.è quatuor:) *vbi paſcas, vbi cubes in meridie:* (pro *vbi* Hebr eſt אֵיכָה *echa*, quod verti quoque poteſt *quomodo*, quaſi modum paſcendi gregem Sponſa doceri poſtulet à Sponſo paſtore:) *ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Pro *cubes* Hebr. eſt תַּרְבִּיץ *tarbits*, id eſt cubare, accubare, quieſcere facias gregẽ tuum. S. Ambroſ. lib. de Iſaac & anima cap. 4. legit *vbi manes*,ac tres S.Script.ſenſus hîc denotari autumat.

*Grãmaticè.*

Grammaticè: Sponſa vineas cuſtodiẽdo oberrans Solis radiis vſta,decolorata & obfuſcata petit à Sponſo paſtore locum, in quo velut vmbraculo cũ gregibus quieſcat& cubet in meridie,id eſt, in ardore ſolis, vt ad eum ſe proripiat, ne ſole torreatur, ſed ibi Sponſi ſui vmbrâ, quiete & paſtu fruatur, ne alioqui vmbram quærens,incipiat vagari, incidátque in Sponſi ſodales,id eſt,æmulos, riuales,& aduerſarios. Solent enim paſtores in meridie greges ad ſtabula vel ſyluas, aut valles vmbroſas deducere,ne ſolis æſtu feriantur; ſed ibi partim ruminent, digeráutque eſcam, quam in agris comederunt, partim nouam à paſtore præparatam accipiant.Sponſa ergo in æſtu meridiei captat vmbram, quâ refrigeretur,nec vllam meliorem putat, quàm illam, in qua cubat Sponſus, iux-



Digitized by Google

hom. 30. vbi pulchrè explicat quomodo animæ ſanctæ fugiant cuſtodiam vinearum, id eſt, præfecturam Eccleſiarum eò quòd dicant: *Vineam meam non cuſtodiui*, id eſt; meam ipſius animam ſeruare & regere nequeo; quomodo ergo regam alienas in tanto numero? quare ſi inuitæ præficiantur aliis, iugiter mœrent & lugent.

*Symbolicè.* Symbolicè: Theodoret. S. Gregor. Philo Carpathius & Bernard. ſerm. 29. ac S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 2. ad v. 1. per filios matris accipiunt Apoſtolos, qui pugnauerunt contra Eccleſiam, ſed in vtilitatem Eccleſiæ, vt ſcilicet eā ab erroribus & vitiis expurgarent, ſicut contra Synagogam pugnauerunt Prophetæ.

Idem de Angelis ſanctis accipit Origen. hom. 2. qui in nobis pro nobis pugnant contra dæmones vt ſcelera deſtruant & virtutes inſerant. Verùm hæc accommodatitia ſunt, non litteralia, imò litteræ parum conſona.

## SECVNDVS SENSVS PARTIALIS,

*De Chriſto & Anima iuſta.*

*Primus ſenſus.* PRimò; Filij matris oppugnant fratrem vel ſororem ſuam, cùm fideles impij perſequuntur virum fidelem & religioſum, v.g. Superiorem, Prædicatorem, Doctorem, &c. qui eorum impietatem & ſcelera redarguit, caſtigat, & reformat. Quoties in monaſteriis, Capitulis, Societatibus, vrbibus, &c. videmus & audimus Religioſos, Canonicos, Sacerdotes, Ciues diſſolutos vel ambitioſos oppugnare ſuum Ordinem, Eccleſiam, Congregationem, Vrbem? vt ipſa ſuſpirans geménſque dicat: *Fily matris meæ pugnauerunt contra me.* Vide S. Bernard. ſerm. 29.

*2. Filij Matris, Senſus & Concupiſcentia pugnant contra Rationem.* Secundò, Filij matris, id eſt, eiuſdem Animæ ſunt ſenſus & concupiſcentiæ, quæ ex eadem Anima pullulantes oppugnant ſuam ſororem, id eſt, Animæ rationem & mentem, dum ei rebellant, eámque ad ſua concupita, puta ad bona ſenſibilia contra legem Dei, quaſi ad vineas adulterinas trahere ſatagunt, & reipſa ſæpe pertrahunt: quò fit vt anima vineam ſuam, id eſt, ſtatum gratiæ, charitatis & virtutum, ex quo omnium bonorum flores & fructus germinabant, non cuſtodiat, ſed diſſipet & prodigat, iuxta illud: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.* Thren. 3. 51. Ita S. Ambroſ. lib. de Iſaac & anima cap. 4. *Filij matris pugnauerunt in me, hoc eſt*, inquit, *impugnauerunt me corporis paſſiones, carnis illecebræ decolorauerunt me, ideò Sol iuſtitiæ mihi non refulſit.* *Thren 3 51. Ambroſ.*

Huc facit verſio Septuag. *fily matris meæ pugnauerunt in me.* In eadem enim anima ſunt concupiſcentiæ, quæ luctantur contra rationem & mentem, iuxta illud: *Caro concupiſcit aduerſus Spiritum, & Spiritus aduerſus carnem.* Galat. 5. Quocirca Religioſi, qui norunt quàm difficile ſit homini cuſtodire vineam voluntatis ſuæ, quæ à ſororibus ſuis, puta à tot concupiſcentiis aſſiduè impugnatur, eam ſubiiciunt Prælato, illiúſque cuſtodiæ committunt. Hinc nonnulli apud S. Bernard. ſerm. 29. inter quos eſt Gregor. Nyſſen. hom. 2. & Pſellus apud Theodor. per filios matris accipiunt dæmones, qui primitus creati fuerunt in cælo iuſti & recti, quaſi filij ſupernæ Ieruſalem matris noſtræ, ſed à Lucifero ſeducti rebellantes Deo, ideóque cælo expulſi, fideles Dei odio Vatiniano perſequuntur, ideóque in eis excitant omnes prauos concupiſcentiæ motus, qui eos decolorant, & ſæpe comburunt perimúntque; nam *Concupiſcentia cùm conceperit parit peccatum, peccatum verò cùm conſummatum fuerit generat mortem.* Iacobi 1. *L X X.* *Iacob. 1.*

*Vinea eſt Anima:* Anima ergo eſt quaſi ſpiritualis Vinea, cuius Pater æternus vinitor & agricola eſt. Ioan. 15. 1. quæ proinde ritè culta fert botros ſuauiſſimos, ex quibus exprimitur vinum exultationis & confeſſionis: alioqui *Vua eius vua fellis, & botri amariſſimi: fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.* Deuter. 32. 32. Rurſum vinea eſt ſtatus cuiuſque, v.g. ſacerdotium, coniugium, paſtoratus, &c. Sed præſertim virginitas: hæc enim ſuauiſſimas dat vuas & vinum deuotionis, orationis, contemplationis, vnionis cum Deo & Chriſto. Vnde S. Ambr. Exhort. ad Virg. ante medium: *Nemo*, inquit, *auferat vineam animæ veſtræ, & vilia olera ferat. Vinea enim quidam fructus virginalis eſt: coniugia velut olerum plantaria ſunt, in quibus frequens Zelus eſt; & ideo ſicut olera herbarum citò cadunt atque marceſcunt; niſi finem imponat ſenectus, aut ad perfectum vehat continentia. Non veniat ergo in vos Achab, qui concupiſcat vineam veſtrā delere & extinguere: Nec veniat in vos Iezabel, vanum illud & ſæculare profluuium; hoc enim ſignificatur vocabulo, vana & vacua redundantia: ſed veniat Nabuthe, qui veniſt* *Deut 32 32. Et ſtatus cuiuſque. Ambroſ.*

*nit à patre, ſicut ſignificat nominis ipſius interpretatio, qui vineam ſanguine defendat ſuo, & pro eo mortem offerat.*

*Alluſio ad Paradiſum terreſtrem.* Alludit, ait Nyſſen. hom. 2. ad paradiſum terreſtrem, qui quaſi vinea tradita fuit Adæ à Deo, vt eum cuſtodiret. Geneſ. 2. 15. Sed Adam tentatus à dæmone & Eua, quaſi à fratre & ſorore ſua, nec ſe nec paradiſum cuſtodiuit. Vnde peccans, ex eo expulſus totam ſuam poſteritatem perdidit, & peccato originali decolorauit. Idem enim facit homo, qui animam quaſi vineam ſuam non cuſtodit; ſed eam peccato decolorat & dæmoni tradit, itáque excolit vineam, non paradiſi ſed inferni; non virtutum, ſed vitiorum; non legis diuinæ, ſed concupiſcentiæ. Vnde Nyſſen. cenſet Animam hic lugere caſum & ruinam ſuam, qua à vinea paradiſi expulſa eſt, quando in Adamo expugnata à ſerpente non cuſtodiuit vineam immortalitatis, impaſſibilitatis, ſimilitudinis Dei, & auerſionis à peccato. Denique S. Gregor. hom. 17. in Euang. *Vinea*, inquit, *noſtra ſunt actiones, quas vſu quotidiani laboris excolimus; ſed cuſtodes in vineis poſiti vineam noſtram non cuſtodimus, quia dum extraneis actionibus implicamur, miniſterium actionis noſtræ negligimus.* Gregor.

## TERTIVS SENSVS PRINCIPALIS,

*De Chriſto & B. Virgine.*

1\. PRimò, Iudæi Sororem ſuam, id eſt, B. Virginem genere Iudæam, æquè ac Chriſtum eius filium, variis iniuriis vexarunt & inſectati ſunt. Vnde nec filij morte mortua ſunt eorum odia. Pugnarunt, ait Rupertus, pugnas verborum, pugnas linguarum blaſphemantiũ; prædicarunt illis Apoſtoli & filiũ meum eſſe Deum, & me Dei matrem; illum de Spiritu ſancto conceptum, me intactam virginem in partu & poſt partum permanſiſſe. Mihi peculiaris erat cura populi mei, ſed eius improbitas coëgit me hanc curam aliò transferre. Verùm Deus pro vna vinea plurimas mihi colendas, & cuſtodiendas eſt largitus: quæ omnes cuſtodiam, ait, meam habent, & habere deſiderant de meritis meis præſumentes; de interceſſionibus meis confidentes, & pro huiuſmodi cuſtodia ad me iugiter clamantes. Sic Rupertus de peculiaribus totius Orbis Eccleſiis: nonne idem optimè vſurpemus de tot Parthenopæis vbique Sodalitiis, quæ priuatæ quædam & peculiares ſunt Deiparæ vineæ? ait Delrio.

2\. Guilhelm. Aliter Guilielmus: Iudæi, inquit, pugnantes contra B. Virginem eiuſque filium Saluatorem mundi, pugnarunt cõtra ſuam ſalutem. Poſuerunt B. Virginem cuſtodem in vineis, quia ipſis contra eam vſque ad mortem ſæuientibus, illa animam ſuam poſuit in redemptionem (per Chriſtum) pro multis, &, vt multas vineas cuſtodiret, vineam ſuam non cuſtodiuit, id eſt, vt multas animas ſaluas faceret, vitam ſuam ſuique filij morti expoſuit.

---

Verſ. 7. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.*

*Conſtructiõ Textus.* INdica mihi (Tu, ô Sponſe mi, qui es is) *quem diligit anima mea* (pluſquam ſeipſam, quia tu es anima & vita animæ meæ. Chriſtus enim eſt filius charitatis, ipſaque dilectio, ait Origen. hom. 2. è quatuor:) *vbi paſcas, vbi cubes in meridie:* (pro *vbi* Hebr eſt אֵיכָה *echa*, quod verti quoque poteſt *quomodo*, quaſi modum paſcendi gregem Sponſa doceri poſtulet à Sponſo paſtore:) *ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Pro *cubes* Hebr. eſt תַּרְבִּיץ *tarbits*, id eſt cubare, accubare, quieſcere facias gregẽ tuum. S. Ambroſ. lib. de Iſaac & anima cap. 4. legit *vbi manes*, ac tres S. Script. ſenſus hîc denotari autumat.

*Grãmaticè.* Grammaticè: Sponſa vineas cuſtodiẽdo oberrans Solis radiis vſta, decolorata & obfuſcata petit à Sponſo paſtore locum, in quo velut vmbraculo cũ gregibus quieſcat & cubet in meridie, id eſt, in ardore ſolis, vt ad eum ſe proripiat, ne ſole torreatur, ſed ibi Sponſi ſui vmbrâ, quiete & paſtu fruatur, ne alioqui vmbram quærens, incipiat vagari, incidátque in Sponſi ſodales, id eſt, æmulos, riuales, & aduerſarios. Solent enim paſtores in meridie greges ad ſtabula vel ſyluas, aut valles vmbroſas deducere, ne ſolis æſtu feriantur; ſed ibi partim ruminent, digerántque eſcam, quam in agris comederunt, partim nouam à paſtore præparatam accipiant. Sponſa ergo in æſtu meridici captat vmbram, quâ refrigeretur, nec vllam meliorem putat, quàm illam, in qua cubat Sponſus, iuxta

ta quem meridianus feruor timendus non eſt.

## SENSVS PRIMVS ET ADÆQVATVS,

*De Chriſto & Eccleſia.*

1. Genuinè. PArabolicè & genuinè ad litteram ſignificatur, quòd Eccleſia æſtu perſecutionis Iudæorum & Gentium afflicta & decolorata, petat à Chriſto Sponſo ſuo locum in quo fideles ſuos paſcat, & cum iis refrigerium cubando captet in meridie, id eſt, in ardore tribulationis, vt ibidem à Sponſo paſcatur, animetur, corroboretur, ne alioqui incidat in Spõſi ſodales, id eſt, æmulos hæreticos, vel homines impios, à quibus pabulis hæreſum, errorum & vitiorum paſcatur. Vnde Chald. hæc more ſuo applicans Iudæis, in captiuitate ab idololatris vexatis & tentatis, ſic vertit: *Quando peruenit tempus, vt Moſes diſſolueretur ab hoc ſæculo, dixit coram Domino: Manifeſtum eſt coram me, quòd populus iſte futurus eſt, vt peccet, & vadat in captiuitatem: nunc autem indica mihi quomodo gubernantur, & quomodo habitabunt inter populos, quorum decreta ſunt his grauiora calore & æſtu in meridie, in reuolutione Tammuz.* (Chald.)

Beda. Appoſitè Beda: *Bene* inquit, *enim, cuius præſidium flagitat, Dilectum animæ ſuæ vocat, quia quo grauius eſt periculum, de quo eripi cupit, eò ampliùs illum, per quem ſe recipiendam nouit, diligit.*

Nyſſen. Magis patheticè Nyſſen. hom. 2. *Renuncia mihi*, inquit, *quem diligit anima mea: ita enim te nomino, quoniam nomen tuum ſuperat omnem cogitationem & intelligentiam, nec vniuerſa natura particeps rationis id effari poteſt, aut comprehendere. Nomen enim tuum, quo tua cognoſcitur bonitas, eſt meæ animæ ad te habitudo: quomodo enim te non diligam, qui me ſic dilexiſti, etiamſi adeò nigra eſſem, vt animam tuam poſueris pro ouibus, quas tu paſcis. Non poteſt cogitari hac maior dilectio, quàm tuâ animâ meam permutare ſalutem.*

*Meridies ſymbolum ardentis perſecutionis.* Nota: Meridies cùm ſol ardet ſymbolum eſt, primò ardoris perſecutionis & afflictionis, cùm illa quaſi eſt ſumma & in culmine: tunc enim vel maximè Eccleſia inuocat Chriſtum, vt ſibi auxilium & refrigerium præſtet. Ita Caſſiod. & Beda, *Chriſtus*, inquit, *qui paſcit oues ſuas, inter eas cubat in meridie; quia corda fidelium ſuorũ, ne feruore tentationum, intus areſcant, memoriâ supernæ ſuauitatis reficit, & in eis ipſe propitius manere conſueuit.* (Beda.)

Huc accedit S. Gregor. qui per meridiem accipit ardorem vitiorum. *In meridie*, ait, *Chriſtus ſub vmbra paſcit & cubat: quia in refrigeratione Spiritus ſancti ſibi quaſi requiẽ & paſtum parat. Per meridiem quippe ardor vitiorum exprimitur: per vmbram verò ſpiritualis gratiæ flatus deſignatur. Meridie ergo feruente in vmbra Chriſtus requieſcit; quia dum in reprobis æſtus vitiorum flagrat, ipſe ſponſæ ſuæ ſpiritum refrigerij tribuit, & in ea ſibi delectabilem locum quietis efficit. Sed hoc ſibi Sponſa indicari depoſcit, quod nulli vnquam declaratur, niſi ei qui idem ſanctificatricis gratiæ munus percipit.* Gregor.

Secundò, Meridies ſymbolum eſt ſũmæ claritatis fidei, æquè ac ſummę charitatis: in meridie enim clariſſima eſt dies, æquè ac ardentiſſima. Petit ergo Sponſa locum Sponſi in meridie, hoc eſt, petit ab aurora, id eſt, modicâ Dei cognitione traduci ad clariſſimam Dei & rerum fidei contemplationem, quâ omnes errores Iudæorum, aliorúmque infidelium velut nebulas illuminando diſpellat. Petit quoque ardentiſſimam charitatem, vt eâ ſuccenſa ardorem omnem perſecutionis & tribulationis vincat & ſuperet; iuxta illud: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Cant. 8. 7. Huc facit illud Abacuc 3. *Deus ab Auſtro veniet, per quod ſignificatur meridies, id eſt, feruor charitatis & ſplendor veritatis*, ait S. Auguſt. 18. Ciuit. 32. Vnde Origen. hîc hom. 2. è quatuor: *Poſtulat*, inquit, *Sponſa à Sponſo, vt ei locum ſecreti ſui indicet & quietis, quandoquidem amoris impatiens etiam per meridiem cupit audire Sponſum, eo præcipuè tempore, quo clarior lux, & ſplendor diei perfectus & purus eſt, vt aſſiſtat ei ales paſcenti vel refrigeranti.* (2. *Meridies ſymbolum ſummæ claritatis & charitatis.* Cant. 8. 7. Habac. 3. Auguſt. Origen.)

Idem hom. 1. è duabus: *Non quæro*, inquit, *alia tempora, quando veſpere, quando diluculo, quando in Solis paſcis occubitu. Illud tempus inquiro, quando in florente die, quando plenâ luce in maieſtatis tuæ ſplendore verſaris.* Idem.

Et S. Ambroſ. 4. Hexam. cap. 5. alloquens Chriſtum ſic ait: *In meridiana paſcis, hoc eſt, in Eccleſiæ loco, vbi iuſtitia reſplendet, vbi fulget iudicium ſicut meridies, vbi vmbra non cernitur, vbi maiores ſunt dies, quòd eis ſol iuſtitiæ tanquam æſtiuis diutius immoretur.* Ambroſ.

Idem ſerm. 2. In Pſal. 118. *Qui receperunt te*, inquit, *ſicut ſalutis auctorem in meridie ſunt. Illis lucet, illis calet gratia tua ſicut meridies: illis meridies factus es, qui paſcuntur in diuitiis tuis, & in te ſperant. Ideo vt dicit Dauid: Deduces eorum iuſtitiam tanquam lumen, & iudicium eorum tanquam meridiem.* Idem in Exhort. ad Virg. *Vbi Chriſtus manet, niſi vbi iuſtitia meridies fulget? Ideòque dicitur: In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Hinc Theodoret. (Idem. Pſal. 36. 6. Pſalm. 18. 6.)

docet

Digitized by Google

*Meridies, id eſt, clara & vniuerſalis fidei Prædicatio, Orthodoxæ Eccleſiæ Nota.*

docet hîc notam veræ fidei, & conſequenter veræ Eccleſiæ aſſignari Meridiem, id eſt, claram, publicam, & vniuerſalem orthodoxæ fidei toto orbe prædicationem; in ea enim meridiatur Chriſtus, indéque Eccleſia cognominatur Catholica, id eſt, vniuerſalis, ſiue toto orbe reſplendens; cùm hæreticorum ſectæ latebras & angulos quærant, nec niſi in vna alterâue prouincia deliteſcãt. Sic & S. Auguſt. lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 14.

3. *Meridies Chriſti Natiuitas.*

Tertiò, nonnulli cenſent Eccleſiam hîc petere à Chriſto vbi cubet in meridie, id eſt, vbi iaceat in præſæpio, cùm recèns natus eſt. Licèt enim natus ſit poſt mediam noctem in tenebris, tamen in eadem luce ſuâ illuſtrauit Orbem, vt videretur non eſſe nox, ſed meridies, iuxta illud dictum de Angelo annunciante Paſtoribus Chriſti ortum: *Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos.* Lucæ. 2. 9.

Luc. 2. 9.

*Meridies Chriſti Crucifixio.*

Melius tamen accipias per Meridiem Chriſti crucifixionem: in meridie enim crucifixus eſt, atque crux Chriſti Eccleſiæ, & fidelibus contra omnes perſecutionum & tribulationum æſtus, certum fidúmque præſtat vmbraculum & ſolatium: Aurora ergo vitæ Chriſti, fuit in natiuitate; dies in prædicatione; meridies in cruce; veſpera in ſepulcro. Ita Philo Carpathius. Tacitè ergo ſponſa, puta Eccleſia & Anima fidelis, quæ planè configurari optat Chriſto crucifixo, eiúſque crucem ferre, ſibique imprimere, petit quomodo (Hebr. enim אֵיכָה *echa* tã *quomodo*, quàm *vbi* ſignificat,) quomodo, inquã, Chriſtus in meridie, id eſt, in feruentiſſimo dolorum & tormentorum æſtu, ad horam nempe ſextam in duro crucis lectulo cubuerit, vt ad eius ſimilitudinem animum ſuum & ſtudium attemperet, ſe denique totam ad Chriſti in meridie crucifixi exemplar fingat & formet.

*Dies vitæ Chriſti.*

4. *Meridies, Ieruſalem.*

Quartò: Meridies ſymbolum eſt Ieruſalem & Sionis, vbi Chriſtus docuit, & Eccleſiam primam fidelium, Sanctorúmque inſtituit, iuxta illud Iſaiæ 2. *De Sion exibit lex, & Verbum Domini de Ieruſalem.* Ieruſalem enim vergit ad meridiem. Primi enim fideles in rebus dubiis, & quacumque tribulatione confugiebant ad B. Virginem, & Apoſtolos degentes in Ieruſalem, vt ab iis lucem, robur & feruorem acciperent, vt patet Actor. 15.

Iſaiæ 2.

*Meridies, Eccleſia Romana.*

Rurſùm, Meridies eſt Romana Eccleſia, ad quam S. Petrus iubente Chriſto ex Ieruſalem, & Antiochia tranſtulit primatum & Pontificatum ſuum: vnde ad illam velut ad vmbraculum & aſylum, confugiunt toto orbe fideles in quauis difficultate & dubio, vt ab ea in fide illuminentur, & in Dei amore accendantur. In ea ergo ſunt pabula Orthodoxæ doctrinæ, fidei, & rerum diuinarum. Hinc Aponius per meridiem accipit cathedrã Petri, ſiue Sedem Apoſtolicam: *Iſta*, inquit, *paſcua, Euangelica ſcilicet doctrinæ, quæ Apoſtolorum Principi reuelata eſt Petro, non videt anima, niſi quæ veſtigia Petri credendo & confitendo proſecuta fuerit.* Apon.

*Donatiſtæ refelluntur.*

Porrò, perperàm Donatiſtæ hoc loco abutebantur, vt probarent apud ſe in Aphrica eſſe veram Eccleſiam, quòd Aphrica ſit ad meridiem ſita; ſed eos rectè refellit S. Auguſt. ſerm. 50. de Verbis Domini ſecundùm Ioannem: Primò, quòd hæc ſint verba Sponſæ, id eſt, Eccleſiæ quærentis locum Sponſi in meridie, non autem Sponſi quærentis Sponſam Eccleſiam. Secundò, quòd Ægyptus, in qua erant examina ſanctorum Religioſorum, magis ſit ad Meridiem, quàm Africa. Tertiò, quòd in Africa duæ erant Eccleſiæ, vna Catholicorum, & altera Donatiſtarum: quærit ergo Sponſa in vtra iſtarum cubet & paſcat Sponſus, q. d. *O quem dilexit anima mea, annuncia mihi, doce me. Audio enim in Meridie, id eſt, in Africa, duas eſſe partes, imò multas conciſiones. Annuncia ergo mihi vbi paſcis, quæ oues ad te pertinent, quod ouile illic me iubes amare, cui me debeo ſociare, ne fortè fiam velut operta. Illudunt enim quaſi latenti, inſultant quaſi perditæ, quaſi nuſquam alibi exiſtenti. Ne ergo quaſi operta, quaſi latens fiam ſuper greges ſodalium tuorum Donatiſtarum, Maximianiſtarum, Rogatiſtarum, cæterarúmque peſtium extrà colligentium, & ideò ſpargentium, Rogo te, annuncia mihi, ſi illic paſtorem meum requiram, vt non in gurgitem rebaptizationis incurram.* Hæc Auguſt. Vide eundem lib. de Vnitate Eccleſiæ cap. 14. Auguſtin.

## SECVNDVS SENSVS PARTIALIS,

### *De Chriſto & Anima ſancta.*

Anima ſancta Solis, id eſt, tribulationis, tentationis, & concupiſcentiæ ardore decolorata poſcit opem Chriſti, qui fideles ſuos velut Sol meridianus verâ cognitioue illuſtrat, & magno Dei amore inflammat, vt omnes ærumnas

*Anima Solis id eſt, tentationis ardore decolorata, opem Chriſti implorat.*

alacriter & ardenter ſuperēt iuxta illud Eccleſiaſtici 34. 19. *Oculi Domini ſuper ti-*

Eccli. 34. 19.

*mentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani.* Et illud Iſaiæ:

Iſa. 25. 4.

*Quia factus eſt fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſua: ſpes à turbine, vmbraculum ab æſtu.* Confugiūt ergo ad Chriſtum, de quo Ieremias ait: *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus, ca-*

Thren. 4. 20.

*ptus eſt in peccatis noſtris, cui diximus: in vmbra tua viuemus in gentibus.* Thren. 4. 20. Vnde Sponſa id quod hîc petit conſecuta, c. 2. v. 3. ait: *Sub vmbra illius quem deſideraueram ſedi.* Hinc Meridies notat ſtatum perfectionis, in qua anima diligit Deum ex toto corde, ex tota mente, & ex omnibus viribus. Audi S. Auguſt. ſerm. 50. de Verbis Domini ſecundùm Ioannem: *Annuncia mihi vbi paſcis, vbi cubas in meri-*

Auguſt.

*die. Quid ſignat meridies? magnum feruorem, magnúmque ſplendorem. Ergo notum fac mihi, qui ſint ſapientes tui, ſpiritu feruentes, doctrinâ fulgentes. Dexteram tuam notam fac mihi, & eruditos corde in ſapientia. Ipſis inhæream in corpore tuo, ipſis ſocier, cum ipſis te fruar. Ergo annuncia mihi, vbi paſcas, vbi cubes in meridie ne incurram in eos, qui alia de te dicunt, aliud de te ſentiunt: Alia de te credunt, alia de te prædicant: Et greges ſuos habent, & ſodales tui ſunt, quia de tua menſa viuunt, & menſæ tua ſacramenta pertractant: ſodales enim dicti ſunt, quòd ſimul edant, quaſi ſimul edales,* &c. Hinc idem S. Auguſt. Epiſt. 48. ad Vincentium, per meridiem accipit iuſtos, *in quibus luce fulgentibus & charitate feruentibus, quaſi in meridie requieſcit.* In libro verò de vnitate Eccleſiæ cap. 18. Chriſtus cubat in meridie, id eſt, inquit, in iis *qui habent charitatem, & non diuidunt vnitatem.*

*Meridies ſunt charitate feruentes.*

Quocirca Aponius per Meridiem accipit ſacras Virgines, Monachos & Religioſos, nam *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectū diem.*

Prou. 4. 18.
Origen.

Prouerb. 4. 18. Audi Origenem homil. 2. è quatuor: *Si quando Sol Iuſtitiæ Chriſtus Eccleſiæ ſuæ excelſa, & ardua virtutum ſuarum ſecreta manifeſtat, amœna etiam paſcua, cubiliáque meridiana videbitur edocere. Nam cùm adhuc initia habet diſcendi, & prima, vt ita dicam, ab eo ſcientiæ ſuſcipit rudimenta, tunc dicit Propheta: Et adiuuabit eam manè diluculo. Nunc ergo quia perfectiora iam quærit, & excelſiora deſiderat, Meridianum ſcientiæ lumen expoſcit* iuxta illud Pſalm. 36. 6.

Pſalm. 36. 6.

*Reuela Domino* [illegible] *tuam, & ipſe faciet, & educet quaſi lumen* [illegible] *ſtitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem.*

*Meridies eſt in Euchariſtia.*

Rurſum, Nyſſen. hom. 2. cenſet Sponſam hîc petere pabulum Euchariſtiæ, quâ roborata viam capeſſat ad meridiem gloriæ cæleſtis: *Doce me*, inquit,

Nyſſen.

*dicere piam animam vbi paſcas, vt ſalutari perceptâ paſtione æterno implear nutrimento, quam qui non comedit non poteſt ingredi vitam æternam, & accurrens ad fontem diuinum potum hauriam, quem tu tanquam ex fonte præbes ſitientibus, aquam profundens ex tuo latere, ferro hac venâ apertâ; quam qui guſtauerit, fit fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Si enim tu his me paſcas, me omnino facies cubare in meridie, quando in pace ſimul dormiēs requieſcam in luce, quæ caret vmbrâ, ſole lucente ſuper verticem, in qua tu cubare facis eos, quos tu paviſti, quando tu pueros tuos excipies tecū in cubile. Nemo autē hac meridianâ requie dignus cēſetur, qui nō fuerit filius lucis, & filius diei: qui autem ex æquo ſe ſeparauit à veſpertinis & matutinis tenebris, hoc eſt, vbi incipit malum, & in quod deſinit, is in meridie, vt in eo cubet, collocatur à Sole iuſtitiæ.*

Cur?

Euchariſtia rectè vocatur meridies, tum quia continet Chriſtum, qui eſt ipſa lux mundi; tum quia contra omnes tentationes & concupiſcentias meridianum præbet vmbraculum; tum quia confert plenitudinem charitatis, & deliciarum luminúmque cæleſtium, iuxta illud: *Ieſus* &c. *cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in*

Ioan. 13. 1.

*finem* (amoris, id eſt, extremè) *dilexit eos* Ioan. 13. 1.

*Meridies eſt in cælo.*

Anagogicè: Meridies typus eſt cæli & cæleſtis gloriæ. Sicut enim in meridie ſol totam ſuam vim illuminandi & calefaciendi exerit, eámque toti terræ communicat; ſic Chriſtus in cælo totā quaſi diuinitatis ſuæ vim & gloriam exerit, primò in ſuam humanitatem, deinde in B. Virginem & Sanctos omnes, qua eos in corpore & anima omni lætitiâ, voluptate, boníſque omnibus replet, cumulat & beat. In hac vita ergo eſt aurora fidei, in altera meridies viſionis & amoris, iuxta illud: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.*

Pſal. 16. 15.
Bernard.

Pſalm. 16. verſ. vlt. Audi S. Bernardum ſerm. 33. *O verè meridies plenitudo feruoris & lucis, Solis ſtatio, vmbrarum exterminatio, deſiccatio paludum, fœtorum depulſio. O perenne ſolſtitium, quando iam non inclinabitur dies! ô lumen meridianum! ô vernalis temperies! ô æſtiua venuſtas! ô autumnalis vbertas, & ne quid videar præteriiſſe, ô quies & feriatio hyemalis! Aut certè ſi hoc magis probas, ſola tunc hyems abiit & receſſit. Hunc locum, inquit, tantæ charitatis, & pacis, & plenitudinis indica mihi, vt quemadmodum Iacob adhuc in corpore manens vidit Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima eius,* Geneſ. 32. &c. *Ita ego quoque te in lumine tuo, & in decore tuo per mentis exceſſum merear contemplari, paſcentem* [illegible] *vberius,*

*vberiùs, quieſcentem ſecuriùs: Nam & hîc*
*paſcis; ſed non in ſecuritate, nec cubare licet, ſed*
*ſtare & vigilare oportet propter timores nocturnos.*
*Heu: nec clara lux, nec plena refectio, nec manſio*
*tuta. & ideo indica mihi vbi paſcas, vbi cubes*
*in meridie. Beatam me dicis, cùm eſurio &*
Matth. 5. Pſal. 64. *ſitio iuſtitiam. Quid hoc ad illorum felicitatem,*
Pſalm. 67. Matth. 5. *qui repleti ſunt in bonis domus tuæ, qui epulantur*
*& exultant in conſpectu Dei, & delectantur*
*in lætitia?* Et paucis interiectis: *Omnia mi-*
Pſalm. 15. *hi hic cedunt citra perfectum, plura præter vo-*
*tum, & totum nihil. Quando adimplebis me læ-*
Pſalm. 26. *titia cum vultu tuo? Vultum tuum Domine re-*
*quiram, vultus tuus meridies eſt. Indica mihi*
*vbi paſcas, vbi cubes in meridie. Scio ſatis vbi*
*paſcas non cubans; Indica mihi vbi paſcas &*
*cubes?*

*Meridies, beata Æternitas.* Auguſtin. Hinc S. Auguſtinus in Pſalm. 54. per
Meridiem accipit beatam æternitatem:
*Veſpere*, inquit, *manè, & meridie narrabo &*
*annunciabo, & exaudiet vocem meam. Euange-*
*liza tu, noli tacere tu, dic quid accepiſti. Veſpere*
*de præteritis, manè de futuris, meridie de ſempi-*
*ternis. Ideo ad id quod ait, Veſpere, pertinet quod*
*exauditur vox eius: finis enim in meridie eſt, ſed*
*inde non declinatur in occaſum. In meridie enim*
*lux excelſa eſt, ſplendor ſapientiæ, feruor dile-*
*ctionis. Veſpere, manè & meridie. Veſpere Domi-*
*nus in Cruce, manè in Reſurrectione, meridie in*
*Aſcenſione. Et enarrabo veſpere patientiam mo-*
*rientis, annunciabo manè vitam reſurrectionis,*
*orabo vt exaudias meridie ſedens ad dexteram*
*patris.*

Myſtici & contemplatiui per meri-
diem accipiunt ſummum contempla-
*Meridies, Summus Contemplationis gradus.* tionis & amoris gradum. Vnde S. Lau-
rent. Iuſtinian. de ligno vitæ tract. de
Oratione cap. 10. ſex contemplationis
gradus aſſignat, atque ſextum & ſum-
mum hunc ponit: *Sextus contemplationis*
Laurent. Iuſtin. *gradus eſt, quando animus illâ ex diuini lumi-*
*nis irradiatione cognoſcit, quibus omnis humana*
*ratio declinat, & intelligibilium intelligentia*
*rationem amittit, & omnem humanam ratioci-*
*nationem & intentionẽ tranſcẽdit. Hinc emanãs*
*fluminis impetus lætificat animum contemplãtis*
*memoriâ abundantiæ ſuauitatis Dei, in quo gu-*
*ſtu cùm ad Deum totis præcordiis amandum fa-*
*cilè abducat hominem potentia eius, & virtus*
*& gloria, maieſtas, bonitas, beatitudo, ad con-*
*templanda eius amabilia per ſeipſa in affectum*
*cordis contemplantis eluceſcentia, hoc potiſſimum*
*amantem rapit in amabilem, quia ipſe in ſeipſo*
*eſt quicquid in eo amabile eſt, qui eſt totum quod*
*eſt, qui bono amore ipſius boni ſic ſe intendit pius*
*affectus, vt non ſe inde reuocet, donec vnus cum*
*eo ſpiritus effectus ſit: quòd cùm in eo fuerit per-*
*fectum, iam ſolo mortalitatis velo differt, ac di-*
*uiditur à ſanctis ſanctorum, à ſumma illa bea-*
*titudine ſupercæleſtium, quâ tamen in fide &*
*ſpe eius, quem amat, in conſcientia fruitur.*

## SENSVS TERTIVS PRINCIPALIS,

### *De Chriſto & B. Virgine.*

PRimò, Honorius Auguſtod. ſic de *Senſus 1.* Honor. Auguſtod.
ea exponit: *Maria anima Chriſtum di-*
*lexit, ideo omnia ſecreta patris ei innotuêre.*
*Caſtiſſima virgo fuit meridies, de Spiritu ſancto*
*ſplendens & feruens, in quem Chriſtus declina-*
*uit æſtum libidinoſorum, & cubauit in eius hu-*
*militate, paſtus eſt in eius caſtitate. Ne vagari,*
*&c. id eſt, notifica omnibus quòd in me requie-*
*ueris, ne hæretici dilacerent dicentes: ſi virgo*
*peperit, phantaſma fuit. Et ego vagor per eorum*
*greges, quia in ſecretis & conuenticulis eorum*
*ſum pſalmus eorum.* Hæc vera ſunt, ſed
huic loco minùs congrua.

Secundò Rupertus hæc adaptat B. 2.
Virgini quærenti Chriſtum triduo per-
ditum, eúmque inuenienti in templo:
*Fili*, inquit, *quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus*
*& ego dolentes quærebamus te.* Lucæ 2. 48. In Luc 2. 48.
templo enim eſt meridies, id eſt, do-
ctrina veritatis & ardens prædicatio
charitatis.

Tertiò, idem Rupertus, & Guiliel- 3.
mus, atque ex iis Delrio cenſent his
verbis B. Virginem aſpirare primò ad
cælum; ſecundo ad Chriſtum ſuum, vt
eo fruatur facie ad faciem. q. d. Aſſume
me, quò aſſumptus es, vt tecum paſcar,
tecum cubem, quæ te olim tam deuotè
paui, & toties cubitum collocaui. Emiſ-
ſus es olim è ſede magnitudinis tuæ, vt
mecum eſſes & mecum laborares: Emit-
te me nunc de carcere ærumnoſæ vitæ
huius, vt tecum ſim, & pauſem tecum
poſt tantos labores materni affectus: ter-
tiò non addere quem paſcat, aut quos, vt
noſtrum exerceat intellectum; quia non
tantùm illic ſuos paſcit, hoc eſt, ſanctos
Angelos, ſed etiam humanitatem ſuam
perennibus deliciis diuinitatis ſuæ. Vn-
de poſtea dicetur ipſemet paſci inter li-
lia. Paſcit quà Deus, paſcitur quà homo:
quartò addit in meridie, quia ibi ſempi-
terna meridies eſt, ibi iugis feruor diui-
næ claritatis eſt, vbi cubat Ieſus, vbi qui-
eſcit diuinitati vnita humanitas. Ibi pia
mater petebat paſci ab ipſo Deo, paſci
cum ipſo homine, ibi cum ſuo Ieſu cu-
bare: quintò ſodales eſſe Apoſtolos, qui
in gentium diſperſione quaſi vagaban-
tur Euangelium toto orbe circumferen-



Digitized by Google

bræo vertũt: *Si ignoras tibi*, id eſt, *ſi ignoras*, ſicut mox in Hebr. dicitur צאי לך *tſei-lach*, id eſt, *Egredere tibi*, id eſt, *egredere*, & alibi ſæpè. Sic *te* vel *tibi* apud Latinos ſæpe redundat, vt *tute hoc feciſti*, *vade tibi*, *viue tibi*, *ecce tibi*, id eſt, *ecce*. Sic ſenſus erit, q.d. Si ignoras, ô Sponſa, vbi cubem ego Spõſus tuus in meridie, abi & ſequere veſtigia gregum & paſtorum; inter eos enim me inuenies quaſi paſtorum paſtorem & principem. Hic ſenſus valde facilis & planus eſt, & ſententiam aliàs impeditam expedit, clarámque efficit. Ita Titelmannus, Hortolanus, Sanchez, Sottomaior & alij Hebraicè periti.

Verùm Patres Græci & Latini vrgent & põderant τὸ *te*, æquè ac Septuag. vertentes σεαυτὴν, id eſt, *teipſam*. Sic ſenſus

Si ignoras te 1. *Senſus.* eſſe poteſt: primò q.d. Si ignoras te, id eſt, tuam pulchritudinem, pulchrúmque tabernaculum, in quo paſco & cubo in meridie, quia tuum tabernaculum pariter meum eſt, ſicut tua pulchritudo pariter mea eſt: vbi enim eſt Sponſa, ibi eſt & Sponſus; vbi eſt Eccleſia, ibi eſt Chriſtus. Quare ſi id ipſum ignoras, egredere & abi poſt veſtigia gregum & fidelium tuorum: tui enim greges, mei quoque ſunt; atque vbi greges mei ſunt, ibi ſum quoque ego earum fidus & indiuiduus paſtor: *Et paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum*, puta *Apoſtolorum* & Doctorum: illos enim ego tibi præſides præfeci & magiſtros conſtitui, atque ego in medio ipſorum verſor & dego, vti dum viuerem in medio ipſorum à parentibus meis inuentus ſum in templo. Lucæ 2.46. iuxta illud: *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad con-*

Matth. 28. 20. *ſummationem ſeculi.* Matth. 28. 20. quare per hoſce paſtores ego te verâ doctrinâ paſcam, & in omni ſolis, id eſt, perſecutionis ardore ſolabor & protegam: hos ſi ſequaris non incipies vagari, nec incides in meos ſodales, id eſt, æmulos & riuales Hæreticos cæterorúmque errorum magiſtros. Ita S. Athanaſ. in Synopſi & Iuſtus Orgel. qui rectè notant cauſam ignorationis Sponſæ, cur ſcilicet illa ignoret vbi Sponſus cubet in meridie, eſſe, quòd ipſa ignoret ſeipſam, ſuámque pulchritudinem; quare eam introſpiciat, atque in ea Sponſum inueniet.

2. Secundò, Nyſſenus cenſet hæc verba non eſſe Sponſi, ſed adoleſcentularum ad Sponſam querentem ſe ſolis æſtu decoloratam. q. d. Eſto tibi decolorata videaris, reuera tamen es pulchra per excellentiam, id eſt, pulcherrima es mulierum, quòd ſi ob perſecutiones & ærumnas id ignoras, abi poſt tuos greges & paſtores, ab illis audies te laudari, tuámque pulchritudinem plenis buccis concrepari.

Verùm hic ſenſus videtur impertinens; non enim reſpondet interrogationi Sponſæ quærentis, non, an ipſa ſit pulchra, ſed vbi Sponſus paſcat & cubet in meridie.

Tertiò, Titelman. & alij cenſent hæc 3.
dici per Ironiam. Pupugerat enim Spõſa Sponſum ſtimulo zelotypiæ dicens: *Ne vagari incipiam*: quare Sponſus ſtimulum hunc in eam iocando reflectit, veluti ſi amator quiſpiam volens perſuadere Sponſæ, quòd nuſquam alibi ſic poſſit, vt apud ipſum, cõmodè & honorificè tractari, ita eam alloquatur: Si ignoras temetipſam, ô Sponſa mea: ſi nondum tibi ſatis cognita eſt conditio tua, in qua apud me agis, Egredere, & abi poſt amatores alios, illicque operam da tuis voluptatibus & deſideriis explendis, vt videas & experientiâ ipsâ tandem cognoſcas, quàm ſit diſſimilis tua conditio ab illis, quæ aliis adhærent amatoribus. Huc accedunt Caſſiod, & Beda, qui exponunt per comminationem, q.d. Si ignoras, ô Sponſa, quòd pulchra facta ſis per baptiſmum, & pulchrior futura per tribulationum, quas tibi idcirco immittere decreui, tolerantiam, Egredere à meo conſortio, & errantium actus imitare. Et S. Gregor. hic: *Quiſquis*, inquit, *neſcit ſe in hoc* Gregor.
*poſitum, vt tentationes per ſufferentiam vincat, à familiaritate Chriſti recedit; quia in bello poſitus, cum Domino ſuo pugnare recuſat.*

Quartò & genuinè, videntur hæc eſſe 4. *Genuinè.*
verba non ſolius Sponſi, ſed & ſociorum eius; vnde & mox ſocij hi aiunt: *Murenulas aureas faciemus* in plurali, non *faciam* in ſingulari, vti ibidem notant Iuſtus, Rupert. Anſel. & S. Bernard. Sponſus ergo non per ſe, ſed per ſocios ſuos reſpondet Sponſæ: *Si ignoras te*, id eſt, tuas vias, tuos greſſus, quibus ad me tendis, q.d. Si ignoras iter & viam, quam inſiſtere debeas vt ad locum, in quo paſco & cubo in meridie peruenias, *abi poſt veſtigia gregum tuorum*. Hebr. *Exi tibi in calcaneis* Hebr.
*ouium*. Septuag. *Egredere tu in veſtigiis gre-* LXX.
*gum* (τὸ enim *ſuorum* non eſt in Hebræo,
nec in Græco) Symmach. *Egreſſa vade ſe-* Symmach.
*cundùm veſtigia gregum*, hoc eſt, ſequere fidem, vitam, & mores priſcorum fideliũ, qui Deo placuerunt, putà Patriarcharum & Prophetarum. Hi enim ſunt tui, id eſt, non tam ad legem veterem, quàm ad nouam, Chriſtique Eccleſiã pertinẽt, teſte

Digitized by Google

teſte S. Aug. *Paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorũ*, id eſt, infirmos tuos fideles & peccatores, qui malè olent, vt hirci, & hœdi ob putidam concupiſcentiam, paſcito iuxta tabernacula paſtorum, id eſt, iuxta Eccleſias Apoſtolorum, & eorum qui Apoſtolis ſucceſſerunt; ab iis enim in fide & virtute firmabuntur, & à concupiſcentiis curabuntur; quare ibi inuenient Sponſum animæ ſuæ Chriſtum in meridie, id eſt, fulgore doctrinæ & feruore charitatis recubantem, ſuóſque fideles per Apoſtolos viróſque Apoſtolicos paſcentem. Alludit grammaticè ad hœdos, qui naturali inſtinctu agnoſcunt matres, eáſque ex odore agnoſcentes illicò ad illas confugiunt. Fingitur enim hîc Sponſa hœdos paruulos & infirmos paſcere, & lactare iuxta tabernacula paſtorum, qui hircos & capras adultas paſcunt: quare ex hœdis, qui ex odore agnoſcuut & aduolant ad vicinas capras quaſi matres ſuas, agnoſcit Sponſa paſtrix vbi ſit Sponſus paſtor ouium & caprarum. Senſus eſt ergo, q.d. ait Hortolanus: Si quando, ô Eccleſia Sponſa mea pulcherrima, inter maximas perſecutiones & rerum omnium difficultates perplexa, & inops conſilij hærebis, obſerua maiorum tuorum fidem, & in perferendis malis infractum animum: quæque illi his veluti pedibus ſuis difficiles ingreſſi vias, reliquerunt impreſſa veſtigia, heroïca ſua facta, raræ fortitudinis ac conſtantiæ, tibi tuóque gregi imitanda exempla. Iiſdem tu quoque ingredere pedibus, eadem tere veſtigia, eam rectam túque & grex tuus perpetuam tenete viam: ea vos proculdubio, ad mea paſtorum Principis aliorúmque inſigniũ paſtorum perducet mapalia, in virentibus irriguis, & opacis Iſraëliticorum montium locis fixa. Ibi nullum, qui te deceptam vitiet, aut ſolicitet offendas pſeudo-Chriſtum, nullum pſeudoprophetam, ſed meipſum, qui te incorruptã perpetuò ſeruaturus ſum & illibatam; verùm Chriſtum & legitimum Sponſum tuum, meóſque qui gregem meum ex animi mei ſententia, doctrinâ ſanâ & ſcientiâ paſcant fidos paſtores. Ibi iubeo vt paſcas hœdos tuos, tuos inquã filios tibi recèns natos, quin & adultos, ſed moribus adhuc & iudicio neophytos laſciuientes, auribus prurientes, rerum nouarum cupidos, & voluptatum (quarum virus redolent) magis quàm mei amatores. Ibi tuos hœdos à meridiani ſolis incommodis tutos, cum reliquo meo grege iubeo vt facias accubare, prædicando verbum opportunè, importunè, obſecrando, increpando cum omni patientia & doctrina.

*Paraphraſis.*

Huc accedit Chaldæus, qui de more Iudæis hæc applicans ſic vertit: *Dixit ſanctus & benedictus Moſi propheta: Tu poſtulas vt deleatur illis exilium: Synagoga quæ comparata eſt puellæ pulcherrimæ, & quam anima mea diligit, ambulet in viis iuſtorum, & ordinet orationem ſuam in ore Præfectorum ſuorum, & deducat generationes ſuas, & doceat filios ſuos, qui comparantur hædis caprarum, vt ambulent in domum Eccleſiæ, & in domum doctrinæ: & propter illud meritum ſuſtentabuntur in captiuitate, donec mittam eis regem Meſsiam, qui ducat eos in requiem ad tabernaculum ipſorum, quod eſt domus ſanctuarij, quam ædificabunt ei Dauid & Salomon paſtores Iſraël.* Chald.

Minùs appoſitè aliqui paſtores non veros, ſed falſos hîc accipiunt. q.d. Sequere veſtigia gregum, id eſt, fidem & mores priſcorum iuſtorum, ſic fiet vt etiam impunè hœdos, id eſt, fideles tuos imperfectos ductare poſſis circa tabernacula paſtorum, perfidorum inquam illorum ſodalium, quos pertimeſcebas; ideóque decreui te ſimilem facere equitatui meo, robori, & potentiæ, quam oſtendi in curribus Pharaonis, ſcilicet proſternendis & mergendis in mari rubro.

Denique ſolatur Sponſus, animátque Sponſam compellando eam, *ô pulcherrima mulierum*. q. d. Videris tibi, ô Sponſa, ſole perſecutionum decolorata & obfuſcata; at ſcito te ex dono & gratiâ Dei eſſe pulcherrimam mulierum. Id explicat & confirmat dum ſubdit: *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis, collum tuum ſicut monilia*, &c.

Tropologicè: Primò *ſi ignoras te, egredere*, &c. q. d. Cognitio ſui ipſius eſt via ad cognitionem Dei, ſicut ignoratio ſui, eſt ignoratio Dei: cognoſcens enim ſuam infirmitatem, cogitur agnoſcere Dei gratiam & omnipotentiam, eámque ſupplex inuocare. Vnde Agapetus Diaconus Admonit. ad Iuſtinianum Imper. *Qui ſe nouit*, inquit, *Deum noſcet. Deum noſcens Deo aſsimilabitur; Aſsimilabitur qui Deo dignus erit, qui nihil Deo indignum admittit, ſed cogitat quæ Dei ſunt, & quæ cogitat loquitur, & quæ loquitur facit.* Vide S. Bernardum lib. 2. de Conſider. ad Eugen. cap. 3. & S. Ambroſium ſerm. 1. in Pſalm. 118. & Origenem hîc hom. 2. ex quatuor. Vnde S. Hieronymus Epiſt. 22. ad Euſtochium: *Sis licet pulchra*, inquit, *& inter*

*Tropologicè.* 1. *Cognitio ſui eſt via ad cognitionem Dei.*

Agapet.

omnes

tes: petere autem piam matrem, ne iam expletis maternis officijs omnibus, emerita & plena dierum, cum Apoſtolis nouum ſubire profectionum & prædicationis laborem iubeatur, cui pares erant ipſi Apoſtoli, Spiritus ſancti gratiâ & cæleſti luce ſatis inſtructi.

*Ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Pungit Sponſa Sponſum ſtimulo zelotypiæ. q. d. Indica mihi locum vbi cubes in meridie, alioqui periculum eſt, ne vagando in tuos æmulos & corriuales incidam, qui te excluſo me ſibi in Sponſam ambiunt, vti fecerunt Sponſi Penelopes.

*Variæ verſiones.*

Hebr. *quia cur ero ſicut vaga ſuper greges ſociorum tuorum?* Pro *ſicut vaga*, Hebr. eſt כעטיה *Keotejah*, id eſt, *ſicut amicta, operta, tecta*, vel *ſicut operiens ſe*, aut *ſicut declinans, diuertens, vagans, errans*. Alij, *ſicut increpata & obiurgata*. Ita Pagnin. Vnde Septuag.

Pagnin. LXX.

vertunt: *Ne fortè efficiar ſicut adoperta ſuper greges ſodalium tuorum.* Pro *adoperta* Græcè eſt περιβαλλομένη, quod S. Hieronym. in verſione Origenis vertit: *cooperta*. Alij: *Circumducta*. Symmach. & ex eo Theodor. ῥεμβομένη, id eſt, *vaga, vacillans* & errans, aut potiùs *circumagitata & rotata vti lapis rotatur in funda*, vt cum fundibularius maiori impetu vibret & eiaculetur: σφενδὸν enim eſt *funda*.

Origen. Symmach.

*Adoperta quintupliciter.*

Porrò, τὰ *amicta* vel *adoperta* quintupliciter accipi poteſt. Primò pro meretrice;

1. *Meretrix.*

hæc enim olim palliolo aut velo ſe tegere & operire ſolebat, ex pudore ne agnoſceretur, vti patet de Thamar, Geneſ. 38. Vnde Vatabl. vertit: *Ne oberrans per greges ſodalium tuorum videar palliolata, id eſt, meretricula.* Alij: *Cur ergo quaſi quæ declinat, & diuertit ad greges ſodalium tuorum?* hoc eſt, eorum, qui ſe dicunt tuos ſodales, cùm quiduis aliud potiùs ſint.

Vatabl.

2. *Lugens.*

Secundò, & melius *cooperta*, id eſt lugens: lugentes enim ſolent caput, & faciem velo operire, preſertim viduæ, quæ lugent mortē mariti. q. d. Cur te, ô Sponſe mi, abſēte, ego Sponſa tua videbor vidua, & lugēs tui abſentiam velut mortē.

3. *Modeſtia.*

Poſſet tertiò, τὸ *cooperta* notare modeſtiam, honeſtatem & pudorem virginalem Sponſæ, quæ ſe velat & tegit, ne à Sponſi ſodalibus conſpici queat, vti ſe velauit & pallio ſe cooperuit Rebecca, viſo Iſaac Sponſo ſuo. Geneſ. 24. 65. Sic enim virgines & Sponſæ honeſtę velant ſe, iuxta pręceptum Apoſtoli 1. Corinth. 11. v. 5. Vide Tertull. & ex eo S. Cyprian. lib. de velandis Virginibus, & lib. de habitu mulierum. Ita Origen. hom. 1. quem audi: *Niſi enim tu mihi annunciaueris, incipio errabunda iactari, & dum te quæro, in aliorum greges incurro, & quia aliorum erubeſco faciem, meam abſque mora mox contegere incipio. Sum quippe Sponſa formoſa, & alijs nudam faciem meam non oſtendo, niſi tibi ſoli, quem iam pridem deoſculata ſum.* Et S. Hieronym.

Origen.

Epiſt. 22. ad Euſtochium, ex hoc loco docet virgines non ex parte, ſed omnino & ex toto debere velare faciem: *Zelotypus*, inquit, *eſt Ieſus, non vult ab alijs videri faciem ſuam, excuſes licet, atque cauſeris, obducto velamine ora contexi, & quæſiui te ibi, & dixi: Annuncia mihi, ne quando efficiar ſicut operta ſuper greges ſodalium tuorum; tumebis & dices: Si non cognoueris te, &c.*

Hieron.

Quartò, S. Auguſtinus Epiſt. 48. ad Vincent. & lib. de vnitate Eccleſiæ c. 14. 4.

*Latens, incognita.*

*cooperta*, inquit, id eſt, obſcura, latens & incognita: Eccleſia enim poſita eſt à Chriſto in Meridie, vt omnibus ſit viſibilis & conſpicua: ergo non decet eam eſſe coopertam, id eſt, latentē & abſconditam, vti ſunt Eccleſiæ Donatiſtarum, aliorúmque Hæreticorum. Sic & Origenes, qui aſſerit idcircò Eccleſiam, vel Animam Dei Sponſam requirere Chriſti cubilia, & plenitudinem ſcientiæ à Deo poſtulare, ne videatur eſſe vna è Philoſophorum ſcholis, quæ *Adoperta* nuncupatur, eò quòd veritas apud eos operta ſit & incognita.

Quintò & optimè, *cooperta* idem eſt 5.

*Genuinè. Vagans, errans.*

quòd vagans & errans, vti vertit Noſter: feminę enim cùm domo abeunt, alióque vadunt, honeſtatis causâ ſeſe cooperiūt & tegunt. Petit ergo Sponſa à Sponſo locum vbi cubet in meridie, id eſt, in æſtu perſecutionum, vt ad eum confugiat, ne alioqui, inquit, Ego, id eſt, fideles mei, qui ſunt membra mea, præſertim in primitiua, nouella & tenella Eccleſia diſpergantur, & vagando deflectant ad Gentes, Idololatras, Hæreticos & Philoſophos, ac in eorum errorem inducantur qui ſe iactant ſodales Chriſti, & veros Paſtores, Doctoréſque veritatis, cùm ſint ſocij & miniſtri Diaboli. Vnde Chaldæus hæc more ſuo adaptans Iudæis: *Et quare*, inquit, *erunt transmigrantes inter greges filiorum Eſau & Iſmaël, qui applicant ſibi idola ſua pro ſocijs.* Ita Nyſſenus, Philo Carpathius, Caſſiod. Beda, Anſelmus, S. Bernard. & alij. Rectè notat Theodoret. Hæreticos ſe vocare ſodales Chriſti, quia habitum & nomē Chriſti circumferunt, nec niſi Euangelium Chriſti ore crepant, ſed corde ei aduerſantur, iuxta illud Pauli: *Habentes formam*

Chald.

*pietatis,*

Digitized by Google

2. Timot. 3. *pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* 2. Timoth. 3. Rurſum Hæretici eundem habent Baptiſmum, aliáque Sacraméta, quæ Chriſtus & Chriſtiani. Denique Sodales dicuntur, non quia amici, ſed quia quaſi ex æqualitate cum Chriſto certare contendunt, promittentes eadem bona ſuis ſectatoribus, quæ Chriſtus ſuis aſſeclis pollicetur: vnde & eos à ſuo nomine nuncupant, Donatiſtas à Donato, Arrianos ab Arrio, Pelagianos à Pelagio; ſicuti Chriſtiani vocantur à Chriſto. Quocirca ab his Eccleſia (id eſt, fideles rudiores in Eccleſia,) fit vaga, erronea, & circumducitur ac rotatur *omni vento doctrinæ ad circumuentionem erroris*, vt ait Paulus, Epheſ. 4. 14.

*Hæretici Sodales Chriſti quo ſenſu?*

Epheſ. 4. 14.

Sodales Primò Origen. hom. 2. ex quatuor per ſodales accipit Angelos, quibus Deus Gentium ſingularum curam diſtribuit & demandauit. q. d. Ne per gentes vager, & eorum Angelis præſidibus ſubiiciar, quæ vni Sponſo Chriſto ſubdita ſum, eiúſque Vicario S. Michaeli. Hic enim nunc præſes eſt Eccleſiæ, vti olim fuit Synagogæ.

Sodales qui? *Reſp.* 1. *Angeli.*

2. *Scribæ & Phariſæi.*

Secundò, Rupertus per ſodales accipit Scribas & Phariſæos. q. d. Oſtende mihi, ô Chriſte, vbi paſcas tuos fideles, ne alioqui recidam in priores meos magiſtros, puta Scribas Moſaïcos, qui me ad Iudaïſmum, & Iudaïcas traditiones ac ſuperſtitiones retrahant ſicut Magi quærentes Chriſtum duce ſtellâ, cùm eam velut meridiem ſe occultantem reliquerunt, inciderunt in Herodem & Scribas, qui Chriſtũ, & ob Chriſtum Magos aliâ viâ in patriam redeuntes perſecuti ſunt. Matth. 2.

3. *Dæmones.*

Tertiò, S. Bernard. Serm. 33. accipit Dæmones, præſertim meridianos, qui ſcilicet licèt ſint nox, id eſt, tenebroſi per malitiam, tamen Chriſti meridiem, id eſt, ſplendorem & feruorem fraudulenter ſimulant & oſtentant, vt fideles ad ſe alliciant & decipiant, iuxta illud Pſal. 90. *Ab incurſu & dæmonio meridiano. Itaque,* inquit, *niſi cordi illius, quem fortè aliquod iſtiuſmodi dæmonium tentandum acceperit, oriens ex alto illuxerit verus meridies, qui falſum conuincat & prodat, non poterit omnino caueri, ſed tentabit & ſupplantabit ſine dubio ſub ſpecie boni; pro bono ſcilicet malum incauta & improuido perſuadens. Et tunc meridies, id eſt, maior claritas apparet tentans, cùm quaſi boni maioris imaginem præfert.*

4. *Optimè: Hæretici & cæteri Cacodoxi.*

Quartò & optimè, per ſodales accipias Hæreticos, Philoſophos cæteróſque errorum magiſtros, qui diſcipulorum greges poſt ſe trahere fatagunt, ac ſubinde Chriſtianos nouellos ad ſe re ipsâ trahunt; hoc enim hîc deuitare cupit Eccleſia. Ita Caſſiod. Iuſtus Orgel. Philo Carpathius, S. Anſelm. & Bernard.

b Tropol. S. Gregor. per ſodales accipit peruerſos Chriſtianos & falſos fratres, in quos fideles incidere metuit, ne ab eis peruertantur. *Verè,* inquit, *in quo Chriſtus non cubat, vagatur: quia mens quam ille ſuauis & ponderoſus Chriſti Spiritus non implet, multis cogitationibus diſſoluta circumfertur. Sed qui ſunt ſodales Chriſti, per quorum greges Sponſa vagari pertimeſcit, niſi falſi quique Chriſtiani? qui aut nominis ſolius, aut etiam ſacramentorum communione fratres Chriſti vocantur: quia electis, quos ipſe fratres vocauit, in Eccleſia cohabitando ſociantur; Quorum multitudines bene per exprobrationẽ greges appellantur: quia dum quaſi irrationabilia animalia ſine ordine viuunt, ſeductoribus Spiritibus ad deuorandum traduntur. Per huiuſmodi greges vagatur, quiſquis ab intimo deſiderio expulſus, reproborum ſtultitiam per ſimiles cupiditates imitatur.* Concupiſcẽtia enim eſt vaga, facítque hominem vagum, vt ab vna, quam expertus faſtidit, tranſeat ad aliam & aliam ſine fine; quia quærit in eis ſatiem & non inuenit, iuxta illud Iſaiæ 57. 17. *Abiit vagus in via cordis ſui.* Et illud Ierem. 50. 6. *Grex perditus factus eſt populus meus; paſtores eorum ſeduxerunt eos, fecerúntque vagari in montibus, de monte in collem tranſierunt, obliti ſunt cubilis ſui.* Cõcupiſcentia ergo circumducit animam ab vna voluptate in aliam, ab vno ſcelere in aliud, eámque rotat, ſicut rotatur lapis in fũda, ad omnẽ iniuriã & vim proximo inferendam, ac ad omne nefas, iuxta illud Sapien. 4. 12. *Inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertit ſenſum.* Hoc ſignificat τὸ ῥεμβόμενον, id eſt, *circumuerſa* vel *rotata in funda*, vt vertit Symmach.

*Tropologicè. Sodales, peruerſi Chriſtiani.* Gregor.

Iſai. 57. 17.

Ierem. 50. 6.

Sap. 4. 12.

Symmach.

## VOX SPONSI & Sociorum eius.

Verſ. 8. *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere & abi poſt veſtigia* (Hebr. *poſt calcaneos*) *gregum tuorum, & paſce hædos tuos, iuxta tabernacula paſtorum.*

VATABL. & alij Hebraïzantes τὸ *te*, cùm dicitur *ſi ignoras te*, cenſent Hebraïco Pleonaſmo redundare, & elegantiæ dumtaxat causâ poni. Vnde ipſi ex Hebræo

Vatabl.

tes: petere autem piam matrem, ne iam expletis maternis officiis omnibus, emerita & plena dierum, cum Apoſtolis nouum ſubire profectionum & prædicationis laborem iubeatur, cui pares erant ipſi Apoſtoli, Spiritus ſancti gratiâ & cæleſti luce ſatis inſtructi.

*Ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Pungit Sponſa Sponſum ſtimulo zelotypiæ. q. d. Indica mihi locum vbi cubes in meridie, alioqui periculum eſt, ne vagando in tuos æmulos & corriuales incidam, qui te excluſo me ſibi in Sponſam ambiunt, vti fecerunt Sponſi Penelopes.

*Varia verſiones.* Hebr. *quia cur ero ſicut vaga ſuper greges ſociorum tuorum?* Pro *ſicut vaga*, Hebr. eſt כְּעֹטְיָה *Keotejah*, id eſt, *ſicut amicta, operta, tecta*, vel *ſicut operiens ſe*, aut *ſicut declinans, diuertens, vagans, errans*. Alij, *ſicut increpata & obiurgata*. Ita Pagnin. Vnde Septuag.

*Pagnin.* *L x x.* vertunt: *Ne fortè efficiar ſicut adoperta ſuper greges ſodalium tuorum*. Pro *adoperta* Græcè eſt περιβαλλομένη, quod S. Hieronym.

*Origen.* *Symmach.* in verſione Origenis vertit: *cooperta*. Alij: *Circumducta*. Symmach. & ex eo Theodor. ῥεμβομένη, id eſt, *vaga, vacillans* & errans, aut potiùs *circumagitata & rotata vti lapis rotatur in funda*, vt eum fundibularius maiori impetu vibret & eiaculetur: σφενδόνη enim eſt *funda*.

*Adoperta quintupliciter.* Porrò, τὸ *amicta* vel *adoperta* quintupliciter accipi poteſt. Primò pro meretrice;

1. *Meretrix.* hæc enim olim palliolo aut velo ſe tegere & operire ſolebat, ex pudore ne agnoſceretur, vti patet de Thamar, Geneſ.

*Vatabl.* 38. Vnde Vatabl. vertit: *Ne oberrans per greges ſodalium tuorum videar palliolata, id eſt, meretricula.* Alij: *Cur ergo quaſi quæ declinas, & diuertis ad greges ſodalium tuorum?* hoc eſt, eorum, qui ſe dicunt tuos ſodales, cùm quiduis aliud potiùs ſint.

2. *Lugens.* Secundò, & meliùs *cooperta*, id eſt lugens: lugentes enim ſolent caput, & faciem velo operire, præſertim viduæ, quæ lugent mortẽ mariti. q. d. Cur te, ô Sponſe mi, abſẽte, ego Sponſa tua videbor vidua, & lugẽs tui abſentiam velut mortẽ.

3. *Modeſtia.* Poſſet tertiò, τὸ *cooperta* notare modeſtiam, honeſtatem & pudorem virginalem Sponſæ, quæ ſe velat & tegit, ne à Sponſi ſodalibus conſpici queat, vti ſe velauit & pallio ſe cooperuit Rebecca, viſo Iſaac Sponſo ſuo. Geneſ. 24. 65. Sic enim virgines & Sponſæ honeſtè velant ſe, iuxta præceptum Apoſtoli 1. Corinth. 11. v. 5. Vide Tertull. & ex eo S. Cyprian. lib. de velandis Virginibus, & lib. de habitu mulierum. Ita Origen. hom. 1. quem

*Origen.* audi: *Niſi enim tu mihi annunciaueris, incipio errabunda iactari, & dum te quæro, in aliorum greges incurro, & quia aliorum erubeſco faciem, meam abſque mora mox contegere incipio. Sum quippe Sponſa formoſa, & aliis nudam faciem meam non oſtendo, niſi tibi ſoli, quem iam pridem deoſculata ſum.* Et S. Hieronym. Epiſt. 22. ad Euſtochium, ex hoc loco docet virgines non ex parte, ſed omnino & ex toto debere velare faciem: *Zelotypus*, inquit, *eſt Ieſus, non vult ab aliis videri* *Hieron.* *faciem ſuam, excuſes licet, atque cauſeris, obducto velamine ora contexi, & quæſiui te ibi, & dixi: Annuncia mihi, ne quando efficiar ſicut operta ſuper greges ſodalium tuorum; tumebit & dicet: Si non cognoueris te, &c.*

Quartò, S. Auguſtinus Epiſt. 48. ad 4. Vincent. & lib. de vnitate Eccleſiæ c. 14. *Latens, incognita.* *cooperta*, inquit, id eſt, obſcura, latens & incognita. Eccleſia enim poſita eſt à Chriſto in Meridie, vt omnibus ſit viſibilis & conſpicua: ergo non decet eam eſſe coopertam, id eſt, latentẽ & abſconditam, vti ſunt Eccleſiæ Donatiſtarum, aliorúmque Hæreticorum. Sic & Origenes, qui aſſerit idcircò Eccleſiam, vel Animam Dei Sponſam requirere Chriſti cubilia, & plenitudinem ſcientiæ à Deo poſtulare, ne videatur eſſe vna è Philoſophorum ſcholis, quæ *Adoperta* nuncupatur, eò quòd veritas apud eos operta ſit & incognita.

Quintò & optimè, *cooperta* idem eſt 5. quòd vagans & errans, vti vertit Noſter: *Genuinè. Vagans, errans.* feminæ enim cùm domo abeunt, alióque vadunt, honeſtatis causâ ſeſe cooperiũt & tegunt. Petit ergo Sponſa à Sponſo locum vbi cubet in meridie, id eſt, in æſtu perſecutionum, vt ad eum confugiat, ne alioqui, inquit, Ego, id eſt, fideles mei, qui ſunt membra mea, præſertim in primitiua, nouella & tenella Eccleſia diſpergantur, & vagando deflectant ad Gentes, Idololatras, Hæreticos & Philoſophos, ac in eorum errorem inducantur qui ſe iactant ſodales Chriſti, & veros Paſtores, Doctoréſque veritatis, cùm ſint ſocij & miniſtri Diaboli. Vnde Chaldæus hæc more ſuo adaptans Iu- *Chald.* dæis: *Et quare*, inquit, *erunt transmigrantes inter greges filiorum Eſau & Iſmaël, qui applicant ſibi idola ſua pro ſociis.* Ita Nyſſenus, Philo Carpathius, Caſſiod. Beda, Anſelmus, S. Bernard. & alij. Rectè notat Theodoret. Hæreticos ſe vocare ſodales Chriſti, quia habitum & nomẽ Chriſti circumferunt, nec niſi Euangelium Chriſti ore crepant, ſed corde ei aduerſantur, iuxta illud Pauli: *Habentes formam pietatis,*

Digitized by Google

2. Timot. 3. *pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* 2. Timoth. 3. Rurſum, Hæretici eundem habent Baptiſmum, aliáque Sacraméta, quæ Chriſtus & Chriſtiani. Denique

*Hæretici Sodales Chriſti quo ſenſu?* Sodales dicuntur, non quia amici, ſed quia quaſi ex æqualitate cum Chriſto certare contendunt, promittentes eadem bona ſuis ſectatoribus, quæ Chriſtus ſuis aſſeclis pollicetur: vnde & eos à ſuo nomine nuncupant, Donatiſtas à Donato, Arrianos ab Arrio, Pelagianos à Pelagio; ſicuti Chriſtiani vocantur à Chriſto. Quocirca ab his Eccleſia (id eſt, fideles rudiores in Eccleſia,) fit vaga, erronea, & circumducitur ac rotatur *omni*

Epheſ. 4. 14. *vento doctrinæ ad circumuentionem erroris*, vt ait Paulus, Epheſ. 4. 14.

*Sodales qui? Reſp. 1. Angeli.* Sodales Primò Origen. hom. 2. ex quatuor per ſodales accipit Angelos, quibus Deus Gentium ſingularum curam diſtribuit & demandauit. q. d. Ne per gentes vager; & eorum Angelis præſidibus ſubiiciar, quæ vni Sponſo Chriſto ſubdita ſunt, eiúſque Vicario S. Michaeli. Hic enim nunc præſes eſt Eccleſiæ, vti olim fuit Synagogæ.

2. *Scribæ & Phariſæi.* Secundò, Rupertus per ſodalos accipit Scribas & Phariſæos. q. d. Oſtende mihi, ô Chriſte, vbi paſcas tuos fideles, ne alioqui recidam in priores meos magiſtros, puta Scribas Moſaïcos, qui me ad Iudaiſmum, & Iudaïcas traditiones ac ſuperſtitiones retrahant ſicut Magi quærentes Chriſtum duce ſtellâ, cùm eam velut meridiem ſe occultantem reliquerunt, inciderunt in Herodem & Scribas, qui Chriſtũ, & ob Chriſtum Magos aliâ viâ in patriam redeuntes perſecuti ſunt. Matth. 3.

3. *Dæmones.* Tertiò, S. Bernard. Serm. 33. accipit Dæmones, præſertim meridianos, qui ſcilicet licèt ſint nox, id eſt, tenebroſi per malitiam, tamen Chriſti meridiem, id eſt, ſplendorem & feruorem fraudulenter ſimulant & oſtentant, vt fideles ad ſe alliciant & decipiant, iuxta illud Pſal. 90. *Ab incurſu & dæmonio meridiano. Itaque,* inquit, *niſi cordi illius, quem fortè aliquod iſtiuſmodi dæmonium tentandum acceperit, oriens ex alto illuxerit verus meridies, qui falſum conuincat & prodat, non poterit omnino caueri, ſed tentabit & ſupplantabit ſine dubio ſub ſpecie boni; pro bono ſcilicet malum incauto & improuido perſuadens. Et tunc meridies, id eſt, maior claritas apparet tentans, cùm quaſi boni maioris imaginem præfert.*

4 *Optimè: Hæretici & cæteri Cacodoxi.* Quartò & optimè, per ſodalès accipias Hæreticos, Philoſophos cæteróſque errorum magiſtros, qui diſcipulorum greges poſt ſe trahere fatagunt, ac ſubinde Chriſtianos nouellos ad ſe re ipſâ trahunt; hoc enim hîc deuitare cupit Eccleſia. Ita Caſſiod. Iuſtus Orgel. Philo Carpathius, S. Anſelm. & Bernard.

*Tropologicè. Sodales, peruerſi Chriſtiani. Gregor.* b Tropol. S. Gregor. per ſodales accipit peruerſos Chriſtianos & falſos fratres, in quos fideles incidere metuit, ne ab eis peruerrantur. *Verè,* inquit, *in quo Chriſtus non cubat, vagatur: quia mens quam ille ſuauis & ponderoſus Chriſti Spiritus non implet, multis cogitationibus diſſoluto circumfertur. Sed qui ſunt ſodales Chriſti, per quorum greges Sponſa vagari pertimeſcit, niſi falſi quique Chriſtiani? qui aut nominis ſolius, aut etiam ſacramentorum communione fratres Chriſti vocantur: quia electis, quos ipſe fratres vocauit, in Eccleſia cohabitando ſociantur; Quorum multitudines bene per exprobrationẽ greges appellantur: quia dum quaſi irrationabilia animalia ſine ordine viuunt; ſeductoribus Spiritibus ad deuorandum traduntur. Per huiuſmodi greges vagatur, quiſquis ob intimo deſiderio expulſus, reproborum ſtultitiam per ſimiles cupiditates imitatur.* Concupiſcẽtia enim eſt vaga, facitque hominem vagum, vt ab vna, quam expertus faſtidit, tranſeat ad aliam & aliam ſine fine, quia quærit in eis ſatiem & non inuenit, iuxta illud Iſaiæ 57. 17. *Abiit vagus in via cordis ſui.* Et illud Ierem. 50. 6. *Grex perditus factus eſt populus meus; paſtores eorum ſeduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus, de monte in collem tranſierunt, obliti ſunt cubilis ſui.* Cõcupiſcentia ergo circumducit animam ab vna voluptate in aliam, ab vno ſcelere in aliud, eámque rotat, ſicut rotatur lapis in fũda, ad omnẽ iniuriã & vim proximo inferendam, ac ad omne nefas, iuxta illud Sapien. 4. 12. *Inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertit ſenſum.* Hoc ſignificat τὸ ῥεμβόμενον, id eſt, *circumuerſo vel rotata in fundo*, vt vertit Symmach.

Iſai. 57. 17. Ierem 50. 6. Sap 4. 12. Symmach.

---

## VOX SPONSI & Sociorum eius.

Verſ. 8. *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere & abi poſt veſtigia* (Hebr. *poſt calcaneo*,) *gregum tuorum, & paſce hædos tuos, iuxta tabernacula paſtorum.*

Vatabl. VATABL. & alij Hebraïzantes τὸ *te*, cùm dicitur *ſi ignoras te*, cenſent Hebraïco Pleonaſmo redundare, & elegantiæ dumtaxat causâ poni. Vnde ipſi ex He-

tes: petere autem piam matrem, ne iam expletis maternis officijs omnibus, emerita & plena dierum, cum Apoſtolis nouum ſubire profectionum & prædicationis laborem iubeatur, cui pares erant ipſi Apoſtoli, Spiritus ſancti gratiâ & cæleſti luce ſatis inſtructi.

*Ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Pungit Sponſa Sponſum ſtimulo zelotypiæ. q. d. Indica mihi locum vbi cubes in meridie, alioqui periculum eſt, ne vagando in tuos æmulos & corriuales incidam, qui te excluſo me ſibi in Sponſam ambiunt, vti fecerunt Sponſi Penelopes.

*Varia verſiones.*

Hebr. *quia cur ero ſicut vaga ſuper greges ſociorum tuorum?* Pro *ſicut vaga*, Hebr. eſt כְּעֹטְיָה *Keotejah*, id eſt, *ſicut amicta, operta, tecta*, vel *ſicut operiens ſe*, aut *ſicut declinans, diuertens, vagans, errans*. Alij, *ſicut increpata & obiurgata*. Ita Pagnin. Vnde Septuag.

*Pagnin.* LXX.

vertunt: *Ne fortè efficiar ſicut adoperta ſuper greges ſodalium tuorum*. Pro *adoperta* Græcè eſt περιβαλλομένη, quod S. Hieronym.

*Origen. Symmach.*

in verſione Origenis vertit: *cooperta*. Alij, *Circumducta*. Symmach. & ex eo Theodor. ῥεμβομένη, id eſt, *vaga, vacillans* & errans, aut potiùs *circumagitata & rotata vti lapis rotatur in funda*, vt cum fundibularius maiori impetu vibret & eiaculetur: ῥεμβὼν enim eſt *funda*.

*Adoperta quintupliciter.*

1. *Meretrix.*

Porrò, τὸ *amicta* vel *adoperta* quintupliciter accipi poteſt. Primò pro meretrice, hæc enim olim palliolo aut velo ſe tegere & operire ſolebat, ex pudore ne agnoſceretur, vti patet de Thamar, Geneſ. 38. Vnde Vatabl. vertit: *Ne oberrans per greges ſodalium tuorum videar palliolata, id eſt, meretricula.* Alij: *Cur ergo quaſi quæ declinas, & diuertit ad greges ſodalium tuorum?* hoc eſt, eorum, qui ſe dicunt tuos ſodales, cùm quiduis aliud potiùs ſint.

*Vatabl.*

2. *Lugens.*

Secundò, & meliùs *cooperta*, id eſt lugens: lugentes enim ſolent caput, & faciem velo operire, præſertim viduæ, quæ lugent mortẽ mariti. q. d. Cur te, ô Sponſe mi, abſẽte, ego Sponſa tua videbor vidua, & lugẽs tui abſentiam velut mortẽ.

3. *Modeſtia.*

Poſſet tertiò, τὸ *cooperta* notare modeſtiam, honeſtatem & pudorem virginalem Sponſæ, quæ ſe velat & tegit, ne à Sponſi ſodalibus conſpici queat, vti ſe velauit & pallio ſe cooperuit Rebecca, viſo Iſaac Sponſo ſuo. Geneſ. 24, 65. Sic enim virgines & Sponſæ honeſtè velant ſe, iuxta præceptum Apoſtoli 1. Corinth. 11. v. 5. Vide Tertull. & ex eo S. Cyprian. lib. de velandis Virginibus, & lib. de habitu mulierum. Ita Origen. hom. 1. quem audi: *Niſi enim tu mihi annunciaueris, incipio errabunda iactari, & dum te quæro, in aliorum greges incurro, & quia aliorum erubeſco faciem, meam abſque mora mox contegere incipio. Sum quippe Sponſa formoſa, & alijs nudam faciem meam non oſtendo, niſi tibi ſoli, quem tam pridem deoſculata ſum.* Et S. Hieronym. Epiſt. 22. ad Euſtochium, ex hoc loco docet virgines non ex parte, ſed omnino & ex toto debere velare faciem: *Zelotypus*, inquit, *eſt Ieſus, non vult ab alijs videri faciem ſuam, excuſes licet, atque cauſeris, obducto velamine ora contexi, & quæſiui te ibi, & dixi: Annuncia mihi, ne quando efficiar ſicut operta ſuper greges ſodalium tuorum; tumebit & dicet: Si non cognoueris te, &c.*

*Origen.*

*Hieron.*

4. *Latens, incognita.*

Quartò, S. Auguſtinus Epiſt. 48. ad Vincent. & lib. de vnitate Eccleſiæ c. 14. *cooperta*, inquit, id eſt, obſcura, latens & incognita: Eccleſia enim poſita eſt à Chriſto in Meridie, vt omnibus ſit viſibilis & conſpicua: ergo non decet eam eſſe coopertam, id eſt, latentẽ & abſconditam, vti ſunt Eccleſiæ Donatiſtarum, aliorúmque Hæreticorum. Sic & Origenes, qui aſſerit idcircò Eccleſiam, vel Animam Dei Sponſam requirere Chriſti cubilia, & plenitudinem ſcientiæ à Deo poſtulare, ne videatur eſſe vna è Philoſophorum ſcholis, quæ *Adoperta* nuncupatur, eò quòd veritas apud eos operta ſit & incognita.

5. *Genuinè. Vagans, errans.*

Quintò & optimè, *cooperta* idem eſt quòd vagans & errans, vti vertit Noſter: feminæ enim cùm domo abeunt, alióque vadunt, honeſtatis causâ ſeſe cooperiũt & tegunt. Petit ergo Sponſa à Sponſo locum vbi cubet in meridie, id eſt, in æſtu perſecutionum, vt ad eum confugiat, ne alioqui, inquit, Ego, id eſt, fideles mei, qui ſunt membra mea, præſertim in primitiua, nouella & tenella Eccleſia diſpergantur, & vagando deflectant ad Gentes, Idololatras, Hæreticos & Philoſophos, ac in eorum errorem inducantur qui ſe iactant ſodales Chriſti, & veros Paſtores, Doctoréſque veritatis, cùm ſint ſocij & miniſtri Diaboli. Vnde Chaldæus hæc more ſuo adaptans Iudæis: *Et quare*, inquit, *erunt transmigrantes inter greges filiorum Eſau & Iſmaël, qui applicant ſibi idola ſua pro ſocijs.* Ita Nyſſenus, Philo Carpathius, Caſſiod. Beda, Anſelmus, S. Bernard. & alij. Rectè notat Theodoret. Hæreticos ſe vocare ſodales Chriſti, quia habitum & nomẽ Chriſti circumferunt, nec niſi Euangelium Chriſti ore crepant, ſed corde ei aduerſantur, iuxta illud Pauli: *Habentes formam*

*Chald.*

pietatis,

2. Timot. 3. *pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* 2. Timoth. 3. Rurſum Hæretici eundem habent Baptiſmum, aliáque Sacraméta, quæ Chriſtus & Chriſtiani. Denique Sodales dicuntur, non quia amici, ſed quia quaſi ex æqualitate cum Chriſto certare contendunt, promittentes eadem bona ſuis ſectatoribus, quæ Chriſtus ſuis aſſeclis pollicetur: vnde & eos à ſuo nomine nuncupant, Donatiſtas à Donato, Arrianos ab Arrio, Pelagianos à Pelagio, ſicuti Chriſtiani vocantur à Chriſto. Quocirca ab his Eccleſia (id eſt, fideles rudiores in Eccleſia,) fit vaga, erronea, & circumducitur ac rotatur *omni vento doctrinæ ad circumuentionem erroris*; vt ait Paulus, Epheſ. 4. 14.

*Hæretici Sodales Chriſti quo ſenſu?*

Epheſ. 4. 14.

*Sodales.* Primò Origen. hom. 2. ex quatuor per ſodales accipit Angelos, quibus Deus Gentium ſingularum curam diſtribuit & demandauit. q. d. Ne per gentes vager, & eorum Angelis præſidibus ſubiiciar, quæ vni Sponſo Chriſto ſubdita ſum, eiúſque Vicario S. Michaeli. Hic enim nunc præſes eſt Eccleſiæ, vti olim fuit Synagogæ.

Sodales quot? *Reſp.* 1. *Angeli.*

2. *Scribæ & Phariſæi.*

Secundò, Rupertus per ſodales accipit Scribas & Phariſæos. q. d. Oſtende mihi, ô Chriſte, vbi paſcas tuos fideles, ne alioqui recidam in priores meos magiſtros, puta Scribas Moſaïcos, qui me ad Iudaiſmum, & Iudaïcas traditiones ac ſuperſtitiones retrahant ſicut Magi quærentes Chriſtum duce ſtellâ, cùm eam velut meridiem ſe occultantem reliquerunt, inciderunt in Herodem & Scribas, qui Chriſtũ, & ob Chriſtum Magos aliâ viâ in patriam redeuntes perſecuti ſunt. Matth. 3.

3. *Dæmones.*

Tertiò, S. Bernard. Serm. 33. accipit Dæmones, præſertim meridianos, qui ſcilicet licèt ſint nox; id eſt, tenebroſi per malitiam, tamen Chriſti meridiem, id eſt, ſplendorem & feruorem fraudulenter ſimulant & oſtentant, vt fideles ad ſe alliciant & decipiant, iuxta illud Pſal. 90. *Ab incurſu & dæmonio meridiano. Itaque,* inquit, *niſi cordi illius, quem fortè aliquod iſtiuſmodi dæmonium tentandum acceperit, oriens ex alto illuxerit verus meridies, qui falſum conuincat & prodat, non poterit omnino caueri, ſed tentabit & ſupplantabit ſine dubio ſub ſpecie boni: pro bono ſcilicet malum incauto & improuidò perſuadens. Et tunc meridies, id eſt, maior claritas apparet tentans, cùm quaſi boni maioris imaginem præfert.*

4. *Optimè: Hæretici & cæteri Cacodoxi.*

Quartò & optimè, per ſodales accipias Hæreticos, Philoſophos cæteróſque errorum magiſtros, qui diſcipulorum greges poſt ſe trahere ſatagunt, ac ſubinde Chriſtianos nouellos ad ſe re ipsâ trahunt; hoc enim hîc deuitare cupit Eccleſia. Ita Caſſiod. Iuſtus Orgel. Philo Carpathius, S. Anſelm. & Bernard.

Tropol. S. Gregor. per ſodales accipit peruerſos Chriſtianos & falſos fratres, in quos fideles incidere metuit, ne ab eis peruertantur. *Verè,* inquit, *in quo Chriſtus non cubat, vagatur: quia mens quam ille ſuauis & ponderoſus Chriſti Spiritus non implet, multis cogitationibus diſſoluta circumfertur. Sed qui ſunt ſodales Chriſti, per quorum greges Sponſa vagari pertimeſcit, niſi falſi quique Chriſtiani qui aut nominis ſolius, aut etiam ſacramentorum communione fratres Chriſti vocantur: quia electis, quos ipſe fratres vocauit, in Eccleſia cohabitando ſociantur; Quorum multitudines bene per exprobrationẽ greges appellantur: quia dum quaſi irrationabilia animalia ſine ordine viuunt, ſeductoribus Spiritibus ad deuorandum traduntur. Per huiuſmodi greges vagatur, quiſquis ab intimo deſiderio expulſus, reproborum ſtultitiam per ſimiles cupiditates imitatur.* Concupiſcẽtia enim eſt vaga, facítque hominem vagum, vt ab vna, quam expertus faſtidit, tranſeat ad aliam & aliam ſine fine; quia quærit in eis ſatiem & non inuenit, iuxta illud Iſaiæ 57. 17. *Abiit vagus in via cordis ſui.* Et illud Ierem. 50. 6. *Grex perditus factus eſt populus meus; paſtores eorum ſeduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus, de monte in collem tranſierunt, obliti ſunt cubilis ſui.* Cõcupiſcentia ergo circumducit animam ab vna voluptate in aliam, ab vno ſcelere in aliud, eámque rotat, ſicut rotatur lapis in fũda, ad omnẽ iniuriã & vim proximo inferendam, ac ad omne nefas, iuxta illud Sapien. 4. 12. *Inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertit ſenſum.* Hoc ſignificat τὸ ῥεμβασμόν, id eſt, *circumuerſa* vel *rotata in funda*, vt vertit Symmach.

*Tropologicè. Sodales, peruerſi Chriſtiani.* Gregor.

Iſai. 57. 17.

Ierem. 50. 6.

Sap. 4. 12.

Symmach.

---

# VOX SPONSI
## & Sociorum eius.

Verſ. 8. *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere & abi poſt veſtigia* (Hebr. *poſt calcaneos*) *gregum tuorum, & paſce hædos tuos, iuxta tabernacula paſtorum.*

VATABL. & alij Hebraïzantes τὸ *te*, cùm dicitur *ſi ignoras te*, cenſent Hebraïco Pleonaſmo redundare, & elegantiæ dumtaxat causâ poni. Vnde ipſi ex He-

Vatabl.

tes: petere autem piam matrem, ne iam expletis maternis officiis omnibus, emerita & plena dierum, cum Apoſtolis nouum ſubire profectionum & prædicationis laborem iubeatur, cui pares erant ipſi Apoſtoli, Spiritus ſancti gratiâ & cæleſti luce ſatis inſtructi.

*Ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Pungit Sponſa Sponſum ſtimulo zelotypiæ. q. d. Indica mihi locum vbi cubes in meridie, alioqui periculum eſt, ne vagando in tuos æmulos & corriuales incidam, qui te excluſo me ſibi in Sponſam ambiunt, vti fecerant Sponſi Penelopes.

*Variæ verſiones.* Hebr. *quia cur ero ſicut vaga ſuper greges ſociorum tuorum?* Pro *ſicut vaga*, Hebr. eſt כְּעֹטְיָה *Keotejah*, id eſt, *ſicut amicta, operta, tecta*, vel *ſicut operiens ſe*, aut *ſicut declinans, diuertens, vagans, errans.* Alij, *ſicut increpata & obiurgata.* Ita Pagnin. Vnde Septuag.

*Pagnin.* *LXX.* vertunt: *Ne fortè efficiar ſicut adoperta ſuper greges ſodalium tuorum.* Pro *adoperta* Græcè eſt περιβαλλομένη, quod S. Hieronym.

*Origen.* *Symmach.* in verſione Origenis vertit: *cooperta.* Alij: *Circumducta.* Symmach. & ex eo Theodor. ῥεμβομένη, id eſt, *vaga, vacillans* & errans, aut potiùs *circumagitata & rotata vti lapis rotatur in funda*, vt eum fundibularius maiori impetu vibret & eiaculetur: ῥεμβὼν enim eſt *funda.*

*Adoperta quintupliciter.* Porrò, τὸ *amicta* vel *adoperta* quintupliciter accipi poteſt. Primò pro meretrice;

1\. *Meretrix.* hæc enim olim palliolo aut velo ſe tegere & operire ſolebat, ex pudore ne agnoſceretur, vti patet de Thamar, Geneſ. 38. Vnde Vatabl. vertit: *Ne oberrans per greges ſodalium tuorum videar palliolata, id eſt, meretricula.* Alij: *Cur ergo quaſi quæ declinat, & diuertit ad greges ſodalium tuorum?* hoc eſt, eorum, qui ſe dicunt tuos ſodales, cùm quiduis aliud potiùs ſint.

*Vatabl.*

2\. *Lugens.* Secundò, & meliùs *cooperta*, id eſt lugens: lugentes enim ſolent caput, & faciem velo operire, præſertim viduæ, quæ lugent mortẽ mariti. q. d. Cur te, ô Sponſe mi, abſẽte, ego Sponſa tua videbor vidua, & lugẽs tui abſentiam velut mortẽ.

3\. *Modeſtia.* Poſſet tertiò, τὸ *cooperta* notare modeſtiam, honeſtatem & pudorem virginalem Sponſæ, quæ ſe velat & tegit, ne à Sponſi ſodalibus conſpici queat, vti ſe velauit & pallio ſe cooperuit Rebecca, viſo Iſaac Sponſo ſuo. Geneſ. 24. 65. Sic enim virgines & Sponſæ honeſtę velant ſe, iuxta pręceptum Apoſtoli 1. Corinth. 11. v. 5. Vide Tertull. & ex eo S. Cyprian. lib. de velandis Virginibus, & lib. de habitu mulierum. Ita Origen. hom. 1. quem audi: *Niſi enim tu mihi annunciaueris, incipio errabunda iactari, & dum te quæro, in aliorum greges incurro, & quia aliorum erubeſco faciem, meam abſque mora mox contegere incipio. Sum quippe Sponſa formoſa, & alijs nudam faciem meam non oſtendo, niſi tibi ſoli, quem iam pridem deoſculata ſum.* *Origen.* Et S. Hieronym. Epiſt. 22. ad Euſtochium, ex hoc loco docet virgines non ex parte, ſed omnino & ex toto debere velare faciem: *Zelotypus*, inquit, *eſt Ieſus, non vult ab alijs videri faciem ſuam, excuſes licet, atque cauſeris, obducto velamine ora contexi, & quæſiui te ibi, & dixi: Annuncia mihi, ne quando efficiar ſicut operta ſuper greges ſodalium tuorum; tumebit & dicet: Si non cognoueris te, &c.* *Hieron.*

Quartò, S. Auguſtinus Epiſt. 48. ad Vincent. & lib. de vnitate Eccleſiæ c. 14. *cooperta*, inquit, id eſt, obſcura, latens & incognita. Eccleſia enim poſita eſt à Chriſto in Meridie, vt omnibus ſit viſibilis & conſpicua: ergo non decet eam eſſe coopertam, id eſt, latentẽ & abſconditam, vti ſunt Eccleſiæ Donatiſtarum, aliorúmque Hæreticorum. Sic & Origenes, qui aſſerit idcircò Eccleſiam, vel Animam Dei Sponſam requirere Chriſti cubilia, & plenitudinem ſcientiæ à Deo poſtulare, ne videatur eſſe vna è Philoſophorum ſcholis, quæ *Adoperta* nuncupatur, eò quòd veritas apud eos operta ſit & incognita. 4. *Latens, incognita.*

Quintò & optimè, *cooperta* idem eſt quòd vagans & errans, vti vertit Noſter: feminę enim cùm domo abeunt, alióque vadunt, honeſtatis causâ ſeſe cooperiũt & tegunt. Petit ergo Sponſa à Sponſo locum vbi cubet in meridie, id eſt, in æſtu perſecutionum, vt ad eum confugiat, ne alioqui, inquit, Ego, id eſt, fideles mei, qui ſunt membra mea, præſertim in primitiua, nouella & tenella Eccleſia diſpergantur, & vagando deflectant ad Gentes, Idololatras, Hæreticos & Philoſophos, ac in eorum errorem inducantur qui ſe iactant ſodales Chriſti, & veros Paſtores, Doctoréſque veritatis, cùm ſint ſocij & miniſtri Diaboli. 5. *Genuinè. Vagans, errans.* Vnde Chaldæus hæc more ſuo adaptans Iudæis: *Et quare*, inquit, *erunt transmigrantes inter greges filiorum Eſau & Iſmaël, qui applicant ſibi idola ſua pro ſocijs.* *Chald.* Ita Nyſſenus, Philo Carpathius, Caſſiod. Beda, Anſelmus, S. Bernard. & alij. Rectè notat Theodoret. Hæreticos ſe vocare ſodales Chriſti, quia habitum & nomẽ Chriſti circumferunt, nec niſi Euangelium Chriſti ore crepant, ſed corde ei aduerſantur, iuxta illud Pauli: *Habentes formam*

*pietatis,*

2. Timot. 3. *pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* 2. Timoth. 3. Rurſum, Hæretici eundem habent Baptiſmum, aliáque Sacramẽta, quæ Chriſtus & Chriſtiani. Denique Sodales dicuntur, non quia amici, ſed quia quaſi ex æqualitate cum Chriſto certare contendunt, promittentes eadem bona ſuis ſectatoribus, quæ Chriſtus ſuis aſſeclis pollicetur: vnde & eos à ſuo nomine nuncupant, Donatiſtas à Donato, Arrianos ab Arrio, Pelagianos à Pelagio; ſicuti Chriſtiani vocantur à Chriſto. Quocirca ab his Eccleſia (id eſt, fideles rudiores in Eccleſia,) fit vaga, erronea, & circumducitur ac rotatur *omni vento doctrinæ ad circumuentionem erroris*, vt ait Paulus, Epheſ. 4. 14.

*Hæretici Sodales Chriſti quo ſenſu?*

*Epheſ. 4. 14.*

*Sodales.* Primò Origen. hom. 2. ex quatuor per ſodales accipit Angelos, quibus Deus Gentium ſingularum curam diſtribuit & demandauit. q. d. Ne per gentes vager, & eorum Angelis præſidibus ſubiiciar, qui vni Sponſo Chriſto ſubditi ſunt, eiúſque Vicario S. Michaeli. Hic enim nunc præſes eſt Eccleſiæ, vti olim fuit Synagogæ.

*Sodales quot? Reſp. 1. Angeli.*

2. *Scribæ & Phariſæi.*

Secundò, Rupertus per ſodales accipit Scribas & Phariſæos. q. d. Oſtende mihi, ô Chriſte, vbi paſcas tuos fideles, ne alioqui recidam in priores meos magiſtros, puta Scribas Moſaïcos, qui me ad Iudaïſmum, & Iudaïcas traditiones ac ſuperſtitiones retrahant ſicut Magi quærentes Chriſtum duce ſtellâ, cùm eam velut meridiem ſe occultantem reliquerunt, inciderunt in Herodem & Scribas, qui Chriſtũ, & ob Chriſtum Magos aliâ viâ in patriam redeuntes perſecuti ſunt. Matth. 3.

3. *Dæmones.*

Tertiò, S. Bernard. Serm. 33. accipit Dæmones, præſertim meridianos, qui ſcilicet licèt ſint nox, id eſt, tenebroſi per malitiam, tamen Chriſti meridiem, id eſt, ſplendorem & feruorem fraudulenter ſimulant & oſtentant, vt fideles ad ſe alliciant & decipiant, iuxta illud Pſal. 90. *Ab incurſu & dæmonio meridiano. Itaque,* inquit, *niſi cordi illius, quem fortè aliquod iſtiuſmodi dæmonium tentandum acceperit, oriens ex alto illuxerit verus meridies, qui falſum conuincat & prodat, non poterit omnino caueri, ſed tentabit & ſupplantabit ſine dubio ſub ſpecie boni; pro bono ſcilicet malum incauto & improuidò perſuadens. Et tunc meridies, id eſt, maior claritas apparet tentans, cùm quaſi boni maioris imaginem præfert.*

4 *Optimè: Hæretici & cæteri Cacodoxi.*

Quartò & optimè, per ſodales accipias Hæreticos, Philoſophos cæteróſque errorum magiſtros, qui diſcipulorum greges poſt ſe trahere ſatagunt, ac ſubinde Chriſtianos nouellos ad ſe re ipsâ trahunt; hoc enim hîc deuitare cupit Eccleſia. Ita Caſſiod. Iuſtus Orgel. Philo Carpathius, S. Anſelm. & Bernard.

*Tropologicè. Sodales, peruerſi Chriſtiani. Gregor.*

b Tropol. S. Gregor. per ſodales accipit peruerſos Chriſtianos & falſos fratres, in quos fideles incidere metuit, ne ab eis peruertantur. *Verè,* inquit, *in quo Chriſtus non cubat, vagatur: quia mens quam ille ſuauis & ponderoſus Chriſti Spiritus non implet, multis cogitationibus diſſoluta circumfertur. Sed qui ſunt ſodales Chriſti, per quorum greges Sponſa vagari pertimeſcit, niſi falſi quique Chriſtiani: qui aut nomine ſolùm, aut etiam ſacramentorum communione fratres Chriſti vocantur: quia electis, quos ipſe fratres vocauit, in Eccleſia cohabitando ſociantur; Quorum multitudines bene per exprobrationẽ greges appellantur: quia dum quaſi irrationabilia animalia ſine ordine viuunt, ſeductoribus Spiritibus ad deuorandum traduntur. Per huiuſmodi greges vagatur, quiſquis ab intimo deſiderio expulſus, reproborum ſtultitiam per ſimiles cupiditates imitatur.* Concupiſcẽtia enim eſt vaga, facitque hominem vagum, vt ab vna, quam expertus faſtidit, tranſeat ad aliam & aliam ſine fine; quia quærit in eis ſatiem & non inuenit, iuxta illud Iſaiæ 57. 17. *Abiit vagus in via cordis ſui.* Et illud Ierem. 50. 6. *Grex perditus factus eſt populus meus; paſtores eorum ſeduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus, de monte in collem tranſierunt, obliti ſunt cubilis ſui.* Cõcupiſcentia ergo circumducit animam ab vna voluptate in aliam, ab vno ſcelere in aliud, eámque rotat, ſicut rotatur lapis in fũda, ad omnẽ iniuriã & vim proximo inferendam, ac ad omne nefas, iuxta illud Sapien. 4. 12. *Inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertit ſenſum.* Hoc ſignificat τὸ ῥεμβασμός, id eſt, *circumuerſa* vel *rotata in funda*, vt vertit Symmach.

*Iſai. 57. 17.*

*Ierem 50. 6.*

*Sap 4. 12.*

*Symmach.*

## VOX SPONSI
## & Sociorum eius.

Verſ. 8. *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere & abi poſt veſtigia* (Hebr. *poſt calcaneo.*) *gregum tuorum, & paſce hædos tuos, iuxta tabernacula paſtorum.*

VATABL. & alij Hebraïzantes *rà te*, cùm dicitur *ſi ignoras te*, cenſent Hebraïco Pleonaſmo redundare, & elegantiæ dumtaxat causâ poni. Vnde ipſi ex Hebræo

*Vatabl.*

braeo vertũt: *Si ignoras tibi*, id eſt, *ſi ignoras*, ſicut mox in Hebr. dicitur לך *vt tſei-lach*, id eſt, *Egredere tibi*, id eſt, *egredere*, & alibi ſæpè. Sic *te* vel *tibi* apud Latinos ſæpe redundat, vt *tute hoc feciſti*, *vade tibi*, *viue tibi*, *ecce tibi*, id eſt, *ecce*. Sic ſenſus erit; q.d. Si ignoras, ô Sponſa, vbi cubem ego Spõſus tuus in meridie, abi & ſequere veſtigia gregum & paſtorum; inter eos enim me inuenies quaſi paſtorum paſtorem & principem. Hic ſenſus valde facilis & planus eſt, & ſententiam aliàs impeditam expedit, clarámque efficit. Ita Titelmannus, Hortolanus, Sanchez, Sottomaior & alij Hebraicè periti.

Verùm Patres Græci & Latini vrgent & põderant τὸ *te*, æquè ac Septuag. vertentes σεαυτὴν, id eſt, *teipſam*. Sic ſenſus
Si ignoras te 1. *Senſus.* eſſe poteſt: primò q.d. Si ignoras te, id eſt, tuam pulchritudinem, pulchrúmque tabernaculum, in quo paſco & cubo in meridie, quia tuum tabernaculum pariter meum eſt, ſicut tua pulchritudo pariter mea eſt: vbi enim eſt Sponſa, ibi eſt & Sponſus; vbi eſt Eccleſia, ibi eſt Chriſtus. Quare ſi id ipſum ignoras, egredere & abi poſt veſtigia gregum & fidelium tuorum: tui enim greges, mei quoque ſunt; atque vbi greges mei ſunt, ibi ſum quoque ego earum fidus & indiuiduus paſtor: *Et paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum*, puta *Apoſtolorum* & Doctorum: illos enim ego tibi præſides præfeci & magiſtros conſtitui, atque ego in medio ipſorum verſor & dego, vti dum viuerem in medio ipſorum à parentibus meis inuentus ſum in templo. Lucæ 2. 46. iuxta illud: *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad con-*
Matth. 28. 20. *ſummationem ſæculi*. Matth. 28. 20. quare per hoſce paſtores ego te verâ doctrinâ paſcam, & in omni ſolis, id eſt, perſecutionis ardore ſolabor & protegam: hos ſi ſequaris non incipies vagari, nec incides in meos ſodales, id eſt, æmulos & riuales Hæreticos cæterorúmque errorum magiſtros. Ita S. Athanaſ. in Synopſi & Iuſtus Orgel. qui rectè notant cauſam ignorationis Sponſæ, cur ſcilicet illa ignoret vbi Sponſus cubet in meridie, eſſe, quòd ipſa ignoret ſeipſam, ſuámque pulchritudinem; quare eam introſpiciat, atque in ea Sponſum inueniet.

2. Secundò, Nyſſenus cenſet hæc verba non eſſe Sponſi, ſed adoleſcentularum ad Sponſam querentem ſe ſolis æſtu decoloratam. q. d. Eſto tibi decolorata videaris, reuera tamen es pulchra per excellentiam, id eſt, pulcherrima es mulierum, quòd ſi ob perſecutiones & ærumnas id ignoras, abi poſt tuos greges & paſtores, ab illis audies te laudari, tuámque pulchritudinem plenis buccis concrepari.

Verùm hic ſenſus videtur impertinens; non enim reſpondet interrogationi Sponſæ quærentis, non, an ipſa ſit pulchra, ſed vbi Sponſus paſcat & cubet in meridie.

Tertiò, Titelman. & alij cenſent hæc 3.
dici per Ironiam. Pupugerat enim Spõſa Sponſum ſtimulo zelotypiæ dicens: *Ne vagari incipiam*: quare Sponſus ſtimulum hunc in eam iocando reflectit, veluti ſi amator quiſpiam volens perſuadere Sponſæ, quòd nuſquam alibi ſic poſſit, vt apud ipſum, cõmodè & honorificè tractari, ita eam alloquatur: Si ignoras temetipſam, ô Sponſa mea: ſi nondum tibi ſatis cognita eſt conditio tua, in qua apud me agis, Egredere, & abi poſt amatores alios, illicque operam da tuis voluptatibus & deſideriis explendis, vt videas & experientiâ ipſâ tandem cognoſcas, quàm ſit diſſimilis tua conditio ab illis, quæ aliis adhærent amatoribus. Huc accedunt Caſſiod. & Beda, qui exponunt per comminationem, q.d. Si ignoras, ô Sponſa, quòd pulchra facta ſis per baptiſmum, & pulchrior futura per tribulationum, quas tibi idcirco immittere decreui, tolerantiam, Egredere à meo conſortio, & errantium actus imitare. Et S. Gregor. hic: *Quiſquis*, inquit, *neſcit ſe in hoc* Gregor.
*poſitum, vt tentationes per ſufferentiam vincat, à familiaritate Chriſti recedit; quia in bello poſitus, cum Domino ſuo pugnare recuſat.*

Quartò & genuinè, videntur hæc eſſe 4. *Genuinè.*
verba non ſolius Sponſi, ſed & ſociorum eius; vnde & mox ſocij hi aiunt: *Murenulas aureas faciemus* in plurali, non *faciam* in ſingulari, vti ibidem notant Iuſtus, Rupert. Anſel. & S. Bernard. Sponſus ergo non per ſe, ſed per ſocios ſuos reſpondet Sponſæ: *Si ignoras te*, id eſt, tuas vias, tuos greſſus, quibus ad me tendis, q.d. Si ignoras iter & viam, quam inſiſtere debeas vt ad locum, in quo paſco & cubo in meridie peruenias, *abi poſt veſtigia gregum tuorum*. Hebr. *Exi tibi in calcaneis* Hebr.
*ouium*. Septuag. *Egredere tu in veſtigiis gre-* LXX.
*gum* (τὸ enim *tuorum* non eſt in Hebræo, nec in Græco) Symmach. *Egreſſa vade ſe-* Symmach.
*cundùm veſtigia gregum*, hoc eſt, ſequere fidem, vitam, & mores priſcorum fideliũ, qui Deo placuerunt, puta Patriarcharum & Prophetarum. Hi enim ſunt tui, id eſt, non tam ad legem veterem, quàm ad nouam, Chriſtique Eccleſiã pertinẽt,

teſte

Digitized by Google

teſte S.Aug. *Paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorũ*, id eſt, infirmos tuos fideles & peccatores, qui malè olent, vt hirci, & hœdi ob putidam concupiſcentiam, paſcito iuxta tabernacula paſtorum, id eſt, iuxta Eccleſias Apoſtolorum, & eorum qui Apoſtolis ſucceſſerunt; ab iis enim in fide & virtute firmabuntur, & à concupiſcentiis curabuntur; quare ibi inuenient Sponſum animæ ſuæ Chriſtum in meridie, id eſt, fulgore doctrinæ & feruore charitatis recubantem, ſuóſque fideles per Apoſtolos viróſque Apoſtolicos paſcentem. Alludit grammaticè ad hœdos, qui naturali inſtinctu agnoſcunt matres, eáſque ex odore agnoſcentes illicò ad illas confugiunt. Fingitur enim hic Sponſa hœdos paruulos & infirmos paſcere, & lactare iuxta tabernacula paſtorum, qui hircos & capras adultas paſcunt: quare ex hœdis, qui ex odore agnoſcunt & aduolant ad vicinas capras quaſi matres ſuas, agnoſcit Sponſa paſtrix vbi ſit Sponſus paſtor ouium & caprarum. Senſus eſt ergo, q.d. ait Hortolanus: Si quando, ô Eccleſia Sponſa mea pulcherrima, inter maximas perſecutiones & rerum omnium difficultates perplexa, & inops conſilij hærebis, obſerua maiorum tuorum fidem, & in perferendis malis infractum animum: quæque illi his veluti pedibus ſuis difficiles ingreſſi vias, reliquerunt impreſſa veſtigia, heroïca ſua facta, raræ fortitudinis ac conſtantiæ, tibi tuôque gregi imitanda exempla. Iiſdem tu quoque ingredere pedibus, eadem tere veſtigia, eam rectam túque & grex tuus perpetuam tenete viam: ea vos proculdubio, ad mea paſtorum Principis aliorúmque inſigniũ paſtorum perducet mapalia, in virentibus irriguis, & opacis Iſraëliticorum montium locis fixa. Ibi nullum, qui te deceptam vitiet, aut ſolicitet offendas pſeudo-Chriſtum, nullum pſeudoprophetam, ſed meipſum, qui te incorruptã perpetuò ſeruaturus ſum & illibatam, verùm Chriſtum & legitimum Sponſum tuum, meóſque qui gregem meum ex animi mei ſententia, doctrinâ ſanâ & ſcientiâ paſcant fidos paſtores. Ibi iubeo vt paſcas hœdos tuos, tuos inquã filios tibi recèns natos, quin & adultos, ſed moribus adhuc & iudicio neophytos laſciuientes, auribus prurientes, rerum nouarum cupidos, & voluptatum (quarum virus redolent) magis quàm mei amatores. Ibi tuos hœdos à meridiani ſolis incommodis tutos, cum reliquo meo grege iubeo vt facias accubare, prædicando verbum opportunè, importunè, obſecrando, increpando cum omni patientia & doctrina.

*Paraphraſis.*

Huc accedit Chaldæus, qui de more Iudæis hæc applicans ſic vertit: *Dixit ſanctus & benedictus Moſi prophetæ: Tu poſtulas vt deleatur illis exilium: Synagoga quæ comparata eſt puellæ pulcherrimæ, & quam anima mea diligit, ambulet in viis iuſtorum, & ordinet orationem ſuam in ore Præfectorum ſuorum, & deducat generationes ſuas, & doceat filios ſuos, qui comparantur hædis caprarum, vt ambulent in domum Eccleſiæ, & in domum doctrinæ: & propter illud meritum ſuſtentabuntur in captiuitate, donec mittam eis regem Meſſiam, qui ducat eos in requiem ad tabernaculum ipſorum, quod eſt domus ſanctuarij, quam ædificabunt ei David & Salomon paſtores Iſraël.*

Chald.

Minùs appoſitè aliqui paſtores non veros, ſed falſos hic accipiunt. q.d. Sequere veſtigia gregum, id eſt, fidem & mores priſcorum iuſtorum, ſic fiet vt etiam impunè hœdos, id eſt, fideles tuos imperfectos ductare poſſis circa tabernacula paſtorum, perfidorum inquam illorum ſodalium, quos pertimeſcebas; ideóque decreui te ſimilem facere equitatui meo, robori, & potentiæ, quam oſtendi in curribus Pharaonis, ſcilicet proſternendis & mergendis in mari rubro.

Denique ſolatur Sponſus, animátque Sponſam compellando eam, *ô pulcherrima mulierum.* q. d. Videris tibi, ô Sponſa, ſole perſecutionum decolorata & obfuſcata; at ſcito te ex dono & gratiâ Dei eſſe pulcherrimam mulierum. Id explicat & confirmat dum ſubdit: *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis, collum tuum ſicut monilia*, &c.

Tropologicè: Primò *ſi ignoras te, egredere*, &c. q. d. Cognitio ſui ipſius eſt via ad cognitionem Dei, ſicut ignoratio ſui, eſt ignoratio Dei: cognoſcens enim ſuam infirmitatem, cogitur agnoſcere Dei gratiam & omnipotentiam, eámque ſupplex inuocare. Vnde Agapetus Diaconus Admonit. ad Iuſtinianum Imper. *Qui ſe nouit*, inquit, *Deum noſcet. Deum noſcens Deo aſſimilabitur; Aſſimilabitur qui Deo dignus erit, qui nihil Deo indignum admittit, ſed cogitat quæ Dei ſunt, & quæ cogitat loquitur, & quæ loquitur facit.* Vide S. Bernardum lib. 2. de Conſider. ad Eugen. cap. 3. & S. Ambroſium ſerm. 2. in Pſalm. 118. & Origenem hîc hom. 2. ex quatuor. Vnde S. Hieronymus Epiſt. 22. ad Euſtochium: *Sis licet pulchra*, inquit, *& inter*

*Tropologicè.*
1.
*Cognitio ſui eſt via ad cognitionem Dei.*

Agapet.

omnes

Hieron. *omnes mulieres ſpecies tua diligatur à me Sponſo tuo, niſi te cognoueris & omni cuſtodia ſeruaueris cor tuum, niſi oculos iuuenum fugeris, egrediêris de thalamo meo, & paſtes hædos, qui ſtaturi ſunt à ſiniſtris.* Et S. Auguſt. ſerm. 50. de verbis Dom. ſecund. Ioan. *Niſi* inquit,

Auguſtin. *cognoueris temetipſam, quia vna es, quia per omnes gentes es, quia caſta es, quia colloquio peruerſo malorum ſodalium corrumpi non debes: Niſi cognoueris temetipſam, quia rectè mihi deſponſauit ille virginem caſtam exhibere Chriſto, rectéque mihi teipſam exhibeas, ne malis colloquiis ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutiâ, ſic & tui ſenſus corrumpantur à caſtitate mea. Niſi ergo talem cognoueris temetipſam, exi. Tu exi; aliis enim dicturus ſum: Intra in gaudium Domini tui. Tibi non dicam Intra, ſed Exi; vt ſis inter eos, qui ex nobis exierunt, exi tu, ſed niſi cognoueris temetipſam, tunc exi; ſi autẽ cognoueris temetipſam, intra; ſi autem non cognoris, exi tu in veſtigiis gregum, & paſce hædos tuos in tabernaculis paſtorum. Exi in veſtigiis, non gregis, ſed gregum, & paſce non ſicut Petrus oues meas, ſed hædos tuos in tabernaculis, non Paſtoris ſed Paſtorum, non vnitatis ſed diſſenſionis.*

2. Secundò: Vt homo veniat ad Deum Animæ Sponſum, oportet egrediatur ex ſuis affectibus & amoribus inordinatis,

*Exeat homo à veteri homine, vt induat nouũ.*

ac quaſi ex ſeipſo, vt ſcilicet exuat veterem hominem; ſic enim nouum, puta Chriſtum induet. Vnde S. Ambroſ. de Anima & Iſaac c. 4. docet animam conciliare ſibi Dei præſentiam, per ſui cognitionem & mortificationem: *Cognoſce*

Ambroſ. *igitur te*, inquit, *& natura decorem, & exi quaſi exuta vinculis pedem, & nudo exerta veſtigio, vt carnalia integumenta non ſentias, veſtigium mentis tua corporalia vincula non implicent, vt pes tuus ſpecioſus appareat*, &c. *Hoc eſt ergo quod ait: Exi tu in calcaneis gregum, & paſce hædos tuos in tabernaculis paſtorum: quia per greges regnum intelligimus; eò quòd poteſtatis ſit gregibus præſidere: præſidet autem vnuſquiſque ſibi quadam poteſtate regali, ſi coërceat in ſe corporis luxus, & ſeruituti redigat carnem ſuam. Ideò dictum eſt Luc. 17: Regnum*

Luc. 17. *Dei intra vos eſt. Vnde pulchrè ait ad animam: Exi, id eſt, exi à ſeruitio, exi à carnis imperio, atque dominatu; & exi non in carne; ſed in ſpiritu, exi ad regimen poteſtatis; ideóque addidit: Paſce hædos tuos, id eſt, rege ea, quæ in ſiniſtra tua ſunt. Nam ſi non regantur, facilè labuntur: Coërce petulantiam, & laſciuiam tui corporis; Edoma leues motus: paſce eos non in ais corporeis tabernaculis, ſed in tabernaculis paſtorum, qui regere gregem norunt. Sunt enim amabilia tabernacula Iſraël, ſicut nemora obumbrantia ſuper flumen.* Hoc eſt quod Deus Abrahæ, dum eum ad ſe euocaret, præcepit dicens: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de damo patris tui*, &c. Ge- Geneſ. 12.
neſ. 12. Hinc Ioannes Carmelita ſic explicat: Egredere, id eſt, temetipſam interſeca, mediámque concide, ita vt mẽtem ab appetitu diſtermines, ac duo quaſi agmina conſtituas. Altero quidem in agmine appetitum ſentientem, effrænéſque ipſius motus recenſebis. Ab hoc verò agmine mentem voluntatémque ſegregabis, alterúmque numerabis agmen, in quo teipſam repones, & in dicto bello agminis primi colloquia commerciúmque vitabis. Sic viam arripies lucéque fruêris. *Abi poſt veſtigia gregum tuorum*, hoc eſt, poſt greges gradere, non vt à motibus appetitus effrænis traharis, ſed vt quaſi verbere inflicto vrgeas, & quò mens vocat rectè ire compellas: *paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum*, id eſt, ſenſus rebelles hœdorum more dum recens ſanguis efferuet, exultantes, cùm domueris, dictóque iam feceris audientes, ne patiaris otio ſe tradere, aut tam citò deſeras ac ſi rebellare nequeãt, neque ſoleant. Sanè ſi eos impunè agere permiſeris, fœdus reſcindent, ac in te vno conniſu irrumpent. Præſide igitur illis, acritérque cæde, ac ſimul paſce iuxta caſas mapaliáue paſtorum, qui ſunt viri rerum diuinarum conſultiſſimi, Apoſtolorúmque poſteri ac hæredes, qui ſaluberrimas ſpiritualium dogmatum herbas ſibi credito gregi carpendas porrigunt: quorum ſi dogmata toto pectore hauſeris, ad meridiem ipſorum ducatu ocyſſimè properabis.

Tertiò; Anima vt Deum inueniat 3.
debet ſequi veſtigia gregum, id eſt, ſanctorum, qui legem Dei ſunt ſecuti, ac eius in Sacra Script. dogmata velut pabula depauerunt: Eadem hœdos, id eſt, petulantes & effrænes concupiſcentiæ motus refrænet ex diſciplina paſtorum.

Symbolicè: S. Bernardus greges Dei, Symbolicè.
ait, ſunt creaturæ, ex quarum veſtigiis, id eſt, conſideratione veſtigamus & peruenimus ad earum Creatorem, vti docet S. Thom. 1. part. quæſt. 5. artic. 5. & quæſt. 47. art. 7. Vide S. Baſilium hom. 11. Hexam. S. Auguſtinum lib. 10. Confeſſ. c. 6. S. Gregorium 12. Moral. cap. 8. Ita S. Antonius per hæc veſtigia Sponſi cubile, id eſt, Dei thronum & gloriam agnouit, vti refert Niceph. lib. 11. c. 42. Vnde S. Anton. hoc erat axioma, imò definitio mũdi: *Quid eſt mundus? Eſt liber diui-* S. Anton.
*nitatis. Cœli enim enarrant gloriã Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentũ.* Pſal. 18.

Porrò

Nyſſen.

Porrò Nyſſen. legit: *ſi non cognoſcis te ipſam, ô pulchra inter mulieres, egredere tu ex veſtigiis gregum, & paſce hœdos in* (vel vt alij codices habent *pro*) *tabernaculis paſtorum:* ſicque explicat: *O Anima, quæ ex nigra facta es pulchra, ſi eſt tibi curæ, vt longo tempore duret gratia & decor tuæ formæ, ne aberres poſt veſtigia eorum qui præceſſerunt, ſequere rationem, non vulgarem hominum conſuetudinem rationis expertem: Non aſpicias ad pecudum veſtigia, qua per calces eos ſignificant, quis vitæ terrenæ ſunt affixi &c. Non eſt enim apertum, an ſit hædorum ſemita ea, quæ apparet, quam tu ſequeris: propterea quod à te non cernantur, qui veſtigiis ſuis vitam triuerunt: poſtquam vitam tranſmiſeris, & in mortis ſtabulum incluſa fueris, timendum eſt ne in gregem hædorum adſcribaris, qui ad ſiniſtram collocandi ſunt, quos ignorans eorũque veſtigiis inhærens ſecuta es.*

Origen.

Et Origen. qui ſic exponit, q.d. *Si non cognoueris te, quoniam Regis es Sponſa & à me facta formoſa, id tibi erit in pœnam, quòd nouiſſima fies in veſtigiis paſtorum; idque non inter oues & iuſtos, ſed inter hædos & peccatores, cum quibus habitans non poteris habere partem mecum.* Huc accedit S. Gregor. *Per hædos*, inquit, *immundæ cogitationes deſignantur: per tabernacula paſtorum conuenticula hæreticorum exprimuntur. Qui ergo pugnare neſcit, iuxta tabernacula paſtorum hædos paſcit: quia quiſquis obſiſtentibus tentationum gladiis viriliter non reſiſtit, immundas cogitationes quaſi hædos laſciuos in corde nutrit, & efficitur ei ſimilis, etiam qui à fide recedit. Anima verò quæ Sponſa Chriſti effici concupiſcit qualiter ſe habeat, Chriſtus eam docet, cùm ei per comparationem protinus dicit: Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea.*

S Gregor. *Hœdi, immundæ cogitationes.*

Et S. Bernard. ſerm. 35. qui hæc accipit vt comminationem. q. d. Si ignoras, id eſt, ſi non conſideras, non æſtimas, non contemplaris immenſa bona cæleſtia, quę tibi partim dedi, partim promiſi, *Egredere de ſanctuario meo, corde tuo, vbi ſecretos ſacróſque veritatis ac ſapientiæ ſenſus dulciter haurire ſolebas, & magis tanquam vna de ſæcularibus, paſcendis & oblectandis tua carnis ſenſibus intricare. Hædos quippe (qui peccatum ſignificant, & in iudicio collocandi ſunt à ſiniſtris) dicit vagos & petulantes corporis ſenſus, per quos peccatum tanquam mors per feneſtras intrauit ad animam; Cui & bene congruit, quod ſequitur in Scriptura, iuxta tabernacula paſtorum.*

Bernard.

*De B. Virgine.*

Denique Rupertus hæc adaptat B. Virgini, quæ pulcherrima fuit omnium non tantùm fœminarum, ſed & creaturarum omnium, in cuius vtero quaſi in templo, imò quaſi in cælo Chriſtus cubauit, quaſi Chriſtus ei dicat: Cùm non ignores te ipſam, quòd ſis mater Dei ac benedicta inter mulieres, cognoſcis pariter vbi ego cubem, nimirum in tua fide & humilitate. Tu enim dixiſti: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Ergo ex fide & humilitate, imò fides & humilitas tota pulchritudo tua eſt, & hic eſt locus requietionis meæ: Locus in quo dilectus tuus paſcendo & cubando delicietur in meridie, id eſt, in hoc tempore plena gratia, quando figurâ iam præteritâ res illuxit; vmbra depulsâ, ſol veritatis aſcendit.*

Rupert.

---

Verſ. 9. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te, amica mea.*

PRo *equitatui* Hebr. eſt לססתי *Leſuſathi*, id eſt, vt Septuag. τῇ ἵππῳ, id eſt, *equæ meæ*, vel potius *equitatui meo.* Syrus: *Equæ meæ in curru Pharaonis aſſimilaui te.* Arabicus: *Nominaui* (laudaui, celebraui) *te, ô proxima mea, in equo meo in curribus Pharaonis.* Iam

Hebr. LXX. *Equitatus Pharaonis quis?*

Primò, nonnulli cenſent Salomonem hîc Sponſam ſuam comparare equæ cuidam curruli lectiſſimæ, generoſiſſimæ, & pulcherrimæ, qua præ deliciis ipſe vtebatur in agitandis curribus Pharaonis; vel qua Pharao filiam ſuam curru vexit ad Salomonem, quaſi Sponſam ad Spõſum: quo ſymbolo ſignificatur, Sponſam cum Sponſo ſimilem eſſe equo & equæ, eundem matrimonij vitæque currum pari conſenſu trahentibus: à iugo enim hoc equorum, matrimonium dictum eſt coniugium, quòd coniuges ſint quaſi duo equi ad eundem currum coniugati, vt matrimonij onera paribus humeris ſuſtineant, eiúſque difficultates paribus viribus ſuperent. Rurſum hoc ſymbolo ſignificatur Sponſam debere ſe moribus viri accõmodare, & hunc viciſſim Sponſę infirmitati ſe attemperare, ſicut in curru trahendo equi iugales alter alteri ſe accõmodat. Significatur ergo hac equæ metaphorâ, mutuus Sponſi & Sponſæ amor, mutua obſeruantia, mutua concordia, mutuus labor, mutua obſequia & officia. Sic Lyricus comparat Virginem ſpecioſam equæ:

*Reſp.1.*

*Quæ velut latis equa trima campis,*
*Ludit exultim, metuitque tangi.*

Horat.

Notum eſt Prouerbium: *Equa Theſſala.* Igitur Equa notat primò Eccleſiæ velocitatem: equæ enim velociores ſunt equis, vt maximè liquet in Hiſpanicis. Ita Theodoret. Sponſus, ait, cùm Sponſam

*Equa notat quatuor: 1. Eccleſiæ velocitatem.*

ſam amoris æſtu percitam, & ad ſe feſti-
nanter currentem cerneret, equę æripe-
2. Eius obedientiam. di illam ſimilem aſſeruit. Secundò, eius
obedientiam & mortificationem, quòd
cùm in Gentiliſmo viueret indomita,
iam iugo Chriſti ceruices ſubmiſerit. Ita
3. Amplitudinem. S. Ambroſ. ſerm. 2. in Pſal. 118. Tertiò,
amplitudinem, quòd celerrimè per to-
tum orbem diſcurrerit, Chriſtique fi-
dẽ propagarit. *Cœpit Sponſa* Chriſti, ait ibi-
Ambroſ. dem Ambroſ. *concordiâ & manſuetudine po-
pulari, eſſe ſublimis, & toto circumferri orbe tan-
quam currus, & equis velocibus ſupra mundum
4. Fœcunditatem. rapta aſcendit ad Chriſtum.* Quartò, fœcun-
Ambroſ. ditatem ita S. Ambroſ. de Iſaac & anima
cap. 4. *Virtutis labor*, ait, *quærit victoriam, vt
poſſit equæ illi, quæ Salomonis eſt comparari, ve-
lox ad currendum, habilis ad partum; quoniam
fœcunditas animæ deſideratur & quæritur. Huic
equæ ſimilis æſtimatur hæc anima, hoc eſt, pro-
phetica vel apoſtolica virtutis: eò quòd in eorum
annumeretur gregem, qui fœcunditate prædica-
tionis ſuæ totius orbis terrarum ſpatia reſperſe-
runt, & quamuis in corpore conſtituti, nulla ta-
men curſus ſpiritalis ſensêre diſpendia.*

2. Secundò neruoſiùs, hæc accipias de
Equitatus bellicus. Equitatu curruum bellicorum. Alludit
enim ad equos bellicos, quos ſibi ex Æ-
gypto à Pharaone coëmebat Salomon.
Ægyptus enim optimorum equorum
3. Reg. 4. erat ferax, Vide hiſtoriã 3. Reg 4. vbi in-
ter alia dicitur: *Habebat Salomon quadragin-
ta millia præſepia equorum currulium, & duo-
decim millia equeſtrium*, &c. Senſus ergo eſt
Paraphraſis. q. d. Queſta es, ô Sponſa, te æſtu perſe-
cutorum decoloratam, atque timere, ne
rurſum vagando incidas in ſodales, id
eſt, æmulos meos ac tuos: quare quæſiſti,
vbi cubem in meridie, vt ſub vmbra mea
ab omnibus hoſtibus tuta ſecuráque
quieſcas, ac hœdos tuos petulantes pa-
ſcas, & compeſcas iuxta tabernacula pa-
ſtorum: Video te ad tantas difficultates,
perſecutores & hoſtes expaueſcere; Ad-
do ergo tibi animum, dicóque me tibi
daturum vires & robur tantum, vt ſimilis
eſſe videaris equitatui bellico, quem Sa-
lomon comparauit à Pharaone, quo ho-
ſtes omnes ſuperes. Ad bellum enim te
voco, ac per te totum mundum mihi
ſubiugare deſtino, vt Principem mundi
diabolum cum toto ſuo præſidio inde
exigam; & quos ille in captiuitatem re-
degit fratres meos, ſuæ libertati reſti-
tuam: Nimirum Apoſtolos viróſque A-
poſtolicos ex te ſubmittam, qui velut
equi generoſi maria terráſque celerrimè
percurrant, & me ipſis velut inequitan-
tem per medias hoſtium acies inuehant,
ac populos vndequaque proſternentem
circumferant. Per me namque ſolâ meâ
præpotenti dexterâ fretus, fortia & ad-
miranda facinora edam, atque arduum
& memorabile hoc bellum tuũ, quaſi vi-
ctoris equi & equitatus operâ conficiam,
vincam, & triumphabo. Hinc S. Ioannes
mundi per Apoſtolos ad Chriſtum con-
uerſionem vidit repræſentari equo al-
bo: *Ecce*, inquit, *equus albus, & qui ſedebat* Apocal. 6. 2.
*ſuper illum habebat arcum, & data eſt ei corona,
& exiuit vincens vt vinceret.* Apoc. 6. 2. Hac
de cauſa Sponſam Eccleſiam cap. 6. v. 9.
comparat caſtrorum aciei ordinatæ.

Rurſum, *currus Pharaonis* cum Aponio, 3.
Beda & S. Bernardo accipi poſſunt, non Currus Pharaonis, in mari rubro ſubmerſi.
quos Salomõ emit à Pharaone, ſed quos
Deus proſtrauit in mari rubro. q. d. Tu,
ô Eccleſia mea, à me aſſimilaberis Equi-
tatui meo, quem oppoſui equitatui &
curribus Pharaonis, cùm pro Moſe &
Hebræis pugnans eos profligaui, & in
mare demerſi. Simili enim modo per te
omnes tuos hoſtes infideles profligabo,
ſed ita vt ex infidelibus faciam fideles,
ex hoſtibus amicos, ex rebellibus ſubdi-
tos, ex feris homines, ex mortuis viuos,
ex Dæmonibus Angelos: quare eos per
mare rubrum, id eſt, per baptiſmum ſan-
guine Chriſti quaſi rubricatum, dedu-
cam in terram promiſſam, non in terra,
ſed in cælis. Ita Caſſiod. Anſelm. & Beda,
qui & addit, id fieri duce columnâ ignis
& nubis, id eſt, gratiâ Spiritus ſancti. Vi-
de dicta Exodi 14. Porrò equitatus Dei
fuit Angelicus: Angeli enim pugnantes
pro Deo & Hebræis proſtrauerunt Pha-
raonem. Vnde Ioannes Carmelita ſic
explicat: *Equitatui meo in curribus Pharaonis
aſſimilaui te*, hoc eſt, Angelo, quo tanquã
equo meo vehebar olim, dum in ſinu
Arabico currus Pharaonis euerterem, te
ſimilem feci. Huc facit illud Habacuc
3. 15. *Viam feciſti in mari equis tuis, in luto* Habac. 3. 15.
*aquarum multarum.* Et verſ. 8. *Qui aſcendis* verſ. 8.
*ſuper equos tuos, & quadriga tua ſaluatio*, &c.
Alludit ad Pſal. 67. 18. *Currus Dei decem* Pſal. 67. 18.
*millibus multiplex, millia lætantium: Dominus
in eis, in Sina in Sancto.* Ille enim Pſalmus
67. idem connubij Chriſti & Eccleſiæ
argumentum tractat, quod Canticum
hoc. Ita Chald. quem audi: *Quando egreſſi* Chald.
*ſunt filij Iſrael de Ægypto, ſecuti ſunt Pharao &
exercitus eius poſt eos in curribus & in equiti-
bus, & erat via clauſa eis à quatuor partibus, à
dextris & à ſiniſtris erant deſerta plena ſerpen-
tibus ignitis, & poſt tergum eorum erat Pharao
impius & exercitus eius, & ſimiliter ante eos
erat mare carectoſum. Quid fecit ille ſanctus &
benedictus?*

*benedictus? reuelatus eſt in virtute potentiæ ſuæ ſuper mare, cùm ſuffocatus eſt Pharao & exercitus eius, & currus, & equites, & equi eius; & ſimiliter periiſſet Iſraël, niſi Moyſes Propheta extendiſſet manus ſuas in oratione coram Domino, & auertiſſet irã Domini ab ipſis, & aperuerunt ipſe & iuſti generationis illius os ſuum, & dixerunt Canticum, & tranſierunt in medio maris exſiccati per ſiccum, propter meritum Abraham & Iſaac & Iacob, dilectorum Domini.* Huc accedit Origen. qui ſic exponit:

Origen.

*Si vis intelligere, ô Sponſa, quomodo ſcire te debeas, cognoſce cui te comparauerim, & tunc videbis talem te eſſe, quæ turpari non debeas cùm tuam ſpeciem cognoueris. Aſſimilata enim es equitatui meo in curribus Pharaonis: ſiquidem quantùm differt equitatus meus ab equis Pharaonis, tantò melior es filiabus omnibus, Tu amica mea.*

Haymo verò; per equitatum Dei accipit ipſos filios Iſrael ſaluatos in mari rubro, quibus ſimilis fit Eccleſia, quando per aquam Baptiſmi ſaluatur.

Symbolicè.

Symbolicè, Sottomaior cenſet hunc eſſe equitatum amoris, quo Sponſa deuicit, ſibique deuinxit Sponſum. q. d. Equidẽ, ô Sponſa chariſſima, vt primùm te vidi, totum me penitus tibi deuinxiſti, & planè animum meum quaſi expugnaſti eximiâ ſpecie & pulchritudine tua, vſque adeò fortiter & vehementer, vt non minus fortis & potens mihi eſſe videaris in amore, quàm equitatus ille meus iunctus curribus Pharaonis, fortis & robuſtus eſt in bello ad pugnandum, & vincendum & profligandum populi Dei hoſtes. Sic Plato in Sympoſio, vel de Amore, inter alias amoris excellentias hanc ponit præcipuam, quòd potentiſſimus & fortiſſimus ſit, atque etiam ipſo Marte, id eſt, Deo bellatore, & authore belli fortior. Sic enim ibi ait: *Quod ad fortitudinem præterea attinet; neque Mars equidem Amori reſiſtit. Neque enim Mars Amorem, ſed Amor Dea amoris (vt fertur) Martem detinet. Potentius autem eſt id quod detinet, quàm id quod detinetur. Qui verò cæterorum fortiſſimo dominatur, omnium abſque dubio fortiſſimus iudicandus eſt.* Diuiniùs S. Bernard. ſerm. 64. exclamans: *O ſuauitatem,* inquit, *ô gratiam, ô amoris vim! Itáne ſummus omnium, vnus factus eſt omnium? Quis hoc fecit? Amor dignitatis neſcius, dignatione diues, affectu potens, ſuaſu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo Amor. Quid tamen tam non violentum? Amor eſt. Quæ iſta vis quæſo, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam? Denique ſemetipſum exinaniuit, vt ſcias amoris fuiſſe, quòd plenitudo effuſa;* *quòd altitudo adæquata eſt; quòd ſingularitas aſſociata eſt.*

*Amor triumphat de Deo.*

Plato.

Bernard.

Sic Boëtius lib. 2. de Conſol. metro 8. ait Amorem cælo dominari: *Et cælo,* inquit, *imperitans amor.* Quin & Sponſus hic cap. 8. *Fortis,* ait, *eſt vt mors dilectio.*

*Et cælo dominatur Amor.*

Boët.

Cantic. 8.

## SECVNDVS SENSVS PARTIALIS,

*De Chriſto & Anima Sancta.*

Sensus 1.

*Equi Apoſtoli.*

PEr Equam & Equitatum primò Philo Carpathius legens *equis meis*; & tres Patres apud Theodoretum, accipiunt Apoſtolos, quibus quaſi equis inſidens Chriſtus profligauit currus Pharaonis, id eſt, gẽtes infideles, eáſque ſibi ſubiecit, atque in iis velociter & fortiter quaſi equitando, currum Euangelij ſui illicò circumegit per omnes gentes. Sic Eliæ, curru igneo & equis igneis aſcendenti in cælum, ſucclamauit Eliſeus: *Pater mi* (tu es) *currus Iſrael & auriga eius.* 4. Reg. 2. q. d. Tu, ô Elia, Iſraeliticum populum, vt currus, tuis meritis portabas, & vt auriga, tuis conſiliis regebas. Quis te in cælum rapto iam Iſraelem portabit & reget?

4. Reg. 2.

2. *Equitatus Angeli.*

Secundò; Nyſſenus, Aponius & S. Bernardus per equitatum accipiunt Angelos, qui vti olim quaſi equites Dei proſtrauerunt currus Pharaonis in mari, ita nunc proſternunt dæmones, & quoſlibet homines animam iuſti impugnantes.

3. *Equitatus, Animæ ad fidē cõuerſæ.*

Tertiò: Origenes hom. 2. ex quatuor, & ex eo Aponius per equitatum accipiunt animas, quæ ex infidelitate aut peccato per prædicationem Apoſtolorum, & gratiam Chriſti traductæ ſunt ad fidem & ſanctitatem, itáque ex equitatu diaboli factæ ſunt equitatus & equæ Dei; nam vt hîc ait Thomas Ciſtercien. *Omnes qui malè agunt ſunt equi in curribus Pharaonis; ſcilicet Diaboli, à quo tanquam aurigo diriguntur & agitantur,* ſed hi conuerſi fiunt equi Dei in curribus Chriſti, cùm frænũ diſciplinæ eius ſuſcipiunt, iugum Euangelij portant, & Spiritu eius aguntur. Vnde Aponius *τὸ in curribus,* explicat *ex curribus Pharaonis.* Hi enim à Chriſto ſeſſore ſinunt ſe flecti ad omne bonum, quocumque illi libuerit, atque ab omni malo licet delectabili & concupiſcibili refrænari, vti dixi Apocal. 6. v. 2. *Mutato,* inquit Aponius, *magno ſeſſore magni efficiuntur equi, qui portant Spiritum ſanctum. Et*

Thom. Ciſterc.



Digitized by Google

Aponius. Currus Cinerſorum.

*in quibus ſolebat ſedere Pharao, qui diſperdens vel diſſipans eos interpretatur, qui vtique princeps intelligitur mundi, nunc vehitur in eis Princeps cæleſtis militia, Chriſtus, & quos conſueuerant auctores vitiorum miniſtri Antichriſti trahere per ſaxoſa conuallia criminum, nunc à potentibus & manſuetis equis Apoſtolis, vita exemplo, & ſanâ doctrina trahuntur per iuſtitiæ campos, in quibus Rota ſunt Voluntas & rationabilis Senſus: temones, Agens efficium; per quem aut Pharaonis aut Chriſti vnuſquiſque efficitur currus. Et quàm ſint ſplendidi vera conſcientia auro obtecti, quàm refulgentes in omni ſancta conuerſatione hi, qui ex Pharaonis, Chriſti effecti ſunt currus euidenter agnoſcitur, vbi eos Domini equi trahere aſſeruntur: Quibus etiam pro ſublimi laude animam ſuam adſimilat Chriſtus dicendo: Equitatui meo, & reliqua.*

Gregor.

Audi S. Gregorium: *Scimus quia equitatus Iſraëliticus, currus Pharaonis fugiens in mari demerſos reliquit, nec ſtatim terram repromiſſionis intrauit, ſed priùs multas tentationes in eremo quadraginta annis ſuſtinuit, multos Reges multis laboribus expugnauit, & ſic tandem quod promiſſum ſibi fuerat laborioſè acquiſitum ſuſcepit. Huic ſancta Anima Sponſi amica ſimilis efficitur, quæ priùs in Baptiſmo omnia peccata ſua extincta quaſi Pharaonis exercitum reliquit: & pòſt dum inter huius mundi habitatores, malignos ſcilicet ſpiritus viuit, imminentia vitia quaſi reges alienos proſternit, & ſic tandem ad beatam terram, in qua cum Sponſo delectetur, peruenit.* Vide S.Bernard.ſerm. 39. vbi per currus Pharaonis accipit cuncta vitia, præſertim malitiam, luxuriam, auaritiam, ac ſingulis ſuos aurigas & equos conſimiles aſſignat.

4. Equus, Anima Chriſti, & humanitas.

Quartò, Origen. hom. 2. ex quatuor & Theodor. per equam accipiunt ſanctiſſimam Chriſti animam & humanitatem, cui inſedit diuinitas, eámque velut auriga egit per tot heroïca virtutum omnium opera (Humanitas enim Chriſti hîc primaria eſt Sponſa, quam Verbum vt Sponſus ſibi deſpondit, vti dixi in Procemio caput 2.) Chriſtus enim humanitati ſuæ aſſimilat animam iuſti, quaſi eam ſic alloquatur: Te animam propinquam meam factam, atque ideo propinquam appellatam, & reipſa nominis fructus aſſecutam, equæ dico eſſe ſimilem meæ, qua ego vtens Pharaonem intelligibilem ſubmerſi, tibíque largitus ſum libertatem, iuxta illud: *qui reformabit corpus humilitatis noſtra configuratũ corpori claritatis ſua.* Philip. 3. 21. Et: *Nos verò reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginẽ transformamur à claritate in claritatẽ, tanquam à Domini ſpiritu.* 2. Corinth. 3. 18.

Philip. 3. 21.

2. Cor. 3. 18.

Quintò, S. Hieronym. in illud Habacuc 3. *Qui aſcendis ſuper equos tuos*, cenſet animam iuſti hîc comparari equo propriè dicto, quòd inſtar equi ratione & voluntate carentis frænari, & regi ſe ſinere debeat ab auriga & ſeſſore Chriſto, ac dicere cum Pſalte: *Vt iumentum factus ſum apud te.* Pſalm. 72. 23. 5. Habacuc 3. Equa, Anima iuſti.

Pſal. 72. 23.

Plenius S. Bernardus, hom. 39. oſtendit animam ſanctam, non tantùm eſſe equam, ſed equitatum potentiſſimum Dei: *Nec miraberis*, inquit, *vnam animam equitatus multitudini ſimilatam, ſi aduertas quanta in ipſa vna, quæ tam ſancta anima ſit, virtutum acies habeantur, quanta in affectionibus ordinatio, quanta in moribus diſciplina, quanta in orationibus armatura, quantum in actionibus robur, quantus in Zelo terror: quanta denique ipſi cum hoſte conflictuum aſſiduitas, numeroſitas triumphorum.* Hanc autem multiplicem de hoſte victoriam, ita ſigillatim poſt nonnulla enarrat: *Ibi populus eductus eſt de Ægypto, hîc homo de ſaculo; ibi proſternitur Pharao, hîc diabolus; ibi ſubuertuntur currus Pharaonis, hîc carnalia & ſæcularia deſideria, quæ militant aduerſus animam, ſubruuntur: illi in fluctibus, iſti in fletibus; marini illi, amari iſti. Puto & nunc clamare dæmonia, ſi fortè contingat incidere in talem animam, fugiamus Iſraëlem, quia Dominus pugnat cum eo.*

Anima ſancta, Equitatus. Bernard.

Igitur anima obediens & ſancta eſt equus & equitatus Dei, quia ad obediẽdum & ad omne opus bonum, quod iubet vel conſulit Deus, promptiſſimè, velociſſimè, efficaciſſimè, totôque ſpiritus impetu procurrit inſtar Angelorum, de quibus canit Pſaltes & Apoſtol. Hebr. 1. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis.* Pſal. 103. 4. Hebr. 1.

## TERTIVS SENSVS PRINCIPALIS,

### *De Chriſto & B. Virgine.*

RVpertus per Equum & Equitatum accipiens virgam Moſis, per quam velut per equitatum Deus Pharaonem proſtrauit & merſit in mari, aſſerit per eandem denotari B. Virginem: *Sicut enim virga illa, ait, virgas maleficarum & incantatorum deuorauit, & omnem ſuperbiam Ægyptiacam obtriuit ac deinde germinauit, fronduit, floruit & fructum protulit, non plantata, non ſucca terra animata, ſed virtute cæleſti ſupra vſum naturæ prouecta, ſic tu pulcherrima mulierum, amica mea cunctam prauitatem hæreticam interemiſti, ſuperbiam diaboli deieciſti, conceptu florida,* Rupert.

*rida, partu fructifera, virgo in conceptu, incorrupta in partu, virgo ante partum, incorrupta poſt partum. Nonne igitur pulcherrima es mulierum? Verè pulcherrima.*

Hinc B. Virgo contriuit caput ſerpentis, id eſt, Luciferi, omniumque eius aſſeclarum, Geneſ. 3. quales ſunt Hæretici: quocirca B. Virgini verè & iure accinit Eccleſia: *Quæ ſola vniuerſas hæreſes in vniuerſo mundo interemiſti.* Id enim verè ei tribui, patet ex omnium hæreticorum ætatúmque hiſtoriâ.

Verſ. 10. *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut Turturis: Collum tuum ſicut monilia.*

*Varia verſiones.* P*Vlchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis*, q. d. Tua, ô Sponſa, (id eſt, Eccleſia & Anima fidelis,) caſtitas, ac virginalis pudor relucet in genis tuis, æquè ac in genis turturis. *Hebr.* Hebr. eſt תורים *torim*, id eſt, *turturum* in plurali. Verùm plurale ponitur pro ſingulari. Vnde *turturis* vertit Noſter, & Lxx. *Lxx.* *Chald.* Chald. & Rabbini *torim* vertunt *inaures, gemmas, torques, margaritas, monilia*. *R. Abrah.* R. Abraham: *murenulas, quæ depicta erant inſtar turturis.* Alij, *murenulas ad turturis ſpeciem effigiatas, quæ ex temporibus deſcendentes vſque ad genas eas mirè exornabant.* Vnde Vatabl. vertit: *Vatabl.* *Venuſtæ ſunt genæ tuæ inter murenulas, & collum tuũ inter monilia.* Syrus: *Speciosæ ſunt genæ tuæ cum cincinnis, & collum tuum cum torque.* Verùm meliùs vertit Noſter. Hebr. enim תור *tor* propriè turturem ſignificat per Onomatopœiam à ſono vocis, quẽ gemendo turtur edit; non monile aut quid ſimile. Adde Noſtrum & Septuag. in Hebr. legiſſe כתורים *cattorim*, id eſt, *ſicut turturum*, non בתורים *battorim*, id eſt, *inter turtures* vel murenulas, aut monilia turturibus ſimilia. Denique aptiùs genæ Sponſæ turturibus, quàm monilibus cõparantur, quia turtures pudici ſunt, manſueti (vnde & carent felle) modeſti & verecundi, ídque maximè oculis & genis repræſentant: *In genis* enim *eſt ſedes pudoris*, ait Plinius lib. 11. cap. 37. *Plin.* Sic c. 4. verſ. 1. ait: *Oculi tui columbarum*: columbarum enim ſpecies vna ſunt turtures.

## PRIMVS SENSVS ADÆQVATVS;

*De Chriſto & Eccleſia.*

EXplicat, & per partes confirmat Sponſus per ſuos ſodales, quod generatim dixit Sponſæ: *ô pulcherrima mulierum.* Vnde pulchritudinem genarum & colli eius hîc repræſentat. q. d. Facies tua à ſole fuſcata ſplendet & nitet argenteorum turturum fulgore. Alludit ad illud Pſalm. 67. *Pſalm. 67.* *Si dormiatis inter medios cleros* (eritis) *ſicut pennæ columbæ deargentatæ.* Addit Nyſſenus, ne quis ex eo quòd Sponſam compararit equæ vel equitatui, ac hœdorum eam paſtricem dixerit, eam laſciuam & luxurioſam æſtimet, quales ſunt equæ & hœdi, hinc vt hoc abſtergat aſſimilare eam turturi, quæ perennem fidem compari ſeruat, ac caſtitatis eſt Symbolum.

Communis patrum expoſitio eſt per genas pulchras ſignificari hîc verecundiam & caſtitatem Sponſæ, putà Eccleſiæ; hæc enim prima & ſumma Sponſarum eſt Dos, quæ maximè in genarum rubore & pudore reſplendet. Eccleſia enim non alium Sponſum, quàm Chriſtum amat, illum vnum cogitat & loquitur, ad illum abſentem inſtar turturis gemit & ſuſpirat. Ita Origen. Theodor. Caſſiod. Nyſſen. S. Gregor. Philo, Beda, Iuſtus, Aponius, Rupert. Anſelm. Bernard. & S. Ambroſ. ſerm. 3. in Pſalm. 118. Vnde Septuag. per interrogationem & *Lxx.* admirationem vertunt: *Quàm ſpecioſæ factæ ſunt genæ tuæ ſicut turturis*: vbi Origen. *Origen.* viget τὸ *factæ ſunt*, q. d. Eccleſiæ genæ primitus, dum in gentiliſmo viueret, nõ erant ſpecioſæ, at poſtquam ſuſceperunt oſculum Sponſi in lauacro baptiſmi ſpecioſæ factæ ſunt; quia poſt Chriſtum & per Chriſtum excoli cœpit caſtitas & virginitas: notatur ergo hîc magna virginum & continentium copia in Eccleſia Chriſti, per eiuſdem doctrinam & exemplum. Vnde Aponius Symbolicè, *Turtur Chriſtus.* per turturem accipit ipſum Chriſtum: huius enim virginalem verecundiam imitari ſatagit Eccleſia: vnde ſicut turtur abſente compare gemit aſſiduè, ſic Eccleſia continuò gemit & ſuſpirat ad Chriſtum, vt eo fruatur in cælis. Porrò Chald. pro turture vertens inaurem & frænum maxillæ, cenſet per illam notari obedientiam Synagogæ: *Quando*, inquit, *Chald.* *egreſſi ſunt ad deſertum, dixit Dominus ad Moſen; Quàm pulcher eſt populus hic, vt dentur eis verba legis, & ſint ſicut inauris in maxillis eorum, vt non recedant à via bona, ſicut non recedit equus in cuius maxilla eſt frænum.*



Digitized by Google

## SECVNDVS SENSVS PARTIALIS,

*De Chriſto & Anima Sancta.*

*Turturis & Animæ piæ collatio.*

1. PRimò, Sicut Turtur non niſi vnum admittit marem, eóque mortuo vitam agit vidualem, In continuo gemitu & luctu: Sic Anima ſancta, non niſi Spõſum Chriſtum diligit, eiúſque paſſionem & mortem luget aſſiduè, ac ad eum in cælis ſuſpirat: quare eius abſentiam deflet, vt crebrò eius genæ madeant piarum lachrymarum imbre. Turtur enim monogamus eſt, & femella amiſſo coniuge aquas vitat limpidiores, ne ſe in aquis conſpectâ, coniugis recordetur. Viduæ autem ideo in turturibus frequentiores ſunt, quòd mares, vt refert Ariſtot. lib. 9. Hiſtor. animalium cap. 7. citiùs mori ſoleant, & minùs viuaces ſint.

*Virgil.* Hinc illud Virgilij:

*Nec gemere aëria ceſſabit turtur ab vlmo.*

*Turtur, ſymbolum Monogamiæ, viduitatis, & Fidelitatis.* Turtur ergo ſymbolum eſt primò monogamiæ, ſecundò viduitatis, tertiò fidelitatis. Vnde Goropius Becanus in Saxonicis ab Hebræo תור *tor*, & Latino *turtur*, dictum putat Cimbricum & Belgicum *trou*, id eſt, fidelitas per metatheſin, & *trouuen*, id eſt, nubere, & coniugi fidem coniugij dare, vti Turtur eam dat Turturi compari ſuo. Heliogabali nummus extat, in quo viſitur femina geſtans turturem cum hoc lemmate: *Militum fides.* q. d. ſicut turtur fida eſt ſuo compari: ſic miles fidus ſit ſuo Duci. *Turtur*, ait S. Gre-

*Gregor.* gor. *poſtquam parem ſuum perdiderit ſemel, nunquam alteri ſe iungit, ſed ſemper ſolitariè habitans in gemitu perſeuerat: quia quem diligebat non inueniens quærit. Sic ſancta quæque anima, cùm à Sponſo ſuo abſens eſt, ab eius amore non recedit, ſed in eius deſiderium ſemper anhelat & gemit: & dum illum quem valde diligit non inuenit, quia ab omni alieno amore ſe retrahit, quaſi in genarum verecundia caſtitatem cordis ipſo habitu & actu exteriori oſtendit.* Et S. Bernard. de modo bene viuendi ad Sororem cap. 10. *Pulchræ ſunt genæ*, inquit, *ſi-*

*Bernard.* *cut turturis. Natura turturis eſt, vt ſi per occaſionem perdiderit coniugem, alterum amplius non quærat. O Sponſa Chriſti, aſſimilare & tu huic turturi, & præter Ieſum Chriſtum Sponſum tuum, amatorem non quæras alterum. O Sponſa Chriſti, eſto ſimilis turturi, & luge die ac nocte cum deſiderio Ieſu Chriſti Sponſi tui, quia iam aſcendit ad cælos, vt aliquando faciem illius videre merearis in dextera patris. Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis. In genis ſolet eſſe verecundia. Soror venerabilis, genas habes turturis, ſi præ verecundia Ieſu Chriſti Sponſi tui nihil contra voluntatem illius facis. Genas habes turturis, ſi cum amore & reuerentia Chriſti ea quæ illi diſplicent poſtponis. Genas habes turturis, ſi præter Chriſtum alterum amicum non diligis.* Similia habet S. Chryſoſt. hom. 8. de Turture tom. 5.

Secundò, Turtur vt caſtitatem ſeruet amat ſolitudinem, ac in locis remotis nidificat, pullóſque generat & nutrit, vbi ab hoſtium incurſu ſint ſemoti & tuti. Idem facit Anima ſancta. Audi S. Bernard. ſerm. 40. *Omnino ſupra ſe eſt Angelorum Domino deſponſari. An non ſupra te adhærere Deo, atque vnum Spiritum eſſe cum eo? Sede itaque ſolitarius ſicut turtur, nihil tibi & turbis, nihil cum multitudine cæterorũ, etiamque ipſum obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet rex decorem tuum. O Sancta Anima, ſola eſto, vt ſoli omnium ſerues teipſam, quem ex omnibus tibi elegiſti. Fuge publicum, fuge & ipſos domeſticos, ſecede ab amicis & intimis, etiam & ab illo, qui tibi miniſtrat. An neſcis te verecundum habere Sponſum, & qui nequaquam ſuam velit tibi indulgere præſentiam præſentibus cæteris. Secede ergo, ſed mente non corpore, ſed intentione, ſed deuotione, ſed Spiritu.* Et poſt nonnulla: *Solus es, ſi non communia cogitas ſi non affectes præſentia, ſi deſpicias quod multi ſuſpiciunt; ſi faſtidias, quod omnes deſiderant, ſi iurgia deuites, ſi damna non ſentias ſi non recorderis iniuriarum. Alioquin nec ſi ſolus corpore es, ſolus es.* 2. *Turtur amat ſolitudinem.* *Bernard.* *Pſalm. 44.*

Tertiò, Turtur ſuo luctu repræſentat animam non diſſolutam & intemperantem, ſed moribus æquè ac ſermonibus compoſitam, grauem, temperantem, orationi & compunctioni deditam; quæ gulam & libidinem refrænet per temperantiam; iram per patientiam; puſillanimitatem per fortitudinem, &c. Ita Tres patres apud Theodoret. Turturi enim pro cantu eſt planctus. Vnde vox turturis fuit vox S. Magdalenæ plangẽtis ſua peccata. Hinc turtur gemebundus notat animam meditabundam, quæ gemit & luget ſuas, aliorúmque culpas, & ærumnas huius peregrinationis & exilij noſtri. Hinc quoque turtur ſymbolum eſt ſapientiæ. Nam *cor ſapientium vbi triſtitia eſt, & cor ſtultorum vbi lætitia.* Eccleſ. 7. 5. Hinc & prouerbium: *Caro turturis cibus eſt ſapientum.* Nam vt docet Aldrouandus in Turture: turturis caro non craſſum, ſed tenuem dat ſuccum, qui facilè in ſubtiles ſpiritus animales conuertitur; hi enim appoſiti 3. *Turtur gemebunda.* *Turtur ſymbolum ſapientiæ, Curt? Eccleſ. 7. 5.*

appoſiti ſunt, planéque ſubſeruiunt Meditationi & Contemplationi. Hinc rurſum turtur meditabundus typus eſt prouidentiæ, quæ futura præmeditatur & proſpicit, teſte Pierio in Hierogl. Vnde illud Ierem. 8. *Turtur & hirundo & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui.*

Ierem. 8.

4. Quartò, S. Bernard. ſerm. 40. per genas, accipit rectam intentionem, quam Chriſtus oculis comparauit, Matth. 6. 22. oculos autem circundant & ſuſtinēt genæ: Vnde Cicero de Natur. Deor. Genæ, ait, ab inferiore parte tutantur oculos ſubiectos, leniterque eminentes. Súntque binæ, quia in intentione conſiderari debent duo, ſcilicet res & cauſa, hoc eſt, quid intendas, & propter quid intendas. Audi Plinium lib. 11. cap. 37. *Infra oculos malæ, quas priſci genas vocabant, duodecim tabularum interdicto radi à feminis eas vetantes, pudoris hæc ſedes. Ibi maximè oſtenditur rubor; infra eas, hilaritatem riſúmque indicantes, buccæ.* Et paulò ante: *Grauiores alitum inferiore genâ conniuent. Eâdem nictantur, ab angulis membranâ obeunte. Columbæ & ſimilia,* ( vt turtures ) *vtrâque conniuent, &c. Extremum ambitum genæ ſuperioris antiqui cilium vocauêre, vnde & ſupercilia. Hoc vulnere aliquo diductum non coaleſcit.* Talis prorſus eſt intentio, æquè ac caſtitas & pudor virginalis.

*Genæ, Recta Intentio.*

Plin.

## SENSVS TERTIVS PRINCIPALIS,

*De Chriſto & B. Virgine.*

PVlchræ genæ notant eximiam puritatem & verecundiam B. Virginis, quæ vt turtur aſſiduè gemebat mortem turturis, id eſt, Chriſti dilecti ſui. Nam vt ait S Hieronym. lib. 1. contra Iouin. *Turtur auis pudiciſſima ſemper habitans in ſublimibus, typus eſt Saluatoris.* Hinc & ipſa pro filio in Purificatione obtulit par turturum, aut duos pullos columbarū. Lucæ 2. ac cum Ioſeph marito ſuo ſeruauit caſtitatē, non tantùm coniugalem, ſed & virginalem, ac poſt eius mortem, vidualem. Hinc api comparatur. Apes enim copulam carnalem neſciunt, ſed virgines concipiunt pariúntque ſuos fœtus, vti B. Virgo miro modo in ſe copulauit virginitatem & fœcunditatem, ſiue maternitatem. Audi S. Ambroſium, lib. 1. de Virgin. *Digna virginitas quæ apibus comparetur: ſic laborioſa, ſic pudica, ſic continens. Rore paſcitur apis, neſcit concubitus, mella componit. Ros quoque Virgini eſt ſermo diuinus, quia, ſicut ros, Dei verba deſcendunt. Pudor virginis eſt intemerata natura. Partus virginis fœtus laborum, expers amaritudinis, fertilis ſuauitatis.*

Hieron.

*B. Virgo Api comparata.*

Ambroſ.

*Collum tuum ſicut monilia.* Noſter cum Septuag. legit כחרוזים *eacharuzim*, id eſt, *ſicut monilia*, iam legunt בחרוזים *bacharuzim*, id eſt, in monilibus, q. d. Collum tuum circumdatum eſt monilibus. Porrò Pagnin. & Rabbini *charuzim* interpretantur torques & margaritas perforatas, filo copulatas. Solent enim matronæ, vt decorem ſibi concilient collum ornare torquibus, & margaritarum coronâ. At Sponſa hæc externis hiſce ornamentis non eget; ipſa ſibi ornamentum, ipſa margaritum eſt, ac verè margarita nominari poteſt. Ita Origen. Theodoret. & S. Bernard. Huc facit illud S. Hieronymi ad Euſtochium: *Margarita eſt ſermo Dei, & ex omni parte perforari poteſt.* Eſt diſparata hîc comparatio, priùs enim genas Sponſæ comparauit turturi, hîc collum comparat monilibus. Sic enim Hebræi diſparata ſæpe combinant. Vnde cap. 4. v. 1. oculos Sponſæ comparat columbæ, dentes gregibus, labia vittæ coccineæ, genas fragmini mali Punici, collum turri, vbera hinnulis. Addunt nonnulli turtures ſæpe eſſe torquatos plumis colli extantibus, ideóque Sponſæ huic turtureæ dari torquem & monilia.

*Varia lectio.*

Hieron.

*Turtures torquati plumis.*

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

PRopriè collo, quod oneri & iugo, æquè ac capiti ſubiicitur, ſignificatur ſubiectio & obedientia Eccleſię, qua
Chriſto Sponſo, Deíque legibus per omnia obedit, quæ eam, non tam grauat 1.
quàm ornat, vti monile, iuxta illud Prou. 1. 8. *Audi, fili mi, diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Vide ibi dicta. Hinc ſicut collum non eſt rigidum, ſed tortile & verſatile in omnes partes, quò caput iuſſerit, ideóque rotundum: ſic & obediens, agilis & verſatilis eſt ad omnia opera, quæ ſuperior præceperit. Audi Ariſtot. lib 4. de part. anim. cap. 10. *Collum arteriæ gratiâ* habetur: *quippe quod eam atque etiam gulam protegat, amplexúque ſuo tueatur. Hoc cæteris animalibus flexibile & vertebris compactum eſt, at lupo & leoni oſſe perpetuo riget. Commodius enim ad robur, quàm ad cæteros vſus collum iis eſſe natura voluit.*

*Colli mo-le eſt obedientia.*

Prouerb.

Ariſt.

Vnde Chald. vertit: *Et quàm pulchra ſunt*

Chald. *dorſa eorum, vt ſuſtineant dorſum præceptorum meorum, & ſint ſuper eos ſicut iugum ſuper ceruices bouis, qui arat in aratro & ſuſtentat ſe, & Dominum ſuum.* Sic & Theodoret. & alij paſſim.

Hinc in Scriptur. quin & apud prophanos collum flexile ſubmiſſum denotat & obſequêtem; collum verò durum, rebellem & contumacem. Vnde illud Iſaiæ 48. Iſaiæ 48. *Scio quia durus es, & neruus ferreus ceruix tua.*

2. Secundò; ſicut collum medium eſt inter caput & corpus, ac capitis influxum & ſpiritus excipit, deriuátque in omnia membra, atque illa capiti connectit & ſubordinat; ſic & obedientia iungit ſubditos ſuperiori, eiúſque præcepta & conſilia, ſpiritum & virtutem in illos deriuat.

3. Tertiò; ſicut collum continet arteriã, quâ vitalem halitum trahimus, & gulam, qua in ſtomachum cibum traiicimus; ſic obedientia menti vitam, vitalémque ſpiritum aſpirat, ac cibum non corporalem, ſed ſpiritalem voluntati, quæ quaſi ſtomachus eſt animæ, ſubminiſtrat. Audi Ariſtot. lib. 1. Hiſtor. anim. cap. 12. Ariſtot. *Collum quod inter pectus, & faciem eſt, cuius pars prior Guttur, poſterior Gula, quantúmque colli ipſius cartilagineum priorem obtinens ſitum, vocem tranſmittit & halitum, id Arteria nominatum eſt: At verò quantum interius carneum Spinæ praiacet, Gula dicitur: Pars autem poſterior colli extima, Ceruix appellata eſt.*

Idem. Idem lib. 3. de part. animal. cap. 3. *Collum*, ait, *capiti ſubiacet iis, quæ id habent animalibus: non enim omnia habent, ſed ea tantùm quibus ſunt partes illæ, quarum gratiâ collum conditum eſt: hoc eſt guttur, & quæ gula vocatur. Guttur Spiritus causâ datum eſt; hoc enim Spiritum animalia trahunt, & reddunt, & reſpirando & expirando; quamobrem quæ carent pulmone, collo etiam carent, vt genus piſcium. Gula eſt, qua cibus & potus deuoratur: itaque ea quæ carent collo, gulam hac manifeſtam non habent.*

Hinc ſicut genæ notant Virgines in Eccleſia, ſic collum denotat Monachos & Religioſos, quorum profeſſio eſt Obedientia, iuxta illud: *Collum veſtrum ſubiicite iugo, & ſuſcipiat anima veſtra diſciplinam.* Eccli. 51. 34. Eccleſ. 51. 34. *Et iniice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum.* Ecc 6 25. *Subiice humerum tuum, & ne acedieris vinculis eius.* Ibidem cap. 6. 25. Et: *Liga ea in corde tuo, & circumda ea gutturi tuo.* Prouerb. 6. 20. Prouerb. 6. 20. Sicut enim torques totum collũ ambit & complectitur, ſic Obedientia totum Religioſum, omnéſque eius actiones, totámque vitam complectitur, vt nihil ei agere liceat, niſi quod Superiori libeat. Inſuper ſicut torques è margaritis contextus plurimas continet margaritas: ſic Obedientia omnes virtutes. Sola virtus eſt obedientia, quæ cæteras virtutes menti inſerit, inſertáſque cuſtodit, ait S. Gregor. 35. Mor. cap. 10. Quare obedientia eſt corona, & roſarium virtutum omnium. *Obedientia eſt corona virtutum.*

Porrò pro *monilia* Septuag. vertunt *ὁρμίσκους* quod primò S. Ambroſ. ſerm. 3. in Pſal. 118. vertit *redimicula*, q.d. Obedientia collum obedientis & Religioſi non tam deprimit, quàm redimit, & inſtar torquis decorat, & coronat. Hinc Religio dicitur à religando, quòd mentem antea à Deo per peccatum diuulſam, religet Deo. Quid autem nobilius, quàm religari & copulari Deo? Audi S. Ambroſ. *Ceruix tua ſicut redimicula. Portate Chriſti iugum, ſuaue eſt, ſi ornamenta putes ceruicis tuæ eſſe, non onera: attolle ergo oculos tuos ad Dominum Deum tuum, & quære Deum, & inuenies. Erige ceruicem, redimicula, non vincula geris. Muta quoque animalia redimiculis gaudent, & phalerari ſibi magis, quàm nudarè videntur. Genæ ſicut turturis, præferent inſignia verecundiæ: redimicula ceruicis, libertatis attollent fiduciam: leue eſt enim iugum Chriſti, & ideo ceruix eo non premitur, ſed leuatur.* Hinc Origen. hom. 2. ex quatuor, per redimicula accipit *obedientiam Chriſti vſque ad mortem*; hæc enim totam vitam eius redimiuit, id eſt, circumdedit & decorauit; obedientiæ ergo Chriſti cenſet comparari obedientiam Eccleſiæ: *Magna*, inquit, *in hoc laus Sponſæ eſt, magna Eccleſiæ gloria, vbi imitatio obedientiæ eius exæquatur obedientiæ Chriſti, quem imitatur.*

LXX. Religio à religando. Ambroſ. Origen.

Nyſſenus autem *τὸ ὁρμίσκους* id eſt, redimicula, deriuat ab ὅρμος id eſt, portus, eò quòd torques curuentur inſtar portus, qui Lunæ falcatæ formam habet; Vnde dicta Panormus, nobilis Siciliæ ciuitas, q.d. Omnis portus, vel per omnia portus, eò quòd naues vndique illuc conueniãt & confluant. Obedientia ergo Religioſo eſt quaſi portus, quia contra omnia pericula & tentationes præſtat ei ſecuritatem, vt conſcientia quieta & tranquilla vitam omnem exigat in lætitia. Quocirca Climacus Gradu 4. *Obedientia*, inquit, *eſt perfecta abnegatio propriæ animæ & proprij corporis, mors voluntaria, vita ſine ſollicitudine, nauigatio ſine damno, ſepultura voluntatis, vita humilitatis, & quaſi ſi quis dormiendo iter faciat, idémque addit, Viuere in obedientia nihil aliud eſſe, quàm ſuum onus aliorum*

*Obedientia portus.* Climac.

*aliorum humeris imponere, natare ſuper aliorum vlnas, & ſuſtentari in aquis ne mergamur, ſed ſine periculo hoc grande pelagus huius vitæ tranſeamus, & quidē breuiſſimâ nauigatione.* Cauſa à priori eſt, quòd obediens regatur à Deo. Deus enim ſuperiores illi conſtituit, per quos eum gubernat. Quis autem errare metuat gubernante & ducente Deo, imò iubente? Scitum eſt illud Chriſti: *Qui vos audit, me audit.* Lucæ 10. Luc 10.

## SECVNDVS SENSVS PARTIALIS,

### *De Chriſto & Anima ſancta.*

COllum, id eſt, ſtatus ſubiectionis monet animam, primò obedientiæ, quam debet Deo & ſuperioribus: ſecundò humilitatis: tertiò patientiæ: hæ enim duæ ſunt comites, imò fulcra obedientiæ, ſine quibus illa ſtare nequit. Ita S. Ambroſ. lib. de Iſaac & anima cap. 4. *Laudatur*, inquit, *Anima, quòd cæleſti ſibi illuminante præcepto iam ſpecioſa, iam pulchra ſit, quæ vultu præferat caſtitatis decorem, & redimicula ceruicis attollat, in qua ſunt patientiæ & humilitatis inſignia.* Quocirca S. P. N. Ignatius in regul. Modeſtiæ ſancit, vt Noſtri ceruice nonnihil inflexâ incedant, vt hac formâ humilitatem & modeſtiam præ ſe ferant: *Caput*, inquit, *teneatur rectum cum moderata inflexione in partem anteriorem, ad neutrum latus deflectendo. Oculos demiſſos vt plurimum teneant.* Ita inceſſit Chriſtus Dominus, de quo ſic ſcribit Nicephor. lib. 1. hiſtor. cap. 40. *Collum eius ſenſim decliue, ita vt non arduo & extento nimium corporis ſtatu eſſet.*

*Collum eſt humilis & patiens obedientia.* — Ambroſ. — S. Ignat. — Niceph.

Audi & tres Patres apud Theod. *Collum pulchrum effectum eſt ſicut monilia; Neque enim tibi ferreum eſt collum, vt propter ſuperbiam flecti nequeat, ſed propter modeſtiam facilè verti poſſit; vt monilia ex auro elaborata: cuius quidem auri probitatem ac puritatem, humilitas tua ſimplicitate non fictâ imitatur. Quod ſi minimè ſimulatam humilitatem monile ſignificat, vt dictum eſt, Sponſæ Chriſti collum tanquam monilia commendatum, & virtutum indicat multitudinem, & implicitam in ſingulis virtutibus humilitatem. Quemadmodum enim monile rectâ figurâ primùm ab artifice conflatur, deinde in circulum accommodatè ad vſum circumflectitur: ſic homo virtute perfectus, cùm abſolutâ vitæ moderatione rectus ſit; cæteris compatiendo per humilitatem flectitur atque demittitur.* Subdunt deinde collum eſſe rationem: *At collum humilitate circumdatum, eſt animi ratio, quæ vt collum reliquo corpori caput coniungit, ſic ipſa mentem cum ſenſibus connectit, dum ex virtutum habitu mentem per actiones ſenſibus applicat, ſenſúſque rurſum ex virtutum præſcripto ad mentem reducit. Flectitur item per humilitatem, dum non ex propriâ extollitur dignitate, ſed ex pulueris ac materiæ abiectione demittitur.*

3 Patr. apud Theodor.

Hac de cauſa Religioſi collo iniiciūt *ſcapulare*, æquè ac Pontifices in lege veteri collo iniiciebant *Ephod*, quod vtroſque admonet obedientiæ & patientiæ, ſicut monile è collo pendens virgines admonet pudicitiæ, ac viros generoſitatis, viriliſque virtutis. Inde enim dictum eſt monile, quòd virtutis admoneat. Nam primò ob aliquod egregium facinus dari ſolebat ingenuis iuuenibus. Vnde Ouid. 10. Metam.

*Religioſorum Scapulare, Obedientiæ admonet.* — *Monile à monendo dictū.*

*Dat digitis gemmas, dat longa monilia collo.* Ouid.

Sic & Græcum ὁρμίσκος, id eſt, monile, alludit ad ὁρμὴν, id eſt, impetum & impulſum, quòd illum ad præclara virtutis opera viris, & viraginibus iniiciat; ſicut Hebr. חרוז *charuz*, id eſt, monile vel torques, alludit ad חרוץ *charuts*, id eſt, expeditus, ſtrenuus, acer ad heroïca facta: tali enim debetur monile & torques. Vnde Titus Manlius à torque, quem Gallo ad Anienem occiſo detraxit, Torquati cognomen accepit, teſte Liuio.

Rurſum, militibus ob rem ſtrenuè geſtam, à Duce torques aureus in collum iniiciebatur, indéque torquati dicebantur; erántque duorum generum, ſimplares & duplares. *Torquati*, inquit Vegetius lib. 2. *duplares, torquati ſimplares erant, quibus torques aureus ſolidus virtutis præmium fuit, quem qui meruiſſet, præter laudem, interdum duas conſequebatur annonas, duplares duas, ſimplares vnam.* Sic torque & monilibus à Chriſto Sponſo decoratam ſe gloriabatur S. Agnes, dum Præfecti vrbis filio ſuas nuptias ambienti, cum ſtomacho reſpōdit: *Diſcede à me fomes peccati, pabulum mortis: nam multo te nobilior, ditiórque Sponſus ſubarrauit me: qui cùm ſit rex cæli & terræ, aureo veſtitu ornauit me, & aures meas decorauit inſignibus margaritis, & collum monilibus atque fulgentibus gemmis*, vti fusè refert S. Ambroſ. ſerm. 90.

*Torquati qui.* — Vegetius. — S. Agnes.

Secundò; Nyſſenus hom. 3. per collum cenſet notari circumſpectionem, & prouidentiam animæ ſanctæ: *Sicut enim equus*, inquit, *collum in orbem gyrans, ad omnes greſſus aſpicit necubi in ſaxa impingat, aut in foſſam ruat, ſed inoffenſo pede gradiatur. Sic Anima Sancta omnes ſuas actiones & greſſus*

*Collum eſt circumſpectio.* — Nyſſen.



Digitized by Google

*proſpicit & circumſpicit, necubi labatur aut ce- ſpitet, ſed directo curſu ad Deum feſtinet.* Huc accedit Iuſtus Orgel. qui per collum accipit contemplatiuos, qui legem Dei ruminantes, eandem docendo in alios effundunt: hi enim ſunt Eccleſiæ monilia.

*Collum eſt fides.* *Gregor.*

Tertiò, S. Gregorius in Pſalm. 5. Pœnit. per collum accipit fidem: *Collum*, ait, *fides eſt, per quam Deo fidelis quiſque iungitur, & quaſi per collum capiti ſuo Chriſto Eccleſia, quæ eius eſt corpus, vnitur: & quia fides ſine operibus mortua eſt, quaſi collum Sponſæ monilibus circundatur, dum fides ſanctæ animæ operibus decoratur, ideóque ei dicitur: Collum tuum ſicut monilia.* S. Bernardus verò ſerm. 41. per collum accipit intellectum purum & ſimplicem:

*Collum, purus intellectus.* *Bernard.*

*Annon*, inquit, *tibi videtur colli vice fungi intellectus, per quem tua anima traiicit in ſe ſpiritus vitalia alimenta, atque in quadam transfundit viſcera morum affectuúmque ſuorum? Hoc ergo Sponſæ collum, id eſt, purus & ſimplex intellectus, cùm nudâ & apertâ veritate ſatis per ſeipſum reniteat, non indiget ornamento, ſed ipſum magis tanquam pretioſum monile animum decenter exornat, ac proinde ſimile monilibus ipſis deſcribitur. Bonum monile veritas, bonum puritas ſiue ſimplicitas, bonum planè monile ſapere ad ſobrietatem. Philoſophorum, vel hæreticorum intellectus non habet hunc in ſe puritatis veritatiſque nitorem, & ideò multam curam gerunt ipſum colorare, & fucare phaleris verborum & verſutiis Syllogiſmorum, ne ſi nudus appareat, falſi etiam appareat turpitudo.*

*Collum ſunt Doctores.*

Symbolicè: Caſſiod. S. Gregor. Beda, Aponius, Philo Carp. & Anſelmus per collum accipiunt Doctores & Prædicatores. Audi S. Gregorium hîc: *Per collum Sponſæ prædicatores ſanctæ Eccleſiæ deſignantur. Monilibus prædicatores comparantur; vel quia Eccleſiæ ſunt ornamentum, vel quia Eccleſiam muniunt vt pectus monile; vel à rotunditate, id eſt, perfectione. In monilibus gemmæ in auro ponuntur. Per aurum quippe ſapientia, per lapides opera exprimuntur. Collũ ergo Sponſæ ſicut monilia exiſtit, quia quilibet rectus Eccleſiæ prædicator & ſapientiâ interiùs ſe induit, & opera exteriùs exercet, quæ in ſapientia videt.*

*Gregor.*

## TERTIVS SENSVS PRINCIPALIS,

### De Chriſto & B. Virgine.

HÆc omnia Iam dicta præ omnibus eximiè conueniunt B. Virgini. Inſuper Rupert. per monile colli accipit ſilentium B. Virginis: *Sicut*, inquit, *Monilia muniunt matronarum pectora pudica, vnde & dicuntur monilia, eò quòd pectus muniant ne quis extraneus (id eſt, impudicus) manũ ſuam iniiciat; ita & collum tuum munis verba tua, non ſolùm ne quid otioſum aut noxium, ſiue inordinatum per vocem erumpat; verùm etiam ne ipsũ bonum tuum, ſecretum tuum, diuinum myſterium tibi creditum, leuiter viam vel vocem inueniat, vt auris aliena, ſiue filia aliqua quamuis videatur eſſe filia Ieruſalem, quæ fortè cuſtodire neſciret huiuſmodi margaritas, ſicut cuſtodiri oporteret propter porcos, maximéque propter Herodem & eius complices, intelligat. Verè igitur pulcherrima mulierum, pulcherrima in genis, pulcherrima in collo, id eſt, tam oculorum, quàm verborum tuorum moderamine decentiſſimo.*

*Rupert.*

---

Verſ. 11. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.*

*Variæ verſiones.*

M*Vrenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* q. d. Aureis obedientiæ legibus & regulis, argento ſapientiæ diſpũctis te decorabimus. Hebr. *Catenulas auri faciemus tibi punctatas argento.* Septuâg. *Similitudines vel ſimulachra auri* (Symmach. *Inſignia aurea.* Quinta editio: *tortilis auri*) *faciemus tibi cum ſtigmatibus ſuis, diſtinctionibus argenti.* Symmach. *cum varietatibus.* Quinta editio: *in miliis* id eſt, in punctis minutis *argenti.* Alius: *cum variegatis.* Vatabl. *Ornamenta conuenientia ex auro faciemus tibi cum notis vel clauis argenteis.* Noſter optimè vertit *vermiculatas argento*, id eſt, argenti punctis variegatas, inſtar vermiculorum quorundam, quorum tergum variis colorum notis diſpungitur; aut qui noctu inſtar argenti nitent & reſplendent. Syrus vertit: *Cincinnos aureos faciemus tibi cum laminis*, vel *bracteis argenti.* Arabicus: *Imagines*, vel figuræ, vel ſculptilia *auri fient tibi, ſimillima tibi.*

*Hebr.* *LXX.* *Symmach.* *V. Editio* *Symmach.* *Vatabl.* *Murenula quid?* *Syrus* *Arabic.*

Murena piſcis eſt idem cum anguilla, vel certè illi perſimilis, vt patet ex eius effigie, quam exhibet Aldrouandus & Rondeletius de piſcibus in Murena, inde murenula vocatur colli aurum, quod ſcilicet auro in virgulas lentiſcente, quâdam ordinis flexuoſi catenâ contexitur, ex piſcis vtique imagine vocabulo conformato, ait ex S. Hieronymo Cælius Rhodig. lib. 4. cap. 2. Rurſum ſicut murena variis notis quaſi punctis diſtinguitur, ſic & murenula vermiculatur & diſtinguitur punctis argenti. Vnde Plinius lib. 9. cap. 23. *In Gallia Septentrionali*, ait, *Murenis omnibus dexterâ in maxillâ ſeptena macu-*

*Plin.*

cula

Digitized by Google

*culæ, ad formam ſeptentrionis aureo colore fulgent dumtaxat viuentibus, pariterque cum anima extinguuntur.*

Murenulæ ergo aureæ ſunt virgulæ auri flexuoſo contextu, ac punctis & maculis variegatæ, itaque murenæ piſci, qui ſe flectit in orbem, perſimiles, ſiue manus, ſiue caput, ſiue aliud membrum cingant & ornent. Propriè tamen ſunt capitis & colli, vt indicat S. Hieronymus ad Marcellam Epiſt. 15. vbi laudans B. Aſellam: *Aurum colli ſui*, inquit, *quod murenulam vulgus vocat, quod ſcilicet metallo in virgulas lentiſcente, quadam flexuoſi ordinis catenâ contexitur, abſque parentibus vendidit*: quem ſecutus Caſſiodorus; *Murenulæ*, ait, *ornamentum ſunt colli virginalis & puellaru: videlicet virgulæ auri perplexæ, intermixtis nonnunquam pulchrâ varietate ſubtiliſſimis argenti filis; Et hoc eſt quod dicit Vermiculatas argento, hoc eſt, in modum vermium terrenorum, quos lumbricos dicunt, diſtinctas & inter ſe coniunctas. Murenulæ autem dicuntur à ſimilitudine piſcis marini qui murena vocatur.* Vnde Aponius legit: *Catenulas aureas faciemus*, quas non collo, ſed auribus ornandis tribuunt S. Anſelm. & Bernard. Meliùs Iuſtus Orgel. Murenulæ, ait, ſunt ornamentum à capite deſcendens, quo ceruix ornatur. Denique murena dicitur à *μύρειν*, id eſt fluere, ait Euſthatius, eò quòd teſte Macrobio præ pinguedine in ſumma aqua fluitet, nec ſe mergere poſſit, Sole nimirum torrefacta. Vnde Martialis lib. 13. 80.

*Hieron.* — *Caſſiod.* — *Apon.*

*Martial.*

*Quæ natat in Siculo grandis murena profundo,*
*Non valet exuſtam mergere ſole cutem.*

Sic pariter circa collum fluitat murenula aurea, & ſolis radiis percuſſa effulgurat.

In Hebr. eſt תור *thore*, quam vocem vulgatus paulò antè vertit *Turturis*. Vnde nonnulli hîc turturem vel turturellam, ſed fluuiatilem, puta trutam accipiunt: hic enim piſcis vti pulcherrimis maculis diſtinguitur, ita ſaniſſimus æquè ac ſapidiſſimus eſt: hinc & quinta Editio vertit: *tortilis auri*, inſtar turturis, vel Trutæ aut murenæ. Vnde & nonnulli cenſent turturem Hebr. dici תור *tor*, quaſi *tortile*, eò quòd tortili collo תור *tur*, id eſt, circumſpiciendo iugiter exploret, num alicubi comparem ſuum abſentem reperire, & videre queat. Alij *thore* vertunt diſpoſitiones, ordines, ſeries, quales ſunt in nexu annulorum & bractearum in catenulis: Noſter optimè vertit murenulas, id eſt, catenulas & torques aureos.

*V. Editio.*

Alludit ad illud Pſalm. 67. 14. *Si dormiatis inter medios cleros* (eritis ſicut) *pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri.* Cenſent S. Gregor. Caſſiod. & Beda hæc eſſe verba Sponſi. Meliùs Iuſtus Orgel. Anſelm. Rupert. & S. Bernardus, cenſent eſſe verba Sociorum Sponſi; vnde aiunt: *Murenulas aureas faciemus* in plurali, non *faciam* in ſingulari. *Pſal. 67.*

## PRIMVS SENSVS ADÆQVATVS,

### *De Chriſto & Eccleſia.*

QVæritur, quidnam Murenulæ aureæ ſignificent? *Murenulæ aureæ, quid*

Primò, Chald. accipit tabulas Decalogi à Deo datas Moſi in Sina: Sic enim vertit: *Tunc dictum eſt Moſi: Aſcende ad firmamentum, & dabo tibi duas tabulas lapideas, exciſas ex Sapphiro throni gloriæ meæ, & ſplẽdidas ſicut aurum optimum, ordinatas per lineas, ſcriptas digito meo, in quibus ſcripta ſunt decem verba, quæ expurgata ſunt magis quàm argentum, quod expurgatum eſt ſeptem vicibus: dabo autem eam per manũ tuam populo domus Iſrael.* *Reſp. 1. Tabulæ Decalogi.*

Secundò, Caſſiodor. S. Gregorius, Beda, Iuſtus, Aponius & Anſelmus, per murenulas accipiunt chariſma intelligentiæ SS. Scripturarum quæ aureæ dicuntur, vel propter ſapientiam claritatémque ſenſus ſpiritalis, vel propter charitatem, quam edocent: vermiculatæ autem argento aſſeruntur, vel propter nitorem eloquentiæ, vel propter ſonoram prædicationem: vel, vt ait S. Anſelmus, vt ſciant Doctores, Sacræ Scripturæ ſententias diſpenſare pro cuiuſque captu & fructu: vel, vt Aponius, vermiculatæ dicuntur, quia diuerſas cõtinent prophetias, alias Chriſti Conceptioni, alias Natiuitati, alias Paſſioni, alias Reſurrectioni, &c. congruentes, quæ quaſi intertextæ argenti vermiculatione, eleganter coruſcent. Huc accedunt Nyſſenus, S. Auguſtinus, Origenes, Theodoretus, & Tres Patres, qui per murenulas accipiunt cognitionem Sacrarum literarum, ac præſertim figurarum veteris teſtamenti. *2. Intelligentia Scripturarum.*

Hi ergo ſequentes verſionem Septuagint. quæ habet: *Similitudines auri faciemus tibi ex ſtigmatibus*, vel *diſtinctionibus argenti donec rex ſit in accubitu ſuo*; S. Ambroſ. *in declinatione ſua*, id eſt, in ſolio ſuo, vbi ſe reclinet, ſic explicant: Nyſſenus quidem cenſet murenulas has pertinere *LXX.* *Ambroſ.*

ad equam

ad equam vel equitatum, cui paulò antè
Sponſam comparauit, quaſi ſocij Sponſi
Angeli, vel Sancti Doctores eam ſic aſ-
ſentur: Tibi, ô Anima, quæ rectè equis
es aſſimilata, faciemus quædam verita-
tis ſimulachra, & quaſdam ſimilitudi-
nes, quæ non poſſunt accuratè & exactè
oſtendere, qui tibi ineſt, menris deco-
rem. Tu autem his acceptis, fies per fi-
dem ſubiugale iumentum & habitacu-
lum eius, qui in te eſt habitaturus: Chri-
ſti enim eris & ſedes & domus. Plenius
Origen. hom. 2. ex quatuor, ſic interpre-
tatur, q. d. Sacra Scriptura, Deique co-
gnitio priſcis patribus tradita fuit per ſi-
militudines & ænigmata, vſque dum
Chriſtus à morte reſurgens, accubans
recubuit vt Leo, Geneſ. 49. hic enim pa-
refecit ſenſum Prophetarum & S. Script.
Idem ibidem ſic Tropologicè explicat:
Anima imperfecta inſtruitur de rebus
diuinis per ſimilitudines & exempla, vſ-
quequo Rex ſit in accubitu ſuo, id eſt,
vſquequo in id proficiat talis Anima, vt
capiat regem, & habeat recumbentem
in ſemetipſa: habitat enim verbum Dei
in anima perfecta, iuxta illud Chriſti: *Ad*
*eum veniemus, & manſionem apud eum facie-*
Ioan 14.23. *mus.* Ioann. 14. Ex aduerſo S. Auguſtin.
lib. 1 de Trinit. cap. 8. ſic explicat: *Simi-*
Auguſt. *litudines auro faciemus tibi cum diſtinctionibus*
*argenti, quoadusque rex in cubitu ſuo eſt*, id eſt,
quoadusque Chriſtus in ſecreto ſuo eſt;
quia *vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in*
*Deo. Cum Chriſtus*, inquit Paulus Coloſſ. 3.
Coloſſ. 3. *apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis*
*cum ipſo in gloria.* Quod antequàm fiat, *vi-*
*demus nunc per ſpeculum & in ænigmate*, hoc
eſt, in ſimilitudinibus, *tunc autem facie ad*
1. Cor. 13. *faciem.* 1. Corinth. 13.

Murenulæ ergo aureæ ſignificant mũ-
dum, ſiue ornatum S. Scripturæ lucen-
tem auro ſpiritualium ſenſum, & argen-
to eloquentiæ nitentem & reſonantem.
Audi S. Gregorium: *Murena piſcis eſt, qui*
Gregor. *captus vertit ſe in circulum, ad cuius exemplar*
*fit inauris, quæ murenula dicitur: quâ deſigna-*
*tur prædicatio, quæ auribus inhæret, & eas pene-*
*trat. Murenulis monilia collo ligantur: quia &*
*ſapientia & religio, à Scripturis ſanctis prædica-*
*toribus adiungitur. Per murenulas enim ſancta*
*ſcriptura intelligitur. Quæ bene auro & argento*
*vermiculata dicuntur, quia & ſapientiâ ſancta*
*ſcriptura fulget, & ſonorâ prædicatione per vni-*
*uerſum mundum auditur. Sicut enim per aurum*
*ſapientia, ſic per argentum, ſancta prædicatio de-*
*monſtratur.* Huc facit illud Pſal. 11. *Eloquia*
Pſalm. 11. *Domini eloquia caſta* (ſicut) *argentum igne exa-*
*minatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.*

Tertiò: S. Hieron. lib. 1. contra Ioui- 3.
nian. per murenulas aureas accipit Vir- *Virginitas.*
ginitatem. Ante Chriſtum, inquit, Ec-
cleſia habebat argẽtum in viduis & ma-
ritatis, ſed aurum virginitatis per Chri-
ſtum accipit. Videtur enim hîc Sponſæ
pudiciſſimæ, ob pudicitiam dari mure-
nula aurea diſpuncta argento, vt reſpi-
ciat id quod dixit: *genæ tuæ ſicut turturis*, id
eſt, ſummè pudica & verecunda es in-
ſtar turturis. Huc accedunt alij, qui per
murenulas aureas accipiunt Aureolam
dandam Virginibus. Hebr. enim תורי *tho-*
*re*, id eſt, murenulæ, idem eſt, quod תורים
*thorim*, id eſt, turtures, quaſi murenulæ
hæ fuerint contextæ ex Turturum effi-
giebus, quæ ſunt ſymbolum pudicitiæ:
Eſto, à turturibus, *thorim* extenſum ſit ad
ſignificandas effigies aliarum rerum, vt
murenarum & ſerpentum, è quibus pri-
ſcorum torques & murenulæ conſta-
bant, vti docet Clemens Alex. lib. 2. pæ-
dag. cap. 11. Vndè Septuag. *thorim* ver-
tunt ὁμοιώματα, id eſt, ſimilitudines, & ſi-
mulacra in genere.

Quartò: Pſellus per murenulas acci- 4.
pit progreſſum in virtute & ſanctitate, *Progreſſus*
quaſi Angeli ita animam piam affentur: *in virtute.*
Quia futurum eſt, vt Rex in te, ô Sponſa,
quæ ipſum caſtè amas & quæris, requie-
ſcat; agè, ſine te à nobis inſtrui atque ex-
ornari: quamuis enim non vt aurum vir-
tutibus fulgeas, ſed adhuc vt argentum
ſplendeas; te ad auri tamen ſimilitudi-
nem decorabimus, ſimiléque ac redde-
mus Cherubico & flammeo ac veneran-
do ſolio, in quo Rex deſcendens ſe re-
clinet & quieſcat. Hæc Pſellus.

Porrò quia hic progreſſus fit per per-
ſecutiones & tribulationes, hinc eaſdem
per murenulas hîc denotari cenſet S.
Ambroſius ſerm. 3. in Pſalm. 118. dum
ait: *Hæreditas eius diffuſa per populos, quò fre-* Ambroſ.
*quentiùs examinata, eò amplius eſt probata: cre-*
*bræ enim perſecutiones Eccleſiæ, iuſtorum nobis*
*titulos, martyrij victorias ediderunt. Itaque ſicut*
*aurum bonum, ita Eccleſia cùm vritur, detri-*
*menta non ſentit, magis fulgor eius augetur, do-*
*nec Chriſtus veniat in regnum ſuum, & recli-*
*net caput ſuum in Eccleſiæ fide, qui cùm veniſſet*
*ad oues perditas domus Iſrael, non habebat vbi*
*caput ſuum reclinaret.*

Huc accedit Philo Carpath. qui per
murenulas accipit martyria & Marty-
res, qui catenati fuêre olim catenis fer-
reis, nunc aureis in cælo, ſúntque aurei
ob charitatis ſoliditatem, ac ſtigmatibus
flagellorum, clauorum & tormentorum
diſpuncti, iuxta illud Pauli: *Ego ſtigmata*
*Domini*

Galat. 6.

*Domini Ieſu in corpore meo porto.* Galat.6.17. Martyribus ergo,quaſi murenulis aureis argento variegatis ornatur Eccleſia.

5. *Inſpirationes Sanctæ.*

Quintò: S.Bernard. ſerm.41.qui murenulas aſſignat auribus, per eas accipit ſanctas inſpirationes & ſuggeſtiones diuinarum rerũ, quas Angeli animæ ſanctæ inſpirant, ſed per ſimilitudines, vt vertunt Septuag. & ænigmata, vt ait Paulus 2.Corinth.13.

6. *Charitas in proximum diuina.*

Sextò: Titelmannus & alij, per murenulas aureas intelligunt charitatem Dei exerentem ſe in amorem proximi, & in opera miſericordiæ; hæc enim,argento, charitas verò auro repræſentatur; aut charitatem diſtinctam & diſpunctã notis argenti,id eſt,actibus humilitatis cæterarúmque virtutum.

7. *Modeſtia.*

Septimò: Murenulæ appoſitè ſignificant modeſtiam & compoſitionem externam omnium membrorum, actionũ, geſtuum,motuum ad probitatem & pietatem,&c. ex quibus fit quaſi catena aurea mirè ornans hominem, ac præſertim Sponſam. Ita Clemens Alexand. lib. 3. Pædag. cap. 1. *Torques*, inquit,*& catenæ ſint pudor & modeſtia. Non alius fuerit mulieri aurium ornatus,quàm catechesis,hoc eſt, quæ per auditum ſuſcipitur inſtitutio. Oculi autem verbo inuncti, & aures ad ſenſum perforatæ diuinarum rerum auditorem, & ſanctarum rerum contemplatorem efficiunt.* Notum eſt illud S.Ambroſij: *Modeſtia eſt purpura virtutum.*

Clemens Alexand.

Ambroſ.

8. *Optimè murenulæ ſunt præcepta & Concilia Euangel.*

Octauò: Aptiſſimè per murenulas accipias hîc cum S. Bernardo, Sanchez, Hortolano, Ioanne Carmelita & aliis, præmium & ornamentum obedientiæ. Cùm enim immediatè antè dixerit: *Collum tuum ſicut monilia*, id eſt, obedientia tua,quâ collum legi ſubiicis, ô Sponſa,ô Eccleſia,eſt aureum tuum monile,quod mirè internè animã tuam decorat, nunc eiuſdem externum ornamentum & pręmium aſſignat, videlicet murenulas ex auro notis argenti intertexto: hæ enim faciunt, vt aurum inter eas magis maioríque gratiâ reſplendeat,ait Nyſſen.

Huc facit, quod Hebr. תורי *tore*,id eſt, murenulæ, planè alludat ad תורה *thora*, id eſt lex,& ad תור *tor*,id eſt,diſpoſitio,ordo, ſeries. Vnde & Chald. per *tore* accipit Decalogum,atque Origen. Theodoret. S.Auguſt.S.Gregor.& cæteri in ſecunda expoſitione citati, accipiunt S. Scripturam, quæ legem Dei continet & promulgat.

Igitur Sponſæ collo tam obedienti, Deus in præmium ornatúmque iniicit murenulas, hoc eſt, leges ſuas diuinas, quæ cùm ex rationibus æternis; quæ ſũt in mente Dei emanent, in ſe ſapientiſſimæ ſunt æquè ac pulcherrimæ, vt mirè obedientem eas acceptantem, non tam ligent quàm ornent: ſub legibus accipe non ſolùm præcepta,ſed & conſilia Euãgelica æquè ac beatitudines,quæ hominem efficiunt cæleſtem & angelicum, imò angelum terreſtrem. Ergo murenulæ Chriſti Eccleſiæ datæ ſunt leges Euãgelicæ,quas recenſet S. Matthæus cap.5. 6.& 7. inter quas primæ ſunt beatitudines octo: *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum Beati mites*,&c. quid enim hiſce pulchrius, dignius,nobilius, diuinius excogitari poteſt? Eccleſia ergo has Chriſti leges & beatitudines amplectens, iis quaſi murenulis aureis inter ſe aptè connexis decoratur; aurum enim, quia præ cæteris metallis flexile & ductile eſt,ſymbolum eſt obedientię. Hinc & ſententiæ S. Script. quæ leges haſce continent, ſunt murenulæ, ex quorum contextu Eccleſia pulchreſcit. Sunt aureæ, quia plenæ ſpiritu charitatis; ſunt diſtinctæ argento,quia temperantur ſpiritu ſcientiæ & diſcretionis. Vnde Beda: *Murenulas*, ait,*fabrili arte compoſitas collo circumdat, cùm anima quæque fidelis in omnibus, quæ loquitur & agit, imò in omni, quod viuit & quod ſpirat,continuè Scripturis ſanctis intendit, ſenſúmque ſuum & verba diligenter ad earum exemplum dirigit.*

Matth 5.

Beda.

*Item actus obedientia.*

Rurſum murenulæ hæ notant actus Obedientiæ pulchros & aſſiduos, quibus quaſi donis nouis fideles obedientes Chriſtus expolit & exornat, ac toti mundo laudabiles, admirabiles, & venerabiles efficit. Auro enim actionum pretium & præſtantia; argento earundem puritas, candor & ſplendor denotatur. Nam vt rectè Noſter Sanchez: ſi hæc obſequentiſſima Sponſa Spiritu Dei agitur, æquum eſt vt Spiritus ſanctus, qui ceruicibus tanquam auriga & moderator inſidet,collum ſuis donis & virtutibus excolat. Torques enim illi Hebr. *torim*,id eſt,turtures dicuntur vel columbæ, quia diuinus Spiritus per columbam ſignificatus, illam vt Sponſam amat, & ipſius collum vt Sponſus tenerè ſtringit & amplectitur.

*Et ordo Hierarchicus.*

Inſuper murenulæ notant ordinem Hierarchicum Eccleſiæ, qui mirè eam perficit & ornat. Hic enim ordo non eſt allud,quàm ordo obedientiæ,quo ſummo Pontifici ſubordinantur, ſubſunt & obediunt Patriarchæ, Patriarchis Primates, Primatibus Archiepiſcopi, Archiepiſco

chiepiſcopis Epiſcopi, Epiſcopis Preſbyteri, Preſbyteris Diaconi, Diaconis Subdiaconi, cæterique Clerici, atque his Laici. Intuere hunc ordinem Romæ celebrante Pontifice, cùm ei aſſiſtunt Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Preſbyteri veſtibus ſacris amicti, legati Regum & Principum, &c. ac verè dices ibi impleri hoc oraculum: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Murenulæ enim Hebr. vocantur *tore*, id eſt, diſpoſitiones, ordines, ſeries; quales pulcherrimæ apparent in hoc ſacro ſenatu, vti & in cæteris officiis & ritibus Eccleſiæ.

## SECVNDVS SENSVS PARTIALIS,

*De Chriſto & Anima ſancta.*

*Murenulæ ſunt Regulæ Monaſticæ.*

Anima Sancta, præſertim obedientiam profeſſa & Religioſa, in præmium huius ſuæ profeſſionis & obediẽtiæ, ornatur murenulis aureis diſtinctis argento, id eſt, Regulis, Conſtitutionibus & Ordinationibus Religioſis cuique Ordini propriis, quæ non niſi aurum charitatis, & argentum prudentiæ repræſentãt, quibus mirè ordo exornatur. Rurſũ murenulæ ſunt actus obedientiæ, quibus tota Religioſi vita quaſi murenulâ aureâ cõcatenatur, & coronatur, quæ variegãtur punctis argenteis, id eſt, actibus humilitatis, temperantiæ, patientiæ cæterarúmque virtutum. A manè enim in veſperum Religioſus quidquid agit, ex regulis obedientiæ agit. Surgit è lecto, orat, pſallit, ſtudet, docet, concionatur, prandet, cœnat, it cubitum, cùm ſignum dat obedientia. Vide Hieronym. Platum lib. 2. de bono ſtatus Religioſi cap. 5. qui & appoſitum huic loco affert exemplum lib. 3. cap. vlt. poſt medium, Iuuenis cuiuſdam egregij, qui à Deo vocatus ad Ordinem Ciſtercienſem, cùm de dio in diem differret, cœpit increpeſcere. Quare cùm ex Compoſtellana peregrinatione domum rediiſſet, eâdem ipſâ nocte apparuit illi Chriſtus Dominus cum duobus Apoſtolis, Petro & Iacobo; Petrus autem pulcherrimum librũ tenebat coram Domino apertum, in quo adoleſcentis nomen *Ioannes* deſcriptum erat. Tum Dominus ad S. Petrum: *Dele*, ait, *iſtum de libro meo.* Iacobus verò ſupplicare ei cœpit pro ſuo, vt appellabat, peregrino, inſuper etiam illius emendationem promittere. At Ioannes hoc de ſe agi videns pauebat & tremebat, nouámque vitam in futurum pollicebatur. Dominus autem quaſi illius inconſtantiæ minùs credens, fideiuſſorem illius voluntatis poſtulauit, quem ſe obtulit S. Iacobus. Inter quæ cùm iuuenis excitatus eſſet, ſecúmque hæc admirans rurſũ obdormiſſet, iterum eſt illi eadem obiecta ſpecies, idque ampliùs, quòd in libro illo appatuit eiuſmodi inſcriptio ex Cãticis: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Ille igitur & hoc iucundo promiſſo inuitatus, & illis minis exterritus, nullâ morâ interpoſitâ Ciſtertium ſe contulit, vbi magnis in virtute progreſſibus factis, primùm Abbas Bonæuallis, deinde etiam Valentiæ Epiſcopus factus eſt. Hæc Platus ex Chronicis Ciſtercienſium. Huc facit exemplum noſtri P. Petri Fabri, qui primus Sãcti Ignatij Fũdatoris Societatis Ieſu Socius, cùm totam vitam ex obedientia varias prouincias peragrando, ac vbique ſemina pietatis ſpargendo, religioſè tranſegiſſet, ex obedientia pariter mortuus eſt; Vnde poſt mortem apparens Gandiæ perſonæ cuidam religioſæ, lætiſſimus dixit, ſe obedientiæ causâ mortem oppetiuiſſe, ac multa de gaudio, quod eam ob cauſam in cælis obtineret, enarrauit. Meritò Aureolâ obedientiæ coronatur in cælis, qui obedientiæ victima extitit in terris. Ita Noſter Orlandinus in eius vita lib. 2. cap. 28.

*Murenulæ Actus Obedientiæ.*

*Exemplum, de Iuuene ad Ordinem Ciſtercienſem vocato.*

*P. P. Faber in Obedientia mortuus.*

*Murenulæ chariſmata obedientiæ.*

Rurſum, per murenulas nonnulli accipiunt chariſmata, quæ obedientibus & Religioſis impertit Spiritus ſanctus, ac præſertim dona ſapientiæ & eloquẽtiæ. Sapientia enim notatur auro, eloquentia argento, quia tinnula, eius ad inſtar pulchrè reſonat. Vnde S. Gregor. S. Thomas, Beda & alij murenulas has dãt Doctoribus, quia ſicut per collum ex capite ad reliqua vis ſentiendi, ſic ex capite Chriſto ad populum per Doctores cæleſtis doctrina deriuatur. Hoc verò collum includi atque muniri debet monilibus columbarum imagine notatis, quia Spiritus ſanctus collum ambire debet, & Doctorum fauces, quaſi ſuam verè tubam inflare.

Sit ergo collũ hoc charitate, feruore, & zelo aureum, ac nitore eloquij argenteum. Porrò Doctori magnam doctrinæ, eloquentiæ, zeli & ſpiritus vim atque efficaciam ſuggerit Obedientia, & Religio: Obediens enim per ſuperiorem regitur, agitúrque à Deo, eiúſque Spiritu, tanquam eius vox & organum. Vnde

priſci

*E priſcis Eccleſiæ Doctoribus, multi Religioſi.*

priſci Eccleſiæ Doctores plerique fuêre Religioſi, nimirum è quatuor Latinis tres,putà S.Auguſtinus, S.Hieronymus, S.Gregorius:ac totidem è Græcis, putà S.Baſilius,S.Nazianzenus,S.Chryſoſtomus. Tales quoque fuêre S. Bernardus, S.Thomas,S.Bonauentura, ac alij plurimi. Vide Hieron. Platum lib. 2. de bono ſtatus Religioſi,cap.25.30.& ſeq.

*E chariſmatibus Obedientia eſt gratia miraculorum.*

Rurſum, chariſma obedientiæ penè proprium,eſt gratia miraculorum. Deus enim obedientibus velut inſtrumentis ſuis,ſibique ſummè coniunctis vtitur ad conuerſionem animarum, ideóque per eos,cùm opus eſt, patrat miracula. Exẽpla multa ſunt in Vitis Patrum, apud Caſſianum & S.Gregorium, lib. 1. Dialog.cap.12.& lib.2.cap.7.

*Murenulæ, item Cæremoniæ.*

Denique murenulæ ſunt pulchri ritus & cæremoniæ, tum totius Eccleſiæ, tum ordinum ſingulorum, qui mirè eos decorant.

Anagogicè,murenula eſt aureola Doctoribus,Religioſis & obedientibus pręparata in cælo, quæ aurea eſt per gloriam animæ,argentea per gloriam corporis. Vnde S. Thomas cum torque aureo è collo pendente pingitur, quia in cælis murenularum harum Aureolâ torquatus eſt. Hinc & poſt mortem è cælis quaſi gemmatus & torquatus apparuit, vti refert P. Ribadeneira in eius vita ſub finem. Huc pertinet exemplum P. Fabri,quod paulò antè recitaui.

## SENSVS TERTIVS PRINCIPALIS,

*De Chriſto & B. Virgine.*

HÆc omnia iam dicta præ cæteris omnibus competunt B. Virgini. Illud ei proprium, quòd fœcunditas non læſerit, ſed ornarit eius virginitatem, ſicut argentum ornat aureas murenulas. Rurſum murenula aurea è collo B. Virginis pendula, fuit eius filius Chriſtus Dominus, paruulus è collo eius pendens ac ſugens, illique viciſſim aurum charitatis & argentum humilitatis inſtillans.

*Rupert.*

Denique Rupert. Murenulæ, inquit, ſunt ſermocinationes Sanctorum ſenſibus aureæ,elocutionis nitore argenteæ: *Faciemus ergo tibi murenulas veritatis, ornamenta benedictionis & gratiarum actionis, benedicendo & gratias agendo, quia ſic fecit tibi; ita vt non ſit locus, vbi vox laudis huius non audiatur,vox ſonora,laus altiſona,quæ tuum nomen concelebrans iugiter te ambiat,& quodammodò de collo tuo dependeat.* Hæc Rupertus.

## VOX SPONSÆ.

Verſ. 12. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.*

*Aquila. Symmach.*

D*VM eſſet rex in accubitu* (Aquila *in recubitu*. Symmach. *ἐν ἀναπαύσεσιν*, id eſt, *in requietibus* vel *ceſſationibus*) *ſuo,nardus mea dedit odorem ſuum*, q.d.Dum Sponſus meus,qui eſt Rex Chriſtus,eſſet in menſa ſua nuptiali, ego Sponſa ad illum ingreſſa intuli vnguentum nardinum,eóque illum perunxi,cuius odore ille mirificè recreatus eſt.

*Dum*, id eſt, *donec* vt habent Hebr. Septuag. & S.Gregor. q.d.Quamdiu rex accubuit in conuiuio, nardus mea dedit odorem.

*Accubitus.i. Menſa nuptialis.*

Per *accubitum* accipe non lectum, ſed menſam nuptialem, cui Sponſus cum Spõſa accũbit.Hebr.eſt מֵסַב *meſav*, id eſt, *circulus* vel *orbis*. Olim enim menſæ erant orbiculares,vt plures caperẽt, vtque illi ſibi inuicem eſſent viciniores, & commodiùs cum ſingulis colloquerentur. Lectuli ergo cœnatorij, in quibus tempore Salomonis conuiuæ quaſi iacentes, ſed cubitis innixi menſæ accumbebant, circa menſam in orbem erant diſpoſiti; inde triclinium dictum, quaſi trium lectulorum cœnaculum.

*Sponſa in triclinium ingreſſa Spõſum nardino vnguento perfudit.*

Pro decore & ſerie Dramatis rectè notat Origen. hom.2.ex quatuor,Sponſam poſt alloquium ſodalium Sponſi iã recenſitum,quo eam mirè laudarunt,ingreſſam in triclinium, ibique muliebre & menſale donum Sponſo obtuliſſe,nimirum vnguento nardino eum perfudiſſe, eiúſque odore Sponſum oblectaſſe, idque narrat ſodalibus eius poſt Spõſi diceſſum;vnde de eo loquitur in tertia perſona dicẽs:*Dum eſſet Rex*,&c.itaS.Bernardus. Olim enim in conuiuiis cõuiuæ vnguentis odoratis vngebantur, vt patet ex Plutarch. in Sympoſ. Athenæo & aliis. Vnde & Magdalena Ieſum in conuiuio iterum & ſecundò vnxiſſe legitur.Porrò apud Orientales, præſertim Iudæos,Samuel Iudæis prædixit,ſi peterent regem,illum filias illorum facturum ſuas vnguentarias. 1. Reg. 8.13. Idcirco Sponſa hîc id ſibi officij adſciſcit.

Quæres, quid ſignificet hic Sponſi Accubitus.

*Accubitus Christi:* I. *Thronus Diuinitatis.*

Primò, aliqui per accubitum accipiũt thronum diuinitatis, qui eſt eius maieſtas & æternitas. In hac enim velut in throno ſuo, ab æterno ſedet & requieſcit Deus. Hinc Hebr. vocatur מסב *meſav*, id eſt, circulus; hic enim in ſeipſum orbiculariter rediens, ideóque principio & fine carens, hieroglyphicum eſt æternitatis, quæ nec principium nec finem habet. Sic ſenſus erit, q. d. Filius Dei in ſinu patris ab æterno requieſceus, ac reſidens, in ſolio & triclinio maieſtatis ſuæ cum Patre & Spiritu ſancto, ibíque requie fruens beatiſſimâ & pleniſſimâ, dignatus eſt de excelſo illo ſolio ſuo ad humilitatem & vtilitatem noſtram reſpicere, iuxta quod in Pſalm. 101. v. 19. dicitur: *Reſpexit in orationem humilium, & non ſprevit preces eorum,* &c. *Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo, Dominus de cælo in terram aſpexit, vt audiret gemitus compeditorum, & ſolueret filios interemptorum.* Quaſi enim nardus noſtra odorem dedit coram Rege in accubitu ſuo exiſtente, quando humilitas precum & ſupplicationum, lacrymarum quoque, gemituum & ſuſpiriorum, ab hominibus piis ad Deum pro humani generis ſalute effuſorum, vſque ad aures Dei peruenit, ipſúmque ad miſerandum inflexit, vt filium ſuum de cælis mitteret ad terras. Ita Titelman. ſic & S. Bernardus ſerm. 42. *Accubitus regis,* inquit, *ſinus eſt patris: quia ſemper in patre filius. Nec dubites regem hunc eſſe clementem, cui perennis accubitus eſt paternæ benignitatis diuerſorium. Meritò clamor humilium aſcendit ad eum, cui fons pietatis eſt manſio, cui familiaris ſuauitas, cui ſubſtantialis, vel potius conſubſtantialis bonitas eſt: cui ideò totum quod eſt, de patre eſt, vt nil prorſus in regia maieſtate, niſi paternum, humilium trepidatio ſuſpicetur.*

Pſal. 101. 19.

Titelman.

2. *Accubitus Verbi Incarnatio.*

Verùm preſſiùs alij paſſim per Accubitum accipiunt Verbi Incarnationem, totámque eius in carne œconomiam & conuerſationem. Hæc enim fuit quaſi conuiuium nuptiale, in quo Chriſtus cũ fidelibus epulatus, nuptias quaſi cum Eccleſia celebrauit, vt patet ex Parabola filij regis ad ſuas nuptias quoſlibet inuitantis. Matth. 22. 2. & ſeq. Hæc pariter rectè vocatur accubitus, Hebr. מסב *meſav* id eſt, circuitus, tum quia Chriſti vita fuit circulus ſanctiſſimarum actionum, virtutum, myſteriorum; tum quia Chriſtus in orbem iuit & rediit, dum aſcendens in cælum ad patrem reuerſus eſt, à quo in terram miſſus deſcenderat: tum denique quia Chriſtus circuiuit Iudæam euangelizando regnum Dei, ad illúdque quaſi ad nuptiale ſuum epulum felicitatis æternæ omnes conuocando: Vnde Chriſtus in Synagoga prædicans Lucæ 4. illud ex Iſaia cap. 61. thema deſumpſit: *Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, prædicare captiuis remiſſionem & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum & diem retributionis. Et cùm plicuiſſet librum reddidit miniſtro, & ſedit* (ecce accubitus) &c. *Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris:* Inde Nardus Eccleſiæ, putà fides audientium dedit odorem ſuum. Nam vt ſubdit Lucas: *Et omnes teſtimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius.*

Luc 4. Iſai. 61.

Luc 4 22.

Eſt hîc ergo, vti & toto Cantico, prophetia de Chriſti Incarnatione & œconomia: Sponſa enim prima & primaria hîc eſt humanitas Chriſti, cuius Sponſus eſt Verbum, ſiue Filius Dei, qui eam in Incarnatione aſſumens ſibi deſpondet, & per eam Eccleſiam, ſinguláſque animas fideles & ſanctas, vti dixi in prooemio cap. 2. quare præterita hîc pro futuris accipienda ſunt, vti fit apud prophetas, q. d. Dum erit rex in accubitu carnis ſuæ, nardus mea dabit odorem ſuum.

*Paraphraſis.*

Senſus ergo eſt, q. d. ait Hortolanus; Ex quo in humanitate ſua quaſi in hemicyclo ſuo nobis apparuit regis noſtri diuinitas, ex quo in Nazaræorum cõſedit Synagoga, & ad epulas ex Iſaiæ cellario depromptas me Eccleſiam fidelium inuitare dignata eſt, ego ipſum tanquam ſapientiſſimum veritatis, fidei, & ſalutis magiſtrum attentè audio; filium Dauid & Dei filium, Regem Iſraël & Meſſiam expectatiſſimum credo, veneror, & prædico. Hunc credo ingenuè publicéque profiteor, ſolo verbo ægrotos quantumcúmque deſperatos curare poſſe, & conclamatos ad vitam reuocare: ab Energumenis Dæmonia excludere & profligare. His ego meæque Sodales teſtimoniis, ex cordibus noſtris, velut veſtibus nardino fidei vnguento odoratis, ex eburneis arcis depromptis, Regem in Iudææ Synagogis & templo Ieroſolymitano docentem, réſque admirandas magnâ cum gloriâ & omnium admiratione gerentem, indicimus, mirificéque oblectamus. Quod noſtrum officium Regius Pſaltes his olim verſibus celebrauit: *Myrrha, & Gutta, & Caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo.* Pſ. 44. 8.

Pſal 44 8.

Iam

Iam vt particulatim Accubitum hunc Sponſi diſtribuam.

*Particularis Christi accubitus.* Primò per eum Chriſti incarnationem accipit Caſſiod. Beda, Aponius & S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 3. Audi

1. *In Incarnatione.* Caſſiodor. Beda. Caſſiodorum & ex eo Bedam: *Nardus Eccleſia dedit odorem, quia cùm Dei filius in carne apparuit, Eccleſia in virtutum cæleſtium feruore excreuit, non quia & ante eius Incarnationem ſpirituales ac Deo deuotos viros non habuerit, ſed quia abſque vlla dubitatione tunc arctioribus ſe virtutum ſtudiis mancipauit, cùm regni cæleſtis aditum cunctis rectè viuentibus, mox vt carnis vincula ſoluerentur, patêre cognouit.*

2. *In Prædicatione.* Secundus Chriſti Accubitus fuit, cùm ipſe prædicando circuiret vicos & vrbes, ac cum peccatoribus aliiſque diſcũberet, vt eos ſaluos faceret. Rurſum accubitus Chriſti fuit in ligno crucis, de

Pſalm. 95. quo Pſalm. 95. *regnauit à ligno*, quaſi è ſolio regali *Deus*: item quies in ſepulchro. Ita Iuſtus & Anſelm. Audi Anſelmum: *Meritò debeo Chriſtum diligere, quia ipſe dedit mihi nardum, ſcilicet virtutes; & hoc dum eſſet*

Anſelm. *in accubitu ſuo, id eſt, in Paſſione & Reſurrectione ſua, ſcilicet quia ipſe paſſus eſt & reſurrexit, ideo virtutes mihi dedit, quæ dederunt odorem ſuum, id eſt, ſibi conuenientem, bonam videlicet famam.*

Tertius Accubitus Chriſti fuit in mor-

3. *In Morte.* te: Chriſtus enim moriendo regnum mortis, diaboli, & peccati euertit, ac regnum vitæ, gratiæ & Dei nobis contulit. Ita Origen. Theodoret. & S. Hieronym. lib. 1. contra Iouin. q. d. Poſt Chriſti paſſionem & mortem nardus, id eſt, virtus Eccleſiæ maiorem dedit odorem quàm antè: ex ea enim profluxit Martyrum fortitudo, Virginum Angelica puritas, Confeſſorum Sanctitas, Anachoretarum perfectio. Ita Philo Carpathius:

Philo. Carpath. *Sic grata*, inquit, *ac memor Sponſa clamat ad Sponſum: Nardus mea dedit odorem ſuauitatis, id eſt, tu mihi dediſti ſuauitatem vnguentorum, nempe martyrum & illuſtrium actionum efficaciam, decus & gloriam. Nardus enim dedit odorem ſuum, id eſt, martyrium & nex tua, ſeu paſſio Martyres adhortata eſt pro te pati; nam & tu pro nobis paſſus es.*

Quartus accubitus fuit Reſurrectio-

4. *In Reſurrectione.* nis, quo è ſepulchro reſurgens accubuit in carne glorioſa, in eâque de morte & inferno triumphauit. Ita Iuſtus, Anſelm. & S. Gregor. 35. Mor. 13. qui ait: *Rege quip-*

Gregor. *pe in accubitu ſuo poſito nardus odorem dat, dum quieſcente in ſua beatitudine Domino, Sanctorum virtus in Eccleſia magna nobis gratiã ſuauitatis adminiſtrat.*

Quintus Accubitus Chriſti eſt in glo-



ria cæleſti, quo ad dexteram Dei ſedet, 5. *In Gloria Cæleſti.*
velut Rex regum & Dominus dominantium Ita S. Gregor. Rupert. Bernard. & S. Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 8. Tunc enim nardus Eccleſiæ dedit odorem ſuũ per orationem, quâ orantibus Apoſtolis & fidelibus pro aduentu Spiritus S. eundem impetrarunt, eôque repleti Chriſti nomen & famam vbique prædicarunt. Audi S. Gregorium: *Accubitum ſuum Rex* Gregor.
*intrauit, quando Dominus noſter Ieſus Chriſtus corporaliter cæli interiora penetrauit. Quo ibi requieſcente nardus Sponſæ odorem ſuum dedit: quia virtus Sanctæ Eccleſiæ ſuauem famam bonitatis longè latéque ſparſit: Ad cælos enim Dominus aſcendit, & Spiritum ſanctum ſuum ſuper diſcipulos miſit, quo impleti verba ſalutis mundo prædicarent, & per ſancta opera boni odoris famam circumquaque diffunderent.*

Porrò Chald. per accubitum accipit colloquium Moſis cum Deo in Sina; ſic enim vertit: *Dum eſſet Moſes magiſter eo-* Chald.
*rum in firmamento, vt ſuſciperet duas tabulas lapideas, & legem & præcepta, ſurrexerunt impij generationis illius, & fecerunt vitulum aureũ vnà cum promiſcuis, qui erant inter eos, & fætida fecerunt opera ſua, & egreſſum eſt eis nomen peſſimum in ſæculo; quoniam antè odor eorum exibat diffuſus per orbem, & poſtea fætidi facti ſunt vt abſinthium, cuius odor quàm peſſimus eſt.* Verùm perperàm Chald. per odorem nardi accepit fœtorem idololatriæ. Nardus enim ſuauiſſimi eſt odoris.

Quæres ſecundò, quid ſignificet nardus Sponſæ, puta Eccleſiæ, & quem odorem dederit? *Quænam hic Nardus?*

Reſpondeo; Nardus, vt ex Plinio lib. 12. cap. 12. & aliis ait Philo Carpath. in cap. 4. Cant. verſ. 14. Medicus eſt fructus, Syriæ & Indiæ præſtantiſſimus, colore rufo, comoſus, odoratiſſimus, ſaporis amari, ſuauitatem odoris diutiſſimè retinens; calefacit, exſiccat, virétque perpetuò: miſcetur antidotis, & efficaciſſimas vires ad quamplurimos morbos habet.

Porrò ex nardi foliis fiebant coronæ, *Ex Nardo Corona.*
quæ olim in ſummo erant pretio, teſte Plinio. Rurſum *Nardus*, inquit Titelman. *herba eſt humilis & deſpecta quantùm ad faciẽ* Titelman. *Nardus humilis.*
*attinet, ſiue radicem intuearis, ſiue folia. Eſt enim nardus frutex graui & craſsâ radice, ſed breui & nigrâ, fragilique, quamuis pingui: aſpero ſapore. folio paruo, denſôque. Quæ omnia humilitatem præ ſe ferunt. Habet nihilominus in cacumine boni odoris gratiam.* Cacumina enim (vt ait Plinius) in ariſtas ſiue ſpicas ſparguntur, vnde geminam eius dotem celebrant, ſpicas ſcilicet & folia: quoniam ex vtriſ-



Digitized by Google

que bonum vnguentum conficitur. Illud tamen quod fit ex ſpicis præſtantius eſt eo, quod ex foliis. Propter quod ſignanter in Euangelio de oleo illo, quod Maria ſuper caput effudit Domini recũbentis dicitur, quòd fuerit vnguentum nardi ſpicati pretioſi, vel(ut alius Euangeliſta habet) nardi piſtici, id eſt, fidelis & præſtantioris.

Plin. Porrò Plinius lib. 13. cap. 1. *Vnguentum*, inquit, *Nardinum conſtat omphacio, balanino, coſto, nardo, amomo, balſamo.*

*Nardus 1. notat humilitatem.* Primò ergo Nardus notat humilitatem Eccleſiæ, quòd ſcilicet inſtar nardi ſecundùm corpus, ac inferiorem hominis portionem admodum humilis eſt, craſſa, & contemptibilis: ſecundùm verò partem ſuperiorem, ſiue ſecundùm ſpiritum, qui ad Deum ſursũ reſpicit, odorem gratiſſimum de ſe fundit in naribus Domini Sabaoth. Nullus enim odor ita gratus eſt Deo, Angelis, & hominibus, atque iſta fidelium humilitas. Ita Rupertus, & S. Bernardus, ſerm. 42. quem audi: *Bonus*, ait, *humilitatis odor, qui de hac valle plorationis aſcendens, perfuſis circumquaque vicinis regionibus, ipſum quoque regium accubitum gratâ ſuauitate reſpergat. Eſt Nardus humilis herba, quam & calida ferunt eſſe natura hi, qui herbarum vires curioſiùs explorarunt, &* Bernard. *ideò per hanc videor mihi non inconuenienter hoc loco virtutem humilitatis accipere, ſed quæ ſancti amoris vaporibus flagrat. Quod propterea ſanè dico, quoniam eſt humilitas quam nobis veritas parit, & non habet calorem; & eſt humilitas quam charitas format, & inflammat: atque hæc quidem in affectu, illa in cogitatione conſiſtit.* Et inferiùs: *Sponſa humilitas tanquam nardus ſpargit odorem ſuum amore calens, deuotione vigens, opinione redolens.* Addit idem S. Bernardus Sponſam à Sponſo hîc fuiſſe de defectibus ſuis correptam & caſtigatã, túmque nardum eius dediſſe ſuauitatem odoris, cùm eius humilitas modeſtè & demiſsè correptionem hanc tulit, & velut paternum donum excepit.

*2. Fidem.* Secundò; Nardus denotat fidem: hæc enim humiliter intellectum captiuat in obſequium Dei reuelantis myſteria, quę omnẽ hominis captum ſuperant. Vnde S. Ambroſ. in Pſal. 118. ſerm. 1. *Iam*, inquit, Ambroſ. *redolet fides, ideóque dicit Eccleſia: Nardus mea dedit odorem ſuum; & dicit cum præſumptione expectans retributionem: fragrat vnguẽtum gratia, ex quo virgo generauit, & Dominus Ieſus Sacramentum incarnationis aſſumpſit.* Huc accedit Iuſtus Orgelit. qui per nardum accipit fidei profeſſionem & prædicationem, quâ vbique odorem, id eſt, famam Chriſti paſſi & reſurgentis ſparſit Eccleſia.

Tertiò; Nardus amara eſt Pœnitentia, inquit Aponius: hæc enim eſt filia humilitatis, ac ſuauiſſimè olet in naribus Dei. Vnde quaſi ad litteram hunc locum facto ſuo expoſuit S. Magdalena, dum in ſignum pœnitentiæ vnxit pedes Ieſu accumbentis in mẽſa Simonis; ac rurſum attulit alabaſtrum vnguenti nardi piſtici pretioſi, illúdque effudit in caput Ieſu recũbentis in domo ſua. Quocirca Magdalenæ hunc locum applicant Origen. Nyſſen. Beda & Aponius. Ex pœnitentia ergo gratiſſimum Deo paratur ferculum, quale Magdalena Chriſto attulit, non tam dum ex alabaſtro fracto nardinum vnguentum, quàm dum colliquefactam animam per oculos effudit. Quocirca S. Bernard. ſerm. 30. in Cantica; lacrymas pœnitentium, vinum Angelorum nuncupat: *quia in illis vita odor, ſapor gratiæ, indulgentiæ guſtus, reconciliationis iucunditas eſt.* *3. Pœnitentiam.* Bernard.

Quartò; nardus eſt humilis oratio & obſecratio. Vnde Arabicus pro *nardus* vertit *thus*, quod eſt ſymbolum orationis: *Donec*, inquit, *venerit rex redeundo, thus meũ effudit odorem ſuauitatis ex faſciculo ſtactæ, quem habeo apud me filio fratris mei.* Audi S. Bernardum ſerm. 42. *Primitiua Eccleſiæ potes hunc aptare ſermonem, ſi recordaris dies illos, quibus aſſumpto Domino, vbi erat prius, & ſedente in Dextera patris, illo ſuo antiquo, nobili atque glorioſo accubitu, diſcipuli erant congregati in loco vno, perſeuerantes in oratione cum mulieribus, & Maria matre Ieſu, & fratribus eius. Nonne tibi videtur reuera tunc temporis, Nardum paruulæ & trepidantis Sponſæ dare odorem ſuum? Denique cùm factus eſt repentè de cælo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes; tunc patuit quàm gratus humilitatis, & quàm beneplacitus odor aſcenderat, cui mox tam copioſâ & glorioſâ remuneratione reſponſum eſt.* *4. Orationem.* Arabic. Bernard.

Quintò; Nardus eſt quælibet virtus, ac virtutum omnium bonorúmque operum complexio; nam vt ait S. Bernard. ſerm. 71. *Mores, colores ſuos habent, & odores.* ita Caſſiod. Origen. S. Gregor. Beda & alij. *5. Virtutem omnem.* Bernard.

Porrò pro *odorem ſuum*, Septuag. habent odorem *αὐτοῦ*, id eſt, *ipſius*, ſcilicet Regis Sponſi, quo ſignificatur omnem Eccleſiæ virtutem; omne decus, omne meritum manare à Chriſto. Audi Origenem: *Quod ſi legatur, vt alia habent exemplaria: Nardus mea dedit odorem eius, inuenitur adhuc aliquid diuinius, vt videatur vnguẽtum* LXX. Origen.

*tum hoc nardi, quo vnctus eſt Sponſus, non tantùm ſuum, qui nardo ineſſe naturaliter ſolet, ſed ipſius Sponſi odorem cepiſſe, & ipſius odorem ad Sponſam reportaſſe, vt in eo, quo vnxit eum, odorem Sponſi per ipſius vnguenti munus acceperit, & hoc ſit quod dicere videatur: Nardus mea, quâ vnxi Sponſum, regreſſa eſt ad me, & odorem mihi detulit Sponſi, & velut ſuperato naturali ſui odore, præ fragrantia Sponſi, ipſius mihi detulit ſuauitatem.*

Vnde colligit Origenes, quòd vngens Chriſtum nardo deuotionis, prædicationis, & ſanctarum actionum, per hanc ipſam vnctionem ſuſcipiat Chriſti odorem ac ſpiret, puta gratiam Spiritus S. ac maiorem fragrantiam doctrinæ ſpiritualis, æquè ac ſanctitatis vitæ. Nyſſen. verò *τὸ αὐτοῦ*, id eſt, *ipſius*, ſcilicet Chriſti, ſic explicat, quaſi dicat Sponſa: ex omnibus quas in me conſpicio virtutibus, quæ omnes quaſi ſpecies multæ aromatum faciunt vnum nardi vnguentum, pertingo ad cognitionem perfectiſſimæ virtutis Dei, eandemque aliis communico & aſpiro. Theodoret. verò ſic, q. d. Ex hiſce meis virtutibus aſſecutus ſum cognitionem Dei, ſed odoratu dumtaxat, id eſt, tenuem & exilem. Tres denique partes apud Theodoret. ſic, q. d. Virtutes meæ, quæ ſunt quaſi nardus Dei, exhibent mihi ſpecimen Dei per naturam inacceſſi, cuius ego ſpeciem & notam gero, vt imago ipſius ac ſimilitudo: quare dum meis moribus illius ſimilitudinem refero, ipſum in me velut exemplar in imagine repræſento.

## SECVNDVS SENSVS

### PARTIALIS,

*De Chriſto & Anima Sancta.*

*Anima Sãcta eſt Accubitus Chriſti.*

OMnia iam dicta adapta Animæ, nutato nomine Eccleſiæ in nomen animæ. Adde Animam ſanctam eſſe accubitum, id eſt, ſedem & ſolium, imò cælum & templum, in quo Chriſtus accumbit & requieſcit. Ita Nyſſen. & Anſelm. Rurſum, per nardum poſſe accipi ipſum Chriſtum, ſicut ille ipſe paulò poſt vocatur faſciculus myrrhæ, & botrus cypri. Vnde Septuag. vertunt: *Nardus mea dedit odorem αὐτοῦ* id eſt *ipſius*, ſcilicet Sponſi (licèt nonnulli legant *αὐτῆς* id eſt *ſuum*) Et eos de more ſequens Syrus: *Cum rege in accubitu ſuo nardus mea dedit odorem ſuum.* Sic ſenſus erit, q. d. In accubitu, id

*Nardus ipſe Chriſtus, & quæret Syrus.*

eſt, in nuptiali menſa, vbi abundant vnguenta, flores, nardus, myrrha, & botrus cypri nihil mihi ſuaue olet, niſi Sponſus Chriſtus: præ illo ceteras omnes delicias deſpicio. Ita Theodoret. qui & rationem dat, cur Chriſtus vocetur nardus: *Nardum*, ait, *nominat Chriſtum: quoniam vnctus eſt nardo piſticâ illâ pretioſâ, cuius odor repleuit totam domum, quæ mundum ſignificat vniuerſum: obſequium enim à piis hominibus Domino exhibitum, orbem terrarum impleuit fidei ſuauitate.* Sic & Origen. Pſellus, Sanchez & alij.

Theodoret.

Nardus ergò herba humilis, ſed odoraſpeta, ſed calida & medica, repræſentat Chriſti humilitatem, ſed ſuaueolentem; ac paſſionem, ſed charitate flagrantem, omnibuſque animæ morbis medentem. Vnde Honorius Auguſtod. *Chriſtus*, inquit, *fuit nardus naſcendo, myrrha in moriendo, botrus in reſurgendo.*

Honor. Auguſtod.

## TERTIVS SENSVS

### PRINCIPALIS,

*De Chriſto & B. Virgine.*

REx gloriæ fuit in accubitu, id eſt, cubauit nouem menſibus in vtero B. Virginis, cùm ex ea carnem aſſumpſit: túncque nardus, id eſt, virtus & humilitas B. Virginis dedit odorem ſuum: *Num quid*, inquit S. Bernardus ſerm. 42. *eſt aliud nardus mea dedit odorem ſuum, quàm placuit mea humilitas? Non mea, inquit, ſapientia, non mea nobilitas, non mea pulchritudo, quæ nulla erant mihi, ſed quæ ſola inerat humilitas dedit odorem ſuum, id eſt, ſolitum. Solito placet Deo humilitas, ſolito planè, atque ex conſueto excelſus Dominus humilia reſpicit, & ideo cùm eſſet rex in accubitu, id eſt, in excelſo habitaculo ſuo, illuc quoque humilitatis odor aſcendit. In altis habitat, inquit, & humilia reſpicit in cælo & in terra.*

*Nardus, humilitas Mariæ.*

Bernard.

Rurſum, *cùm eſſet Rex in accubitu ſuo*, id eſt, cùm filius Dei eſſet in ſinu patris, ſenſit fragrantiam nardi, id eſt, humilitatis B. Virginis, eâque allectus deſcendit in eius vterum factus homo: *Humilitas*, ait Rupert. *requies eſt mentis, & qui hanc inuenit, ſine dubio requiem animæ ſuæ inuenit. Ego in omnibus requiem iſtam quæſiui, & vidit rex reſpiciens, vbi nardi huius ex me odorem ſenſit: vidit, inquam, quòd requieſcere poſſet hîc in ſuauitate animæ quietæ, id eſt, humilis, deſcenditque de illo accubitu ſuo, & requieuit in tabernaculo meo: Hîc requieuit, hîc habitauit totis nouem menſibus: & cuius erat Dominus, eiuſdem ancillæ ſuæ factus eſt filius.*

Rupert.

Verſ. 13. *Faſciculus Myrrhæ dilectus meus mihi; inter vbera mea commorabitur.*

F*Aſciculus myrrha dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Hebr. ילין *ialin*, id eſt, *pernoctabit*. q. d. Noctu, cùm maximè ingruunt triſtes cogitationes, turpes phantaſiæ, & tentationes dæmonis, pro vnico, certóque omnium remedio, vtar hoc myrrhæ paſſionum Chriſti faſciculo: illo omnes diſcutiam, illius odore & meditatione omnes fugabo & profligabo. Græcè eſt αὐλισθήσῃ, id eſt, aulam, ſiue habitationem, & manſionem ſtabilem, iugémque accipiet. Senſus eſt q. d. Vti fœminæ in pectore geſtant myrrham boni odoris causâ, ad confortandum cor & caput; ſic ego in pectore geſto Sponſum meum mihi vnicè dilectū, cuius nulla mihi vnquam ſubrepet obliuio; quia ipſe eſt amor meus, odor meus, robur meum: qui cor meum corroborat & caput; totámque animam meam exhilarat.

LXX. Septuag. *Alligamentum ſtactes, ſiue guttæ, fratruelis meus mihi, in medio vberum meorum demorabitur.*

Ambroſ. S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 3. *Colligatio guttæ conſobrinus meus, botyrio cypri frater meus mihi, inter media vbera mea requieſcit: nardus cypri conſobrinus meus in vineis Engaddi.*

Aquila. Aquila, *Suſceptus myrrhæ.* Pro *fratruelis* Græcè eſt ἀδελφιδός, quod S. Ambroſ. vertit nunc *frater*, nunc *conſobrinus*,

Hieronym. S. Hieronym. in verſione Origenis: *fraternus*; Alij, *ſororis filius*, vel *nepos*. Chriſtus enim natus eſt ex Synagoga (puta ex Iudæis) quæ eſt ſoror Eccleſiæ, cuius hîc vox inducitur. Rectè ergo Eccleſia hîc Chriſtum vocat ſororis ſuæ, id eſt, Synagogæ filium. Idem ſignificat

Symmach. vox *fratruelis* & *fraternus*. Noſter & Symmach. *dilectus meus*.

V Editio. Quinta editio, *ſodalis meus*.

Origen. Audi Origenem hom. 2. ex quatuor: *Fraternus meus mihi guttam redolet; & hanc non diffuſam, neque vt libet diſperſam, ſed colligatam & conſtrictam, quò ſcilicet odor ſuus denſior reddatur & vehementior: & hic, inquit, cùm talis ſit, in medio vberum meorum demoratur & commanet, & requiem ac manſionem ſuam facit in loco pectoris mei.*

*Myrrha natura.* Myrrha teſte Plinio lib. 12. cap. 15. arbuſcula eſt in Arabia, minor quàm arbor thuris, altitudine ad quinque ferè cubitos adoleſcit. Conuenit autem inter auctores, qui hac de re ſcripſerunt, eam eſſe ſcabram, ſpinoſam, foliis aculeatis; caudice duro & intorto, è cuius vulnere defluit lachryma, guſtu acris cū amarore, quæ glutinandi, ſiccandi & abſtergendi vim habet egregiam. Quæ quidem omnia adeò ſunt apta ad vitæ auſteritatem pingendam, vt nil aptius afferri queat. Hinc Latinum & Græcum myrrha deriuatur ab Hebr. מר *mor*, id eſt myrrha & amaritudo, quia myrrha eſt amara.

*Myrrha liquor Myrrha dicitur.* Porrò Myrrha arbor fundit ſuccum ſiue liquorem, qui pariter myrrha dicitur, eúmque duplicem; prior eſt, quem arbor ipſa ſponte ſudat, qui ſtacte, id eſt, *Stacte quid?* gutta dicitur, hæcque eſt myrrha optima & odoratiſſima: poſterior, quæ ex inciſione arboris elicitur. Rurſum myrrha, folia & ſurculos myrrhæ ſignificat. Quare faſciculus myrrhæ propriè videtur ſignificare faſciculum ex foliis, vel ramuſculis aut floribus myrrhæ conſtrictum & colligatum. *Qualis hic faſciculus?* Hebr. tamen צרור *tſeror*, & magis Græcum ἀπόδεσμος τῆς στακτῆς, id eſt *alligamentum ſtactes*, ſiue guttæ, notat ſacculum vel pyxidem Olfactorialem, in qua ſtacte vel liquor condenſatus cōtinetur. Vnde Nyſſen hom. *Nyſſen.* 3. ſic explicat: *fraternus meus mihi eſt alligamentum, quod è collo ſuſpendo ſupra pectus, per quod bonum odorem præbeo corpori.* Hinc & Syrus vertit: *Crumena, vel burſa myrrhæ qui diligit me.* *Syrus.*

# PRIMVS SENSVS

## *De Chriſto & Eccleſia.*

SPonſa Regem ſponſum ſuum videns in Accubitu ſuo, id eſt, in Incarnatione, Paſſione, Cruce & morte, quam pro Sponſa ſponte obiuit, rapta in admirationem tanti amoris exclamat: *faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* *Paraphraſis.* q. d. Ego myrrhæ, id eſt, amoris huius Sponſi mei, qui tam amara pro me vltrò ſubiit, ſemper recordabor; illi grata ero, illum amabo, pro illo viciſſim amara quælibet ſubire non detrectabo, ſed optabo & ambiam: amara & ardua eius iuſſa, quin & obiurgationes ac mordacia verba, imò flagella & verbera vltrò ſuſcipiam & capeſſam. Vnde cōmunis hæc martyrum fuit vox, ſenſus & Spiritus: Ego amore Chriſti pro me tanta paſſi & crucifixi mortem, crucem, feras, ignes, eculeos & quæuis tormenta ſubire deſidero, vt dolorem dolori, amorem amori non ex æquo, ſed quoad poſſum rependam. Nam ſine dolore non viuitur in amore. Vnde S. Ignat. Epiſt. *Ignat. Mart.*

Epiſt. ad Rom. *Amor meus*, inquit, *crucifixus eſt*. Et S. Paulus: *Mihi abſit gloriari, niſi*
Galat. 6. *in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mũdo*. Galat.
*Chriſtus faſciculus Myrrha in Euchariſtia.* 6. Hac de cauſa Chriſtus iturus ad Crucem, ſeipſum velut faſciculum myrrhæ, Eccleſiæ in Euchariſtia perpetuò viſendum, colendúmque reliquit, vt hæc ipſi eſſet velut teſſera, & imago ſuæ paſſionis & crucis. Vnde Chriſtus inſtituens Euchariſtiam: *Accipite*, ait, *& comedite: hoc*
Luc. 22. 19 *facite in meam commemorationem*. Lucæ 22. 19. q. d. In ſumptione Euchariſtiæ, ac poſt eam profundè cogitate, meditamini, expendite, quanta veſtri amore fecerim & perpeſſus ſim, vt me viciſſim redameris. Et Paulus: *Quotieſcumque*, inquit, *manducabitis panem hunc, & calicem bibetis,*
1. Cor. 11. 26 *mortem Domini annunciabitis donec veniat*. 1. Corinth. 11. 26. Corpus enim Chriſti ſub ſpecie panis ſeparatim conſecratum à ſanguine, qui conſecratur in calice, ad viuum repræſentat ſeparationẽ ſanguinis & animæ (anima enim eſt in ſanguine, vt ait Script.) à corpore, hoc eſt, mortem Chriſti in cruce. Hinc & Magi Chriſto puero obtulerunt aurum, thus & myrrham:

Iuuenc. *Aurum regi, thura Deo, myrrhamq́; ſepulchro*, ait Iuuencus. q. d. Offerimus Chriſto aurum, vt proteſtemur eum noſtrum eſſe Regem, cui velut ſubditi aurũ quaſi tributum pendimus: offerimus thus, vt proteſtemur eum eſſe noſtrum Deum: thura enim Deo adolentur: offerimus denique myrrham, vt proteſtemur nos credere eum pro nobis in cruce moriturum, & ſepeliendum: mortuorum enim corpora myrrhâ condiebantur, vt incorrupta manerent. Ita Theodoret. *Myrrha*,
Theod. ait, *Sponſi mortem, & quæ inde ad ſponſam peruenit, indicat ſuauitatem*. Vnde Philo Carpathius ait, Eccleſiam hîc per faſciculũ myrrhæ ſignificare, ſe deſponſatam eſſe Chriſto per ſanguinem & aquam, quæ ex eius latere profluxit.

*Chriſtus eſt myrrha* Myrrha ergo eſt ſymbolum Chriſti:
1. Primò quia repræſentat eius dolores &
*propter dolores.* paſſiones: tota enim Chriſti vita fuit faſciculus myrrhæ, id eſt, continua amaritudo, & congeries laborum & dolorum.

2. Secundò, quia myrrha odoris ſuauita-
*Propter odoris ſuauitatem.* tè ſuperat cæteras arbores aromaticas: ſic & Chriſtus amoris & gratiæ ſuæ ſuauitate ſuperat Angelos, homines & creaturas omnes, iuxta illud, quod ipſe
Eccli 24. 20. de ſe ait, Eccleſ. 24. 20. *Ego quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris*.

Tertiò, myrrha incorrupta ſeruat cor- 3.
pora: ſic Chriſti paſſio & mentibus & corporibus incorruptionẽ aſpirat, dum *Ob incorruptionem.* eius recordatione, meritis & gratiâ, omnes corruptiones concupiſcentiæ fidelium mens ſuperat, ac eorum corpora à morte ad immortalitatem in die iudicij reſurgent. Huius rei ſymbolo corpus Chriſti poſt mortem myrrhâ & aloë, à Ioſepho ab Arimathia perunctum eſt. Matth. 27.

Quartò, Myrrha cor confortat & ca- 4.
put exhilarat, multò magis vtrumque fa- *Propter virtutes.*
cit Chriſti paſſio. Hinc ait Sponſa: *inter vbera*; Septuag. *in medio vberum meorum commorabitur*. q. d. In corde meo intimôq; eius fundo (cor enim ſitũ eſt inter vbera) iugiter infixa hærebit Chriſti paſſio, illâque velut myrrhâ efficaciſſimâ cor meum imbuetur & inſuccabitur, vt eius vis ex corde in omnes ſenſus, vires & membra proſerpat, eáque corroboret ad omnes amoris agones, ad omnes virtutis labores, ad omne genus mortis & martyrij, pro Chriſto meo generosè & alacriter obeundum. Ex corde enim manat vita, vigor & Spiritus vitalis in omnes ſenſus, vires & membra. Quare cùm myrrha Paſſionis Chriſti cor occupat, per illud vim ſuam in omnes animæ vires diffundit. Sic ergo fit, vt Chriſtus habitet in nobis, vt induamus Chriſtum, vt illi conformemur: Chriſtus enim eſt quaſi anima cordis noſtri, & vt ait Ieremias: *Spiritus cordis noſtri Chriſtus Dominus*.
Thren. 4. 20. Vnde ait Paulus: *Chriſto* Thren. 4. 20
*confixus ſum cruci. Viuo autem iam non ego, vi-* Galat. 2. 20.
*uit verò in me Chriſtus*. Galat. 2. 20. Sicut ergo lana oleo inſuccatur, vt ait Columella lib. 7. cap. 4. id eſt, oleo imbuitur, intingitur, inficitur; & ſicut panis inſuccatur vino, dum vini vim & ſuccum imbibit in offa, quod ſignificanter Itali dicunt *inzuppare*: ſic prorſus cor ſanctorum inſuccatur doloribus & paſſionibus Chriſti, eorúmque vim imbibit, quem deinde in omnes animæ potentias ſenſûſque tranſmittit, vt omnes ſpirent & exhalent Chriſtum crucifixum. Symbol. Origen. hom. 2. ex 4. per *faſciculum*, vel vt
Origen. ipſe ex Septuag. legit, *alligamentum myrrhæ*, accipit corpus & carnem Verbi incarnati: *Videtur*, inquit, *alligamentum & vinculum quoddam animæ eſſe corpus, in quod alligamentum, gutta* (ſtacte) *in Chriſto diuinæ virtutis ac ſuauitatis aſtringitur*. Deitas ergo alligata corpori, eſt quaſi gutta ſiue ſtacte alligata in faſciculo, vel conſtricta in pyxide. Sic & Theodoret. *Alligamentum*, inquit, *guttæ eum vocat, quoniam*



Digitized by Google

*ipſe deſcendit ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram*, Theodoret. *& à Propheta etiam vocatus eſt ſtilla. Erit ex ſtilla populi huius, congregatus congregabitur Iacob.* Michææ 5. iuxta Septuag. Porrò S. Ambroſius ſerm. 3. in Pſalm. 118. legens *colligatio gutta*, ſic exponit, q.d. Chriſtus carni ſe illigauit funiculis charitatis: *Carpus*, inquit, *ſuſcipiens Dominus Ieſus charitatis ſe vinculis illigauit, & non ſolùm ſe membris noſtris & paſſionibus naturalibus, ſed etiam cruci vinxit.* Ambroſ.

Porrò Chald. vertit: *In tempore illo dixit Dominus ad Moſen: Vade & deſcende, quia ſe corrupit populus tuus: dimitte me, vt conſumam eos. Tunc reuerſus eſt Moſes & quæſiuit miſericordiam à facie Domini, & recordatus eſt Dominus inclinationis Iſaac, qui ligatus fuerat à Patre ſuo in monte Moria ſuper altare: & conuerſus eſt Dominus ab ira ſua, & habitare fecit maieſtatem ſuam in medio eorum ſicut antea.* Chald. Hæc expoſitio Iudæi Iudaïca eſt, ſubſeruit tamen Chriſtianę & genuinæ iam aſſignatæ. Ligatio enim Iſaac ad eius immolationem, fuit typus ligationis & immolationis Chriſti in cruce, idque in eodem Monte Moria: huius enim pars & collis eſt mons Caluariæ, in quo crucifixus eſt Chriſtus.

## SECVNDVS SENSVS PARTIALIS,

### *De Chriſto & Anima Sancta.*

*Faſciculus Myrrhæ, paſſio Chriſti.*

ANima pia paſſionem Chriſti, velut faſciculum myrrhæ in pectore & corde ſuo recondat, vt eo cor confortet, & caput exhilaret ad omnes virtutis labores & dolores, omnéſque huius vitę aduerſitates, imitatione & amore Chriſti lætè & fortiter ſubeundos. Ita S. Bernard. ſerm. 43. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Antè rex, modò dilectus: antè in accubitu regio, modò inter Sponſæ vbera.* Bernard. *Magna humilitatis virtus, cui etiam Deitatis maieſtas tam facilè ſe inclinat. Citò reuerentiæ nomen in vocabulum amicitiæ mutatum eſt: & qui longè erat, in breui factus eſt propè: faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Myrrha amara res, dura & aſpera tribulationem ſignificat. Ea ſibi dilecti cauſa imminere proſpiciens, gratulabunda id loquitur, confidens ſe omnia viriliter ſubituram. Ibant, inquit, gaudentes diſcipuli à conſpectu concilij, quia digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Act. 5. 41. Subdit deinde cur faſciculus dicatur, non faſcis: *Faſciculus Myrrhæ non faſcis Cur?* *Propterea denique non faſcem, ſed faſciculum dilectum dicit, quod leue præ amore ipſius ducat, quicquid laboris immineat & doloris. Bene faſciculus, quia paruulus natus eſt nobis. Bene faſciculus, quia non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Rom. 8. *Id enim, inquit, quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis. Erit ergo quandoque nobis ingens cumulus gloriæ, qui modò eſt faſciculus myrrhæ. An non faſciculus, cuius iugum ſuaue eſt & onus leue? Non quia leue in ſe (nec enim leuis paſſionis aſperitas, mortis amaritudo) ſed leuis tamen amanti. Et ideo non ait tantùm*, faſciculus myrrhæ dilectus meus: *ſed mihi*, *inquit, quem diligo, faſciculus eſt. Vnde & dilectum nominat, monſtrans dilectionis vim omnium amaritudinum ſuperare moleſtiam, & quia fortis eſt vt mors dilectio.* Exempla. Ita S. Elzearius, Comes Arriani, hoc myrrhæ faſciculo ad immobilem animi manſuetudinem & tranquillitatem peruenit: cùm enim dicteriis, calumniis, irriſionibus, iniuriis, &c. etiam à propriis famulis variè & crebrò exagitaretur, illicò mente verſabat probra, calumnias, iniurias, tormenta irrogata Chriſto, nec ab hac meditatione ceſſabat, donec mens in imitatione huius patientiæ tranquillè conquieſceret; quò fiebat, vt nullum doloris aut iræ ſignum daret, ac videretur bile carere, eſſéque *ἀπαθὴς*: ita habet eius vita apud Surium. Eodem faſciculo S. Franciſcus, S. Eliſabetha, aliíque plures ad tantam humilitatem, patientiā & ſanctitatem euaſêre.

Rurſum, faſciculus myrrhæ eſt mortificatio aſſidua, quam nos docet vita & paſſio Chriſti, quæ non aliud fuit quàm continua mortificatio: *Faſciculus Myrrhæ, Mortificatio.* hæc enim omnem concupiſcentiæ corruptionem abſtergit, omniáque animæ vulnera ſanat, eámque ad omne bonum corroborat. Myrrha, inquit Galenus lib. 7. ſimplic. medic. purgat thoracem & pulmonem, aſtringit, concoquit & diſcutit: ſtacte infrigeratos calefacit. *Myrrhæ virtutes.* Vberiùs Dioſcorides lib. 1. cap. 67. *Myrrha*, inquit, *calefacit, concoquit, ſoporem gignit*, &c. Dioſcorid. *Deuoratur in vetere tuſſi, laterum pectoriſque doloribus, in alui profluuio, & dyſenteriâ horrores diſcutit, ſcabritiem arteriæ expolit, obtuſam vocem expedit, ventris tineas enecat, contra grauem oris halitum manditur, gingiuas & dentes ſtabilit, vulnera capitis glutinat, medetur fractis auribus ac oſſibus nudatis: impetigines ex aceto purgat: diuturnas diſtillationes lenit, oculorum vlcera complet, albugines tollit, caliginem diſcutit, ſcabritiē læuigat.* Eadem & plura efficit Chriſti paſſio, & mortificatio in anima & ſpiritu; Vnde nullum eâ efficacius eſt remedium

Digitized by Google

medium contra tentationes luxuriæ, iræ, ſuperbiæ, acediæ, inuidiæ, &c. vti perpetuâ experientiâ conſtat. Quocirca Nyſſen. hom. 3. cenſet hîc ſignificari quòd anima, quæ in corde habet alligatum Chriſtum crucifixum, non poſſit vllo membro vel ſenſu peccare: *Illa anima*, inquit, *quæ ſuſcepit bonum Chriſti odorem, & cor fecit alligamentum huius ſuffitus, ſe ita comparat, vt omnia ſigillatim vitæ ſtudia, tanquam alicuius corporis membra ferueant ſpiritu, qui ex corde permeat, nullâ iniquitate in vllo membro corporis refrigerante dilectionē in Deū.*

Nyſſen.

Et Origen. hom. 2. ex 4. *Alligatura guttæ*, inquit, *dogmatum continentia conſtrictio, ac diuinarum ſententiarum nodoſitas intelligitur, Innexa enim ſub inuicem ſunt fidei rationes, & vinculis veritatis adſtricta.*

Origen.

3 Patres apud Theodor.

Et tres Patres apud Theodoretum: *Nexus eſt*, inquiunt, *& conſeruatio ſtillæ diuinæ gratiæ, quæ mihi communicata eſt, dilectus meus: per fidem enim, inquit, acceptus, ſpiritualia tnetur, atque conſeruat Eccleſia munera, fideléſque confirmat ac roborat, ne à veritate deſciſcant.* Et S. Gregor. *Mortuorum corpora*, inquit, *myrrhâ condiri ſolent, ne putreſcant. Myrrham quippe corporibus ne putreſcant adhibemus, dum membra noſtra in Chriſti exemplum, per eorundem mortificationem à putredine luxuriæ reſtringimus, ne dum ea ſine condimento dimiſerimus, diſſoluta putredine, eſcam vermibus æternis faciamus. Sed quid eſt, quòd dilectum ſuum Sponſa non myrrham, ſed faſciculum myrrhæ nominat, niſi quòd dum ſancta mens Chriſti vitam ex omni parte conſiderat, contra omnia vitia ex eius imitatione repugnantes virtutes congregat: ex quibus ſibi faſciculum myrrhæ aptat, quò carnis ſuæ putredinem ſempiternam abſtergat.*

Gregor.

Mortificatio ergo, & vitæ auſteritas animam purificat, ſanctificat, Deóque mirè placentem gratámque efficit, quia eam ſimilem facit Chriſto crucifixo. Quocirca Deus eandem ſuis chariſmatibus amplè remunerare ſolet. Vt alia taceam, lege vitas ſanctorum, & inuenies eos dumtaxat magnis & crebris claruiſſe miraculis, qui auſteræ fuerunt vitæ, quales extitêre S. Martinus, S. Antonius, S. Hilarion, S. Benedictus, S. Romualdus, S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciſcus, S. Ignatius, S. Franciſcus Xauerius.

*Duo vbera quæ? Nouum & vetus Teſtamentum.*

Igitur Chriſti Paſſio commoratur inter vbera, id eſt, in corde animæ ſanctæ. Symbolicè: inter duo vbera, id eſt primò inter Nouum & Vetus teſtamentum; vtrumque enim prædicit & prædicat Chriſti paſſionem & crucem, ait Philo Carpath. Secundò inter vbera, id eſt, inter Doctores, qui prædicant Chriſtum crucifixum, ait Iuſtus Orgeliranus.

*Doctores.*

*Amor Dei. & Proximi.*

Tertiò, S. Gregor. duo vbera, inquit, ſunt amor Dei & proximi. Audi eum: Qui (Sponſus Chriſtus crucifixus) *bene inter vbera commorari dicitur, quia in dilectione Dei & proximi habitatio Chriſti ſancta ædificatur. Sancta quippe anima dum Deum ſic diligit, vt proximum non contemnat, & proximi amorem ſic exequitur, vt diuinum non minuat, procul dubio vbera in pectore ſibi locat, quibus Chriſtum amplectens, ipſum nutriat. Quaſi enim vberibus Chriſtus nutritus roboratur, dū hac geminâ dilectione, vt fortiùs inhæreat, delectatur.*

Gregor.

*Congratulatio & Cōpaſſio.*

Denique S. Bernard. ſerm. 43. duo vbera accipit congratulationem & compaſſionem, iuxta illud Pauli Rom. 12. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Quia verò inter aduerſa & proſpera verſans, nouit vtrobique pericula non deeſſe, medium huiuſmodi vberum ſuorum vult habere dilectum, cuius aduerſus vtraque cōtinuâ protectione munitum, nec læta extollant, nec triſtia deiiciant.* Subiicit deinde S. Bernard. itáque hunc myrrhæ faſciculum ſuo exemplo omnibus arctè commendat: *Tu quoque, ſi ſapis, imitaberis Sponſæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum faſciculum de principatu tui pectoris, nec ad horam patieris auelli amara illa omnia, quæ pro te pertulit ſemper in memoria retinens, & aſſiduâ meditatione reuoluens, quò poſſis dicere & tu: faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Et ego, fratres, ab ineunte mea conuerſione pro acerno meritorum, quæ mihi deeſſe ſciebam, hunc mihi faſciculum colligare, & inter vbera mea collocare curaui, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei: Primùm videlicet infantilium illarum neceſſitatum: Deinde laborum, quos pertulit in prædicando, fatigationum in diſcurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in ieiunando, lacrymarum in compatiendo, inſidiarum in alloquendo, poſtremò periculorum in falſis fratribus, conuitiorum, ſputorum, colaphorum, ſubſannationum, exprobrationum, clauorum, horúmque ſimilium, quæ in ſalutem noſtri generis ſylua Euangelica copioſiſſimè noſcitur protuliſſe.* Et poſt plura, quæ in hâc rem ſubiicit, ita concludit: *Hæc meditari dixi ſapientiam, in his iuſtitiæ mihi perfectionem conſtitui, in his plenitudinem ſcientiæ, in his diuitias ſalutis, in his copias meritorum. Ex his mihi interdum potus ſalutaris amaritudinis, ex his rurſum ſuauis vnctio conſolationis. Hæc me erigunt in aduerſis, in proſperis reprimunt, & inter læta triſtiáque vitæ præſentis viâ regiâ incedenti, tutum præbent vtrobique ducatum, hinc inde mala imminentia propulſando. Hæc mihi conciliant mundi iudicem.* Huc vſque S. Bernard. piè, ſapienter & patheticè.

Rom. 12.

Bernard.

Bernard.

Idem.

TERTIVS

Digitized by Google

## TERTIVS SENSVS PRINCIPALIS,

*De Chriſto & B. Virgine.*

BEATA Virgo adſtans Cruci, filium ſuum Chriſtum crucifixum, velut faſciculum myrrhæ toto corde obtulit Deo patri in holocauſtũ, pro redemptione totius mundi, ſicut Abraham obtulit ſuum Iſaac. Eadem poſt Chriſti mortem & Aſcenſionem eius tormenta cordi alligata, imò inſculpta geſtans aſſiduè ſummo doloris, amoris, & deuotionis ſenſu ruminabat, nec tantùm ruminabat, ſed & reipſâ imitabatur omnes perſecutiones Iudæorum, omnéſque aduerſitates fortiter ſuſtinens, ac lacrymis, compunctioni & mortificationi aſſiduè vacans, quâ proinde mirificas Dei gratias & dona obtinere meruit, vti ipſa reuelauit S. Brigittæ. Hac de cauſa Caluariam, & loca paſſionis Chriſti crebrò & deuotiſſimè obibat: ipſa enim omnia tormenta Chriſti vehementiſſimè ſenſit compatiendo, quæ Chriſtus patiendo, idque non ſemel vt Chriſtus, ſed per omnem vitam. Ipſa enim longè magis amabat Chriſtum, quàm ſeipſam. Vnde longè maluiſſet ipſa pati omnia tormẽta Chriſti, quàm videre Chriſtum ſuum eadem patientem. Multoties ergo ipſa fuit Martyr, iuxta illud S. Simeonis ad ipſam vaticinium: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Lucæ 2. Ita Rupertus.

*B. Virgo multoties Martyr.*

Luc. 2.

---

Verſ. 14. *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.*

*Botrus Cypri quid? Reſp. 1. Camphora.*

QVæres, quid ſit Cyprus? Primò, Rabbini & ex eis Tigurina, ex ſimilitudine vocis cenſent eſſe Caphuram, ſiue Camphoram. Camphora autem eſt gummi cuiuſdam arboris in India naſcentis tantâ magnitudine & proceritate, vt ſub eius vmbra hominum centuriæ recondi poſſint. Camphoræ vires & dotes recenſet Matthiolus in Dioſcor. lib. 1. cap. 75. Tria vero memoranda de hoc gummi narrant Auctores. Aiunt Caphuram in aqua flagrare: deinde tradunt eum humore madère, ſi in recenti & calido pane condatur: Aiunt denique niſi ſedulò aſſeruetur, ex operculatis etiam thecis nonnunquam euaneſcere. Quæ profectò tria Spõſo impẽdio conueniunt, vt non immeritò botrus Copher ſit Appellatus. Etenim in hoc ſpirituali humani generis cataclyſmo, quo aquæ culpæ hyemales, tum origine permanantes, tum voluptate prauâ erumpentes mundum obruerunt, & ignem charitatis extinxerunt, in medio ipſe diluuio extans & erectus, fluctibus ipſis velut oleo paſcitur, & more lampadis accenſus flammam charitatis emittit, quam flumina nequeunt obruere. Ita Ioannes Carmelita.

*Dactyli Palmæ.*

Rurſum, R. Abraham per botrum cypri accipit dactylos palmæ, qui ſapidiſſimi ſunt.

2. *Vua Cypria.*

Secundò; Botros cypri eſſe vuas in Cypro inſula naſcentes, vel vites ex Cypro delatas in Iudæam, cenſent S. Gregor. Caſſiod. Beda, Anſelm. Rupert. S. Bernard. Titelman. & alij: Vinum enim Cyprium, æquè ac Creticum (vulgò *maluaſia*) eſt præſtans, forte, & eximium, teſte Plinio lib. 14. cap. 1. & 7. Et hic ſenſus Chriſto Sponſo noſtro aptè conuenit, qui tanquam botrus pinguiſſimus & deliciosiſſimus vini pretioſiſſimi & præſtãtiſſimi, in torculari amaræ paſſionis preſſus & expreſſus, ſanguinem vuæ, ſicut pretioſiſſimum, ita & copioſum valde effudit, propinauítque Sponſæ ſuæ Eccleſiæ, cuius hauſtu etiamnum ipſa viuificatur atque reficitur, lætificatur & inebriatur.

*Vinum Engadditanũ.*

*Chald.*

Huc accedit Chald. qui per botrum cypri accipit vinum acceptum ex vuis Engaddi, quod Hebræi in terram ſanctam intrantes libarunt Deo: *Ibant*, inquit, *ad vineas Engaddi, & accipiebant inde botros vuarum, & exprimebant ex eis vinum, & libabant ex illo ſuper altare, quartam partem hin ſuper ſingulos arietes.*

3. *Cupreſſus.*

Tertiò; Iuſtus Orgelit. per cyprum accipit cypreſſum, ſiue cupreſſum, vel cypariſſum, cuius comæ botri ſpeciem quandam exhibent. Verùm aliud eſt cyprus, aliud cupreſſus, vt patet ex Plinio, Dioſcoride, Galeno, Theophraſto & aliis.

4. *Botrus Cypri .i. botrus floritionis.*

Quartò; Origen. Theodoret. Nyſſen. & Philo Carpathius botrum cypri exponunt botrum floritionis, id eſt, adhuc florentem, nec fructu, puta vuis turgentẽ: κυπριάζω enim eſt floreo, & κυπρισμὸς eſt floritio. Verùm nil tale ſignificat Hebr. כפר *copher*, & Latinum, Græcúmque *cyprus*.

5.

Quintò, alij per cyprum accipiunt balſamum: ita Aponius, Beda, S. Bernard. Honotius,

*An Cyprus ſit balſamũ.* Honorius, Hailgrinus, Sotto-maior, Sãchez & alij. Probant primò, quia balſamum eſt odoratiſſimum, & proprium Iudææ in vineis Engaddi. Vnde S. Hieron. *Hieron.* in cap. 27. Ezech. *balſamum*, ait, *quod naſcitur in vineis Engaddi.* Et in Epitaphio Paulæ: *contemplata eſt balſami vineas in Engaddi.* Secundò, quia Eccleſiaſticus de more Salomonem ſecutus, Chriſtum comparat balſamo, Eccleſiaſtici 24. 20. *Eccli. 24. 20.* *Quaſi balſamum*, ait, *non mixtum odor meus.* Tertiò, quia arbor vel frutex proferens balſamum ſimilis eſt viti, teſte Plinio lib. 12. *Plin.* cap. 25. *Semen*, ait, *eius eſt vino proximum guſtu.* Et paulò anteriùs: *Hæc viti ſimilior eſt, quàm myrto, malleolis ſeri dicitur, nuper vincta vt vitis, implet colles vinearum modo.*

Verùm obſtat primò, quod nuſquam *Reſp. Negatiuè.* balſamum vocetur *copher*, ſiue cyprus.

Secundò, quòd balſamum non habeat botros nec vuas, ſed ex inciſione fruticis profluit liquor ille odoratiſſimus, qui opobalſamum dicitur. Reſpondet Sottomaior, *botrum cypri* idem eſſe, quod *ramum balſami*: Verùm Hebr. אשכול *eſcol*, & Latinum Græcúmque *botrus*, vuam ſignificat non ramum: balſami tamen hic mentio fiat in vineis Engaddi. Probabilius quis diceret, botrum cypri vocari liquorem ex frutice balſami inciſo profluentem, qui inſtar botri concreſcit & coaleſcit.

Tertiò, quòd Plinius, Dioſcorides, Galenus, quin & Ioſephus Hebræus lib. 5. de bello Iud. cap. 4. diſtinguunt cyprum à balſamo.

6. *Genuinè. Plin.* Dico ergo: *Cyprus*, inquit Plinius lib. 12. cap. 14. *eſt arbor in Ægypto zizipbi foliis, ſemine coriandri, flore candido & odorato*; Et *Qualis Arbor Cyprus.* vt ait Philo Carpath. in cap. 4. Cant. v. 14. *Philo Carp.* *Cyprus arbuſcula eſt flore candido, cincinnorum inſtar pendente comâ odoratiſſimâ, folio oleæ; ex hac fit vnguentum nomine Cyprinum ad multa commodiſſimum, habétque folia, flores & fructus & ramos vtiliſſimos. Hæc optima in Aſcalone Iudææ, & Ægypti Canopo prouenit.* Caſſiodor. *Caſſiodor.* ibidem: *Cyprus, ait, arbor eſt aromatica, ſemen ſimile coriandri habens, id eſt, album & ſublucidum, quod oleo coquitur, & inde exprimitur, quod cyprus vocatur; vnde regium vnguentum paratur.* Dioſcorides verò lib. 1. cap. 4. cyprum deſcribens ei has dat virtutes: *Dioſcorid.* *Venarum ſpiracula laxat: vrinam ciet ad calculos, aquámque ſuper cutem vtiliſſimè bibitus: aduerſus ſcorpionum ictus remedio eſt: perfrictionibus vulnæ, & præcluſionibus ſuis prodeſt: pellit menſes. Contra vlcera oris, etiam ſi depaſcant vorentque, farina eius efficax eſt; Malagmatis calfacientibus, & vnguentorum ſpiſſamentis bene adiici ſolet.* Et Galenus lib. 7. ſimpl. medic. *Galenus.* *Cypri*, inquit, *radices maximè vſui ſunt, excalefacientes pariter & exſiccantes abſque mordacitate. Itaque vlceribus, quæ præ nimia humiditate cicatricem difficulter admittunt, mirificè proſunt: habent enim quiddam etiam adſtringent: quapropter vlceribus item oris conueniunt; Quin & incidendi vim quampiam illis ineſſe teſtificandum, quâ & calculo vexatis congruunt, & vrinam menſéſque prouocant.* Addit ibidem Matthiolus iconem cypri, in qua manifeſtè in cypri cacumine cernuntur minuta folia cum ſemine exoriri, inſtar botri vel racemi.

Porrò cyprum eſſe eundem fruticem *An Cyprus ſit Liguſtrũ* cum liguſtro Italico, ex variorum ſententia docet Plinius lib. 24. cap. 10. vbi aſſerit liguſtrum eandem eſſe arborem, quæ in Oriente Cypros appellatur. Et Galenus lib. 7. Medic. ſimpl. *Cypri*, ait, ſeu *liguſtri folia*, &c. *habent quiddam digerens & aſtrictorium. Itaque eorum decocto quidam ambuſta fouent. Vtuntur etiam aduerſus igneas phlegmonas & carbunculos. Nam abſque moleſtia & morſu deſiccant. Quin etiam ſponte prouenientibus in ore vlceribus, aphtodeſi, & ipſis puerorum aptis, commanſa accommodata ſunt.* Idẽ innuit Dioſcorid. lib. 1. ca. 107. *Dioſcorid.* *Liguſtrum*, ait, *arbor eſt oleæ foliis circum ramos ſimilibus*, &c. *Flore candido, odorato.* Ac mox ſubdit: *Cyprinum oleum, quod ex eo fit, odoratum excalfacit, emollitque neruos*: vbi inſinuat cyprinum oleum eſſe Liguſtricum, ac conſequenter liguſtrum eſſe cyprum. Diſertè verò id ipſum aſſerit Ruellius lib. 1. diſtin. cap. 94. & Matthiolus in Dioſcoridis locum iam citatum. Vbi & de more ideam ſiue formam liguſtri, ſiue cypri in imagine ſpectandam exhibet, in qua planè eſt videre botros, ſiue vuas liguſtri ſiue cypri, ſimiles vuis, quæ in vite naſcuntur. Additque: *Matthiol.* *Flores edit candidos muſcoſóſque, racemóſque & fructum nigrum.* Vnde Arabicus pro *botrus cypri* vertit *racemus florum*, talis enim eſt in liguſtro. Hinc & Theophraſtus lib. 9. Hiſtor. Plant. cap. 7. cyprinum, ſiue liguſtricum vnguentum aſſerit eſſe odoratiſſimum.

Rembertus Dodonæus verò de Stirpibus Pemptade 6. lib. 2. cap. 13. etſi liguſtrum diſtinguat à cypro, quòd liguſtro folia defluant hyeme, cyprus verò perpetuâ fronde vireat; aſſerit tamen illi eſſe perſimile: liguſtrum verò Græcis appellari φιλυρέαν, de qua Dioſcorides: *Dioſcorid.* *Phillyrea*, inquit, *arbor eſt cypro magnitudine ſimilis: foliis oleæ nigrioribus ac latioribus: fructum habet lentiſci ſimilem, nigrum, ſubdulcem,*

racemia

Google

*racematim cohærentem*: & tale omnino eſt liguſtrum.

Porrò Dictionarinm Syriacum aſſerit *copher*, id eſt *cyprum*, eſſe arborem quandam, cuius frondes deſiccatæ, & in pulucrem maſſámque redactæ, reddant manus, crines, cæteráſque corporis partes purpureas. Id ipſum cenſet oculatus teſtis Petrus Bellonius. lib. 2. Obſeruat. cap. 74. vbi ait cyprum Salomonis eſſe fruticem, quem Arabes *Alcanna*; ſiue *Henne*, Græci *Scenna* vocant, qui liguſtro ſimilis copiosè prouenit in Cayro Ægypti. Hunc, inquit, Turcæ & Mauritani propter florum gratiã (qui denſi & clauſi botrorum ſpeciem præ ſe ferunt) & ſuauem odorem muſco ſimilem, diligenter ſeruant. Vnde Turcarum Imperator ex eo quotannis vectigal pluſquam octodecim millium Ducatorum colligit, inualuit enim ea conſuetudo, vt omnes mulieres manus, pedes, capillorum partem rubro aut flauo, viri autem vngues rubro colore Alkannæ puluere inficiãt.

*Bellony opinio.*

*Nota*

Vt vt eſt, cyprus liguſtro eſt ſimilis, & in Iudæa fuit odoratiſſima, & fructus proferens, nimirum botros miræ magnitudinis æquè ac saporis, vt patet ex hoc loco & ex c. 4. 13. Hinc *cyprus* dicta eſt ab Hebr. כפר *copher*, id eſt, expiatio, ſcilicet tetri odoris, quòd ſuo odore hominem reficiat, & fœtores arceat, inquit Marinus in Lexico. *Copher* ergo, ſiue cyprus eſt fructus arboris cypri, quem S. Hieronymus teſtatur odoratum eſſe, & inſtar effloreſcentis vuæ florere, ex quo cyprinum fit oleum, quod cyprum pariter vocãt, odoratiſſimum, & ſaluberrimum, teſte Plinio lib. 23. cap. 4. Id vetitis erat ætate Salomonis, eùm floreret Iudæa rerum omnium præſtantiâ & abundantiâ; tunc enim erat terra melle & lacte manans quæ modò cernitur ſcabroſa, ſterilis, & lapidoſa. Quare cyprus & aliæ arbores aromaticæ, quæ Salomonis arte & cura excultæ præſtantes dabant fructus, iam vel exaruerunt, vel à primæua bonitate degenerarunt, vti cõſtat de balſamo, quod olim ſola Iudæa poſſidebat, nunc planè ignorat. Salomon enim vineas habebat, cùm iuxta Ieruſalem, tum in Engaddi. Ibi enim erant vineæ, tum vitium, tum cypri, tum balſami præſtantiſſimæ, quas ipſe ſuâ induſtriâ excolendo, longè præſtantiores efficiebat.

*Opinio Delrio.*

Porrò Noſter Delrio probabiliter, per botros cypri accipit vuas delicatiſſimas Engaddicas, quæ ex vicinis Cypri aromaticis arboribus cyprinum ſaporem contrahebant, eúmque exhibebant guſtanti. Vitium enim & vuarum proprietas eſt, adſciſcere ſibi ſaporem iuxta radices creſcentium fruticum, vel herbarum, vt experientiâ conſtat; & docet Plinius lib. 14. cap. 16. Sic ergo botri in Engaddi iuxta cypros ſuccreſcentes, cypri ſaporem & odorem ſugentes referebant; ideóque in pretio habebantur, ſicut hodie in Italia & alibi muſcatellini. Hiſce ergo botris vuarum odoratiſſimis & ſapidiſſimis, Sponſa Sponſum dilectiſſimum confert. Hæc Delrio.

*Botrus Cypri, vua delicatiſſima Engadditana.*

## SENSVS PRIMVS ADÆQVATVS,

*De Chriſto & Eccleſia.*

AIt Sponſa: Sicut Spõſus meus Chriſtus ob paſſionem pro me obitam, mihi eſt faſciculus myrrhæ amaræ, ſed odoratæ, qui iugiter inter vbera, id eſt, in corde meo commoratur, & ab eo cõmemoratur. Sic pariter idem eſt quaſi botrus cypri, quia eius ad inſtar mihi odoratu & guſtu ſuauiſſimus eſt. Sicut enim Copher, ſiue Cyprus expiat fœtores odorum, ſic Chriſtus ſuâ paſſione & gratiâ expiat fœtores ſcelerum: כפר *copher* enim Hebr. idem eſt, quod *expiatio*: vnde vertunt nonnulli *botrus expiationis*, vel *redemptionis iniqui atis*, vel *pretÿ*, vel *propitiationis*. Hæc omnia enim ſignificat *copher*. q.d. Dilectus meus ob paſſionem mihi eſt dilectus myrrhæ amaræ, ſed hanc amaritiem tegit, expiat, & dulcorat fructus Redemptionis noſtræ per eam acquiſitæ, qui inſtar botri cypri mihi iucundiſſimus & ſuauiſſimus eſt. Nam vt ait S. Paulus Epheſ. 2. 4. *Deus qui diues eſt in miſericordia propter nimiam charitatem ſuam, quâ dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Chriſto, (cuius gratiâ eſtis ſaluati,) & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Ieſu, vt oſtenderet in ſæculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu: Gratiâ enim eſtis ſaluati per fidem.* Idem Rom. 3. 23. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum in ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem iuſtitiæ eius in hoc tempore, vt ſit ipſe iuſtus & iuſtificans eum, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti.*

*Copher id eſt expiatio.*

*Epheſ. 2. 4.*

*Rom. 3. 23.*

Vnde Hortolanus ſic explicat q. d. Chriſtus Sponſus meus eſt mihi pro prægrandi

grandi botro expiatorio in Engaddinis vineis, vuarum miræ magnitudinis feracibus nato. In regione, inquam, Engaddi, hoc eſt, in fonte inciſionis. Ea enim eſt myſtici verbi vis, & rei geſtæ conueniens interpretatio. Siquidē meus Chriſtus ſemetipſum Antilytrum, & ſummum dedit, quo me redemit, pretiū. Is ipſe clauis & lanceâ cōfixus, atque in cruce quaſi in torculari expreſſus prægrandis botrus, velut fons inciſus ſanguine manat & aquâ. Ex quo ego lauacro luſtrata emerſi expiata, & omni depoſitâ vetuſtate, inſtar aquilæ innouata, iuuenis & formoſa, omni carens peccati maculâ, omni vetuſtatis rugâ, omni denique vitio emaculata, ob que ſua ingentia in me merita hanc ego odoratam & efficacem myrrbam, hunc botrum expiatorium vnicè diligo, parentibus, propinquis, amicis, & omnibus meis fortunis, atque adeò mihi ipſi in amore præfero: & cælum, vnde ad me delatum eſt, ſummâ vi nitor capere: Nullos hoſtes metuens, nulla formidans pericula, vt tu olim Synagoga, mea æmula, habitatores terræ Chanaan, vnde miræ magnitudinis botrus ille ad te ab exploratoribus exportatus fuerat, pertimeſcens & Deo diffiſa, promiſſas ſedes obtinere poſſe deſperaſti.

*Engaddi .i. fons inciſionis.*

Porrò licèt Chriſtus dici poſſit botrus cypri in Incarnatione, quia tunc vt flos odorariſſimus & iucundiſſimus è radice Ieſſe, puta ex vtero virginali germinauit & efflornit: vnde & Nazarenus, id eſt, floridus eſt nuncupatus. Item in paſſione, vbi velut botrus in torculari crucis preſſus, omnem ſuum nobis effudit ſanguinem. Ita S. Ambroſ. in Pſalm. 118. & Iuſtus Orgelit. qui ait: Engaddi idem eſt, quod oculus tentationis. Chriſtus crucifixus ergo eſt botrus cypri in Engaddi, quia in cruce tentationibus Scribarum & Iudæorum eſt exagitatus. Vnde & *Engaddi* ex Hebræo & Syro verti poteſt *fons*, vel *oculus* inciſionis, aut *ſciſſuræ*. In cruce enim Chriſti caro conciſa fuit.

*Engaddi .i. oculus tentationis.*

Aptiùs tamen Chriſtus fuit botrus cypri in fructu paſſionis, puta in reſurrectione & gloriâ, quam ſibi nobiſque promeruit & obtinuit. Ita Caſſiod. Beda, Rupert. Anſelm. & S. Bernard. Vnde Honorius Auguſtod. ait Chriſtū fuiſſe nardum in Incarnatione, faſciculū myrrhæ in Paſſione, botrū cypri in Reſurrectione. Porrò botrus cypri, florum cypri eſt congeries & condenſatio; ſicut grana vinacea dēſantur in botro vuæ; vocatur tamen hic botrus potiùs quàm flos, quia botrus ſignificat florum, id eſt, dotum animæ & corporis Chriſti glorioſi multitudinem & condenſationem, ſcilicet impaſſibilitatem, claritatem, agilitatem, ſubtilitatem; item liberationem patrum è limbo, aſcenſum in cælum, miſſionem Spiritus S. Apoſtolorum prædicationē, conuerſionem gentium, cæteráque Spiritus ſancti chariſmata, quæ Chriſtus è cælis in Eccleſiam contulit, confert & conferet vſque ad diem iudicij, imò in omnem æternitatem.

*Chriſtus botrus cypri in Reſurrectione.*

Huic ſenſui facies interpretatio nominum. Nam *κύπρος*, id eſt, cyprus, idē eſt quòd *pulchra*, vel *pulchritudo*. Quid autem pulchrius Reſurrectione & corpore glorioſo? Rurſum Engaddi Hebr. verti poteſt *fons*, vel *oculus felicitatis*: quid autem felicius cæleſti beatitudine, in qua beati oculis mentis vidēt Dei eſſentiam, omnéque bonum?

*Cyprus .id eſt. pulchritudo.*

*Engaddi .id eſt. oculus, vel fons felicitatis.*

Porrò botrus hic cypri dicitur eſſe *in vineis Engaddi*, vt ſignificet botrum hunc eſſe præſtantiſſimum, tum in ſe, tum in vicinia balſami, aliarúmque arborū aromaticarum, quarum vis & virtus illi afflabatur, vti notat Origen. homil. 2. ex 4. Caſſiod. Beda, Aponius, Bernard. ſerm. 4. S. Hieronym. in Ezech. 27.

Balſamum enim, quod omnia aromata ſuauitate odoris, æquè ac ſalubritate liquoris ſuperat, teſte Plinio, nuſquam olim, niſi in Engaddi naſcebatur. Engaddi enim eſt vrbs, & regio iuxta Iericho & mare mortuum, in tribu Iuda contra Occidentem, gratiſſimum ſpirans odorem ex copia arborum odoriferarum, præſertim balſami: vnde & *Aſaſonthamar*, id eſt, vrbs palmarum dicta eſt, quòd palmis & balſamis abundet. Ita S. Hieronym. Tradition. in Geneſ. cap. 14. & ex eo Adrichom in deſcriptione Terræ ſanctæ. Balſamum autem odoratiſſimū, quòd corpora malè affecta ſanat, & mortua à corruptione præſeruat, optimè denotat reſurrectionem Chriſti, immortalitatem, ſalutem & gloriam æternam, quam ſuis electis confert. Vnde S. Ambroſius in Pſalm. 118. ſerm. 3. *Engaddi*, inquit, *locus eſt in Iudæa, in quo opobalſamum gignitur, ſi interpretationem quæris, tentatio Latinè ſignificatur. In illis enim vineis lignum eſt, quòd ſi quis compungat, vnguentum emittit, hic fructus eſt ligni: ſi non incidatur lignum, non ita fragrat & redolet: cùm autem compunctum fuerit artificis manu, tunc lachrymam diſtillat: ſicut & Chriſtus in illo tentationis ligno crucifixus, illacrymat populum, vt peccata noſtra dilueret,*

*Engaddi quid?*

*Balſamum Engaddenum.*

Ambroſ.

Hebr. 5. Lucæ 23.



Digitized by Google

*ret, & de viſceribus miſericordiæ ſuæ fundebat* Ioan. 19. *vnguentum dicens: Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt. Tunc ergo in ligno compunctus eſt lanceâ, & exiuit de eo ſanguis & aqua, omni vnguento ſuauior, accepta Deo hoſtia, per totum mundū odorem ſanctificationis effundens, & quaſi balſamum ex arbore, ſic virtus exibat è corpore.* Et poſt nonnulla in eandem ſententiam:

Idem.
Matth. 27.

*Terram mouebat, & hærebat in ligno: cælum obducebat tenebris; mundum crucifigebat, & crucifixus erat: inclinabat caput, & exibat verbum: exinanitus erat, & replebat omnia. Deſcendit Deus, aſcendit homo. Verbum caro factum eſt, vt caro ſibi Verbi ſolium in Dei dextera vendicaret. Vulnus inflictum erat, & fluebat vnguentum. Scarabeus audiebatur, & Deus agnoſcebatur.*

Ioan. 1.
Ioan. 19.

Sic & Beda per balſamum, quod naſcitur in vineis Engaddi, accipiens chariſmata Spiritus ſancti: *Et Sponſus*, ait, *in vineis eſt Engaddi: quia & ipſe Dominus in carne apparens, plenus eſt Spiritu ſancto, & eius dona credentibus ipſe largitur.* Additque Chriſtum eſſe nardum, faſciculum myrrhæ, & botrum cypri: *Quia & prius diſcumbentem in cœna Dominum mulier deuota nardo perfudit: Deinde diſcipuli crucifixum ad ſepeliendum myrrhâ vnctum linteis inuoluerunt: & poſt hæc ipſe gaudio reſurrectionis mox adueniente, ſpiritalia fidelibus dona diſtribuit.*

*Balſamum Engadditanum, ſpiritus ſancti chariſmata.*
Beda.

Rurſum *Engaddi* idem eſt, quòd *fons hœdi*; vnde notat Baptiſmum, quo omnes hœdi, id eſt, peccatores & peccata abluuntur. Ita Caſſiodorus, Beda, Aponius, Anſelm. Rupert. Philo Carpathius, & S. Gregor. quem audi: *In Engaddi balſamum gignitur, quod cum oleo, Pontificali benedictione chriſma efficitur, quo dona ſancti Spiritus exprimuntur. Engaddi interpretatur fons hœdi. Hœdus autem antiquitùs pro peccatis immolabatur. Quid ergo per fontem hœdi, niſi Baptiſmus Chriſti figuratur? In quo dum corpus mergitur, anima abluitur, & per illius fidem, qui pro peccatoribus mortem pertulit, anima humana è peccatis omnibus mundari ſe credit.*

*Engaddi id eſt fons hœdi, Baptiſmi ſymbolum.*
Gregor.

Et S. Bernard. ſerm. 44. *In fide & lenitate ſanctum faciet illum, & dabit illi non oleum, ſed balſamum in vineis Engaddi. Nec enim dubium ex fonte hœdi profluere chariſmata meliora, cuius vtique vnctio hœdos vertit in agnos, & de ſiniſtra transfert in dexteram peccatores, abundantiùs quidem antè perfuſos vnctione miſericordiæ, vt vbi abundauerunt delicta, ſuperabundet & gratia.* Et ſuperiùs poſt principium ſermonis: *Ergo vineas Engaddi dicit plebis Eccleſiæ, quæ habet balſami liquorem, ſpiritum manſuetudinis; in quo paruulorum adhuc in Chriſto teneritudinem blandè fouet, & dolores pœnitentium conſolatur. Sed & ſi quis frater in aliquo delicto præoccupatus fuerit, vir Eccleſiaſticus, qui hunc ſpiritum iam accepit, curabit huiuſmodi mox inſtruere in eodem ſpiritu lenitatis, conſiderans ſeipſum, ne & ipſe tentetur. In hoc typo quotquot baptizandi ſunt, etiam corporaliter Eccleſia oleo materiali vngere conſueuit.*

Bernard.
Idem.

# SECVNDVS SENSVS PARTIALIS,

## *De Chriſto & Anima Sancta.*

CHriſtus Animæ ſanctæ botrus cypri eſt in meditatione, & imitatione Paſſionis & Reſurrectionis eius, ac præcipuè in ſumptione S. Euchariſtiæ, quæ eſt memoriale paſſionis eius. In ea enim bibitur ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini. Vnde Zachar. cap. 9. Euchariſtiam vocat *frumentum electorum & vinum germinans virgines*. Ipſa ergo ſimilis botro cypri:

*Primò Botrus Cypri eſt Euchariſtia.*
Zachar. 9.

Primò, quia continet ſanguinem Chriſti, velut botrum expreſſum in torculari crucis. 1.
Secundò, quia ipſa eſt eſca ſuauiſſima, qua animam cæleſtibus deliciis, gratiis & gaudiis inebriat. 2.
Tertiò, quia per ipſam reſurgemus ad vitam beatam, & immortalem, vti Chriſtus ait Ioan. 6. 3.

Audi S. Bernard. ſerm. 44. *Si dilectus in myrrha, multò magis in botri ſuauitate. Ergo Dominus meus Ieſus myrrha mihi in morte, botrus in reſurrectione, ſeipſum mihi ſaluberrimū temperauit in potum, in lacrymis in menſura, Mortuus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, vt peccatis mortui iuſtitiæ viuamus. Itaque tu ſi peccata luxiſti, bibiſti amaritudinem. Si autem iam reſpiraſti in ſpem vitæ vitâ ſanctiori, mutata eſt tibi myrrhæ amaritudo in vinum, quod lætificat cor hominis.*

Bernard.
Rom. 4.
Pſalm. 103.

Secundò, idem S. Bernard. per botrum cypri accipiens vinum optimum, quod naſcitur in Cypro inſula, per illud accipit feruorem & zelum iuſtitiæ: *Etenim*, inquit, *ſi amas Dominum Ieſum toto corde, totâ animâ, totâ virtute tuâ, nunquid ſi videris eius iniurias, contemptúmque ferre vllatenus æquo animo poteris? Minimè, ſed mox arreptus ſpiritu iudicij, & ſpiritu ardoris, & tanquam potens crapulatus à vino repletus zelo Phinees dices cum Dauid: Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei. Et cum Domino; Zelus Domus tuæ comedit me. Vinum eſt ergo feruidiſſimus zelus iſte, expreſſum de botro Cypri, & calix inebrians Chriſti amor.*

*Secundò eſt feruor & zelus.*
Bernard.

Et poſt nõnulla: *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi: hoc eſt, zelus iuſtitiæ amor*



Digitized by Google

*amor dilecti mei mihi in affectibus pietatis.*

*Tertiò eſt Chriſtus incipientibus.* Tertiò; Nyſſen. Orig. Theodor. & Philo, qui per botrum cypri accipiunt botrum florentem, necdum vuas producentem, per eum intelligunt Chriſtum, qui incipientibus exhibet ſuauitatem quandam odoris, quo proficiant, vt iam maturis præbeat vinum amoris & feruoris. Nyſſen. Audi Nyſſen. bom. 3. *Qui natus eſt puer Ieſus in iis, qui ipſum ſuſceperunt, diuersè proficit ſapientiâ & ætate & gratiâ, non eſt idem in omnibus, ſed pro modo eius in quo eſt, quatenus is qui ipſum capit eſt idoneus, talis apparet aut infans, aut proficiens, aut perfectus conuenienter botri naturæ, qui non ſemper cernitur in vite in eadem forma, ſed formam mutat cum tempore florens, perfectus, maturus, vinum factus. Profitetur ergo vinea fructus ſuo, quòd nondum ſit matura & tempeſtiua ad vinum, ſed expectat plenitudinem temporum, non tamen tanquam omnino expers fruendarum deliciarum. Per florem namque certam ſignificat ſpem de futura gratia: certa autem ſpes de gratia eſt fruitio iis, qui per patientiam expectant.* Idque in vineis Engaddi, hoc eſt in loco pingui vbi vites altas radices agunt boc eſt in profunda cogitatione & meditatione, quæ ſuccũ pietatis animæ ſubminiſtrat, quo creſcat, & ex flore in fructum virtutis & charitatis tranſeat. Audi & Origen. hom. 2. ex quatuor: Origen. *Verbum diuinum, in quibus vera vitis efficitur, haud repẽtè maturos botros producit & dulces: nec repente ex eis efficitur vinum ſuaue & lætificans cor hominis, ſed primò producit ſuauitatem tantummodò odoris in florem. Botrus verò hic florens eſſe memoratur in vineis Engaddi, quod interpretatur oculus tentationis, vt gratia fragrantiæ ipſius immittatur in initiis animæ, vt poſt hæc pati poſſit acerbitatem tribulationum & tentationum, quæ propter verbum Dei credentibus excitantur, & ita demum maturitatis eius dulcedinem præbet.* Vnde addit Origen. Florem cypri habere vim calefaciendi. Cbriſtum ergo iis eſſe botrum cypri, quos charitatis igne ſuccendit: hi in Engaddi, id eſt, in fonte tentationis non ſuccumbunt, ſed eam fortiter ſuperant. Philo. Carp. Hinc Philo Carpatb. per botrum accipit ipſos Chriſti fideles: *Botrus*, inquit, *dum maturat, voluptatem affert intuentibus, ſic qui cœperunt in Chriſtum credere nondum tamen maturos fructus capientes, botro florenti comparantur, cùm verò iam maturum botrum deguſtant, veram Chriſti fidem charitatémque induti, perfecti eſſe incipiunt & Sponſæ nomine appellantur.*

*Quartò, eſt Chriſtus pœnitentibus.* Quartò, Aponius cyprum interpretãs triſtitiam & mœrorem, aſſerit Chriſtum eſſe botrum cypri peccatoribus, dum iis iniicit ſpiritum compunctionis & dolorem de peccatis, vt eos euehat ad beatitudinem lugentibus promiſſam. Matth. 5. Matth. 5. *Beati*, inquit, *qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Hi enim ſunt in Engaddi, id eſt, in fonte bœdi, quia fonte lachrymarum eluunt bœdos fœtentes criminum.

*Tropologicè.* Tropol. in Engaddi, id eſt, in fonte tẽtationis inuenitur botrus cypri, id eſt, Chriſtus, quia in tentatione & tribulatione floret & exuberat Chriſti gratia & conſolatio, cuius odore & robore anima tribulationibus afflicta mirè recreatur & roboratur, iuxta illud Pſaltis: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Pſalm. 93. 19. ita Theodoret. Pſalm 93. 19 Theodoret. *In tentationibus conſtituta*, inquit, *& à multis oppugnata, inquit illa: tuam ſentio ſuauitatem.* Vbi ergo tentamur ab hoſte, ibi lætificamur à Chriſto: vbi diuina tentatio, ibi diuina conſolatio: vbi crux, ibi refrigerium. Hoc enim Chriſtus ſuis aſſeclis promiſit & promeruit. Vnde Paulus: *Sicut*, inquit, *abundant paſsiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* 2. Cor. 1. 5. 2. Corinth. 1. 5. Hinc *gloriamur in tribulationibus*, ait idem Rom. 5. Rom 5. eáſque appetimus & ambimus, quia ſcimus in iis maona reconditum latêre, plus mellis diuini, quàm fellis humani.

## TERTIVS SENSVS PRINCIPALIS,

### *De Chriſto & B. Virgine.*

CHriſtus in Cruce B. Virgini fuit faſciculus myrrhæ, in Reſurrectiooe verò botrus cypri, cùm ei primò apparens omoem paſſionis mœrorem abſterſit, eúmque in gaudium exultationis cõuertit: ita Rupert. Rupert. *Igitur*, inquit, *dilectus meus mihi & faſciculus myrrhæ, quia moriturus, & botrus Cypri erat, quia reſurrecturus, & vltrà non moritur. Botrus, inquam, Cypri, videlicet terræ vel inſulæ botros prædulces, vinúmque optimum afferentis, quia non qualecunque, ſed optimum eſt vinum reſurrectionis, & hoc in vineis Engaddi, id eſt, fontis hædi, hoc enim interpretatur Engaddi.* Cauſam ſubiicit: *Cur ergo ita dixerim? Idcirco nimirum, quia meus iſte dilectus non iuſtos, ſed peccatores vocare venit, vt reſurgant in reſurrectione prima, qui fuerant per peccatum mortui, & hoc in fonte hædi, in fonte Baptiſmi, in lauacro regenerationis, quo regenerati fiunt oues, qui fuerant hædi: fiunt ſancti, qui fuerant peccatis obnoxij.*

## VOX SPONSI.

Verſ. 15. *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum.*

Lxx. Symmach. Ambroſ. Chald.

ECCE *tu pulchra es amica mea: ecce tu pulchra es.* Septuag. *Ecce es ſpecioſa proxima.* ( Symmach. *ſodalis* ) *mea, ecce es ſpecioſa.* S. Ambroſ. *bona.* Chald. *Quando faciebant filij Iſraël voluntatem Regis ſui, ipſe in Verbo ſuo laudabat eos in conſiſtorio Angelorum ſanctorum, & dicebat: Quàm pulchra ſunt opera tua filia mea. Dilecta mea Congregatio Iſraël in tempore, quo facis voluntatem meam, & laboras in verbis legis meæ.*

Quoad ſeriem dramatis, Sponſus in accubitu ſuo menſali ingredientem ad ſe Sponſam contemplans, & nardi eius ſuaueolentiam ſentiēs, ac deinde diſcedens, ſed poſt parietem auſcultans, & audiens illam apud ſuas ſocias adeò cōmendare Sponſum, dicendo: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi;* ſeſe continere non potuit, quin ad illam regreſſus illi vices amoris rependeret, eiúſque pulchritudinem dilaudaret. Admirans ergo eam iteratò ait: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es;* quâ geminatione, æquè ac aduerbio demonſtrandi, *ecce*, eximiam & admirabilem eius eſſe pulchritudinem ſignificat. Sicut enim Sponſa geminam Sponſi pulchritudinem celebrarat, puta paſſionem in faſciculo myrrhæ, & reſurrectionem in botro cypri; ſic viciſſim Sponſus geminam Sponſæ pulchritudinem regerit & rependit. Ita Theodor.

*Fœmina dos pulchritudo.* Porrò propria animarum & ſponſarū dos eſt pulchritudo: vnde ipſæ adeò ſunt philocoſmæ & auidæ ornatus. Hinc Anacreon poëta: *Natura*, inquit, *dedit tauro cornua, equo vngulas, lepori velocitatem, leoni rictum dentium, natare piſcibus, volare auibus, viris prudentiam. Quid feminis? formoſitas pro parmis & lanceis eſt.* — Anacreon.

*Vt ferrum & ignis percutit,*
*Quæ vultu pulchra fulminat.*

## PRIMVS SENSVS ADÆQVATVS,

### *De Chriſto & Eccleſia.*

*Duplex Eccleſiæ pulchritudo.* CHriſtus dilaudat Eccleſiæ pulchritudinem, eámque iterando, duplicem, imò multiplicem eſſe ſignificat, ſcilicet internam & externam, quæ ex interna dimanat; internam ſitam eſſe in faſciculo myrrhæ & botro cypri, id eſt, in iugi meditatione & imitatione paſſionis & reſurrectionis Chriſti; externam verò in nardo, id eſt, in humilitate & modeſtiâ exteriori, quæ omnibus gratū ſuum odorem aſpirat, iuxta illud Pſalm. Pſalm. 44. 14.
44. 14. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intùs, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Ita Caſſiod. Beda & Philo Carpath. qui internum Sanctitatis decorem collocant in purâ, ſanctâque conſcientiâ, externū in honeſtâ & ſanctâ conuerſatione. Vera enim pulchritudo ſita eſt in interno decore, à quo externus dimanat; alioquin exterior & aſcititius, fucus eſt, non decor.

Cauſam amoris addit dicens, *amica mea.* Septuag. *proxima mea.* Symmach. *ſodalis* mea. Hebr. רעיתי *raiati*, id eſt, *commēſalis mea*, quæ mecum viuis, & in menſa mea paſceris. Plato Dialog. de Amore, docet, pulchritudinem eſſe gratiam & venuſtatem, quæ intuentium oculos, animóſque ad ſui amorem alliciat, indéque Græcè vocari *καλὸν*, quòd omnes ad ſe *καλεῖ*, id eſt, vocet & inuitet. Hoc apud homines verum eſt: ibi enim pulchritudo eſt cauſa amoris: at non apud Deum, ibi enim vice verſâ amor & amicitia eſt cauſa pulchritudinis. Deus enim amat homines, non quia pulchri ſunt, ſed amando eos facit pulchros, vt amore ſuo digni ſint. Amor enim Dei eſt principium & cauſa omnis boni & pulchri. Deus enim eſt ipſa eſſentialis, immēſa, & incomprehenſibilis pulchritudo; ac quia illa redundat, hinc ex immenſa bonitate eam in homines & creaturas cæteras effundit, eóque magis, quò magis ſibi vicinæ & propinquæ ſūt: qui ergo propè accedunt ad Deum, hi propè eius pulchritudinem participant; & qui propiùs, hi magis; & qui proximè, hi maximè. Anima enim ſimilis eſt ſpeculo, quod ſi rebus pulchris approximet, pulchram in ſe ſpeciem, formámque ſuſcipit: ſi verò deformibus, deformem. Ita Pſellus apud Theod. quem audi: *Quoniam expulſo à tergo vitio, expurgata à Verbo anima, Solis circulum in ſe ſuſcepit, & ſimul reluxit cum luce, quæ in ipſa apparuit, propterea ei dicit Verbum: Pulchra facta es, quæ mea luci appropinquaſti, per appropinquationem attrahens diſpenſationem pulchritudinis. Ecce es, inquit, pulchra propinqua mea. Deinde cùm ſe cohibuiſſet, & eam veluti in quadam acceſſione contemplatus eſſet pulchritudinis, rurſus eandem*

Lxx. Symmach. Hebr. — *Amor Dei eſt cauſa omnis boni & pulchri.* — Pſellus apud Theodoret.

*repetit*

Digitized by Google

*repetit orationem: Ecce tu pulchra es: ſed priùs quidem eam nominauit propinquam; hic autem eam, quæ cognoſcitur ex ſpetie oculorum: Oculi enim tui columbæ.* Huc accedit S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 3. *Quoniam*, inquit, *cognouerat Eccleſia myſteriũ, & pro totius mundi redemptione crucifixum Dominum Ieſum prædicabat, meretur audire: ecce es bona, quæ me bonum doces & ipſa bona es, quæ vidiſti gloriæ meæ decorem, & ipſa ſpecioſa es & decora. Quid eſt Chriſtum dicere, bona es & decora es, niſi illud Euangelicum: Conſtans eſto filia, remiſſa ſunt tibi peccata tua?* Iam Sponſa Sponſum velut faſciculum myrrhæ collocarat inter vbera, id eſt, in corde ſuo; ab illius ergo decore decora, ab illius fulgore fulgida effecta eſt.

Ambroſ.

Anagogicè: duplex pulchritudo Eccleſiæ eſt. Prima in præſenti vita per gratiam: gratia enim eſt ipſa venuſtas animæ, quia facit eam diuinæ conſortem naturæ, parem Angelis, ſimilem Chriſto, amicam & filiam Dei. Gratia enim eſt ſumma participatio Dei: eiúſq; ſanctitatis, & decoris immenſi. Secunda, in futura vita per gloriam: hæc enim eſt pulchritudo non viatorum, ſed beatorum & Angelorum. Ita Origen. hom. 3. & 4. *Specioſa*, ait, *eſt hæc Eccleſia cùm proxima eſt Chriſto, & cùm imitatur Chriſtum. Quod verò iterauit: Ecce es ſpecioſa, poteſt ad futurum ſæculum pertinere, vbi iam non ſolùm imitatione, ſed ipſa ſui perfectione formoſa eſt & ſpecioſa, & ibi dicat eſſe oculos eius columbæ.* Verè S. Auguſt. præfat. in Pſalm. 44. *Summa animæ pulchritudo*, inquit, *eſt iuſtitia*, quia ſicut pulchritudo corporis eſt iuſta inter ſe membrorum omnium proportio & harmonia, cum quadam coloris ſuauitate: ſic animæ pulchritudo eſt iuſtitia, quæ omnibus animę viribus corporíſque mēbris id quod ſuum eſt aſſignat; itaque per omnia hominem compoſitum decorúmque efficit, vti patuit in iuſtitia originali, quam habuit Adam ante peccatum, & magis in iuſtitia Chriſti ac B. Virginis. Et Clemens Alex. lib. 3. Pædag. cap. 11. *Pulchritudo optima*, inquit, *eſt pulchritudo animæ, cùm fuerit ornata ſpiritu ſancto, & his, quæ ab eo oriuntur inſpirata lætitiis, iuſtitiâ, prudentiâ, fortitudine, temperantiâ, bonorum amore, & pudore, quo nullus color nitidior vnquam viſus eſt.* Et B. Iſidor. Peluſ. lib. 3. Epiſt. 131. ad Lempetium Epiſcopum, vbi inter alia ſic habet: *Vt corporeæ pulchritudinis norma, membrorum apta proportio eſt; ita etiam extrema ſpiritualis pulchritudinis linea, in virtutum mediocritate conſiſtit*, &c.

*Anagogicè.* *Duplex pulchritudo Eccleſiæ.* Origen. Auguſtin. Clem. Alex. Iſid. Peluſ.

*Cornel. à Lapide in Cant. Canticorum.*

SECVNDVS SENSVS PARTIALIS,

*De Chriſto & Anima Sancta.*

*Duplex item Animæ pulchritudo.*

1. Gregor. PRæter iam dicta, Primò S. Gregor. duplicem animæ pulchritudinem aſſignat, duplicem charitatem, Dei ſcilicet, & proximi: *Bis pulchram*, inquit, *Sponſus Sponſam vocat, quia cui dilectionem Dei & proximi donat, geminam pulchritudinem ei inſerit, qua delectatur, & quam laudat.*

2. Secundò, pulchra eſt anima dupliciter, prima in actione, ſecunda in contemplatione: ita Tres patres apud Theodor.

3. Tertiò, pulcher eſt iuſtus dupliciter: Primò pulchritudine & ſanctitate animæ: Secundò corporis, iuxta illud de Virgine, *vt ſit ſancta corpore & Spiritu*, 1. Corinth. 7. Ita Iuſtus & Anſelm. 1. Cor 7.

4. Quartò, S. Bernard. ſerm. 45. duplicem pulchritudinem interpretatur pœnitentiam & humilitatem, per quam innocentia amiſſa recuperatur. Cenſet enim S. Bernard. Sponſam à Sponſo in accubitu ſuo reſidentem de defectibus fuiſſe reprehenſam, ſed eum placaſſe ſuâ nardo, id eſt, humilitate humilique confeſſione, vnde ab eo hîc Sponſæ pulchritudinem celebrari: *Etenim præſumptionem*, inquit, *correptio, correptionem emendatio, emendationem remuneratio ſecuta eſt. Adeſt dilectus, amouetur magiſter, rex diſparet, dignitas exuitur, reuerentia ponitur. Cedit quippe faſtus, vbi inualeſcit affectus. Et ſicut quondam quaſi amicus ad amicum Moyſes loquebatur, Dominus reſpondebat: ita & nunc inter Verbum & animam, ac ſi inter duos vicinos, familiaris admodum celebratur confabulatio.* Et poſt nonnulla: *Decor animæ humilitas eſt. Non à meipſo hoc dico, cùm propheta prior dixerit: Aſperges me hyſſopo & mundabor: humili herbâ & pectorũ purgatiuâ, humilitatem ſignificans. Hac ſe poſt grauem lapſum rex & propheta lauari confidit, & ſic niueum quendam innocentiæ recuperare candorem.*

Bernard. Idem. Pſalm. 50.

TERTIVS SENSVS PRINCIPALIS,

*De Chriſto & B. Virgine.*

BEata Virgo fuit ad miraculum pulchra, tum corpore, tum longè magis animâ & mente.

*Duplex B. Virginis pulchritudo.*

S. Bernard. Duplicem pulchritudinem

Bernard.

nem B. Virgini aſſignat, ſummam innocentiam & ſummam humilitatem. Poſt verba enim iam citata ſubdit: *Verùm in eo, qui grauiter peccauit, etſi amanda, non tamen admiranda humilitas: At ſi quis innocentiam retinet, & nihilominus humilitatem iungit; nonne is tibi videtur geminum animæ poſsidere decorem? Sancta Maria ſanctimoniam non amiſit, & humilitate non caruit. Et ideo concupiuit rex decorem eius, quia humilitatem innocentiæ ſociauit: Denique reſpexit, inquit, humilitatem ancillæ ſuæ: Ergo Beati, qui cuſtodiunt veſtimenta ſua munda, videlicet ſimplicitatis & innocentiæ, ſi tamen & decorem induere humilitatis adiiciant. Profectò audiet, quæ huiuſmodi inuenitur: Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra.*

Pſalm. 44. Luc. 1.

Rurſum Rupert. geminam pulchritudinem B. Virginis interpretatur virginitatem & maternitatem Dei. Vide dicta Prouerb. 31. v. 25. ad illa: *Fortitudo & decor indumentum eius.*

Hugo Vict.

Denique Hugo Victorin. ſerm. 2. de Aſſumpt. qui extat ſub finem tom. 2. duplicem Virginis pulchritudinem accipit virginitatem & humilitatem: *O qualis*, ait, *ſocietas totus pulcher totam pulchram ſibi ſociat; Ego totus pulcher, & tu tota pulchra. Ego per naturam, & tu per gratiam. Ego totus pulcher, quia totum quod pulchrum eſt in me eſt. Tu tota pulchra, quia nihil quod turpe eſt in te eſt. Pulchra in corpore, pulchra in mente. In corpore pulchram te facit integritas virginitatis: in mente pulchrã exhibet virtus humilitatis. Tota ergo pulchra es, corpore nitea, mente ſincera.* Et nonnullis interiectis: *Nec alia talem decebat; nec alius tali inueniri poterat. O digna digni, formoſa pulchri, munda incorrupti, excelſa altiſsimi, Mater Dei, Sponſa regis æterni.*

*Oculi tui columbarum.* Columbæ ſymbolum ſunt amoris, fidei & caſtitatis coniugalis. Nam in columbariis mas ſuæ columbæ ſoli applaudit; nec aliam quærit. Vnde Poëta:

*Exemplo iuncta tibi ſint in amore columbæ,*
*Maſculus & totum fœmina coniugium.*

## PRIMVS SENSVS ADÆQVATVS,

### *De Chriſto & Eccleſia.*

PVlchritudo hominis maximè cernitur in facie & oculis. In oculis enim relucet cor & anima, omnéſque animæ affectus. Vnde S. Auguſt. in Pſal. 41. *Oculi*, ait, *membra carnis ſunt, & feneſtra mentis.* Et Cicero lib. 3. de Orat. *Imago animi vultus eſt, indices autem oculi.* Sponſæ ergo decorē

Auguſtin. Cicero.

Sponſus maximè ab oculis dilaudat, quòd eos habeat non vulpinos, non lupinos, non vulturinos, id eſt, non obliquos, fraudulentos & ſimulatos, non inuidos & rapaces, non gyrouagos ſpectãtes ad prædam, ſed columbinos, id eſt, primò ſimplices, candidos, ingenuos: ſecundò pudicos. Ita Origen. tertiò rectos: columbæ enim non obliquè aſpiciunt, ſed rectâ: quartò amantes & amabiles; columbæ enim non toruè intuentur, ſed blandè & amanter: quintò placidos & manſuetos. Ita Beda: *Oculi*, inquit, *tui columbarum, id eſt, oculi cordis tui ſimplices & mundi, atque ab omni duplicitate fallendi ac ſimulandi prorſus immunes. Item oculi tui columbarum, quia ſenſus tui ſpiritales ſunt intellectu præditi. Item oculos columbarum habet amica Chriſti, quia omnis quæ illum veraciter intus amat, nullo exterarum rerum appetitu miluorum more accenditur, nulli viuentium aduerſũ quid inferre meditatur: quod columbinæ fertur eſſe manſuetudinis, quæ cuncta quæ occurrunt ſimplici, miti & humili corde contemplatur.* Et S. Bernard. ſerm. 45. *Oculi tui columbarum. Iam*, inquit, *non ambulas in magnis, neque in mirabilibus ſuper te: ſed inſtar ſimpliciſsimæ volucris contenta es ſimplicioribus, nidificans in foraminibus petræ, meis vulneribus immorans: & libenter ea quæ ſunt de me dumtaxat, incarnato & paſſo oculo intuens columbino.* Septuag. vertunt *oculi tui περιστεραὶ* id eſt *columbæ* in nominatiuo plurali. q. d. Oculi tui adeò belli, candidi, amabiles ſunt, vt non tam columbini, quàm columbæ ipſæ eſſe videãtur: columbas ergo geris in oculis, quia quicquid pulchrum & amabile eſt in columbis, hoc oculis tuis exhibes & repræſentas, quale eſt primò modeſtia & pudicitia: ſecundò, quòd in amore pro cantu gemit: tertiò, quòd putria, ſordida & fœtentia fugit: quartò, quòd in petris ſibi nidos conſtruit: quintò quòd gaudet aquis reſidétque iuxta flumina. Audi S. Gregor. *Cuius* (Sponſæ) *oculi benè columbarum eſſe perhibentur: quia dum in temporalibus gemit, & ad æterna deſideria rapitur, in ſimplicitate ſenſus ſuos cuſtodit, & carnales concupiſcentias deteſtatur. Columba quippe in amore pro cantu gemit. Et bene ſancta anima columbæ comparatur: quia dum reprobi quique in amore mundi garriunt & lætantur, mens electa in cæleſti deſiderio atteritur, quia timet ne amittat quod diligit, dũ differtur.* Subdit deinde: *Poſſunt etiam per oculos columbarum Eccleſiarum prædicatores intelligi, qui ſimplicitatem, quam prædicant, ſeruant, & viſibilia contemnentes, ad æterna cum magnis gemitibus anhelant.* Et Pſellus apud Theodor. *Iucundis*, ait, *oculis es prædita*

Oculi columbæ dotes quinque.

Beda.

Bernard.

Quinque dotes Columbæ.

Gregor.

Pſellus.

*prædita columbæ virginis,cùm oculos tuos àb errore auerteris, & eos in me creatorem tuum intenderis.Columbæ autem oculos memorat,vt purum Virginis obtutum ſignificet. Tam mundos enim oculos habet, vt puriter pulcherrimum Sponſum aſpiciat.*

*Symbolicè. Duo Oculi Columbæ Memoria & Intellectus.* Hugo.

Symbolicè Hugo lib. 1.de inſtit.monaſt.cap.3.per duos oculos columbæ accipit memoriam & intellectum: *Duos*,inquit,*habet oculos,dextrum & ſiniſtrum, memoriam & intellectum: in hoc futura prouidet,in illo tranſacta deflet. Hos oculos clauſerunt in Ægypto patres noſtri,quoniam non intellexerunt opera Dei, nec fuerunt memores multitudinis miſericordiæ eius.*

*Anagogicè. Filius & Spiritus S.* Origen.

Anagogicè Origenes per duos oculos accipit Filium & Spiritum ſanctum, quos anima videbit in cælo,eâque viſione beabitur: *In futuro ſæculo*, inquit, *vbi anima iam non ſolum imitatione, ſed & ipsâ ſui perfectione formoſa eſt, dicit eſſe oculos eius columbas,vt duorum oculorum columbæ duæ intelligantur eſſe Filius Dei & Spiritus ſanctus.*

*Myſticè: Doctores. Septem dotes Columbæ aſſignantur Prædicatoribus.* Honor Auguſtod.

Myſticè S.Gregor. Anſelm.& alij,per oculos Eccleſiæ accipiunt Doctores & Prædicatores, quibus ſeptem columbæ dotes,id eſt,ſeptem dona Spiritus ſancti adaptat Honorius Auguſtod. *Columba quippe*,aït,*in petra nidificat, alienos pullos nutrit, pura grana eligit, felle caret, roſtro non lædit,iuxta fluenta habitat, gregatim volat. Sic Eccleſia in petra, id eſt, Christo, fide & opere ædificat, alienos à verbo Dei verbo & exemplo nutrit, puras ſententias de libris Gentilium vel hæreticorum eligit, malitiâ inuidiæ caret, neminem detrahendo lædit, iuxta fluenta Scripturarum habitat, vt raptus accipitrum, id eſt, dæmonum euadat, multos ſecum trahere ad gaudia laborat.* Hæc deinde adaptat Prophetis & Apoſtolis: *Vnius columbæ, id eſt, Eccleſiæ ante aduentum Christi oculi Prophetæ fuerunt, qui et æternum lumen Chriſtum prænideruunt: Vnde & videntes dicebantur. Alterius columbæ, ſcilicet Eccleſiæ poſt Chriſti aduentum de eodem populo oculi Apoſtoli extiterunt, qui eam ad verum lumen Chriſtum perduxerunt. Dicit ergo Sponſus: ô amica mea, cui omnia ſecreta Patris mei pateféci, quia te nardo carnis meæ ſanaui, myrrhâ mortis meâ redemi, botro reſurrectionis inebriaui; ecce in præſentia mea tu es pulchra in fide, ecce coram hominibus tu pulchra es in operatione, quia oculi tui, id eſt, prouiſores tui ſunt ſimplices ſicut oculi columbarum, ſcilicet & Prophetæ & Apoſtoli Doctores Eccleſiæ. Oculi enim ducunt hominem, ne in lapidem offendat: ita Doctores ducunt Eccleſiam ad vitam, ne in legem Dei in lapide ſcriptam offendat.*

## SECVNDVS SENSVS PARTIALIS.

*De Christo & Anima Sancta.*

*Columba. Innocentiæ ſymbolum.*

COlumba ſymbolum eſt Innocentiæ, ideóque Sancti vocantur columbæ,ait S.Baſil.in Pſalm. 28. Vnde S. Chryſoſt. hom.4. de patientia Iob: *Vir*, inquit, *erat in terra Hus nomine Iob: columba in medio accipitrum, ouis in media luporum, ſtella in medio nubium, lilium in medio ſpinarum, & iuſtitia germen in oppido iniquitatis.* Chryſoſt.

*Oculus eſt intentio recta.*

Oculi autem columbæ, maximè denotant intentionem ſinceram & rectam Animæ ſanctæ: Columba enim rectum habet intuitum, vt dixi,non obliquum. Oculus enim primò intendit in id, ad quod deinde dirigit manus & pedes, vt eodem tentant: oculi verò columbæ totæ defiguntur in id quod aſpiciunt. Sic
anima ſancta primò tota intendit in 1.
Deum vt finem,ac deinde ad illum omnes greſſus & actiones dirigit. Secundò, 2.
ſicut oculus intendens in rem aliquam, eius ſpeciem in ſe ſuſcipit,illique aſſimilatur. Sic anima intendens in Deum, illius formam imbibit, fitque diuina; &
quaſi Deus terreſtris. Tertiò: Sicut ocu- 3.
lus immediatè aſpicit rem, quam intendit, nec medium vllum admittit: ſic anima intendens Deum, illum vnum ſpectare debet,non commoda, non honores, nec quid aliud intermedium: quicquid enim medium eſt, impedit intuitū & intentionem in Deum. Quartò: ſicut
oculus plures res ſimul aſpicere poteſt 4.
lateraliter,vel circulariter diſpoſitas: Sic anima in opere ſuo plures poteſt intendere virtutum fines, vt v. g. dicat: volo orare, ieiunare, ſtudere, eleemoſynam dare, vt ſatisfaciam pro peccatis meis Deo: qui eſt actus pœnitentiæ: Item vt placeam Deo amori meo: qui eſt actus charitatis; inſuper vt honorem Deum: qui eſt actus religionis. Ad hæc vt proximi egeſtati ſuccurram: qui eſt actus miſericordiæ, &c. & quò plures virtutum fines intendit, eò opus eſt melius, magiſque meritorium: quia hic actus, dicitur elicitus, ſit vnus, tamen vt imperatus eſt multiplex, quia à tot virtutibus, quot in eo ſunt intentiones, imperatur. Hoc eſt quod ait Chriſtus: *Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Lucæ 11. Luc. 11. 34.
34. Intentio enim primariam bonitatem dat operi, adeóque ſi opus ex ſe ſit indifferens, intẽtio bona efficiet illud bonum

Zachar.9.1. ſibique ſimile. Et Zachar. cap. 9. 1. *Domini eſt oculus hominis, & omnium tribuum Iſraël.* q. d. Dominus eſt obiectum, in quod intendit oculus, intentio omnium eorum, qui veri ſunt Iſraëlitæ, id eſt, ſerui & cultores Dei.

Chald. Huc facit verſio Chaldæi: *Et quàm recta ſunt opera tua, & occupationes tuæ ſicut pulli columbæ, qui mundi ſunt, vt offerantur ſuper altari meo.* Intentio enim placendi Deo, cúmque colendi & honorandi in quolibet opere, illud offert Deo, illíque facit quaſi holocauſtum. Hinc notatur per oculos columbæ: columba enim erat victima, quam ſibi in holocauſtum depopoſcit Deus. Leuit. 1. Quin & Syri columbas albas tangere, necare, & edere non audebant, ſed religioſè colebant in honorem Semiramidis primæ Aſſyriorum Reginæ, in quam eam poſt mortem commutatam eſſe fabulabantur. Vnde Tibull. lib. 1. Eleg. 1.

Tibull. *Quid referam vt volitet crebras intacta per vrbes,*
*Alba Palæſtino ſancta columba Syro.*

Vide Euſebium lib. 8. de Præpar. cap. 7. Ita hunc locum explicat. S. Gregorius

Nyſſen. Nyſſenus homil. 4. *Anima*, inquit, *liberata à corporali* (carnali) *affectione habet ſpeciem columbæ in oculis, hoc eſt, characterem vitæ ſpiritualis*, &c. *Sic quoniam purus factus eſt animæ oculus, capax eſt characteris columbæ & Spiritus ſancti, propterea in eam cadit, vt contempletur Sponſi pulchritudinem. Nunc enim primùm in Sponſi formam intendit oculos, quoniam Sponſum habebat in oculis. Nemo enim poteſt dicere*

1 Corinth. 12. *Dominum Ieſum, niſi in Spiritu ſancto.* 1. Corinth. 12. 3.

*Oculus columbæ, conſideratio rerum ſpiritualium.* Huc accedunt Caſſiod. Origen. Beda, Theodoret. Philo Carpath. & Bernard. ſerm. 45. qui per oculos columbæ accipiunt intuitum ſpiritualium, quo ſcilicet anima in res non carnales, ſed ſpirituales aſpicit, eáſque appetit & intendit. Porrò Nyſſen. homil. 4. docet oculos columbæ eſſe pellucidos & habere vim ſpeculi; adeò vt quis intuentium vultus in iis valeat contemplari: ſic & animam ſanctam, virtutum in quas intendet, formam, & ſpeciem in ſe ſuſcipere: quare cùm intendit manſuetudini, ſimplicitati, puritati, paci, modeſtiæ, &c. earum characterem & notam menti imprimere, ideóque illam reipsâ effici manſuetam, ſimplicem, puram, pacificam, modeſtam, &c. Idem eſt de vitiis.

## TERTIVS SENSVS PRINCIPALIS,

*De Chriſto & B. Virgine.*

Columba index eſt Spiritus ſancti: Oculi columbæ ergo notant ſeptẽ dona Spiritus ſancti, id eſt, plenitudinẽ gratiarum, quâ omnes homines & Angelos præcelluit B. Virgo: *Nec eſt*, inquit Rupertus, *nouum vt ipſa ſeptem dona dican-* Rupert.
*tur oculi; nam & apud Zachariam Prophetam ipſamet ſignificantur per ſeptem oculos, qui ſunt in vno lapide Chriſto. Iſti oculi mei ſunt oculi tui, oculi columbarum, oculi omnium gratiarum. Omnium gratiarum tu facta es particeps, ex quo me caſtis viſceribus ſuſcepiſti, ſuper quem requieſcunt omnia prædicta Spiritus ſancti dona, vt dicitur apud Iſaiam, & in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.*

## VOX SPONSÆ.

Verſ. 16. *Ecce tu pulcher es, Dilecte mi, & decorus: Lectulus noſter floridus.*

Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Chald. *Quàm pulchra eſt maieſtas Sanctitatis tuæ: quoniam* Chald.
*in tempore, quo tu habitas inter nos, ſuſcipis voluntariè orationes noſtras.*

## PRIMVS SENSVS ADÆQVATVS,

*De Chriſto & Eccleſia.*

Est quaſi carmen Amœbæum, in quo laus eſt alterna & reciproca, qualis *Alternis contendunt Spõſus & Sponſa.*
eſt inter amantes. Laudarat Sponſus Sponſæ pulchritudinem, nunc ipſa modeſtè, verecundè & reuerenter laudem omnem in Sponſum reciprocat & reflectit, ac ab eo ſe omnem ſuam pulchritudinem, hoc eſt, remiſſionem peccatorũ, iuſtitiam, gratiam, puritatem, benè operandi, merendique efficaciam accepiſſe profitetur. q. d. ait Hortolanus: Laudes meas eximias à te, ô Sponſe, cum rubore audio, ſed ego te ſolum illis maximè dignum iudico. Si quid enim in me eſt pulchritudinis & iuſtitiæ (quod ſentio quàm ſit exiguum) gratuitum donum eſt, & ab inexhauſto pulchritudinis & iuſtitiæ, ac bonitatis tuæ fonte in me deductũ, atque collatũ. Tu namque

per

*Chriſtus pulcherrimus.*

per te ſolus pulcher es, & nunc maximè reſumpto immortali corpore decorus & egregius: Imò verò ipſummet es pulchrum, extra aleam pulchrorum omniũ poſitum, paternæ gloriæ refulgentia,& ſubſtantiæ expreſſa Idea, cuius participatione quæcunque pulchra ſunt, pulchro potiùs ſimilia,quàm pulchra dicenda eſſe videantur. Sic & S. Gregor. Caſſiodor.Beda,Iuſtus,Anſelm.Rupert. qui Chriſtum aiunt pulchrum in diuinitate, decorum in humanitate. Et S.Bernard. ſerm. 45. eundem pulchrum ait in natura,decorum in gratia: *Quàm pulcher es Angelis*, inquit, *Domine Ieſu in forma Dei,in die æternitatis tuæ, in ſplendoribus Sanctorum ante luciferum genitus, ſplendor & figura ſubſtantiæ patris,& quidem perpetuus, miniméque ſucatus candor vitæ æternæ.Quàm mihi decorus es, Domine mi,in ipſa tui huius poſitione decoris! Etenim vbi te exinaniuiſti, vbi naturalibus radiis lumen indeficiens exuiſti, ibi pietas magis emicuit, ibi charitas plus effulſit, ibi amplius gratia radiauit. Quàm clara mihi oriris ſtella ex Iacob, quàm lucidus flos de radice Ieſſe egrederis,quàm iucundum lumen in tenebris viſitaſti me oriens ex alto! Quàm ſpectabilis & ſtupendus etiam in virtutibus ſupernis,in conceptu de Spiritu,in ortu de virgine, in vita innocentiæ, in doctrina fluentis,in coruſcationibus miraculorum, in reuelationibus ſacramentorum.Quàm denique rutilans poſt occaſum Sol iuſtitiæ de corde terræ reſurgis, quàm formoſus in ſtola tua! demum rex gloriæ in alta cælorum te recipis. Quomodo non pro his omnibus omnia oſſa mea dicent: Domine quis ſimilis tibi?*

Bernard.

Num.24. Iſaiæ 11. Lucæ 1.

Præclarè S.Auguſt.Præfat. in Pſal.44. *Nobis*,inquit, *iam credentibus vbique Sponſus pulcher occurrat. Pulcher Deus Verbum apud Deum, pulcher in vtero virginis,vbi non amiſit diuinitatem & ſumpſit humanitatem. Pulcher natus infans Verbum, quia & cùm eſſet infans cùm ſurgeret,cùm manibus portaretur cæli locuti ſunt, Angeli laudes dixerunt, magos ſtella direxit,adoratus eſt in præſepi,cibaria manſuetorum. Pulcher ergo in cælo, pulcher in terra, pulcher in vtero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher inuitans ad vitam, pulcher non curans mortem,pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno,pulcher in ſepulchro, pulcher in cælo, pulcher in intellectu.*

Auguſtin.

*Chriſtus Specioſus formâ præ filiis hominum.*

Denique Chriſtus tam animâ quàm corpore fuit pulcherrimus, vtpote formato à Spiritu ſancto,iuxta illud: *ſpecioſus forma præ filiis hominum.* Pſalm.44. Hinc in vultu Chriſti aliquid ſidereum,imò maieſtas diuinitatis radiabat, vt docet S. Hieronymus Matth. cap. 9. Sapienter Tertullianus lib.de cultu feminar.cap.2. *Accuſandus*, inquit, *decor non eſt, vt felicitas corporis, vt diuinæ plaſticæ acceſſio, vt animæ aliqua veſtis vrbana.* Vnde & Nyſſen.Orat. catecheſ. c. 6. ait hominem à Deo creatum vultu & ſpecie formoſum, vt imaginem exemplaris pulchritudinis, puta Dei pulcherrimi. Verùm vera pulchritudo longè magis in animo, quàm in corpore conſiſtit. Nam vt ait S. Auguſt. tract. 32.in Ioannem: *Sicut anima facit decus in corpore, ſic Deus in animo.* Et mox: *Decus ergo corporis animus,decus animi Deus.* Ennodius in vita S. Epiphanij Ticinenſis Epiſcopi: *formoſitas*,ait,*in ipſo lucis corporea, index animi fuit.* Et mox ſubdit Sacerdotem talem eſſe debere, *vt lucem membrorum fulgor exuperet.* Quin & Seneca Epiſt. 66. *Virtus*, inquit,*magnum decus eſt,& ſuum corpus conſecrat.*

Tertullian.

Auguſtin.

Ennod.

Seneca.

## SECVNDVS SENSVS PARTIALIS,

### *De Chriſto & Anima ſancta.*

SAnctus Gregor. Nyſſen. ſic explicat, q. d. *Ecce pulcher es patruelis meus & formoſus. Ex quo enim mihi nihil aliud eſſe videtur pulchrum, ſed auerſata ſum omnia, quæ antè reputabantur in bonis pulchris,non amplius mihi aberrat de bono iudicium, vt aliquid aliud exiſtimem præter te eſſe bonum & pulchrum, non vllum honorem humanum, non gloriam, non ſplendorem mundanum, non potentiam: hæc enim iis, qui aſpiciunt ad ſenſum, boni quidem ſpecie ſunt illinita, ſed non ſunt id quod putantur. Quomodo enim fuerit pulchrum, quod nullo modo conſiſtit? Nam quod in hoc mundo eſt honoratum,ſuam habet eſſentiam in ſola exiſtimatione eorum, qui eſſe exiſtimant.Tu autem verè pulcher,non ſolùm pulcher,ſed ipſa pulchri eſſentia, ſemper talis es, omnino id quod es: nec in tempore florens, nec in tempore rurſus florem abiiciens; ſed cum vitæ æternitate ſimul extendens ſpeciem ac decorem, cui nomen fuit benignitas ac charitas in homines.*

Nyſſen.

Et S. Bernard. ſerm. 45.docet hîc deſcribi quomodo Verbum Dei, putà Chriſtus, & Anima in monte ſpiritualiter colloquantur & diſſuauientur: *Et Verbi quidem lingua*,inquit,*fauor dignationis eius, animæ verò deuotionis feruor*, &c: *Verbo igitur dicere pulchra es, & appellare amicam, infundere eſt vnde & amet,& ſe præſumat amari. Ipſi verò Verbum viciſſim nominare dilectum, & fateri pulchrum, quod amat & quod amatur, ſine fictione & fraude adſcribere illi, & mirari*

Bernard.

*& mirari dignationem, & ſtupere ad gratiam. Siquidem pulchritudo illius dilectio eius, & ideo maior, quia præueniens. Medullis proinde cordis, & intimarum vocibus affectionum tantò ampliùs atque ardentiùs clamitat ſibi diligendum, quantò id priùs ſenſit diligens quàm dilectum. Itaque locutio Verbi, infuſio doni; reſponſio animæ, cum gratiarum actione admiratio. Et ideo plus diligit, quòd ſe ſentit in diligendo vitam, & ideo plus miratur, quòd præuentam agnoſcit. Vnde non contenta eſt ſemel dicere pulchrum, niſi repetat & decorum, eminentiam decoris illâ repetitione deſignans.*

## TERTIVS SENSVS

### *De Chriſto & B. Virgine*

BEata Virgo vti præ cæteris norat myſterium diuinitatis, & incarnationis Verbi in ſe peractum, ita præ aliis Chriſti Dei & hominis pulchritudinem admirabatur; vnde illam cum Chriſto ita diſſuauitanem Rupertus inducit: *Ille*
Rupert. Colloquium B. Virginis & Chriſti. *veraciter in me veneratur, quod ſua mater & virgo: ego in illo adoro, quod ſit Deus & homo. Dico ergo: Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus. Dicis mihi: Ecce tu pulchra es; & ego dico tibi: Ecce tu pulcher es: Ex quo ego pulchra facta ſum, ex eo tu qui ſemper pulcher fuiſti, pulchrior factus es. Nam verè in eo pulchritudinem tuam adauxiſti, quòd cùm Deus eſſes, homo dignatus es fieri. Hinc tu pulcher & decorus: ita pulcher, vt ſis ipſa ſubſtantia pulchritudinis: ita decorus vt ſis ipſum decus humanitatis. Verè ergo dicis mihi: Ecce tu pulchra es, & dico tibi: Ecce tu pulcher es, quia tu pulchritudo mea es. Quod ergo pulchra ſum, totum tibi attribuendum eſt. Neque enim virga floris, ſed flos virgæ pulchritudo eſt.*

Et Guilielmus paruus, q. d. Quia tu pulcher ſecundum diuinitatem, decorus ſecundum humanitatem. Tu non tantùm homo, ſed etiam Deus; & idcirco ait Guilielmus: *Ego non tantùm mater, ſed & virgo. Quia æternæ diuinitati tuæ*
Guiliel. *temporaliter acceſſit humanitas, & meæ virginitati, non ſucceſſit ſed acceſſit fœcunditas. Sicut enim purus homo virginem matrem habere non poteſt, ita Deus homo matrem niſi virginem habere non poteſt.*

*Lectulus noſter floridus.* Pulchrum Sponſum & Sponſam pulchram decet cubile & pulchra domus: vtrumque hîc aſſignat dicens, cubile & lectum herbis floribúſque pulchris & odoratis eſſe inſtratum, ac domum conſtare ex tignis cedrinis & tabularis cypreſſinis. Licet enim Romæ domus conſtruantur ex ſolis lateribus & lapidibus, eò quòd calx ibi ſit tenaciſſima & ſolidiſſima, adeò vt concamerationes templorum & palatiorum faciant maximas & firmiſſimas ex lapidibus & calce, tamen in Tranſalpinis regionibus domus fiunt è lignis & tignis, inter ſe affabrè commiſſis & innexis. Tacitè Sponſa, quę oberrando per hortos & vineas ſenſerat ſolis calorem, eóque decoloratam ſe meminerat, inuitat Sponſum in domum & cubile, vt ibi in pace & quiete ſemoti à turbis & perſecutionibus, vitam agant amœnam & iucundam in mutuo colloquio, conſortio & conuictu, qualem agunt ij, qui elegerunt ſortem Magdalenæ & vitæ contēplatiuæ; ſed Sponſus à quiete hac Sponſam mox euocat ad labores prædicationis & conuerſionis animarum, puta à contemplatione ad actionem, à pace ad bellum, à tranquillitate ad perſecutiones, ab otio ad negotium, à domo ad agros & campos, vt eius virtutem, meritā, & decus adaugeat. Vnde ſubdit: *Ego flos campi, & lilium conuallium*: ita Beda & S. Bernard. ſer. 46. qui ait Sponſam hîc indicare Sponſo thalamum eius eſſe ornatum, itaque eum tacitè ad illū inuitare.

*Lectulus noſter floridus.* Hebr. רַעֲנָנָה *raanana*, Hebr.
id eſt, viridis, hoc eſt, viridibus herbis & floribus coopertus, ideóque virens, florens & vernans.

Septuag. pro אַף *aph*, id eſt *etiam*, videntur legiſſe אֶל *el*, id eſt *ad*: vnde vertunt: LXX.
*πρὸς κλίνην ἡμῶν σύσκιος*, id eſt, *ad lectum noſtrum vmbroſum*, ſcilicet acceſſiſti, vel accede. ita legit codex Vatican. Nyſſenus, Pſellus & tres Patres apud Theodoret. q. d. Tu, ô Chriſte Sponſe mi, qui amas vmbras herbarum & florum, accede ad lectum noſtrum iis inſtratum & vmbroſum. Aut, Tu ô Chriſte, qui, quà Deus, es immenſa lux, quà tamen homo, lucem hanc vmbrâ corporis rexiſti, vt eam aliàs inacceſſibilē quaſi per rimam, imò vmbram inſpiceremus, ideóque vmbroſus vocitaris, accede ad lectum hunc floribus & frondibus vernantem, paritérque vmbroſum, ne foris vti me, ita & te decoloret ſolis. id eſt, perſecutionis æſtus.

Verùm genuina Septuag. lectio videtur eſſe quam habet Origen. hom. 2. ex duabus, Theodoret. & S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 4. ſcilicet: *κλίνη ἡμῶν σύσκιος*, id eſt, *lectulus noſter vmbroſus*. Sic enim habēt Hebr. & Vulgata. S. Ambroſ. tamen pro *πρὸς κλίνην* per Diaſtolen, legit *προσκλίνη* per Syſtolen; vnde vertit. *Acclinatio noſtra opaca.*

PRIMVS

Digitized by Google

## PRIMVS SENSVS ADÆQVATVS,

*De Chriſto & Eccleſia.*

QVæres, quiſnam ſit lectulus virens & floridus, in quo requieſcit Christus & Eccleſia?

*Lectulus Chriſti. 1. eſt humanitas.*

Reſpondent primò nonnulli eſſe Humanitatem Chriſti: in hac enim velut lectulo, ſed carne obumbrato & velato tam Deitas fulgentiſſima Verbi, quàm Eccleſiæ ſpes conquieſcit, ita Nyſſenus; Tres Patres apud Theodor. Pſellus & Alanus, quem audi: *Lectulus; Chriſti dicitur caro, quam aſſumpſit propter duos lecti vſus. In lecto laborat homo in infirmitate, quieſcit in ſanitate. Similiter Chriſtus in carne humana laborauit in infirmitatibus humanis ante paſſionem, quieuit in eadem carne poſt reſurrectionem. Et eleganter dixit lectulus noſter floridus, quia caro Chriſti, quæ prius in vita floruit, per mortem effloruit, & per reſurrectionem refloruit. Vnde dicitur Pſalm. 27. Et refloruit caro mea.*

*Alanus.*

*Pſalm. 27.*

*2. Sacra Scriptura.*

Secundò; Theodoretus per lectum accipit Sacram Scripturam, quæ variis ſententiis quaſi floribus vernat, quorum ſemina in ſe ſuſcipiens anima ſancta profert ſpiritum ſalutis. Lectus hic dicitur vmbroſus, quia à gratia ſpiritus protectus, & ab ardore peccati defenſus: quod enim Iſraeli erat columba nubis, hoc nobis eſt auxilium ſpiritus. Hæc Theodoretus.

*3. Fides charitate formata.*

Tertiò: Giſlerius per lectulum accipit fidem charitate formatam, ideóque bonis operibus virentem & florentem: per hanc enim eſt Deus in nobis, & nos viciſſim in Deo conquieſcimus. Intellectus enim hominis quærit verum in naturali opinione, coniectatione, & argumentatione quaſi in lecto, ſed inquieto, fallaci & falſo: at intellectus viri fidelis quærit verum in fide diuina, ibique quaſi in lectulo verum, imò Deum inuenit. Fides dicitur lectulus diminutiuè, quia lectus, id eſt, plena cognitio, pax, & felicitas erit in viſione beatifica. Hinc Septuag. hunc lectulum vocant vmbroſum & opacum, quia fides obſcura eſt: *Videmus enim nunc per ſpeculum & in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* 1. Corinth. 13.

*1. Corinth. 13.*

*4. Pura conſcientia.*

Quartò; lectulus Eccleſiæ eſt integra vita, & bona puráque conſcientia fidelium, cuius flores ſunt virtutes quælibet; in his enim tam Chriſtus, quàm Eccleſia velut in lectulo placidè conquieſcit, latiùs quieturus in iiſdem in felicitate æterna: quare ibi animæ fideles & beatæ erūt lectus omni dote, tam gratiæ, quàm gloriæ ornatiſſimus & iucūdiſſimus tam ſibi, quàm Chriſto. Huc facit verſio Chaldæi: *In tempore quo tu habitas in lectulo noſtro dilecto, filij noſtri multi ſunt ſuper terram, & creſcimus & multiplicamur ſicut arbor, quæ plantata eſt iuxta fontem aquarum, cuius folium pulchrum eſt & fructus eius multus.* Lectulus animæ, ait Honorius, eſt bona conſcientia, in qua vt in lecto, ſecura quieſcit anima cum Chriſto, quando ſe orando & legendo exercet, & amore Dei liqueſcit; & floridus eſt, quando aliis exempla bonæ vitæ præbet. Hic ſenſus valde appoſitus eſt.

*Chald.*

Quintò; Caſſiod. per lectulum accipit pacem & tranquillitatem Eccleſiæ, qua dum gaudet liberiùs vacat vigiliis, ieiuniis, orationi, contemplationi, adeóque omnibus bonis operibus floret, atque vt ait Beda, prolem fidelium fidei flore redolentem Deo gignit ex aqua & Spiritu ſancto.

*5. Pax Eccleſiæ.*

Symbolicè Aponius per lectulum accipit ſepulchrum Chriſti, quod floridum dicitur ob aromata ex floribus cōfecta, quibus Magdalena & ſociæ vnxerunt corpus Chriſti. Addit Guilielmus paruus lectulum, id eſt, ſepulchrū Chriſti, dici floridum, quia Chriſtus ex eo die tertiâ glorioſus reſurrexit; tunc enim quaſi refloruit caro Chriſti; Ergo lectulus noſter floridus, id eſt, refloreſcente carne tuâ, ô Chriſte, vernabit illa floribus nouæ reſurrectionis, iuxta illud: *Refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei.* Pſal. 27. 7.

*Symbolicè: lectus Chriſti fuit ſepulchrum.*

*Pſalm. 27. 7.*

## SECVNDVS SENSVS PARTIALIS,

*De Chriſto & Anima Sancta.*

LEctulus Chriſti & Animæ ſanctæ eſt mens caſta, ſancta, & ſtudio virtutum dedita: quæ flores & fructus omnium bonorum operum progerminat: quare ipſa eſt decora per ornamenta virtutum, & odorifera exemplis ſanctarum actionum. Lectulus hic eſt *vmbroſus*, vt vertunt Septuag. quia mens ſancta ſub vmbra Chriſti in ſe inhabitantis ſecura degit, ne vratur vel ardore tentationis, vel algore corporis, vel æſtu nimij feruoris: quare illi fidenter dicit: *In vmbra tua viuemus in gentibus.* Thren. 4. Nam ſola mens ſancta in Chriſto defixa veram habet

*Lectus Chriſti mens ſancta.*

*Thren. 4.*

Digitized by Google

betquietem: quia mens concupiſcentiis dedita, illarum æſtibus fluctuat, & mille perturbationũ vẽtis agitatur, iuxta illud: (Iſaiæ 57.20.) *Impij autem quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Non eſt pax impiis, dicit Dominus.* Iſaiæ 57. vlt. Ita S. Ambroſ. de Iſaac & anima cap. 4. *Vbi enim,* inquit, *requieſcit* (Ambroſ.) *Chriſtus & Eccleſia, niſi in operibus ſuæ plebis? Denique vbi impudicitia, vbi ſuperbia, vbi iniquitas, ibi, ait Dominus Ieſus, filius hominis non habet vbi reclinet caput ſuum.* Matth. 8. 20.

(Et charitas.) Lectulus ergo Chriſti eſt caſtitas, humilitas, patientia, oratio, temperantia & maximè charitas: hac enim Chriſtus animam velut Sponſam ſibi aſſociat, & eam diligit, & viciſſim ab ea diligitur, iuxta illud Chriſti: *Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad* (Ioan. 14. 23.) *eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Ioan. 14. 23,

(2. Eſt corpus caſtum.) Secundò: Origen. hom. 2. ex duabus, legens: lectulus noſter vmbroſus, per illud accipit corpus, in quo anima quaſi in lecto quieſcit, dum illud purum eſt & caſtum, ac denſitate boni operis nemoroſum.

(3. Eſt Chriſti crux & cæ[...].) Tertiò; S. Ambroſius in Pſal. 118. v. 4. legens: *Acclinatio noſtra opaca,* per eam tria denotari cenſet, ſcilicet Chriſti gratiam, crucem & ſpem futuræ gloriæ, quæ quaſi vmbra ab æſtu tentationum nos protegunt. *Meritò,* inquit, *opacam ſignificat acclinationem: quia in Eccleſia conſtitutos virtus* (Ambroſ.) *obumbrat Altiſſimi. Hac vmbrâ Dauid ſe protegi poſtulabat, ne eum per diem Sol vreret, vel Luna per noctem. Hanc vmbram Spiritalis miniſtrat gratia, torrida ſæculi huius & mundi æſtiua fugientibus: Opaca igitur acclinatio Chriſti & Eccleſiæ ſunt, quibus Dei patris æterna illa requies aſpirat. In hac ergo requieſcamus vmbra peccatorum noſtrorum æſtibus fatigati. Si quos aduſſit libido, hos Domini crux refrigeret, in qua ſe reclinauit, vt noſtra delicta ſuſciperet: ſi quos culpa laſſauit, hos Ieſus gremio ſuſcipiat ſuo, & molli foueat amplexu. Vnde audeo dicere, quòd Cara Chriſti Acclinatio ſit Eccleſia.*

(4. Eſt vita contemplatiua.) Quartò, S. Gregor. & Caſſiod. valde appoſitè, per lectulum accipiunt quietem & ſuauitatem animæ Contemplatiuæ, quæ ſoli Deo quaſi Sponſo ſuo vacat & intendit. *Quid,* inquit S. Gregorius, (Gregor.) *per Sponſæ lectulum, niſi otij quietem intelligimus? Mens enim quæ Sponſum ſuum Chriſtum ſingulariter amat, in quantum poteſt ab omnibus ſollicitudinibus mundi vacat, virtutes quibus Sponſo ſuo placeat intus accumulat. Quæ dum omnia, quæ temporalia ſunt contemnit, lectulum ſibi cum Sponſo in pace victoria facit, vbi quò quietiùs pauſat, eò amplius flores inuenit quibus ſe decoram Sponſo oſtendat.* Huc accedit S. (Et Monaſteria.) Bernardus ſerm. 46. qui per lectulum accipit Monaſteria, in quibus Religioſi mundo valedicentes ſoli Deo ſeruiunt. Pleraque enim in Cantieis propriè competunt animæ fideli, non incipienti & imperfectæ, ſed proficienti & ad perfectionem tendenti, vt totam ſe Deo vniat (hæc enim eſt Sponſa Chriſti,) quales ſunt Religioſi, vti in prooemio dixi ex S. Bernard. & Bellarmino; ſed audi Bernard. hîc: *In Eccleſia,* inquit, *lectum in quo* (Bernard.) *quieſcitur, clauſtra exiſtimo eſſe & monaſteria, in quibus quietè à curis viuitur ſæculi, & ſollicitudinibus vitæ. Atque is lectus floridus demonſtratur, cùm exemplis & inſtitutis Patrum, tanquam quibuſdam bene olentibus reſperſa floribus fratrum conuerſatio & vita refulget.*

Subdit deinde lectum in quo quieſcit (Et obedientia.) Chriſtus, eſſe obedientiam: *Alioquin,* in- (Bernard.) quit, *non dormiet tecum Sponſus in lecto vno, illo præſertim, quem tibi pro obedientiæ floribus, cicutis atque vrticis inobedientiæ aſperſiſti.* Vnde in inobediẽtes ſuis orationibus præſidentes inſurgens: *Miror valde,* inquit, *imp*- (Idem.) *pudentiam aliquorum, qui cùm nos omnes ſuâ ſingularitate turbauerint, ſuâ impatientiâ irritauerint, ſuâ contumaciâ & rebellione contempſerint, ſuâ inobedientiâ coinquinauerint, audent nihilominus ad tam fœdum concupiſcentiæ ſuæ lectulum, omni orationum inſtantiâ totius puritatis Dominum inuitare.*

Subiicit denique modum, quo animæ hunc lectulum Chriſto parare & adornare debeamus: *Profectò,* inquit, *vt primò* (Idem.) *quidem emundes conſcientiam ab omni inquinamento iræ, & diſceptationis & murmuris & liuoris, & quicquid omnino aduerſari cognoſcitur aut paci fratrum, aut obedientiæ ſeniorum, de cordis habitaculo eliminare feſtines. Deinde etiã circundare tibi flores bonorum quorumcumque actuum & laudabilium ſtudiorum, atque odoramenta virtutum, id eſt, quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iuſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ: hæc cogitare, in his exerceri curato. Ad huiuſmodi ſecurè vocabis Sponſum, quoniam cùm introduxeris eum veraciter dicere poteris & tu. Quia lectulus noſter floridus redolente nimirum conſcientiâ pietatem, ſed pacem, ſed manſuetudinem, ſed iuſtitiam, ſed obedientiam, ſed hilaritatem, ſed humilitatem.*

Anagogicè: Philo Carpathius legens, (Anagogicè eſt vita beata.) *accubatio noſtra in vmbra,* per eam accipit tranſitum à morte ad immortalitatem. *Cùm enim,* inquit, *inclinantur ad mortem, vi*- (Philo Carp.) *tam æternam pro temporali morte rependit. Nam*

de

Digitized by Google

*de cætero tu noſtra vmbra eris & protectio, clamat Sponſa, ſecundùm illud: Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis. Et: ſub vmbra alarum tuarum protege me. Ad te enim ſolum refugium noſtrum & protectio. Tu noſtra vmbra, tu defenſio, tu certa ſalus & vita. Dicamus cum Dauid:* Pſalm. 22. *Et ſi conſtitero in medio vmbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es. Trabes domus noſtræ cedri, & laquearia noſtra cupreſſina. Ecce pulcher in Prophetis, decorus in Apoſtolis. Trabes domus noſtræ cedri, hoc eſt, Eccleſiarum propheta.*

## TERTIVS SENSVS PRINCIPALIS,

*De Chriſto & B. Virgine.*

*Lectulus Chriſti, vterus B. Virginis.* LEctulus in quo Chriſtus nouem mẽſibus requieuit & quaſi dormiuit, fuit vterus B. Virginis, inquit Guilielmus Paruus, atque ex eo ſaluo virginitatis ſigillo, ait Rupert. egreſſus eſt flos ille pulcher, de quo canit Iſaias cap. 11. Iſai. 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini.*

---

Verſ. 17. *Tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina.*

Lxx. SEPTVAGINTA: *Tigna domorum noſtrarum cedri, laquearia noſtra cypreſſi.* q. d. Domus noſtra pulchra & præſtans eſt, vt pote contignata ex cedris, & laqueata cypreſſis. Pro *cypreſſi* Chald. Vatabl. & Hebraïzantes vertunt *abietes*. Cedrus, inquit Vatabl. quæ putredinem non ſentit, & abies quæ ponderi renititur, verbũ Dei ſignificant. Verùm Hebr. *abies* vocatur ברוש *beroſc*, hic verò eſt ברותים *berotim*, quod alibi non inuenitur: hîc autem à Septuag. æquè ac à noſtro vertitur *cypreſſi*, quibus vtique magis credendum eſt, quàm recentioribus. Pro *laquearia*. Græcè eſt φατνώματα, id eſt, lacus, ſiue lacunaria & laquearia: Vnde laqueatæ cœnationes appellantur, quas Seruius. Seruius vocat *contignationum cælum*. Belgæ & Galli dicunt *lambris* & *lambriſsé*, id eſt, laquear & laqueatus. Vnde Seneca lib. 14. Epiſt. 91. ſcribit antiquorum luxuriam verſatilia cænationum laquearia feciſſe, & ita coagmentaſſe, vt ſubinde alia facies atque alia ſuccederet, & toties tecta, quoties fercula mutarentur, vti ſubinde fit in ſcenis & comœdiis. Sic *Cornel. à Lapide in Cant. Canticorum.*

& laquear, ait Sipontinus ex Seruio, diminutiuum eſt à *lacus*: lacus enim eſt trabs in ædificiis plana, à quo fit lacunar, & per Antiſtichon laquear: laquearia autem cęlari & inaurari à diuitibus ſolebant, vti Romæ factum vidimus in Templo B. Virginis trans Tiberim, & aliis. Licèt ergo nonnulli per laquearia accipiant ingentes trabes, quæ vnum parietem alteri connectunt, per tigna verò intertignia, quæ trabibus hiſce tranſuerſim inſeruntur, quibus aſſeres infigantur, quæque Vitruuius *metopa* nuncupat; tamen contrarium verius eſt, ſcilicet per tigna hîc trabes totúmque tabulatum accipi, per laquearia verò concamerationes tabularum, quibus trabes, & tigna ornantur, vt tabulatum fiat quaſi cælum: hæc enim vocantur lacunaria, quia p[illegible] intertignia ſiue tignorum interualla, quibus inſeruntur quandam lacuum ſpeciem exhibent. Galli vocant *lambris*.

Ad litteram Grammaticè alludit ad domum Dei, ſiue templum ædificatum à Salomone ex lignis cedrinis & cypreſſinis. 3. Reg. 7. quod repræſentabat baſilicas & templa Chriſtianorum, ex iiſdem & ſimilibus arboribus præſtantibus ædificanda. Vnde Chald. vertit: *Dixit Salomon Propheta: quàm pulchra eſt domus Sanctuarij Domini, quæ ædificata eſt per manus meas ex lignis cedrinis: ſed pulchrior eſt domus Sanctuarij, quæ ædificanda eſt in diebus Regis Meſſiæ, cuius trabes erunt ex cedris, quæ ſunt in paradiſo voluptatis, & tigna eius erunt ex abietibus, & arceuthis & pinis.* Chald.

## PRIMVS SENSVS ADÆQVATVS,

*De Chriſto & Eccleſia.*

QVæres, quænam ſint Eccleſiæ tigna cedrina & laquearia cypreſſina? *Tigna & laquearia Eccleſia.*

1. Primò, Guilielmus Paruus cenſet eſſe corpus & membra Chriſti, quod *Corpus & membra Chriſti.* fuit domus, imò templũ diuinitatis; licèt enim hoc ex ſe eſſet corruptibile, tamen cedrinum erat & cypariſſinum, id eſt, incorruptibile, ſiue imputribile ex vnione hypoſtatica cum Verbo, iuxta illud: *Caro mea requieſcet in ſpe.* Et: *non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Pſal. 15. 19. Pſal. 15. 19.

2. Secundò, Theodoret. & ex eo Giſlerius ſicut per lectulum accipit fidem, ita S. Scriptura. appoſitè per tigna & laquearia, id eſt, per domum, accipit Sacram Scripturam,

in illa enim continentur fidei dogmata quaſi tigna, inquiunt Tres Patres apud Theodoret. & præcepta quaſi lacunaria ſibi mutuò connexa & inſerta, hæcque ſunt in ſummitate domus, quia è cælo dictata eſt Sacra Scriptura, quaſi verbum Dei, ideóque incorruptibilis. & æterna eſt inſtar cedri & cypreſſi, atque ſui ſequacibus confert vitam æternam, puta domos æternas in cælis. 2. Corinth. 5.6. Audi Theodoretum: *Cedrus incorruptione, cypreſſus odore præſtat. Vtrumque autem in diuina Scriptura licet inuenire, quæ quidem nobis non modò lectus eſt, ſed & domus & menſa & cibus, nec ſolùm odoris ſuauitatem ſuggerit, verùm etiam incorruptionem & veritatem & immortalitatem pollicetur.* Theodor.

3. *Prælati & Doctores.* Tertiò; Alij paſſim magìs appoſitè & genuinè per tigna domorum, id eſt, Eccleſiarum particularium, accipiunt Clerum, Prælatos & Doctores eorum, qui ſcriptis & doctrinis domum Dei ab hæreticis, quaſi venenatis ſerpentibus, & corruptelis verbi Dei defendunt. Sunt ex cedro, quia recta ſunt eorum opera, mens conſtans, vita incorrupta, mores imputribiles, nomen boni odoris, doctrina dæmones fugat, & animas à vitiorum putredine ſeruat. Laquearia ſunt ſubditi iuſti & pij, qui ſe abſtinent à lethalibus culpis, hi à trabibus illis dependent, & quaſi quædam cæli teſtudo ſtellimicantibus ornata ſignis, renident ipſi cupreſſini, ſuo in viuendi ſtatu incorrupti, nec ad peccati vomitum canis inſtar redeuntes, nec cariei veteris hominis cedentes.

Ita S. Gregorius, Theodoretus; Aponius, Beda, Haymo, Anſelmus & S. Ambroſius ſerm. 4. in Pſalm. 118. Vnde S. Bernardus ſerm. 46. cenſet hoc verſu omnes Eccleſiæ ſtatus denotari, ſcilicet Monachorum in lectulo florido, Prælatorum & Principum in tignis cedrinis, Cleri & populi fidelis in laquearibus cypreſſinis. Huc accedit Origenes hom. 3. ex 4. qui per tigna accipit Epiſcopos, per Origen. cupreſſos ſacerdotes: *Et trabes*, inquit, *appellantur cedri, quibus & fortitudo robuſtior, & odor ſuauitatis ineſt, per quod & in operibus ſolidum, & in doctrina gratia fragrantem deſignat Epiſcopum. Similiter autem & laquearia Cypreſſos appellauit, vt per hoc incorruptionis virtutem, & odoris ſcientiæ Chriſti plenos eſſe debere presbyteros deſignaret.* Et S. Gregorius: *Cedrus*, ait, *quæ ſerpentes reprimit & fugat, ſublimiores ſignificat ſanctos, Cypreſſus ſimpliciores.* Vnde mox per tigna accipiens prædicatores, per laquearia popu- Gregor.

los: *Tigna*, ait, *tectum ſuſtentant, laquearia verò domum implent & ornant. Sic ſic in ſancta Eccleſia Prædicatores boni ſcripturam diuinam in corde & ore portant, quam fidelibus quaſi tectum expandentes prædicant, vt dum Eccleſia prædicatione cæleſti inſtruitur, munimen accipiat, quo ab imbribus tentationum protegatur. Cedrus autem & cypreſſus imputribilia ligna eſſe perhibentur. Quibus bene omnes electi figurantur, quia dum temporalia nullo deſiderio ſectantur, æterni fiunt, eò quod mente in æterna figuntur.* Addit Beda laquearia affixa eſſe tignis ex iiſque pendere, *quia neceſſe eſt*, Beda. iuquit, *vt quicumque in Sancta Eccleſia ſublimes virtutibus ſplendere deſiderant, ſummorum Patrum dictis atque exemplis, quibus à terrenorum ambitu ſuſpendantur, totâ mente inhæreãt.*

Huc quoque accedit Philo Carpathius, qui per tigna cedrina accipit Eccleſiæ prophetas, per laquearia cypreſſina Apoſtolos: quia, inquit, ſicut delectatio & ornatus domus ſunt laquearia, ſic Eccleſiæ ſunt Apoſtoli. Audi S. Bernardum ſerm. 46. *Porrò*, inquit, *domos populares conuentus intellige Chriſtianorum, quòd hi, qui in ſublimitate poſiti ſunt, Chriſtiani vtique vtriuſque ordinis principes, quaſi tigna parietes iuſtis impoſitis legibus fortiter ſtringunt, ne ſuâ quiſque lege vel voluntate viuentes, tanquam parietes inclinati & maceria depulſa diſſideant à ſemetipſis, & ſic omnis ſtructura ædificij corruens diſſipetur. Laquearia verò quæ à tignis firmiter pendent, & domos inſigniter ornant, puto bene inſtituti cleri manſuetos & diſciplinatos mores, riteq́ administrata officia deſignare: Quomodo namque ſtabunt ordines Clericorum & adminiſtrationes eorum, ſi non principum tanquam tignorum beneficio & munificentiâ ſuſtententur, & protegantur potentiâ?* Bernard. Cauſam deinde aſſignat, cur tigna ſint cedrina, laquearia verò cypreſſina: *Et cedrus quidem, quoniam imputribile eſt, necnon & odoriferum altaq́ proceritatis lignum, ſatis indicat quales oporteat aſſumi viros in vices tignorum. Ergo validos & conſtantes neceſſe eſt eſſe eos, qui ſuper alios ordinantur, necnon & longanimes in ſpe, atque ad ſuperna mentis verticem attollentes, qui & bonum fidei ſuæ & conuerſationis vbique odorem ſpargentes, dicere cum Apoſtolo poſſint: Chriſti enim bonus odor ſumus Deo in omni loco. Cypreſſus item boni æquè odoris, & imputribile ſimiliter lignum, incorruptæ vitæ & fidei, quemuis de clero debere eſſe demonſtrat, vt meritò decori domus ac laquearium ornatui deputetur. Scriptum eſt enim: Domum tuam decet ſanctitudo Domine, in longitudinem dierum.* Idem.

Denique Honorius Auguſtod. Domus, inquit, cedrinis & cypreſſinis tignis

ab

Digitized by Google

ab opificibus ædificatæ ſunt, clauſtra à ſanctis Patribus regulis & honeſtis inſtitutis inſtructa. Tigna cedrina ſunt Præpoſiti & Abbates Sanctimonia redolentes, qui verbo & exemplo alios muniunt, & vermes criminum ſe macerando extinguũt. Laquearia verò cypreſſina ſunt Monachi & omnes Religioſi, quorum ſanctitatis exempla templum Dei ornãt, & aliorum onera orando portant. Et ſicut cypreſſus præciſa nõ reuireſcit, vnde & ante feretrum mortuorũ ſolebat portari, ita ipſi nunquam ſæcularia repetunt, & ſemper quaſi præſentem mortem aſpiciunt, & in habitaculum Dei coædificari votis & moribus appetunt. Hæc Honorius.

## SECVNDVS SENSVS PARTIALIS,

*De Christo & Anima ſancta.*

*Tigna animæ.* 1. *Virtutes Cardinales.* PRimò; Tigna cedrina animæ ſunt virtutes ſolidæ, puta quatuor Cardinales, ſcilicet Prudentia, Iuſtitia, Temperantia, Fortitudo, ait Honorius, item conſtans puritas & caſtitas mentis, ait Nyſſen. Cedrum enim imputribilem commendat æternitas, teſte Plinio. Laquearia cypreſſina ſunt externa virtutũ decora, vt modeſtia, verecundia, ſilentium, omniſque exterior motum compoſitio & decor; iuxta illud Apoſt. *Omnia honeſtè & ſecundùm ordinem fiant.* 1. Corinth. 14. 40. Et: *Prouidemus bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus.* 2. Corinth. 8. 21. maximè verò tignis cedrinis & laquearibus cypreſſinis, vtpote imputribilibus notatur virtus conſtantiæ in duris & aduerſis, ac conſequenter fortitudinis, patientiæ & perſeuerantiæ, quã quaſi tigna duramus, & omnia onera ponderáque impoſita ſuſtinemus. Vnde Beda de Cypreſſo: *In eo*, inquit, *quòd medendis apta eſt corporum paſſionibus, quòdſuæ venuſtatem comæ nullo ventorum impulſu deponit, conſtantiam exprimit, eorúmque actionem, qui altiorum virtutum ornatibus Eccleſiam decorant.*

*1. Cor. 14.* · *2. Corin. 8.* · *Beda.*

*Ambroſ.* Et S. Ambroſ. ſerm. 4. in Pſalm. 118. *Anima*, inquit, *corrumpi neſcit, quæ florentibus membris viget, ſemper iuſtitiæ cæterarúmque virtutum culmina patienti magnanimitate ſuſtentat, & ideo non defluit neque deficit, quia nihil in ea rimoſum eſt atque remiſſum, nihil mobile, nihil lubricum, quod vitio ſermonis ex co paſſit effundi.*

*Cornel. à Lapide in Cant. Canticor.*

Secundò; tigna cedrina, ait Hailgrinus & ex eo Delrio, ſunt virtutes & gratiæ, ſine quibus non eſt ſalus; & hæ per humilitatem profundæ radicibus, creſcunt ramis in immenſum; ſunt putredinis neſciæ, vt cedrus. Laquearia ſunt diuiſiones adminiſtrationum & gratiarum illarum, quæ ſunt ad animæ decorem, licet non ſint neceſſariæ ad ſingulorum ſalutem, vt ſunt prophetiæ, genera linguarum, virtutes, ſanitates, diſcretio ſpirituum, & ſimilia, quæ ſi tignis fortiter non inhæreant, vt laquearia laxata facilè corruunt: & ſunt cupreſſina, quia licèt iſtæ gratiæ inferiùs, quà proximis exhibentur, debeant diffundi & dilatari, ſemper tamen in conum tendere debent ſurſum, & in vnum illum tendere, atque coanguſtari ſicut cupreſſus, quæ verè eſt vna, ſicut & vnum nobis verè neceſſarium. Porrò ſicut cypreſſus immunis eſt à carie, quia vt ait Vitruuius lib. 2. cap. 19 ineſt ei amarus quidam ſapor, qui eam à carie defendit & vermiculos abigit, qui eam gignunt: ſic pariter virtutis & conſtantiæ cauſa eſt pœnitentia, auſteritas & mortificatio, quæ animam in concupiſcentiis (hæ enim ſunt animæ caries & putredo) prolabi non ſinit. Hinc ſimilia de Cedro ſcribit Dioſcorid. lib. 1. cap. 88. ſcilicet ſimili amaritudine illam ſe à carie, & cadauera à tabe defendere, ideóque illam à nonnullis mortuorum vitam appellari. Huc facit illud: *Vbi rigor, ibi vigor.* 2. *Virtutes ad ſalutem neceſſariæ.*

Tertiò, tigna ſunt gratia Dei, eiuſque variæ ſpecies & modi; laquearia ſunt noſtræ actiones, quibus gratiæ Dei cooperantes illam iiſdem quaſi ornamus, ac ipſa viciſſim longè magis opera ipſa exornat & inaurat; quia ipſa illa reddit ſupernaturalia, diuina, grata Deo, ac meritoria præmij æterni. 3. *Gratia Diuina.*

Quartò, tigna animæ ſunt ipſæ eius potentiæ & vires: ex hiſce enim quaſi ex tignis ipſa quaſi compaginatur & cõtignatur: laquearia ſunt potentiarum animæ virtutes, quæ ipſas ornant & roborant, vt ex iis conſurgat domus animæ ſpiritualis, in qua Chriſtus Sponſus velut in thalamo ſuo requieſcat. Audi S. Bernardum, ſerm. 46. qui animæ ita ſuadet & perſuadet: *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* 1. Corinth. 3. *Curate ergo fratres ſpirituali huic ædificio (quod vos eſtis) ne forte cùm in ſuperiora proficere cœperit, vacillet & corruat ſi lignis fortibus non fuerit ſubnixum & colligatum; curate, inquam, illi tigna dare imputribilia & immobilia, timorem videlicet Domini il-* 4. *Potentiæ & vires Animæ.* *Bernard.*

I 2 lum

Pſalm. 9. *lum caſtum,qui permanet in ſæculum ſæculi:pa-*
*tientiam de qua ſcriptum eſt: quia patientia pau-*
*perum non peribit in finem:longanimitatem quo-*
*que,quæ ſub quouis ſtructura pondere inflexibi-*
Matth.10. *lis perſeuerans,in infinita ſæcula vita beata pro-*
*tenditur , Saluatore loquente in Euangelio : Qui*
*perſeuerauerit vſque in finem,ſaluus erit. Magis*
*autem ſuper omnia charitatem , quæ nunquam*
*excidit,quia fortis eſt,inquit , vt mors dilectio,*
*dura ſicut infernus æmulatio: ſtudete deinde his*
*tignis ſubſternere , & alligare ligna alia æquè*
*pretioſa & pulchra , cui tamen illa ad manum*
*fuerint , in opus laquearium ad decorem domus,*
*ſermonem ſcilicet ſapientiæ , ſiue ſcientiæ , pro-*
*phetiam , gratiam curationum,interpretationem*
*ſermonum , & cetera talia, quæ magis noſcuntur*
*ſanè apta ornatui , quàm neceſſaria fore ſaluti.*
Vbi per tigna accipit virtutes neceſſa-
rias ad ſalutem, per laquearia non ne-
ceſſarias,atque ex vtriſque ædificandam
cuique eſſe domum mentis aſſerit.
Anagogicè. Anagogicè:In cælo,tam anima quàm
corpus omnibus ſuis viribus,ſenſibus, &
membris erit cedrinum & cypreſſinum,
id eſt, incorruptibile , æternum, odora-
tum,glorioſum.

## TERTIVS SENSVS PRINCIPALIS,

*De Chriſto & B. Virgine.*

BEata Virgo fuit quaſi domus,templũ
& cælum cedrinum & cypreſſinum,
in qua habitauit Verbum. Audi Alanum:
Domus hæ intelliguntur corpus Chriſti
& corpus virginis , tigna domorum ſub-
ſtantiæ corporum , quæ dicuntur cedri-
na,id eſt,imputribiles.Cedrus enim im-
putribilis eſt. Sicut enim credimus cor-
pus Chriſti putredine non eſſe reſolu-
tum. Vnde legitur Pſalm. 15. *Non dabis* Pſalm. 15.
*ſanctum tuum videre corruptionem:* ita proba-
bile eſt à corruptione putredinis alie-
num eſſe corpus Mariæ. Vnde S.Auguſt.
in ſerm.de Aſſumpt.Virginis,non ſolùm
ait , carnem quam Chriſtus aſſumpſit,
ſed etiam carnem de qua aſſumpſit,cre-
dimus eſſe aſſumptam in cælum. Vnde
& in oratione edita legitur : *Nec tamen*
*mortis nexibus deprimi potuit*, &c. Et niſi re-
ſurrexerit,quare de ipſa dicitur: *Aſſumpta*
*eſt Maria in cælum? Laquearia noſtra cypreſſina.*
Laquearia quæ adhærent tignis ſignifi-
cant corporum infirmitates, quæ adhæ-
ſerunt corporibus Chriſti & Virginis,
quæ eleganter cypreſſinæ dicuntur,quia
cypreſſus ſolet adhiberi corporibus,quę
comburuntur, & mira ab eis fragrantia
redditur. Sic infirmitates , quæ ad mor-
tem pertinent, & in virgine & in Chri-
ſto per patientias, quas in infirmitatibus
habuerunt, mirabiliùs redolent. Hæc
Alanus. Vide quæ de cedro & cypreſſo
dixi Eccleſ.24.17.ad illa : *Quaſi cedrus ex-* Eccl. 24.17.
*altata ſum in Libano, & quaſi cypreſſus in monte*
*Sion.*

CAPVT

# CAPVT SECVNDVM.

## SYNOPSIS.

*Sponſus laudarat Sponſam, illa virgineè erubeſcens laudem reflexit in Sponſum: Sponſus ergo, vt modeſtiæ & pudori eius conſulat, laudem eius acceptat & confirmat, ſeſeque vocat florem campi, & lilium conuallium: ac deinde eandem laudem in Sponſam liberiùs, vtpote laude ſuâ velatam deriuat. Illa viciſſim in laudem & amorem Sponſi magis accenditur: quare eſt hic continuus, alternans, & reciprocus amoris Sponſæ & Sponſi dialogus. Verſ. enim primo & ſecundo Sponſus ſe & Sponſam dilaudat. Verſ. tertio Sponſa Sponſum deamat, & amore eius languet, ac deliquium animæ patitur. Verſ. 7. Sponſus eam excitari vetat. Verſ. 8. Sponſa à Sponſo ſaliente inſtar cerui euocatur ad vernas Paradiſi amœnitates, ac vulpes capere iubetur. Denique verſ. 16. Sponſa ſe totam Sponſi amori tradit & dedit.*

VERS. 1. EGo flos campi, & lilium conuallium.

2. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.

3. Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.

4 Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.

5 Fulcite me floribus, ſtipate me malis: quia amore langueo.

6 Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

7 Adiuro vos filiæ Ieruſalem, per capreas ceruóſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoadusque ipſa velit.

8 Vox dilecti mei, ecce iſte venit ſaliẽs in montibus, tranſiliens colles:

9 Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnulóque ceruorum. en ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.

10. En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni.

11 Iam enim hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit.

12. Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit: vox turturis audita eſt in terra noſtra:

13. Ficus protulit groſſos ſuos: vineæ florentes dederunt odorẽ ſuum. Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni:

14. Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

15. Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea noſtra floruit.

16. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia.

17. Donec aſpiret dies, & inclinẽtur vmbræ. Reuertere: ſimilis eſto, dilecte mi, capreæ, hinnulóque ceruorum ſuper montes Bether.

## VOX SPONSI.

Verſ. 1. *Ego flos campi, & lilium conuallium.*

EGO *flos campi & lilium conuallium.* Arabicus, *torrentium*; lilia enim quia ſicca, gaudent aquis. Septuag. vertunt vt

Arabic.

Tigurin. Vatabl

Noſter: Tigur. verò: *Ego ſum roſa Saron, & lilium gaudens vallibus.* Vatabl. *Saron* interpretatur *ſaturitatis*, vel potiùs *abundantiæ*. Sicut Deus, inquit, dicitur *Saddai*, id eſt, vber, & copia omnium bonorum. Saron enim, inquit, Adrichom. vrbs eſt & regio campeſtris, pinguis & fertiliſſima ſaginandis pecoribus perquàm apta, ideóque ibi paſcebantur regis animalia. Extendit ſeſe à Cæſarea Palæſtinæ, & pertingit vſque ad Ioppe. Hæc teſte Hieronymo, iuxta ſoli qualitatem, Petro prædicante fidei continuò fructus germinauit. Actor. 9. quò hîc alludit Salomon. Pro *flos* Hebr. eſt חבצלת *chabatſelet*, quod Pagninus, Marinus & Vatabl. vertunt *roſa*. Septuag. & S. Hieronym. hîc, *flos*: Iidem Iſaiæ 35. 1. vertunt *lilium*; vnde Syrus pro *flos campi* vertit, *lilium loci fertiliſſimi*. Alij *vaccinium*, de quo Virgil.

*Varia huius verſus lectiones.*

Virgil.

*Alba liguſtra cadũt, vaccinia nigra leguntur.*

*Arborum florum, gemmarum nomina multis ſpeciebus Communia apud Hebræos.*

Nimirùm Hebræa nomina arborum, florum, gemmarum ſunt polyſema multis ſpeciebus communia. Pro *lilium* Hebr. eſt שושנה *Schoſchanna*, quod Guidacerius hîc vertit *viola*, Chald. verò & Galatinus lib. 7. cap. 5. vertunt *Roſa*, quia naſcitur hæc inter ſpinas, non *lilium*. Vnde pro eo, quod ſequitur: *ſicut lilium inter ſpinas*, ipſi vertunt: *ſicut roſa inter ſpinas*. Verùm Septuag. Aquila, Symmach. in Pſal. 45. verſ. 1. & S. Hieronym. Aben Ezra, R. Salomon, Tigurin. Vatabl. & alij hîc *ſoſanna* vertũt *lilium* à שש *ſceſch*, id eſt, *ſex*, ſcilicet foliis, quibus ornatur, ait R. Dauid. Hinc & Phœnices Arabéſque *lilium* vocant *ſuſana*: Vnde *Suſam* Perſarũ Regiam ita dictam, à liliorum ibi naſcentium copia, teſtatur Athenæus, lib. 12. Euſtath. in Dionyſ. & alij: ſicut à roſa dicta eſt *Rhodus* Inſula, quia roſæ ſpeciem exhibet, & à flore *Florentia*. A *Suſanna* quoque dictum eſt oleum *ſuſinum*, quod è liliis conficitur, de quo Plinius lib. 13. cap. 1. Porrò Chald. voces inuertens ſic vertit:

*Suſanna id eſt lilium.*

Chald.

Dixit *cœtus Iſraël: tempore quo dominator ſeculi collocat maieſtatem ſuam inter me; Ego ſimilis ſum lilio viridi ex paradiſo voluptatis, & opera mea pulchra ſunt ſicut Roſa, quæ eſt in campo horti voluptatis.*

## PRIMVS SENSVS ADÆQVATVS,

*De Chriſto & Eccleſia.*

THeodoretus, Nyſſenus, S. Ambroſius in Pſal. 118. ſerm. 5. Chaldæus, Hebræi, Philo Carpath. item Genebrardus, Vatabl. Luiſius Legion. & Oſorius cenſent, hæc adhuc eſſe verba Sponſæ non Sponſi. Dixerat enim ipſa: *Lectulus noſter floridus*, nunc oſtendit vnde ſit floridus, nimirum, quia *ego*, inquit, ſum *flos campi, & lilium conuallium*, Aut vt Noſter Sanches ſenſu à Chriſto in Eccleſiam reflexo, quaſi ei dicat Chriſtus: Tu, ô Sponſa, floridum eſſe dicis lectum, & domus noſtræ contignationem ſuauiter olere, vt pote è cedro atque cupreſſo; ſed ego tibi flos eſſe debeo, cui placere aut olere nihil debet præter me Cui expoſitioni fauet, quod ſtatim adiungitur: *ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Ac ſi dicat Sponſus: Quid mirum, ſi à te exigam, ô Sponſa, vt me pro flore, pro cupreſſo ac cedro tibi habeas, neque quicquam tibi, aut floreat aut oleat præter me, quando tu mihi eo loco es, vt aliæ filiæ Ieruſalem præ te ſpinæ ſint & ſentícoſi frutices, cum liliorum odore atque candore compoſitæ: quare nihil magnum aut indebitum peto, aut opto, cùm talis tibi videri volo, qualis tute mihi ipſa videris. Cui voci Sponſa fidelis obſecuta ſæpe canit in hoc Epithalamio: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Porrò Eccleſia dicitur *flos campi, & lilium conuallium* variis de cauſis:

*Eccleſia flos & lilium*

1. *Propter Prophetias, & Euangelia.*

Primò, Philo Carpath. hanc affert, q.d. Ego Eccleſia ſum flos campi propter vaticinia prophetarum, lilium verò conuallium propter Euangelium quod prædico: hoc enim ſuauius & ſalutarius redolet, cùm non tantùm præcepta, ſed & conſilia perfectionis ſuggerat, dicens: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Beati mites. Beati qui lugẽt*, &c. Ideóque Chriſtus: *Conſiderate*, ait, *lilia agri quomodo creſcunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis.* Matth. 6. 28.

Matth. 6. 28.

2. *Ob odorem fidei, & ſpinarum.*

Secundò, S. Ambroſ. ſerm. 5. in Pſalm. 118. v. 1. Eccleſia, inquit, eſt flos campi, ob fidei aliarúmque virtutum odorem:

lilium

lilium verò, ob ſplendorem operum. idem lib. de Inſtit. Virgin. cap. 15. Eccleſia, inquit, eſt flos campi & lilium conuallium, quia in conualle huius mundi gratiam boni odoris exhalat ſedulâ confeſſione peccati.

3. *In Iudæis & gentibus* *3. Patres.*

Tertiò: Tres Patres apud Theodoret. cenſent Eccleſiam eſſe florem campi in Iudæis, lilium verò conuallium in gentibus, quaſi dicat Eccleſia: *Ego quoad gentes quæ per infidelitatem naturali æqualitate priuatæ, & vitiorum turbine depreſſæ, erant veluti lilium ex imo in ſublime conſurgens, & ab radice ad idoneam magnitudinem per calamum aſcendens, ne vallium profunditate abſcondatur, ſed excelſam pulchritudinem ſuam præferat, fide in Chriſtum innitor, & per purgationem ex confuſione vitiorum emerſi atque in contemplationis faſtigio, virtutum decore ſum exornata.*

4. *Ob contemptum.*

Quartò, alij cenſent Eccleſiam hîc inuitare Sponſum ad lectulum, id eſt, otium & ſecretum contemplationis, ex eo quòd ipſa in actione euangelizando obetrans gentes, ab eis contempta & calcata ſit vti flos, qui naſcitur in campo aperto, & vt lilium in vallibus ab omnibus hominibus æquè ac beſtiis conculcatur, vel carpitur.

5. *Per antitheſin.*

Denique nonnulli ſic exponunt per Antitheſin, q. d. Ego quidem, quæ ſum Sponſa, id eſt, Eccleſia Chriſti, ſum flos, ſed campi, non horti, id eſt, communis, vulgaris, vilis, & abiectus: at tu, ô Sponſe mi, præfulges ſplendore æquè ac odore vt lilium conuallium candidiſſimum & odorariſſimum.

*Chriſtus flos campi & lilium.*

Verùm meliùs idem Theodoret. Origen. Aponius, Caſſiodor. Beda, Anſelm. Rupert. Honorius hîc, & S. Ambroſ. lib. de anima & Iſaac cap. 4. & 5. Cyrill. de incarnat. vnigen. cap. 9. cenſent hæc eſſe verba Sponſi non Sponſæ, idque exigit id quod proximè ſequitur: *Sicut lilium inter Spinas; ſic amica mea inter filias,* quæ verba eſſe Sponſi non Sponſæ nemo dubitat. Chriſtus ergo eſt flos campi, vel vt Hebr. eſt *Roſa Saron & lilium conuallium*, ideóque lectulum ſuum Eccleſiæ facit floridum (eò enim alludit) vt paulò antè dixit; q. d. Rectè dixiſti, ô Sponſa: *Lectulus noſter floridus*; at ſcias eum floridum eſſe, non ex te ſed ex me: *Ego* enim *ſum flos campi*, &c. Ita Beda. Chriſtus igitur eſt flos campi.

1. *Quia decor mundi.*

Primò, quia ſicut flos eſt ornamentum campi, ſic Chriſtus mundi, ait Origen. S. Ambroſ. Beda & alij, Chriſtus enim ita eſt flos, decúſque mundi, vt in ſe omnium florum decorúmque ſpeciem, amplitudinem, & præſtantiam contineat. Vnde Iuſtus Orgelitan. ſic exponit: *Ego flos campi & lilium conuallium, id eſt, ego decus ſum mundi in virginitate humilium.* Flos ergo eſt Chriſtus, ratione eximij decoris & plenitudinis gratiæ, quâ ſpecioſus eſt præ filiis hominum. Flos ſcilicet ille de quo apud Iſaiam cap. 11. v. 1. dicitur: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini.* Flos eſt nunquam marceſcens, cuius pulchritudo nunquam deficit, nunquam minuitur odor, nunquam deperit vigor, æquè ſemper candidus, & rubicundus, æquè ſemper odoriferus, æquè plenus gratiâ & veritate. Ita Titelmannus.

Iuſt. Orgel.

Iſai. 11. 1.

2. *Quia omnibus exponitur.*

Secundò, quia ſicut flos campi multus & multiplex eſt, nec horto concluditur, ſed omnibus carpendus, fouendúſque exponitur: ſic & Chriſtus. Audi Alanum: *Campus dicitur humana Chriſti natura; ſicut enim in campo florum pullulat varietas; ſic in humana Chriſti natura virtutum pluralitas. In ea fuit viola humilitatis, patientiæ roſa, lilium caſtitatis. Huius campi flos fuit Chriſtus, id eſt, decor ſecundùm diuinitatem, quia & ex virtute diuinitatis habuit in humana natura donorum plenitudinem. Eleganter autem humana Chriſti natura per campum ſignificatur, propter amplitudinem & planitiem, quia in eo nullus fuit ſcrupulus erroris. Vnde & de eo dicitur, lilium conuallium. Quia perfecta humilitas fuit in Maria, & in humana Chriſti natura: ideo perſona virginis & humana natura Verbi valles dicuntur, propter eminentiam humilitatis: & non ſolùm valles, ſed & conualles ratione ſimilitudinis, quia virgo ſpecialiter Chriſto fuit ſimilis.* Hac de cauſa Chriſtus extra vrbem in Campo & agro naſci voluit; æquè ac B. Virgo in campo nata eſt inter ouium balatus, ait Damaſc. lib. 4. de fide c. 15.

Alanus.

3. *Quia de Virgine natus.*

Tertiò; ſicut flos in campo ſponte prouenit ſine ſemine, ſine aratione, ſic & Chriſtus ex virgine natus eſt ſine opera viri: ſicut ergo flos in cælo Solem patrem, in terra plantam habet matrem; ſic Ieſu pater in cælo eſt Deus, in ſolo mater virgo. Et ſicut calore ſolis, & defluxu roris gignuntur flores; ſic ſine viri opera, Spiritu ſancto inumbrante, & rore diuinæ gratiæ defluente flos iſte Ieſſæus prodiit; flos, hoc eſt, decus Campi. Rursũ ſicut flos ex terra & fimo naſcitur, ſic Chriſtus è terra peccatis inquinata quaſi flos puriſſimus germinauit. Vnde ipſe vocatur צמח *tſemach*, id eſt, *oriens*, ſcilicet germen & flos. Zachar. 3. & 6. Audi S. Ambroſ. lib. 2. de Spiritu S. c. 5.



Digitized by Google

Ambroſ.

*flos*, inquit, *Maria Chriſtus, qui bonum odorem fidei toto ſparſurus orbe, virginali ex vtero germinauit. Flos odorem ſuum ſucciſus reſeruat, & contritus accumulat, nec auulſus amittit: Ita & Dominus Ieſus in illo patibulo crucis nec contritus emarcuit, nec auulſus euanuit; ſed illâ lanceæ punctione ſucciſus, ſacro ſpecioſior fuſi coloris cruore vernauit, mori ipſe neſcius, & mortuis æterna vitæ munus exhalans.*

4. *Quia de Matre humili & pulcherrima.*

Quartò, Chriſtus eſt *flos campi*, Hebr. *Saron*, id eſt, *planitiei*, quia in plana terra ex humili virgine humilis natus eſt. Rurſus *Saron*, id eſt, *pulcherrimus*, quia in Saron, vtpote pinguiſſima & fertiliſſima, vti paulò ante dixi, roſæ & flores erant pulchriores & odoratiores quàm aliis in locis, iuxta illud Iſaiæ 35. 2. *Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron.*

5. *Quia in vere conceptus.*

Quintò, flos notat tempus Incarnationis Chriſti fore ver: in vere enim flores emicant. Sic Chriſtus 25. die Martij conceptus & incarnatus eſt: qua de cauſa eo die Eccleſia celebrat tanti myſterij feſtum ſub nomine Annunciationis B. Virginis. Ita Caſſiod. Honorius & S. Bernard.

6. *Quia Roſa mundi.*

Sextò, flos hic eſt roſa, vt vertũt Vatabl. & alij. Roſâ autẽ quid pulchrius, quid odoratius, quid ſalubrius? Sic & Chriſtus decor, odor & ſalus eſt mundi. Vide quæ de Roſa dixi, Eccleſ. 24. 18. ad illa: *Ego quaſi plantatio roſæ in Iericho.* Ergo Sponſus Chriſtus eſt pulcher inſtar Roſæ purpuraſcentis & lilij candicantis, iuxta illud cap. 5. 10. *Dilectus meus candidus & rubicundus.*

Eccli 24. 18.

*Chriſtus eſt lilium.*

1.

*Et lilium conuallium.* Verum hîc lilium intellige, non floſculum illum odoratum, quem nunc vulgus Herbariorum vocat abuſiuè *lilium conuallium.* Hoc lilium vocatur *conuallium*, quia lilia vallibus, ad quas è montibus decurrit ros & pluuia, faciliùs proueniunt, ibíque ſunt fragrantiora & pulchriora; cùm enim ſint ſicca, multo humore indigent. Sic & Chriſtus eſt lilium candidum & odoratum, ex humili terra & virgine natum. *In lilio*, inquit Honorius *quinque conſiderantur, quia eſt candidum, habens aureum colorem prominentem, & eſt odoriferum, & pendulum, & ſemper incuruum: Sic Chriſtus candidus eſt in humanitate, aureus in Deitate, odoriferus in prædicatione, pendulus in ſuſcipiendo pœnitentes, incuruus in condeſcendendo peccatoribus & eos ſubleuando:* ipſe eſt lilium conuallium, ſcilicet ornamentum fidelium. ſicut enim conualles ſunt inter duos mõtes: ita fideles ſunt inter duas leges, vel inter duos populos, Iudæos & Gentiles.

Honor.

2. *Lilium candidum & aureum.*

Secundò: folia lilij foris candidiſſima ſunt, intus autem in medio floris trinus apparet radius coloris flaui, & planè aurei. Ita Chriſtus foris exhibebat humanitatem puriſſimam, intùs autem continebat auream Deitatem, imò & totam S. Trinitatem. *In ipſo enim inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Coloſſ. 2. 9. Ita Aponius: *Flos campi*, inquit, *fuit Chriſtus ante incarnationem, quia in toto cælorum campo coruſcans cæleſtibus ſpiritibus extitit admirandus; Poſt incarnationem verò effectus eſt lilium conuallium, cùm deſcendit in vallem lacrymarum & tria attulit, abolitionem peccati, abſterſionem mendacij, & refrigerium concupiſcentiæ; æquè ac lilium tria ex ſe exhibet, candorem, odorem, & ad quæque aduſta ignibus medicinam.* Et Beda: *Pulchrè, ait, in lilio priùs ſe candor exterior paulatim aperit, & ſic demum aurei coloris, qua latebat intus, gratia pateſcit, quia natus in mundo Dominus, priùs homo ſublimis his, qui in eum verè credebant, at tempore procedente, Deus verus innotuit.* S. Ambroſ. verò in Pſalm. 118. ſerm. 5. ſimilitudinem inuertens: In Chriſto, inquit, æquè ac in lilio fuit candor diuinitatis & rubor humanitatis. Huc accedit Cyrill. Alex. lib. de Incarn. vnigen. cap. 9 qui ſic explicat q. d. Sicut odor inuiſibilis eſt in lilio viſibilis; ſic Deitas incorporea in Chriſto homine, per hypoſtaticam vnionem fuit quaſi corporata.

Coloſſ. 2. 9.

Aponius.

Beda.

3.

Tertiò: S. Ambroſ. lib. 2. de Spiritu ſancto, cap. 5. Chriſtus, inquit, eſt flos campi quia inſtar floris in Paſſione contritus, & laniatus maiorem fragrauit odorem.

4. *Lilio nil fœcundius.*

Quartò, magna eſt lilij fœcunditas. Nam illo *nihil eſt fœcundius*, ait Plinius lib. 21. cap. 5. *vnâ radice quinquagenos ſæpe emittente bulbos.* Sic quid fœcundius Chriſto, à quo tot Chriſtianorum millia, imò milliones prognati ſunt?

5. *Lilium, florum celſiſſimum.*

Quintò; nullus flos celſior lilio, ſic nihil celſius Chriſto. Audi Plinium lilij decus graphicè depingentem lib. 21. c. 5. *Nec vlli florum excelſitas maior, interdum cubitorum trium, languido ſemper collo, & non ſufficiente oneri. Candor eius eximius, foliis foris ſtriatis, & ab anguſtiis paulatim in latitudines ſeſe laxantibus, effigie calathi, reſupinis per ambitum labris, tenuique filo & ſemine, ſtantibus in medio crocis. Ita odor colórque duplex, & alius calycis, alius ſtaminis, differentia anguſta.*

Plin.

*Myſticè.*

Myſticè Origenes: Chriſtus, ait, fuit flos inglorius Iudæis, quia ab eis contemptus; lilium verò glorioſum Gentibus, quia ipſæ gloriam Chriſti agnouerunt & coluerunt.

Symbolicè

Symbolicè. Symbolicè Honorius : Campus, inquit, id eſt, terra inarata eſt ordo virginum in Eccleſia, cuius flos eſt Chriſtus, quia eius delectatio, corona & pręmium. Conuallis verò eſt ordo coniugatorum, inter virgines & continentes quaſi inter duos montes ſitorum, quorum eſt Chriſtus lilium, ſcilicet candor & gaudium: *& ſicut lilium eſt inter ſpinas* decore & odore, ſic Eccleſia perfectorum eſt inter filias Ieruſalem, id eſt, inter imperfectos, eminens decore vitæ & odore doctrinæ. Perfecti dicuntur, quia omnia mundana reliquerunt dicente Dominō : *Si vis per-*
Matth. 19. 21. *fectus eſſe, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Imperfecti dicuntur, quia adhuc mundo vtuntur, de quibus dicitur: *Imper-*
Pſal. 136. 16. *fectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur.* Pſal. 136. 16.

Anagogicè. Anagogicè Eucherius in lib. 3. Reg. *Chriſtus*, inquit, *lilium propter gloriam reſurrectionis, foris candidum propter gloriam corpo-*
Eucher. *ris, intus verò aureum propter fulgorem animæ. Et ante paſſionem quidem lilium quaſi clauſum: propter paſſionem quippe gloriâ & honore coronatus eſt : poſt paſſionem verò lilium repandum, quatenus in aſſumpta humanitate potentiam diuinæ claritatis, quam habuit apud Patrem prinſquam mundus eſſet, oſtendit.* Theodoret. verò aſſerit Chriſtum fuiſſe florem campi in incarnatione, lilium verò conuallium in deſcēſu ad inferos: apud inferos enim ſunt imæ mundi valles.

## SECVNDVS SENSVS PARTIALIS,

### *De Chriſto & Anima Sancta.*

*Chriſtus in anima flos & lilium.*
1. PRimò, Nyſſenus hom. 4. docet Chriſtum eſſe florem campi in animabus ſanctis, quas gratia ſua fœcundat, vt fiant inſtar campi ampliſſimi & fertiliſſimi, qui omnes florum ſpecies profert. Addit Origenes, hom. 3. ex 4. Chriſtum incipientibus & ſimplicibus eſſe florem campi: at proficientibus lilium conuallium pro fulgore ſapientiæ & pudicitiæ. Ipſe enim eſt candor lucis æternæ, ſplēdor, & figura ſubſtantiæ Dei. Sap. 7. 25.

2. Secundò, Caſſiodor. Beda & S. Ambroſius loco iam citato, dicunt Chriſtum eſſe florem Campi in quibuſlibet fidelibus, lilium verò conuallium, id eſt, humilium, quia in humilibus magis eius gratia reſplendet.

3.
Ambroſ. Tertiò, S. Ambroſ. lib. 3. de Virginibus: *flos campi*, inquit, *Chriſtus, quia patentem ſimplicitatem puræ mentis frequentat: lilium vero conuallium, quia & flos humilitatis & ſimplicitatis.*

Quartò & aptiſſimè ; Chriſtus eſt lilium in mentibus caſtis & puris, quales 4. *Aptiſſimè.*
ſunt conuallium, id eſt, humilium: humilitatis enim germen & flos, eſt caſtitas & virginitas. Ita S. Hieronym. Epiſt. 8. ad Demetr. *Chriſtus, ait, quaſi auctor virginitatis* Hieronym.
*& princeps loquitur confidenter : Ego flos campi & lilium conuallium.* Rurſum ipſa anima caſta eſt lilium. Nam vt explicat Theodoret. *Lilium cùm exteriori decore ſplendet, totum aureum intus floſculum continet. Talis eſt* *Anima caſta, lilium.*
*anima iuſtitiæ ſplendore circundata, & ſpiritale ſapientiæ cognitioniſque donum in intimis penetralibus geſtans.*

Hinc & apes caſtæ, & virgines, vtpote quæ ſine concubitu fœtus procreant, & mella conficiunt, delectantur lilio quaſi virgineo, teſte Plinio lib. 21. cap. 12. Hac de cauſa Angelus è cælo detulit S. Cæciliæ & S. Valeriano, in coniugio ſeruantibus virginitatem, coronas è roſis & lilllis, vti habet eorum vita. Idē accidit SS. Iuliano & Baſiliſſæ, vt patet ex eorum vita apud Surium die 9. Ianuarij, atque aliis eiuſdem generis & virtutis. Virginibus ergo calathis date lilia plenis.

Quintò, Chriſtus eſt lilium conuallium, quia in vallibus, id eſt, humilibus 5.
excitat ſpem futuræ gloriæ. Deus enim humiles exaltat & glorificat. Liliū enim ſymbolum eſt ſpei. Cauſam dedi Oſee 14. 6. ad illa : *Germinabit ſicut lilium.* Conuallis ergo humilitatis, eſt lilietum Virginitatis, gratiæ & gloriæ.

Denique Chriſtus in ſanctis omnibus 6.
vt lilium floret & fragrat, ſcilicet vt lilium puritatis in Virginibus, patientiæ in martyribus, humilitatis in cænobitis, pœnitentiæ in pœnitentibus, doctrinæ in doctoribus, &c. Vnde S. Gregor. *Bene*, inquit, *Florem Chriſtus ſe nominat, qui dum* Gregor.
*ſpinas peccatorum exterminat, mentem Sponſæ & pulchritudine ſua iuſtitia exornat, & naribus cordis dum cæleſte deſiderium applicat, interiora animæ quaſi odore refocillat.*

Clariùs S. Bernard. ſerm. 47. *Flos*, inquit, Bernard.
*eſt virginitas, flos eſt martyrium, flos actio bona. In horto virginitas, in campo martyrium, bonum opus in thalamo.* Et poſt nonnulla : *Ipſe flos horti, virgo virgâ virgine generatus. Idem flos campi martyr, martyrum corona, martyrij forma. Denique foràs ciuitatem eductus eſt. extra caſtra paſſus eſt, in ligno eleuatus eſt, ſpectandus hominibus, ſubſannandus ab omnibus. Ipſe item thalami flos, ſpeculum & exemplum totius beneficentiæ.*

## TERTIVS SENSVS PRINCIPALIS,

*De Chriſto & B. Virgine.*

HÆc omnia præ omnibus eximiè competunt B. Virgini. Singulariter verò, quòd ex illa velut campo inarato prodierit flos pulcher, ſcilicet Chriſtus, atque ex eius vtero velut conualle humillimâ natum ſit liliũ pulcherrimum & odoratiſſimum, ſcilicet idem Chriſtus, vt paulò antè dixi ex Alano & aliis.

Verſ. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.*

PRo *lilium* Chald. Vatabl. & alij vertunt *Roſa*, quia hæc ſpinoſa eſt, & è ramo ſpinoſo naſcitur, non lilium. Verùm non dicit Salomon lilium hoc naſci è ramo ſpinoſo, ſed ſimpliciter eſſe inter ſpinas. q.d. Sicut lilium inter ſpinas poſitum effulget; ſic amica, id eſt, Sponſa mea emicat inter cęteras mulieres. Rurſum ſæpe inter ſentes & ſpinas naſcuntur lilia, vti cùm iuxta ſepes ſpinoſas plantantur, vel ſeminantur. Vnde Septuag. vertunt: *ſicut lilium in medio ſpinarum, ſic proxima* (Aquila: *amica*. Quinta

LXX. Aquila. V. Editio.

editio: *dilecta*) *mea in medio filiarum.*

Chald. explicans de Synagogæ, id eſt, Iudæorum peccantium captiuitate, ſic exponit, q.d. Sicut lilium pungitur ſpinis: ſic ſynagoga ob peccata punitur captiuitate Babylonicâ, vel Romanâ: vnde ipſe acccipiens hæc vt verba Sponſæ, id eſt, Synagogæ ſic vertit: *In tempore autem,*

Chald.

*quo ego declino à viis, quæ rectæ ſunt coram eo, & ipſe aufert maieſtatem ſanctitatis ſuæ à me, ego comparata ſum roſa, quæ germinat inter ſpinas, à quibus perforantur & rumpuntur folia eius: ſic ego ſum compuncta & ſciſſa propter peſſimas impoſitiones in captiuitate, inter prouincias populorum.*

## PRIMVS SENSVS ADÆQVATVS,

*De Chriſto & Eccleſia.*

SPonſus verſ. 1. nuncupauit ſeſe lilium, nunc idem nomen & laudem transſcribit in Sponſam, ſed addito τὸ *inter ſpinas*. Lilium verſ. 1. explicui, hîc explicabo τὸ *inter ſpinas.*

*Eccleſia lilium inter ſpinas.*

Primò, Origen. hom. 3. ex 4. ſic explicat, q. d. Sicut lilium ſatum inter ſpinas, ex illis exurgit & enaſcitur: ſic Eccleſia

1. *Infidelitatis.*

Gentium vocata & nata eſt ex ſpinis infidelitatis, & gentium infidelium. Chriſtus ergo fecit ſicut canis venaticus, inquit Hugo, qui feram inſequens caput intra ſpinarum aculeos immittit, non timens exulcerationem, vt feram capiat: Eccleſiam quaſi feram intra ſpinas, id eſt, intra reprobos latitantem extraxit, ſed punctiones ſpinarum vſque ad ſanguinis effuſionem ſuſtinuit, in cuius ſignum coronam ſpineam portauit in capite ſuper crucem.

2. *Spina, Iudæi, Philoſophi, Politici.*

Secundò & magis genuinè, q.d. ſicut lilium inter ſpinas, illas decore, odore & candore longè antecellit: ſic Eccleſia antecellit omnibus aliis ſectis Iudæorum, Philoſophorum, Politicorum, &c. Ita Origenes, Theod. & Iuſtus Orgel.

3. *Spina, Hæretici & mali Chriſtiani.*

Tertiò, q.d. Sicut lilium enaſcitur vigétque inter ſpinas, ſic Eccleſia viget floretque in medio Hæreticorũ & malorum Chriſtianorum, qui illam velut ſpinæ pungunt & lacerant; ſed ipſa nihilominus velut lilium in ſuo candore, odore, & ſplendore doctrinæ & ſanctitatis permanet, imò inter perſecutiones maiori odore & fulgore famæ coruſcat, ita S. Gregor. Aponius, Philo Carpath. S. Bernard. hîc & S. Auguſt. lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 13. Audi Honorium: Sicut ego ſum (ait Sponſus) lilium conuallium, videlicet ornatus humilium, ſic eris tu amica mea lilium ſpinarum, id eſt, decus gentium: & ſicut ego ſum lilium inter ſpinas, videlicet Iudæos me pungentes & lacerantes; ſic eris tu Eccleſia amica mea inter gentes filias Babylonis, id eſt, confuſionis, quæ te multis ſpinis cruciatum pungent, & multis pœnis lacerabunt. In ſpina tria notantur, citò floret, citò areſcit, aculeis pungit: ita mali citò diuitiis florent, in virtutibus citò areſcunt & igni apti ſunt, ac malis moribus bonos pungunt.

*Spina citò floret, citò areſcit, pungit.*

*Anagogicè.*

Anagogicè S. Auguſt. lib. 5. de Baptiſm. contra Donatiſt. cap. 27. per Sponſam accipit Eccleſiam Electorum, per ſpinas cœtum reproborũ: q. d. Sicut ſpinæ circundant lilium, ita reprobi electos; ſed hi inter reprobos gratiâ & gloriâ efflo reſcunt, ſicut lilium inter ſpinas: *Nam filiæ*, ait Rupertus, *cùm abſolutè dicuntur, ferè* Rupert.
*nunquam ſignificationem bonam habent, vt in illis: filiæ diſcurrerunt ſuper murum, ſed exaſperauerunt &c. Geneſ. 49. verſ. 22. & alibi: multæ* Geneſ 49.
*filiæ congregauerunt diuitias, &c. Prou. vlt. v. 29.* Prouerb. 31.

*Itaque*

*Itaque ſpina & filia, blaſphemiæ ſunt Iudæorum, ſecta ſunt hæreticorum.* Porrò per filias maximè denotat Sionidas, id eſt, Ieroſolymitanas & Iudæas.

## SECVNDVS SENSVS PARTIALIS,

*De Chriſto & Anima Sancta.*

*Anima pia, Lilium inter ſpinas.* 1. PRimò, tres Patres apud Theodoret. explicant, q. d. Inter filias, id eſt, animas ſæculares & carnales, quæ voluptatibus carnis effeminantur; iiſque velut ſpinis punguntur, cruciantúrque, & vt filiæ natæ ſunt ex patre diabolo, efflorer Anima Sancta inſtar lilij, quod nullam victus, aut veſtitus curam aut ſollicitudinem habet, ſed omnem illam tranſcribit in Deum: quare ab eo miro odore & decore veſtitur, & paſcitur. Simili enim modo anima pia nullâ carnis eurâ rangitur, ſed in Dei prouidentia quieſcens ab eo alitur, decoratur & illuſtratur. Vnde Chriſtus hac lilij ſimilitudine ſuadet fidelibus, ne ſolliciti ſint de victu & veſtitu. Matth. 6. Similia habet Origen. hom. 3. ex 4.

2. Secundò; S. Ambroſius lib. 3. de Virgin. per lilium inter ſpinas, accipit compunctionem cordis; ſic enim ait: *Tanquam* Ambroſ. *lilium inter ſpinas. Nonne inter aſperitates laborum, contritionéſque animorum boni flos odoris aſſurgit, quia contrito corde Deus placatur?*

3. Gregor. Tertiò; S. Gregorius per lilium inter ſpinas, accipit vitæ innocentiam inter nocentes. *Bene*, inquit, *ſicut lilium inter ſpinas, Sponſa inter filias eſſe perhibetur: quia cùm multi ſint in Eccleſia, qui ſolis verbis Chriſtum confitentur, operibus verò nihil niſi humanas ſollicitudines ſectantur, dum ſola illa anima in lilij dignitate computatur, quæ à mortalitatis radice ad cæleſtem pulchritudinem aſſurgit, & munditia candorem corde & corpore ſibi ipſi cuſtodit, & proximos quoſque bona opinionis odore reficit.*

4. Quartò, Nyſſen. hom. 4. ſic explicat, q. d. Sicut lilium inter ſpinas naſcitur & eſfloreſcit; ſic anima ſancta inter tribulationes in virtute creſcit, magíſque reſplendet. Et S. Ambroſius de inſtit Virg. cap. 14. Chriſtus, ait, erat lilium in medio ſpinarum, quando erat in medio Iudæorum, qui ipſum calumniati ſunt, accuſarunt, & crucifixerunt. Sui ergo exẽplo excitat fideles, vt perſecutiones & tribulationes quaſlibet forti animo tolerent & ſuperent. Ita Caſſiod. Aponius & Anſelm. Deus enim totam hanc vitam tot ſpinis, id eſt, tribulationibus ſepſit, vt Anima videns ſe vbique iis pungi, amorem ab omnibus mundi bonis, vtpote ſpinoſis auocet, eúmque totum in Deo Sponſo collocet. Sic ſpinæ conſeruant lilium, id eſt, puritatem & virginitatem animæ. Audi S. Bernard. ſerm. Bernard. 48. egregiè & ſapienter hoc pertractantem: *Conuerſus ſum in ærumnã mea dum configitur ſpina. Spina culpa eſt, ſpina pœna eſt, ſpina falſus frater, ſpina vicinus eſt malus. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. O candens lilium, ô tener & delicate flos, increduli & ſubuerſores ſunt tecum, vide quomodo cautè ambules inter ſpinas. Plenus eſt mundus ſpinis. In terra ſunt, in aëre ſunt, in carne tua ſunt. Verſari in his & minimè lædi diuinæ potentiæ eſt, non virtutis tuæ. Sed confidite, inquit, quia ego vici mundum. Etſi igitur vndique tibi intendi proſpicias tribulationum tanquam tribulorum aculeos, non turbetur cor tuum, neque formidet, ſciẽs quia tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio ſpem, ſpes autem non confundit. Conſidera lilia agri, quomodo inter ſpinas vigent & nitent. Si fœnum quod hodie eſt & cras in clibanum mittitur, Deus ſic cuſtodit, quantò magis amicam & Sponſam ſuam chariſſimam? Denique cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Subdit deinde quiddam, quod mirificè vim & ſplendorem lilij huius exaggerat, & perficit: *Non mediocris*, in- Idem. quit, *titulus profectò virtutis, inter prauos viuere bonum, & inter malignantes innocentiæ retinere candorem, & morum lenitatem: magis autem ſi his, qui oderunt pacem, & pacificum, & amicum ipſis te exibeas inimicis. Id planè tibi ſimilitudinem datam de lilio, iure quodam proprietatis ſpecialiter vendicabit, quod ipſas vtique pungentes ſe ſpinas candore proprio illuſtrare, & venuſtare non ceſſat. An non proinde lilium tibi videtur implere quodammodò Euangelij* Luc. 6. *perfectionem, qua orare iubemur pro calumniantibus, & perſequentibus nos, benefacere his, qui oderunt nos? Ergo & tu fac ſimiliter, & erit anima tua amica Domini, & laudabit te, de te dicens: Quia ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Annon hæc magna vis Lilij, magna inquam virtus animæ ſanctæ & Apoſtolicæ, vt ſpinas non tantùm ſuperet, ſed & eas in lilia conuertat, vt ex Saulo faciat Paulũ, ex Perſecuto e Prædicatorem, ex Dæmone Angelum? Appoſitè S. Hieronymus Epiſt. 140. ad Hieron. Principiam, S. Marcellam & Aſellam comparat lilio: *Habes, inquit, in ſtudio Scripturæ & in ſanctimonia mentis & corporis Marcellam, & Aſellam: quarum altera te per prata virentia*

*virentia, & varios diuinorum voluminum flores ducat ad eum, qui dicit in Cantico: Ego flos campi, & lilium conuallium:* Erat enim Marcella in Script.erudita, vt idē Hieron.docet Epiſt.16.) *Altera ipſa flos Domini* (Aſella) *tecum mereatur audire: vt lilium in medio ſpinarum, ſic proxima mea in medio filiarum.*

## TERTIVS SENSVS PRINCIPALIS,

*De Chriſto & B. Virgine*

RVpertus ſic exponit, q.d. Sicut Chriſtus velut lilium ſpinis Iudæorum, & Hæreticorum fuit tranſpunctus: ſic & B.Virgo iiſdem fuit compuncta & tranſfixa. *Itaque,* inquit, *hæ ſpinæ & filiæ, blaſphemiæ ſunt Iudæorum ſectæ ſunt hæreticorum. Quæcumque huiuſmodi ſpinæ lacerauerunt me: quæcumq. huiuſmodi filiæ tibi inuiderunt, & mihi detraxerunt. Vbi ego ſpinis compungebar, imò & clauis configebar, tu præſens patiebaris mente conuulnerata: & vbi tua Virginitati à filiabus derogatur, mihi quoque inuidioſè detrahitur. Verùm ſicut ego ſpinas pertuli quidem, ſed exuperaui: ita & de te veraciter prædicabitur, quia cunctas hæreſes interemiſti.* Hinc ait S.Auguſt. *Chriſtus Ieſus carnem, Maria Virgo immolat mentem.* In reuelationibus S. Brigittæ lib. 6. cap.30. S. Agnes reuelauit illi, quaſi tot ictus gladij B. Virginem ſuſtinuiſſe per compaſſionem, quot in filio ſuo vulnera & plagas præuidebat, & videbat. Audi quid de B. Virgine ſcribat S. Brigida in Sermone Angelico cap.16. Sicut Roſa creſcere ſolet inter ſpinas, ita B.Virgo in hoc mundo creuit inter tribulationes: & ſicut roſâ creſcente creſcunt & ſpinæ, ſic hæc electiſſima Roſa, Maria, quantò plus creſcebat ætate, tantò fortiorum tribulationum ſpinis acutiùs pūgebatur: quænam hæ fuerint eius tribulationes, in ſequentibus explicat.

Rupert.

Auguſtin.

Rurſum ex hoc loco cenſet Galatinus & Bellarminus tom.3.lib.4. cap. 15. ſine vlla originaria labe conceptā eſſe Virginem; Vt enim ex ſpinoſa planta ſine ſpinis naſcitur Roſa, in qua mira eſt & ad aſpectum iucunditas & ad odoratum ſuauitas; Sic ex tot peccatoribus nata eſt innocens & Sancta B.Virgo.

Idem dicas de lilio. Quocirca vt ait B. Petrus Damianus ſerm. 3. de Natiuit. Virgin. *De ſpinoſa progenie Iudæorum nata candeſcebat munditiâ virginea caſtitatis in corpore, flammeſcebat autem ardore geminæ charitatis in mente, flagrabat paſſim odore boni operis, tendebat ad ſublimia intentione continuâ cordis.* Spinam enim inter quas lilium eſſe dicitur, & ex quibus roſa originem ducit, Deiparæ proſapiam Patres interpretantur, ex qua ipſa nihil aſperum, nihil horridum contraxit: ſed tota ſuauis atque amœna, non ſecus ac lilium & Roſa extitit: Quare Sedulius lib. 2. de Virgine Sanctiſſima ſic cecinit:

P. Damian.

*Et velut in ſpinis mollis Roſa ſurgit acutis,*
*Nil quod lædat habens, matrémque obſcurat honore:*
*Sic Eua de ſtirpe ſacra veniente Maria,*
*Virginis antiquæ facinus noua Virgo piauit.*
*Sicut ſpina Roſam, genuit Iudæa Mariam.*

Sedulius.

Addit Dionyſ.Carthuſ.hîc: *Quamuis,* inquit, *fuerint multæ Virgines Sanctæ, tamen reſpectu Virginis beatiſſimæ quaſi ſpinæ fuiſſe videntur, in quantum aliquid culpæ habebant, & quamuis in ſe fuerint mundæ, non tamen fuit in eis fomes prorſus extinctus; fuerunt & aliis ſpinæ, qui ex earum intuitu concupiſcentiâ pungebantur. Porrò Deipara Virgo ab omni culpa fuit prorſus immunis, fuit fomes in ea plenè extinctus, & tamen intenſâ charitate erat repleta; quare intuentium corda ſic penetrauit ſuâ ineſtimabili caſtitate virgineâ, quod à nullo potuit concupiſci; imò potius extinxit ad horam illorum libidinem.*

Dionyſ. Carthuſ.

Rurſum, ſicut lilium valet aduerſus Serpentes & venena; ſic B. Virginis inuocatio ſingulare eſt remedium in omni tentatione vitiorum, & præſertim libidinis, vti experientia conſtat. Audi Plinium lib. 21. cap. 19. *Radices,* inquit, *Lilij multis modis florem ſuum nobilitauerunt contra ſerpentium ictus ex vino, & contra fungorum venena.* Dioſcorid. verò lib. 3. cap. 90. vbi agit de lilio: *Folia,* inquit, *herbæ illita ſerpentum morſibus ſubueniunt, eadem cocta in aqua ignis aduſtionibus, & cum aceto condita vulneribus.* Idem Dioſcorides lib. 15. cap. 1. de alia lilij ſpecie, quæ Latinè Iris, Italicè verò lilium cæleſte appellatur, radicem eius cum aceto potam venenatorum animalium morſibus mederi docet, Et Petrus Matthiol. in Comment. addit eandem radicem in puluerem cōtuſam, cum aceto potam vniuerſaliter aduerſus omnia venena prodeſſe.

*Lilium aduerſus ſerpentes & venena remedium.*

Plin.

Dioſcorid.

## VOX SPONSI.

Verſ. 3. *Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic Dilectus meus inter filios.*

SICVT *malus inter ligna ſyluarum.* (Arabic. *Sicut malum punicum in arbore ſyluæ) ſic dilectus meus inter filios.* Vatabl. *inter*

Arab.

*inter iuuenes*.q.d.Quantò arbor malus cæteris ſyluestribus arboribus enitet, eminet, & præſtat; quantò præ illis vtilem & ſalutarem aërem impertit, vbi opacat; quantò glandibus ſunt meliora poma; quantò homo, qui his veſcitur, reliqua omnia animantia, quæ illis veſcuntur antecellit; tantò, atque etiam multò magis Sponſus meus cæleſtis reliquis omnibus hominibus & dilectis, id eſt, amatis & amatoribus præſtat. Porrò Chald. vertit:

Chald. *Ecce ſicut pulchra & laudabilis malus citrea inter arbores infructuoſas, & totus mundus cognoſcit illam: Ita Dominator ſæculi fuit laudabilis inter Angelos in tempore, quo reuelatus eſt in monte Sinai, quando dedit legem populo ſuo.* Grecè *μῆλον*, Latinè *malus*, vel *melus*, aut ad verbum *melum* (vt habet interpres Origen. Vnde & Itali *poma* vocant *mele*)

*Pomum commune multis fructibus vocabulum.* eſt arbor pomus proferens poma. Poma autem genericè ſunt omnes fructus, qui cortice ſunt molli; ſicut nuces, qui duræ: quare ficus, pyra, vuæ, perſica, ceraſa, pruna, ſorbæ, meſpila, oliuæ, dactyli &c. cenſentur poma.

Eccleſia laudata à Sponſo de more laudem in ipſum reciprocat; vterque id facit more Bucolico, id eſt, paſtoritio & rurali, petitâ ſimilitudine à rure & arboribus. Inducitur enim hîc Sponſus quaſi paſtor, & Sponſa quaſi paſtrix, paſcens gregem, colénſque hortos, agros & vineas. Dicit ergo: Laudas me, ô Sponſe, quòd effulgeam ſicut lilium inter ſpinas; ſed hoc habeo à te, qui priùs effulſiſti ſicut malus inter arbores ſteriles Syluæ: tu enim decorem & præeminentiam mihi, velut Sponſus Sponſæ communicaſti.

*Chriſtus eſt pomus.* Sponſus enim ſua bona Sponſæ facit communia, imò propria.

1. *Propter excellentiam, & præeminentiam.* Primò ergo Eccleſia Chriſtum Sponſum comparat Malo, id eſt, Pomo arbori; quia ſicut pomus fructifera excellit reliquis arboribus ſyluæ ſterilibus & infrugiferis, ſic Chriſtus excellit omnes Angelos & homines · omnes enim ex ſe ſunt velut arbores infrugiferæ; ſed ex gratia Chriſti & Dei habent, quòd ferant fructus virtutum, gratiæ & gloriæ. Ita Origenes, Caſſiodorus, Beda & alij. Porrò S. Bernardus ſerm. 48. contendit Chriſtum hîc conferri & præferri hominibus dumtaxat, non verò Angelis, idque in rigore verum eſt, vti cenſent quoque Nyſſenus, Aponius, Philo Carp. Rupertus & alij.

2. *Propter ſuauem odorem.* Secundò, ſicut poma ſuauem expirant odorem, ſic & Chriſtus ſuo odore & famâ omnes ad ſe trahit. Hinc pomum Hebr. dicitur תפוח *tappuach*, à rad. פוח *puach*, id eſt, efflauit, expirauit; quia poma ſuauem exhalant odorem. Audi S. Ambroſium ſerm. 5. in Pſalm. 118. verſ. 1.

Ambroſ. *Tanquam malum in ligna ſilua. Huiuſmodi pomum odorem gratum habet, vt cæterorum pomorum fragrantiam vincat. Chriſtus ergo affixus ad lignum, ſicut malum pendens in arbore bonum odorem mundanæ fundebat redemptionis, quæ peccati grauis deterſit fætorem, & vnguentum potus vitalis effudit.*

3. *Propter varias gratias.* Tertiò, malus, ſiue pomus varias ſub ſe habet ſpecies arborum, quæ proinde diuerſarum ſpecierum poma & fructus proferunt, eáque excellenti ſapore, colore, & odore, vt ſunt mala aurea, medica, granata, perſica, cydonia, armeniaca, citria: ſic & Chriſtus omnes virtutum & gratiarum ſpecies progerminat, vt in virginibus virginitatem, in martyribus martyrium, in contemplantibus contemplationem, &c.

4. *Quia cibus eſt quo veſcimur.* Quartò, Chriſtus nobis verè eſt fructus & pomum, id eſt, cibus quo veſcimur & paſcimur, tum in Euangelij doctrina, vt Theodor. S. Ambroſius, Beda, Aponius, & S. Bernard. tum propriè vti cenſet Philo Carpath. Origen. Nyſſen. & Anſel. in Euchariſtia. Pomum, inquit Nyſſen. tuos ſenſus oblectat, puta viſum colore, odoratum odore, & guſtum ſapore. Idem facit Chriſtus. Addit Philo Carpath. pomum dare cibum, dare & potũ; ſic & Chriſtus, inquit, in Euchariſtia dat carnem ſuam in cibum, ſanguinem in potum. Vnde Aponius & Pſellus, per malum hîc accipiunt malum granatum, ex quo ſuccus rubeus & aqueus exprimitur, ſicut ex Latere Chriſti in cruce manauit ſanguis & aqua. Audi S. Gregor.

Gregor. *Meritò ergo per malum Chriſtus, per ſylueſtria verò ligna cæteri homines figurantur: quia in ſolo Chriſto cibum ſalutis quoties quærimus, inuenimus: in eius verbis & exemplis, animas noſtras fructu ſuaui & ſalubri reficimus. Ipſe eſt quippe lignum vitæ, quam nobis tribuit. Ipſe eſt, qui dum nobis ſemetipſum inſpirat, animam paſcit. In cæteris verò ſi quid refocillationis inuenimus, non quod illorum, ſed quod Chriſti eſt, ab illis ſumimus: quia quicquid in eis præter Deum eſt, mortiferum nobis proculdubio inuenimus.*

5. *Quia in nobis inſeritur.* Quintò, Nyſſen. hom. 4. docet Chriſtũ deſcendiſſe in ſyluã vitæ huius, vt ex arboribus ſylueſtribus faceret frugiferas, puta ex infidelibus hominibus faceret fideles, ex impiis pios, ex inceſtis caſtos, ex ſuperbis humiles: ſicut ramus mali inſertus fago, alteriue arbori ſylueſtri, in ea, & ex ea producit ſuos fructus & poma.

Hæc omnia mutato nomine applica animæ ſanctæ, & B. Virgini.

*Pomus eſt crux Chriſti.*

Denique malus inter ligna ſyluarum,
eſt crux, & Chriſtus crucifixus in medio
1. latronum, ait Aponius, Pſellus Theodo-
ret. Rupert. & S. Bernard. idque primò,
quia ſicut Adam peccauit in malo, co-
medendo pomum à Deo vetitum: ſic
Chriſtus ſatisfecit in malo pendens in
Miſſal. Rom. cruce, vt vbi culpa commiſſa fuerat, ibi
fieret & ſatisfactio; ac qui *in ligno vince-*
2. *bat, in ligno quoque vinceretur.* Secundò, quia
malus ſpeciem habet crucis (æquè ac
malus in naui, cum ſuis antennis & ve-
lis:) truncus enim ſpeciem habet trabis;
rami verò, ligni tranſuerſi in cruce: in ra-
mis enim mali diuaricatis, perinde ac in
ligno tranſuerſo, clauis configi poſſunt
3. extenſa crucifixi brachia. Tertiò, quia id
ipſum confirmat id quod ſequitur: *ſub
vmbra illius, quem deſideraueram ſedi, & fru-
ctus eius dulcis gutturi meo.* q. d. Sub malo, id
eſt, ſub cruce Chriſti ſedi, eiuſque fru-
4. ctus guſtaui. Quartò, quia multorum ſen-
tentia eſt crucem Chriſti factam eſſe ex
palma: palma autem eſt malus, quia pro-
fert dactylos, qui cùm ſint ſuaues & mol-
5. li cortice, poma nuncupantur. Quintò,
quia id ſignificatur c. 8. 5. cùm dicitur: *ſub
arbore malo ſuſcitaui te*, vbi plura hac de re.

Vnde huc alludens Fortunatus, & ex eo Eccleſia in Officio Paſſionis, & crucis, ſic de ea canit:

Officium. Eccleſiaſt.

*Crux fidelis, inter omnes*
*Arbor vna nobilis,*
*Nulla Sylua talem profert*
*Fronde, flore, germine.*
*Dulce lignum, dulces clauos,*
*Dulce pondus ſuſtinet.*

Dicit ergo Sponſa: *Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus inter filios*, q. d. cum S. Ignatio: *Amor meus crucifixus eſt*; Nullum diligo, niſi Chriſtum crucifixum. Et cum S. Paulo: *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt & ego mundo.* Galat. 6. Audi S. Ambroſium in Pſalm. 118. ſerm. 5. v. 1. *Iſta manſiones ſunt Crucis Chriſti & ſepulturæ, in quibus vulnerata eſt Eccleſia, ſed vulnere charitatis. Vulnus enim eſt, quod Chriſtus excepit; ſed vnguentum eſt, quod effudit. Pomum eſt quod pependit. Hoc pomum guſtauit Eccleſia, & ait: Et fructus eius dulcis in faucibus meis; & vt ſcias quia pomum eſt Dominus, legiſti ſuprà: Tanquam malum in lignis ſyluæ, ita conſobrinus meus.*

Ignat. Mart. Galat. 6. Ambroſ.

---

*Sub vmbra illius quem deſideraueram ſedi; & fructus eius dulcis gutturi meo.* verſ. 3.

SEPTVAGINTA: *In* (Symmach. *ſub*) *vmbra eius concupiui & ſedi*, id eſt, vmbram eius ardenter concupiui, & concupitâ fruitus ſum, ſub eâque iucundiſſimè ſedi: Vatabl. *Cuius vmbram expetiui, & ſub ea ſedebo.* Arabicus: *Concupiui obumbrari vmbrâ illius, & ſedi.*

LXX, Symmach. Vatabl. Arab.

Perſiſtit in ſimilitudine mali. Malus enim meliorem dat vmbram, quàm Platanus, cuius tamen vmbra iucundiſſima æſtimatur, teſte Plinio, & Platone in Phædro, vbi Socratē ſub Platano diſputantem inducit: *hæc enim platanus*, inquit, *eſt admodum patulis diffuſa ramis, & procera, & altitudo, opacitáſque perpulchra nimium & amœna*, &c. Arbores enim frugiferæ, qualis eſt malus, vti in ſe temperatiores & ſuauiores ſunt quàm infrugiferæ & agreſtes; ita & temperatiorem, ſuauiorémque præ iis emittunt vmbram, adde & fructus quibus viatorum ſub iis degentium famem, æſtúmque, & ſitim leuent.

*Pomi vmbra iucundiſſima.* Plato.

Nota: τὸ *ſub vmbra* ſignificat Sponſæ deſponſationem. Sponſa enim olim ſolebat conopœo, ſiue vmbraculo aut pallio Sponſi tegi, quo ſignificabatur eam vt Sponſam ſub Sponſi eſſe curâ & tutelâ. Vnde Ruth cap. 3. 9. expetens connubium Booz, qui quaſi proximus hæres, iuxta legem veterem eam ducere tenebatur, illi ait: *Expande pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es*, hoc eſt, me in tuam vmbram, puta in tuam familiam, domum, curam, & protectionem ſuſcipe me, vxorem me ducito, me tibi deſponde, & in ſignum deſponſationis ſub pallij tui vmbrâ & tegumento me tibi aſſocia. Et Deus Synagogæ Ezech. 16. 8. *Ecce tempus tuum*, inquit, *tempus amantium, & expandi amictum meum ſuper te.* Idem fuit ritus gentium. Vnde Euripides apud Stobæum, patrem ita filiam inſtruentem inducit: *Cùm ſub egregij viri pallium veneris, reliqua ſtudia viro ſinito.* Denique B. Virgini dixit Gabriel: *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*, q. d. Spiritus S. velut Sponſus vmbrâ ſuâ te excipiet, atque in te peraget arcanam Verbi Incarnationem. Chald. hæc de more accipiens de lege data à Moſe Synagogæ

*Hac vmbri adumbratur Sponſa deſponſatio.* Ruth 3. 9. Ezech 16. 8. Euripid. Luc. 1. 35.

Chald. gæ & Iudæis, ſic vertit: *Tunc temporis in vmbra maieſtatis eius deſideraui habitare: & verba legis eius dulcia fuerunt gutturi meo, & præmia præceptorum eius ſeruantur mihi in ſeculo venturo.*

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

QVæres, quænam vmbra Chriſti, quam ambit, & ſub qua latè ſedet quicūcitque Eccleſia, & anima ſancta.

*Vmbra Chriſti.* 1. *Incarnatio.* Reſpondent primò nonnulli eſſe Incarnationem, ſiue Verbum incarnatum: hoc enim vt vnicum mille malorum ſuorum remedium, per tot millia annorum auidiſſimè expectabat Eccleſia. Verbum enim eſt lux & lumen immenſum, cuius vmbra eſt corpus & humanitas ab eo aſſumpta: hæc enim velut vmbra celat & velat Deitatem, & maieſtatem Verbi. Humanitas ergo eſt vmbra Diuinitatis, quæ per illius tenue velamen obſcurè pellucet & tralucet.

2. *Protectio Eccleſiæ & Animæ ſanctæ.* Secundò, propriè & genuinè, Chriſti vmbra eſt eius prouidentia, cura & protectio Eccleſiæ, & animæ ſanctæ velut Sponſæ ſuæ, iuxta illud Iſaiæ 51. 16. *Iſai. 51. 16.* *In vmbra manus meæ protexi te, vt plantes cælos, & fundes terram.* Ita Origenes, Nyſſenus, Caſſiodorus, Ambroſ. Philo, S. Anſelm. & alij. Ex hac Chriſti virtute quaſi animata S. Petri vmbra, ſanabat quoſlibet infirmos. Actor. 5. 15. Hinc de Chriſto ait Ierem. *In vmbra tua viuemus in gentibus.* Thren. 4. 20. Et cap. 1. v. 16. vertunt Septuag. *Ad lectulum noſtrum vmbroſus*, puta Sponſus Chriſtus. Et Pſaltes: *Sub vmbra alarum tuarum ſperaui.* Pſalm. 36. verſ. 2.

*Thren. 4. 20.* LXX. *Pſalm. 36. 2.*

3. *Spiritus S.* Tertiò, Vmbra Chriſti eſt Spiritus S. ſicut enim corpus iacit vmbram, eâque velatur & obumbratur; ita Chriſtus quà Deus ſpirat Spiritum Sanctum, eòque quaſi velatur & tegitur. Hinc Spiritus S. obumbrando B. Virgini, in eius vtero Chriſti, quà homo eſt, corpus formauit, organizauit, animauit, Verbo Dei hypoſtaticè copulauit. Lucæ 1. 35. Sicut gallina vmbrâ alarum ſuarum ouis incubans, calore ſuo format pullum, animat, viuificat & excludit, ait Theophylact. in Lucæ 1. Audi S. Gregorium: *Vmbra Chriſti protectio eſt Spiritus ſancti. Spiritus quippe ſanctus mentem, quam replet, obumbrat, quia omnem tentationum feruorem temperat, & dum aura ſua inſpirationis ſuauiter mentem tangit, quidquid noxij caloris ſuſtinebat, expellit, &*

*Gregor.*

*Cornel. à Lapide in Cant. Canticor.*

*quam iam forſitan nimius vitiorum æſtus marcidam feceras, vmbra ſancti ſpiritus protegens, recreat, vt dum in ſua inſpiratione ſedens pauſat, vires colligat, quibus ad æternam vitam robuſtiùs currat.*

4. *Lex vetus.* Quartò, Origen. Theodoret. Philo Carpath. & S. Ambroſius in Pſalm. 118. ſerm. 5. per vmbram accipiunt legem veterem, in qua ſediſſe ſe ait Eccleſia ante Chriſtum, cùm adhuc degeret in Synagoga Moſis: lex enim erat vmbra Euangelij, ſicut Moſes Chriſti, & Synagoga Eccleſiæ.

5. *Fides.* Quintò; appoſitè S. Bernard. ſerm. 48. per vmbram accipit fidem, quæ eſt vmbroſa & obſcura: per fidem enim ambulamus & non ſpeciem, ſed fides deducit nos ad claram viſionem in cælis.

## SECVNDVS SENSVS

### *De Chriſto & Anima Sancta.*

*Chriſtus vmbra eſt animæ piæ.* 1. ANima ſancta ſub vmbra Chriſti crucifixi non ſtat ſed ſedet, id eſt, aſſiduè verſatur per meditationem, orationem, contemplationem, præſertim dum aliquâ tentatione vel tribulatione, velut ſolis ardore cruciatur & premitur. Chriſtus enim crucifixus vti crucis ſuæ, ſic & roboris participium illi communicat, imò magnis ſæpè mirìſque è cælo conſolationibus eam mulcet, vt malit eſſe in cruce cum Chriſto, quàm in deliciis cum mundo. Vnde & B. Franciſcus Xauerius in laboribus & ærumnis Indicis ita cæleſti dulcedine affluebat, vt clamaret: *Satis eſt Domine, ſatis eſt; nec enim mens mea in hac vita tantum gaudiorum pondus capit.* Ita S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 5. Hoc eſt quod canit Pſaltes: *Filij autem hominum in tegmine alarum ſuarum ſperabunt. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Pſalm. 35. 8. Notat Theodoret. in Philotheo, ſiue Hiſtoria SS. Patrum c. 9. animam Chriſto crucifixo deuotam, non tantùm Chriſtum, ſed & veſtem eius, domum, calceos, & quicquid aliquam, quantumuis tenuem eius vmbram gerit, ſuſpicere, amare & venerari.

*S. Xauerius.* *Pſal. 35. 8.*

2. *Euchariſtia vmbra Chriſti.* Secundò, Chriſti vmbra eſt ſacramentum Euchariſtiæ: in eo enim ſub ſpeciebus panis occulitur Deitas & humanitas Chriſti, quod proinde auidè deſiderant fideles, ac ſub eo ſecurè conquieſcunt. Ita S. Bernard. ſerm. 48.

3. *Sancti.* Tertiò, vmbra Chriſti ſunt Sancti: ſicut enim vmbra eſt imago corporis,

 ſed

ſed exilis & inadæquata; ita vita ſanctorum eſt imago vitæ Chriſti, ſed vmbratica dumtaxat, nec eam adæquans. Quare anima pia dum degit in fidelium & ſanctorum cœtu vel congregatione, ab ea velut vmbra protegitur; ſanctiſque illius exemplis & conſiliis confouetur. Ita Tres patres apud Theodor.

4. Quartò, Origen. putat per vmbram notari profectum in virtute: ſicut enim vmbra à meridie creſcit in veſperam: ſic & virtus animæ ſanctæ in dies creſcit, & proficit. Rurſum vmbra deducit ad

Origen. corpus: *Tu igitur, cùm vmbrâ dignus fueris,* ait Origen. *vt poſſis capere vmbram eius, & effectus, venies ad rē (vt ita dicam) corpus eius, ex quo vmbra naſcitur, tuncque ſenties fructus eius dulcedinem, dicéſque: Et fructus eius dulcis gutturi meo.*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

VMbra notat deſponſationē B. Virginis, vti paulò antè dixi, iuxta illud

Luc 1. Lucæ 1. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, ideóque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* Hæc ergo obumbratio quaſi eam deſpondit Spiritui ſancto, qui proinde in ea Chriſtum Sanctum ſanctorum efformauit, tuncque eam fructu dulciſſimo conſolationis & contemplationis adimpleuit.

Ruſſum, B. Virginis vmbra fuit non tantùm Spiritus S. ſed & Chriſtus: hic enim vocatur eius dilectus, id eſt, Sponſus. Huius enim aduentum & Incarnationem ſummè optabat B. Virgo; quare ante eius aduentum ſub vmbra eius ſedebat: tū quia ex fide Chriſti in ſe Incarnandi omnem ſuam gratiam, etiam Incarnationem præuiam hauſit: tùm quia tota eius ſpes, deſiderium, conſolatio, protectio, omnéque bonum erat ſperare Chriſtum naſciturum, videre, & amare naſcentem, ac frui iam nato.

*Et fructus eius dulcis gutturi meo.* Septuag.

LXX. *faucibus meis.* Vatabl.

Vatabl. *Eſtque fructus eius palato meo dulciſſimus.* Quæres, quis hic

Fructus Chriſti. Chriſti fructus?

1. Reſp. Primus Chriſti fructus eſt remiſſio peccatorum, iuſtificatio, gratia, & virtutes. Item prædicatio Apoſtolorum, & conuerſio gentium. Ita S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 5.

2. Secundus fructus Chriſti ſunt fructus Spiritus ſancti, quos enumerat S. Paulus Galat. 5. 22. dicens: *Fructus ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas,* &c. Chriſtus enim mittens in Apoſtolos & fideles Spiritum ſanctum in Pētecoſte, cum ipſo hæc eius dona & fructus pariter miſit. Ita Tres patres apud Theodoret. Galat. 5. 22.

Tertius fructus realis & corporalis, dulcis gutturi, tam corporis, quàm animæ eſt Euchariſtia, quâ nos Chriſtus paſcit, eiúſque velut mannæ cæleſtis dulcedine mentem inebriat. Ita Aponius, Rupert. & S. Bernard. ſerm. 48. Amor enim Chriſti & beneficia, qualis eſt Euchariſtia, variis hic figuris & ſchematibus repræſentantur. 3.

Quartus fructus Chriſti eſt eius ſermo & doctrina cæleſtis, ideóque ſaluberrima & dulciſſima. Vnde & Euangelium, id eſt, bonum felixque nuncium appellatur, quia nunciat regnum cælorum, modúmque eò perueniendi. Ita Nyſſen. hom. 4. & S. Ambroſ. annot. ad cap. 16. Exodi. 4.

Quintus fructus eſt meditatio iugis in lege Domini, ait Origen. ac magis contemplatio Chriſti, eiúſque Deitatis, ac Incarnationis, Paſſionis, &c. Ita S. Gregor. quem audi: *Arbor fructifera, ipſe Chriſtus in corde noſtro plantatur per fidem exiſtit, quam ſi mens noſtra dignè diligit, & inſtanter excolit fructus nimirum interiùs pulchros & vtiles gignit. Quos dum mens capiens auidè comedit, omnes mundi voluptates præ eius dulcedine poſtponit. Dulce enim eſt valde ſibi cæleſtia cogitare, in æternitate oculum intimum figere, vt aliquando in fletibus etiam mens accenſa compungatur, & inter lachrymas ſubleuata Angelorum cibo, ipſâ videlicet ſapientiâ, quantò dulciùs, tantò auidiùs paſcatur. Inde eſt quod ſubditur: Introduxit me in cellam vinariam.* Ita Contemplatione Chriſti quaſi manna cæleſti paſcebatur S. Magdalena ſedens ad pedes Ieſu: vnde ab eo audire meruit Lucæ 11. *Optimam partem ſibi elegit Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum.* Et S. Auguſt. in ſoliloq. cap. 22. *Obſecro,* ait, *vt omnia mihi amareſcant, vt tu ſolus dulcis appareas animæ meæ.* Idem in Manuali cap. 20. *Anima amans,* inquit, *trahitur votis, fertur deſideriis, diſſimulat merita, maieſtati oculos claudit, aperit voluptati, ponens ſe in ſalutari, & fiducialiter agens in eo. Amore animæ ſecedit & excedit à corporeis ſenſibus, vt ſe ſe non ſentiat, quæ Deum ſentit. Hoc fit cùm mens ineffabili Dei illecta dulcedine, quodammodò ſeſe ſibi furatur, imò rapitur atque labitur à ſeipſa, vt Deo fruatur ad iucunditatem. Nihil tam iucundum, niſi eſſet tam modicum. Amor dat familiaritatem* 5. Gregor. Luc. 11. Auguſtin. Idem.

*miliaritatem Dei, familiaritas auſum, anſus guſtum, guſtus famem. Anima quam tangit amor Dei, nihil aliud poteſt cogitare, nil deſiderare, ſed frequenter ſuſpirat dicens: ſicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus meus.* Et poſt nonnulla: *Tuta & firma requies eſt infirmis & peccatoribus in vulneribus Saluatoris. Securus illic habito: patent mihi viſcera per vulnera: quicquid ex me mihi deeſt, vſurpo mihi ex viſceribus Domini mei, quoniam miſericordiâ affluunt, nec deſunt foramina per quæ effluant. Per foramina corporis, patent mihi arcana cordis, patet magnum pietatis ſacramentum. Patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto. Vulnera Ieſu Chriſti plena ſunt miſericordiâ, plena pietate, plena dulcedine & charitate.* Ita S. Bonauentura viſitatus à S. Thoma Aquinate, rogatúſque ex quonam libro tam ſapientia, tam pia & dulcia hauriret ſenſa & verba, quæ docendo & ſcribendo eructabat, oſtendit ei effigiem Chriſti crucifixi, dixitque: *Iſte eſt liber, Pater mi, qui mihi ſuggerit omnia, quæ doceo & ſcribo. Ad pedes enim huius crucifixi anima mea maiora haurit è cælo lumina, quam ex omni lectione, diſputatione & ſtudio.* Ita noſter P. Ribadeneira in vita S. Bonauenturæ ex Chronicis S. Franciſci.

*Crucifixus, Liber S. Bonauentura.*

Ribaden.

Anagogicè S. Bernard. ſerm. 48. *Ait,* inquit, *& fructus eius dulcis gutturi meo. Merito eius deſiderauerat vmbram, de quo & refrigerium eſſet & refectionem pariter acceptura. Nam cætera quidem ſyluarum ligna etſi vmbram ſolatij habent, ſed non vitæ refectionem, non fructus perpetuos ſalutis. Vnus eſt enim vitæ auctor, vnus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus: ſalus tua ego ſum. Non Moyſes, inquit, dedit vobis panem hunc de cælo, ſed pater meus dat vobis panem de cælo verum. Propterea ergo Chriſti potiſſimum deſiderauerat vmbram, quòd ſolus ſit, qui non ſolùm ab æſtu refrigerat vitiorum, ſed & replet delectatione virtutum.*

*Anagogicè.*

Bernard.

Verſ. 4. *Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.*

INTRODVXIT *me in cellam vinariam,* (Hebr. *in domum vini.* Hebræi enim cellam, ſtabulum, cubiculum, imò omne vas & receptaculum vocant domum.) *Ordinauit in me charitatem.* Aptè ad ſeriem dramatis poſtquam dixit Sponſa: *Fructus eius dulcis gutturi meo,* ſubiungit: *introduxit me rex in cellam vinariam;* quia fructus, id eſt, cibus & comeſtio excitat ſitim, quam proinde vt leuet Sponſa, poſt comeſtum fructum inducitur in cellam vinariam. Rurſum, vt rectè S. Bernard. ſerm. 49. *Habito,* inquit, *pro votis dulci admodum familiarique colloquio cum dilecto, illo abeunte Sponſa regreditur ad adoleſcentulas, aſpectu ita ipſius aſſatúque refecta atque accenſa, quatenus ebria ſimilis appareret: Et quaſi illis ſtupentibus nouitatem, & quærentibus cauſam, reſpondit mirum minimè eſſe ſi vino æſtuaret, quæ in cellam vinariam introiſſet. Et ſecundùm litteram ita: ſecundùm ſpiritum quoque non negat ebriam, ſed amore, non vino, niſi quòd amor vinum eſt.*

Hebr.

Bernard.

Sunt ergo hæc verba Sponſæ ad Socias ſiue adoleſcentulas, quibus narrat ſe à Sponſo inductam in cellam vinariam, ibíque vino charitatis potatam, ordinem pariter charitatis accepiſſe. Porrò Septuag. vertunt: *Introducite* (ô adoleſcentulæ, vel potiùs ô ſocij Sponſi, puta Apoſtoli & Doctores) *me in cellam vinariam, ordinate in me charitatem.* q. d. Ego amore Sponſi ardeo, ideóque ſpirituali ſiccitate & ſiti æſtuo: Vos ergo, ô Socij Sponſi, inducite me in cellam vini, vbi ſitim hanc reſtinguam, ac ſimul ordinate in me charitatem, id eſt, ornate me iis veſtibus, monilibus, cæteriſque omnibus, quæ me Sponſo amabilem faciant, quæque Sponſam tanti Sponſi deceant, vt nuptias cum eo decorè celebrare merear. Hinc & Syrus more ſuo ſequens Septuag. vertit, *introduxerunt.* Noſter meliùs cum Chald. Vatabl. & aliis vertit *introduxit;* hoc enim ſignificat Hebr. הֱבִיאַנִי *heuiani.*

*Verba Sponſæ ad adoleſcentulas.*

Syrus

## PRIMVS SENSVS ADÆQVATVS,

### *De Chriſto & Eccleſia.*

INducta eſt Sponſa à Sponſo ab vmbra mali in cellam vini, id eſt, in locum deliciarum & nectaris, vbi bibit vinum charitatis; vt myſteriorum gratiam, & lætitiæ capiat ſuauitatem, ait S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 5.

Quæres, quænam ſit hæc cella vinaria?

*Cella vinaria quæ?*

Primò, Origen. hom. 3. ex 4. Theodor. & alij accipiunt domum ſapientiæ, puta gymnaſia vel templa, in quæ inducitur populus fidelis, vt ibi à doctoribus & prædicatoribus hauriat vinum veræ ſapientiæ, id eſt, cognitionis, timoris, & amoris Dei. Hinc S. Gregorius, & Aponius per cellam hanc accipiunt Sacram

*Reſp. 1. Gymnaſia vel Templa.*

Scripturam: hæc enim vinum ſapientiæ cæleſtis nobis propinat, & *per hanc*, ait S. Gregorius, *in Sponſa charitas ordinatur, quia in eius doctrina manifeſtè diſcitur, qualiter Deus & proximus ordinatè diligatur.* Huc accedit Chald. qui tamen more ſuo Synagogæ & Legi Moſis hæc adaptat: *Dixit*, inquit, *cœtus Iſraël: Introduxit me Dominus in domum Gymnaſij doctrinæ Iſraël, in montem Sinai, vt diſcerem legem ex ore Moſis Scribæ magni.* Huc facit quòd Chriſtus legem veterem vocat vinum vetus; nouam verò, & Euangelium vinum nouum quod in vtres nouos mittunt, & ambo conſeruantur. Matth. 9. 17.

Chald.

2. *Altare.*

Secundò, alij meliùs per cellam vinariam accipiunt altare: in hoc enim Sacerdotes conſecrant, hauriunt, & diſtribuunt vinum Euchariſticum, puta ſanguinem Chriſti, iuxta præceptum Chriſti. Ita Nyſſen. hom. 4. Pſellus, Rupert. & Paſchaſius Radbertus tract. de Euchariſtia cap. 11. Sic ſenſus eſt, q. d. Ipſemet Rex Sponſus me introduxit in apothecam vini: hoc eſt, iuſſit introire ad altare Dei, & illic ſumere calicem ſalutaris Domini, qui Deum lætificat; qui hominem viuificat: ſic pro vinea quam dereliqui, cellaria melioris nectaris ſum adepta.

Prouerb. 9. 1.

Alludit Salomon hîc ad illud Prouerb. 9. 1. *Sapientia ædificauit ſibi domum, &c. immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam.* Vide ibi dicta.

3. *Congregatio fidelium in die Pentecoſtes.*

Tertiò, & valdè appoſitè, cella vinaria eſt congregatio fidelium in Sion, cui è cælo data eſt plenitudo Spiritus ſancti in Pentecoſte, quo Apoſtolos & fideles cæleſtibus donis, ardoribus, & feruoribus impleuit, vt velut muſto amoris diuini ebrij eructarent magnalia Dei. Actor. 2. Ita Iuſtus Orgelit. & S. Bernard. ſer. 49. *Annon*, inquit S. Bernardus, *tibi cella videtur fuiſſe vinaria illa domus, in qua erant diſcipuli pariter congregati, cùm factus eſt repentè de cælo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes, & adimpleuit quod propheticum Ioëlis? & nonne vnuſquiſque illorum exiens, inebriatus ab vbertate domus illius, & torrente voluptatis tantæ potatus, dicere meritò quibat: quoniam introduxit me rex in cellam vinariam.* Vide eundem S. Bernardum ſerm. 2. de Pentecoſte. Cella vinaria ergo eſt plenitudo Spiritus ſancti, ſiue charitatis & zeli.

Bernard.

*Symbolicè Cella vinaria Myſterium Incarnationis.*

Symbolicè: Tres Patres apud Theodoretum, per cellam vinariam accipiunt myſterium Incarnationis, quaſi Eccleſia dicat Angelis, vel Apoſtolis & Doctoribus: *Introducite me in cellam vini, hoc eſt, docete me diuinas Incarnationis rationes; Deum enim Verbum appellat vinum, quod animas guſtantium lætitiâ afficit, ad diuinitatémque perducit. Huius cella, caro eſt ab ipſo aſſumpta; quam quidem in cellam Eccleſia introducitur, vna caro cum Chriſto futura. Sic enim Apoſtolus locum illum: Et erunt duo in carne vna, interpretatur: Ego autem, inquit, dico in Chriſto & in Eccleſia. Fidelium enim Eccleſia dum carnis & ſanguinis Chriſti particeps, atque vnum cum ipſo corpus efficitur, Incarnationiſque rationes ab Angelis diſcit, atque eas moribus comprobat, in vini cellam ingreditur. In me introducta ordinate charitatem, illam ſcilicet diuinâ gratiâ communionem, quâ vos ordine fruimini, in me quoque, fideles ſingulos pro cuiuſque ratione diuinis myſteriis inſtituentes, ordinate.*

3 Patres.

*Myſticè. Cella vinaria, Eccleſia.*

Myſticè, Theodoret. Caſſiodor. Beda, & Anſelm. per cellam vinariam accipiunt Eccleſiam, in qua haurimus vinum ſapientiæ & amoris diuini. Vide Hugonem de S. Victor. ſerm. 45. Inſtit. monaſt. vbi ſingulas animas huius cellæ eſſe dolia oſtendit. Vnde Origen. hom. 2. ex duabus, Sponſum ſic ad nouitios loquẽtem inducit: *Introducite me in domum vini. Cur tamdiu foris maneo? Ecce ſto ante oſtium & pulſo ſi quis mihi aperuerit, ingrediar ad eum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. Catechumenis pariter loquitur: Introducite me, non ſimpliciter in domum, ſed in domum vini. Impleatur vino lætitiæ, vino Spiritus ſancti Anima veſtra, & ſic introducite me in domum veſtram, Sponſum, Verbum, ſapientiam, veritatem.*

Origen.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

*Cella vinaria anima.*

CElla vinaria eſt domus orationis, ac ſtudium orationis & contemplationis: in ea enim Deus proponit fidelibus vinum conſolationis, exultationis, amoris, & feruoris diuini. Ita S. Gregorius, Caſſiod. Haymo, S. Bernard. & alij. Audi S. Gregorium: *Quid enim*, inquit, *per cellam vinariam congruentius, quàm ipſam arcanam æternitatis contemplationem accipimus? In hac æternitate Angeli ſancti vino ſapientiæ inebriantur, dum ipſum Deum facie ad faciem videntes, omni voluptate ſpiritali ſatiantur; Hanc ſancta mens, ſi à Sponſo introducatur, poſtpoſitis omnibus temporalibus intrat, in qua ex illis Angelicis deliciis, quantùm ſibi conceditur guſtat. Etſi adhuc quia in corpore corruptibili detinetur ſe perfectè non ſatiat, tamen ex illo minimo, quod curſim ſumit conſiderat, quantùm debeat amare quod amat.* Et S. Bernard. ſer. 49. *Si quis*, inquit, *orando obtineat mente*

Gregor.

*excedere*

Bernard.

*excedere in id diuini arcani, vnde moxe redeat diuino amore vehementiſſimè flagrans, & æſtuans iuſtitiæ zelo, necnon & in cunctis ſpiritualibus ſtudiis atque officiis per nimium feruens, ita vt poſſit dicere: Concaluit cor meum intra me, & in meditationibus meis exardeſcit ignis; is planè cùm ex charitatis abundantia, beatam & ſalutarem vini lætitiæ ructare crapulam cœperit, in cellam non immeritò perhibebitur vinariam introiiſſe. Cùm enim duo ſint beatæ contemplationis exceſſus, in intellectu vnus, & alter in affectu; vnus in lumine, alter in feruore; vnus in agnitione, alter in deuotione; pius ſanè affectus, & pectus amore calens, & ſanctæ deuotionis infuſio, etiam & vehementis ſpiritus repletus zelo non planè aliundè, quàm è cella vinaria reportantur; & cuicumque cum horum copia ſurgere ab oratione donatur; poteſt in veritate loqui, quia introduxit me rex in cellam vinariam.* Idem S. Bernard. ſerm. 23. tres

Tres Sponſi Cellæ.

Sponſi cellas aſſignat, Aromaticam, Vnguentariam, & Vinariam: primam ait eſſe diſciplinæ; ſecundam naturæ, tertiam gratiæ. Additque dici vinariam, *quòd in ea vinum zeli in charitate feruentis reconditur.*

Bernard.

*Nec debet omninò præeſſe aliis, qui in eam necdum meruit introduci. Oportet prorſus hoc vino æſtuet, qui aliis præſidet, quemadmodum Doctor gentium æſtuabat quando dicebat: Quis infirmatur & ego non infirmor? quis ſcandalizatur & ego non vror? Alioquin improbè ſatis præeſſe affectas, quibus prodeſſe non curas; & quorum non zelas ſalutem, ſubiectionem nimis ambitiosè venditas tibi.*

Vinū; Charitas & Amor.

*Porrò vinū, quod in cella Dei bibitur, eſt charitas & amor,* inquit Guilielm. *Hoc vino nihil caſtius, ſapidius, calidius: caſtius, quia quò magis bibitur, eò magis extinguit ſitim concupiſcentiæ; ſapidius, quia præbet guſtum, quàm ſuauis ſit Dominus, & ideò lætificat cor hominis; calidius, quia velut ignis mentes piorum inflammat, renes vrit & corda, potenter inebriat animam, & vſque ad obliuionem ſui inducit, planè tales ebrioſi regnum Dei poſſidebunt.*

Vnio realis cum Chriſto in Euchariſtia quæ?

Myſtici, ſiue Contemplatiui per cellaria accipiunt intimam & ſummam animæ, non cuiuſuis, ſed Sponſæ, id eſt, eximiè ſanctæ & contemplatiuæ, cū Chriſto in Euchariſtia vnionem, quæ non ſolùm per communem charitatis affectum fiat, ſed per effectum etiam & realem puriſſimarū mentium cum Chriſto coniunctionem, quæ in profundo cordis, & quaſi in centro animæ intimo & ineffabili amoris actu, complexûque mutuo perficitur, ad quam ab illa per ſingularem Dei bonitatem feliciter aliquando tranſitur, ſicut in oratione diuina à contemplatione ad realem cum Deo vnionem; atque complexum nonnunquam peruenitur. Hanc autem feliciſſimam vnionem nihil aliud eſſe dicunt, quàm intimam manifeſtationem ipſius Chriſti præſentiæ in hoc Sacramento latentis, non tam per viſionem aut reuelationem, quàm per amplexus dulciſſimos, quibus animam ita ineffabiliter ac ſuauiter adſtringit, vt ipſa realem eius præſentiam, oſcula & amplexus certiſſimè percipiat, eiúſque bonitatem & ineffabilem dulcedinem in ſuo fonte deguſtet. Hæc

Fit per illapſum Chriſti.

vnio mirabilis ſi ex parte Chriſti conſideretur, nihil aliud eſt, quàm illapſus, ſiue manifeſtatio ipſius Chriſti occultè in Sacramento exiſtentis, ſe tamen oſtēdentis purgatiſſimis mentibus ſub ratione ſummæ lucis, & ineffabili quodam contactu ad carnem ſpiritúmque pertingentis: qui cōtactus nihil aliud eſt, quàm dulciſſimus amplexus; & deoſculatio Chriſti: qua Sponſam dilectiſſimam ſuauiatur. Ex parte verò animæ; eſt mutuus amplexus, quem conſequitur experimentalis ipſius Chriſti perceptio, per quem ſpiritalis dulcedo in ipſo Deo poſſidetur. Ea porrò perceptio nullius hominis meritis, aut diſpoſitioni reſpondet, cùm ſit gratia gratis & ex mera Chriſti liberalitate pauciſſimis conceſſa; Ita ex S. Cypriano, S. Bernardo, S. Bonauentura, & aliis Noſter Salianus lib. 11. de amore Dei, cap. 12. Longè intimiùs, profundiùs, iucundiùs, ineffabiliùs animæ beatæ vniuntur Deo per viſionem & amorem beatificum, quo in diuinitate, quaſi in pelago felicitatis bonorúmque omnium merguntur & abſorbentur, vt aliud cogitare, velle, amare, deſiderare nequeant quàm Deum vel propter Deum.

## TERTIVS SENSVS

### *De Chriſto & B. Virgine.*

RVpertus B. Virginem aſſerit in cellam vinariam introductam, cùm deficiente vino in nuptiis in Cana Galilææ; vinum delicatiſſimum per Chriſti miraculum conuiuis procurauit; ac in nuptiis totius mundi, id eſt, in toto genere mortalium procurauit per Chriſtum vinum myſticum, puta incorruptionem animarum & immortalitatem corporum: *Introduxit* ergo *me in cellam vinariam,* inquit, *& ordinauit in me charitatem, id eſt, intelligere me fecit ſe ad hoc veniſſe, vt humani generis aquaticam infirmitatem in ſuum* Rupert.

 vinum,

Scripturam : hæc enim vinum ſapientiæ cæleſtis nobis propinat; & *per hanc*, ait S. Gregorius, in Sponſa charitas ordinatur, quia in eius doctrina manifeſtè diſcitur, qualiter Deus & proximus ordinatè diligatur. Huc accedit Chald. qui tamen more ſuo Synagogæ & Legi Moſis hæc adaptat : *Dixit*, inquit, *cœtus Iſraël: Introduxit me Dominus in domum Gymnaſij doctrinæ Iſraël, in montem Sinai, vt diſcerem legem ex ore Moſis Scribæ magni.* Huc facit quòd Christus legem veterem vocat vinum vetus; nouam verò, & Euangelium vinum nouum quod in vtres nouos mittunt, & ambo conſeruantur. Matth. 9. 17.

Chald.

2. Secundò, alij meliùs per cellam vinariam accipiunt altare : in hoc enim Sacerdotes conſecrant, hauriunt, & diſtribuunt vinum Euchariſticum, puta ſanguinem Chriſti, iuxta præceptum Chriſti. Ita Nyſſen. hom. 4. Pſellus, Rupert. & Paſchaſius Radbertus tract. de Euchariſtia cap. 11. Sic ſenſus eſt, q. d. Ipſemet Rex Sponſus me introduxit in apothecam vini: hoc eſt, iuſſit introire ad altare Dei, & illic ſumere calicem ſalutaris Domini, qui Deum lætificat, qui hominem viuificat : ſic pro vinea quam dereliqui, cellaria melioris nectaris ſum adepta.

*Altare.*

Alludit Salomon hîc ad illud Prouerb. 9. 1. *Sapientia ædificauit ſibi domum, & immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam.* Vide ibi dicta.

Prouerb. 9. 1.

3. Tertiò, & valde appoſitè, cella vinaria eſt congregatio fidelium in Sion, cui è cælo data eſt plenitudo Spiritus ſancti in Pentecoſte, quo Apoſtolos & fideles cæleſtibus donis, ardoribus, & feruoribus impleuit, vt velut muſto amoris diuini ebrij eructarent magnalia Dei. Actor. 2. Ita Iuſtus Orgelit. & S. Bernard. ſer. 49. *Annon*, inquit S. Bernardus, *tibi cella videtur fuiſſe vinaria illa domus, in qua erant diſcipuli pariter congregati, cùm factus eſt repentè de cælo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis; & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes; adimpleuitque prophetiam Ioëlis? & nonne vnuſquiſque illorum exiens, inebriatus ab vbertate domus illius, & torrente voluptatis tuæ potatus, dicere meritò quibat: quoniam introduxit me rex in cellam vinariam.* Vide eundem S. Bernardum ſerm. 3. de Pentecoſte. Cella vinaria ergo eſt plenitudo Spiritus ſancti, ſiue charitatis & zeli.

*Congregatio fidelium in die Pentecoſtes.*

Bernard.

Symbolicè : Tres Patres apud Theodoretum per cellam vinariam accipiunt myſterium Incarnationis, quaſi Eccleſia dicat Angelis, vel Apoſtolis & Doctoribus: *Introducite me in cella vini, hoc eſt, docete me diuinas Incarnationis rationes; Deum enim Verbum appellat vinum, quod animas guſtantium lætitiâ afficit, ad diuinitatémque perducit. Huius cella, caro eſt ab ipſo aſſumpta; quam quidem in cellam Eccleſia introducitur, vna caro cum Chriſto futura. Sic enim Apoſtolus locum illum : Et erunt duo in carne vna, interpretatur: Ego autem, inquit, dico in Chriſto & in Eccleſia. Fidelium enim Eccleſia dum carnis & ſanguinis Chriſti particeps, atque vnum cum ipſo corpus efficitur, Incarnationiſque rationes ab Angelis diſcit, atque eas moribus comprobat, in vini cellam ingreditur. In me introducta ordinate charitatem, illam ſcilicet diuinæ gratiæ communionem, quâ vos ordine fruimini, in me quoque, fideles ſingulos pro cuiuſque ratione diuinis myſteriis inſtituentes, ordinate.*

*Symbolicè. Cella vinaria Myſterium Incarnationis.*

3 Patres.

Myſticè, Theodoret. Caſſiodor. Beda, & Anſelm. per cellam vinariam accipiunt Eccleſiam, in qua haurimus vinum ſapientiæ & amoris diuini. Vide Hugonem de S. Victor. ſerm. 45. Inſtit. monaſt. vbi ſingulas animas huius cellæ eſſe dolia oſtendit. Vnde Origen. hom. 2. ex duabus, Sponſum ſic ad nouitios loquentem inducit : *Introducite me in domum vini. Cur tamdiu foris maneo? Ecce ſto ante oſtium & pulſo ſi quis mihi aperuerit, ingrediar ad eum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. Catechumenis pariter loquitur: Introducite me, non ſimpliciter in domum, ſed in domum vini. Impleatur vino lætitiæ, vino Spiritus ſancti Anima veſtra, & ſic introducite me in domum veſtram, Sponſum, Verbum, ſapientiam, veritatem.*

*Myſticè. Cella vinaria, Eccleſia.*

Origen.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

CElla vinaria eſt domus orationis, ac ſtudium orationis & contemplationis : in ea enim Deus proponit fidelibus vinum conſolationis, exultationis, amoris, & feruoris diuini. Ita S. Gregorius, Caſſiod. Haymo, S. Bernard. & alij. Audi S. Gregorium : *Quid enim*, inquit, *per cellam vinariam congruentius, quàm ipſam arcanam æternitatis contemplationem accipimus? In hac æternitate Angeli ſancti vino ſapientiæ inebriantur, dum ipſum Deum facie ad faciem videntes, omni voluptate ſpiritali ſatiantur; Hanc ſancta mens, ſi à Sponſo introducatur, poſtpoſitis omnibus temporalibus intrat, in qua ex illis Angelicis deliciis, quantùm ſibi conceditur guſtat. Etſi adhuc quia in corpore corruptibili detinetur ſe perfectè non ſatiat; tamen ex illo minimo, quod curſim ſumit conſiderat, quantum debeat amare quod amat.* Et S. Bernard. ſer. 49. *Si quis*, inquit, *orando obtineat mente*

*Cella vinaria animæ.*

Gregor.

*excedere*

Bernard.

*excedere in id diuini arcani, unde mox redeat diuino amore vehementiſſimè flagrans, & æſtuans iuſtitiæ zelo, necnon & in cunctis ſpiritualibus ſtudiis atque officiis per nimium feruens; ita vt poſſit dicere: Concaluit cor meum intra me, & in meditationibus meis exardeſcit ignis; is planè cùm ex charitatis abundantia, beatam & ſalutarem vini lætitiæ ructare crapulam cœperit, in cellam non immeritò perhibebitur vinariam introiiſſe. Cùm enim duo ſint beatæ contemplationis exceſſus, in intellectu vnus, & alter in affectu; vnus in lumine, alter in feruore; vnus in agnitione, alter in deuotione; pius ſanè affectus, & pectus amore calens, & ſancta deuotionis infuſio, etiam & vehementis ſpiritus repletus zelo non planè aliundè, quàm è cella vinaria reportantur; & cuicumque cum horum copia ſurgere ab oratione donatur; poteſt in veritate loqui, quia introduxit me rex in cellam vinariam.*

*Tres Sponſi Cellæ.*

Idem S. Bernard. ſerm. 23. tres Sponſi cellas aſſignat, Aromaticam, Vnguentariam, & Vinariam: primam ait eſſe diſciplinæ; ſecundam naturæ, tertiam gratiæ. Additque dici vinariam, *quòd in ea vinum zeli in charitate feruentis reconditur.*

Bernard.

*Nec debet omnino præeſſe aliis, qui in eam necdum meruit introduci. Oportet prorſus hoc vino æſtuet, qui aliis præſidet, quemadmodum Doctor gentium æſtuabat quando dicebat: Quis infirmatur & ego non infirmor? quis ſcandalizatur & ego non vror? Alioquin improbè ſatis præeſſe affectas, quibus prodeſſe non curas, & quorum non zelas ſalutem, ſubiectionem nimis ambitioſè vendicas tibi.*

*Vinũ. Charitas & Amor.*

*Porrò vinũ, quod in cella Dei bibitur, eſt charitas & amor,* inquit Guilielm. *Hoc vino nihil caſtius, ſapidius, calidius: caſtius, quia quò magis bibitur, eò magis extinguit ſitim concupiſcentiæ; ſapidius, quia præbet guſtum, quàm ſuauis ſit Dominus, & ideò lætificat cor hominis; calidius, quia velut ignis mentes piorum inflammat, renes vrit & corda, potenter inebriat animam, & vſque ad obliuionem ſui inducit, planè tales ebrioſi regnum Dei poſſidebunt.*

*Vnio realis cum Chriſto in Euchariſtia qua?*

Myſtici, ſiue Contemplatiui per cellaria accipiunt intimam & ſummam animæ, non cuiuſuis, ſed Sponſæ, id eſt, eximiè ſanctæ & contemplatiuæ, cũ Chriſto in Euchariſtia vnionem, quæ non ſolùm per communem charitatis affectum fiat, ſed per effectum etiam & realem puriſſimarũ mentium cum Chriſto coniunctionem, quæ in profundo cordis, & quaſi in centro animæ intimo & ineffabili amoris actu, complexúque mutuo perficitur, ad quam ab illa per ſingularem Dei bonitatem feliciter aliquando tranſitur, ſicut in oratione diuina à contemplatione ad realem cum Deo vnionem; atque complexum nonnunquam peruenitur. Hanc autem feliciſſimam vnionem nihil aliud eſſe dicunt; quàm intimam manifeſtationem ipſius Chriſti præſentiæ in hoc Sacramento latentis, non tam per viſionem aut reuelationem, quàm per amplexus dulciſſimos, quibus animam ita ineffabiliter ac ſuauiter adſtringit, vt ipſa realem eius præſentiam, oſcula & amplexus certiſſimè percipiat, eiúſque bonitatem & ineffabilem dulcedinem in ſuo fonte deguſtet.

*Fit per illapſum Chriſti.*

Hæc vnio mirabilis ſi ex parte Chriſti conſideretur, nihil aliud eſt, quàm illapſus, ſiue manifeſtatio ipſius Chriſti occultè in Sacramento exiſtentis, ſe tamen oſtẽdentis purgatiſſimis mentibus ſub ratione ſummæ lucis, & ineffabili quodam contactu ad carnem ſpiritúmque pertingentis: qui cõtactus nihil aliud eſt, quàm dulciſſimus amplexus, & deoſculatio Chriſti: qua Sponſam dilectiſſimam ſuauiatur. Ex parte verò animæ; eſt mutuus amplexus, quem conſequitur experimentalis ipſius Chriſti perceptio, per quem ſpiritalis dulcedo in ipſo Deo poſſidetur. Ea porrò perceptio nullius hominis meritis, aut diſpoſitioni reſpondet, cùm ſit gratia gratis & ex mera Chriſti liberalitate pauciſſimis conceſſa. Ita ex S. Cypriano, S. Bernardo, S. Bonauentura, & aliis. Noſter Salianus lib. 11. de amore Dei, cap. 12. Longè intimiùs, profundiùs, iucundiùs, ineffabiliùs animæ beatæ vniuntur Deo per viſionem & amorem beatificum, quo in diuinitate, quaſi in pelago felicitatis bonorúmque omnium merguntur & abſorbentur, vt aliud cogitare, velle, amare, deſiderare nequeant quàm Deum vel propter Deum.

## TERTIVS SENSVS

### *De Chriſto & B. Virgine.*

RVpertus B. Virginem aſſerit in cellam vinariam introductam, cùm deficiente vino in nuptiis in Cana Galilææ; vinum delicatiſſimum per Chriſti miraculum conuiuis procurauit; ac in nuptiis totius mundi, id eſt, in toto genere mortalium procurauit per Chriſtum vinum myſticum, puta incorruptionem animarum & immortalitatem corporum: *Introduxit* ergo *me in cellam vinariam,* inquit, *& ordinauit in me charitatem, id eſt, intelligere me fecit ſe ad hoc veniſſe, vt humani generis aquaticam infirmitatem in ſuum*

Rupert.

*vinum, id eſt, in ſuæ immortalitatis conuertaret fortitudinem, & quod affectibus meis diuinam voluntatem preferre deberem. Hoc eſt enim ordinatam habere charitatem, opt::re quidem vt non moriatur talis dilectus, ſed amplius deſiderare totius humani generis ſalutem.*

*Varia Verſiones.* Hebr. LXX.

*Ordinauit in me charitatem.* Hebr. דגלו עלי אהבה *dighlo alai ahava*, id eſt, *vexillum eius ſuper me charitas.* LXX. videntur legiſſe (vti & iam legunt nonnulli) alio puncto דגלו *dighlu*, id eſt, *vexillate*, ſiue *ordinate.* Vnde vertunt: *Ordinate ſuper me charitatem.* Et Symmach. *coacervate ſuper me charitatem.* Et S. Ambroſ. ſerm. 5. in Pſalm. 118. *Conſtituite in me dilectionem.* & Rabbini veteres: *Inſignem facite, vel magnificate ſuper me charitatem.* Noſter omiſsâ vltimâ literâ ו *Vau*, videtur legiſſe דגל *dagal*, id eſt, vexillauit, id eſt, vexillum erexit, hoc eſt, *ordinauit in me charitatem.* Verùm non eſt neceſſe huc confugere. Ex Hebræo enim *dighlo alai ahava*, id eſt, *vexillum eius ſuper me charitas*, ſi ſubaudias verbum præſens *eſt*, rectè vertas, *Vexillum eius ſuper me eſt charitas*, hoc eſt, *vexillauit ſuper me charitatem*, ſiue, vexillũ charitatis ſuper me erexit, quod Noſter aptè vertit, *ordinauit in me charitatem* eo ſenſu, quem mox dabo, Septuag. verò ſubaudientes Optatiuum vel Imperatiuum *ſit*, vel *eſto*, vertunt: *Vexillum eius ſuper me ſit charitas*, ſubaudi & præpone, *Efficite vt vexillum eius ſuper me ſit charitas*, hoc eſt, *vexillate*, ſiue *ordinate ſuper me charitatem.* Septuag. ſequitur Symmachus, S. Ambroſius, & Rabbini: S. Hieronymus verò lib. 3. in Zachar. cap. 14. legit: *panite ſuper me charitatem.* Syrus: *Ordinauerunt erga me*, vel *contra me amorem.* Denique Arabicus: *Ordinauerunt aduersùs me tentationem* vel *probationem.*

Symmach. Ambroſ. Rabbini. Hieron. Syrus. Arabic.

Quæres cur Noſter & Septuag. Hebr. דגל *dagal*, id eſt, *vexillauit*, ſiue erexit vexillum, vertunt *ordinauit* Reſp. quia τὸ *ordinauit* eſt hîc verbum militare, & ſignificat ordines exercituum, caſtrorum & acierum. Tota enim vis, totúmque robur exercitus conſiſtit in recta eiuſdem ordinatione, quæ ſi ſeruetur, certa eſt ſpes victoriæ: ſin ordines turbentur, certa eius eſt clades & ruina. Audi Vegetium lib. 2. de re milit. cap. 13. *Antiqui, quia ſciebant in acie commiſſa prælio, celeriter ordines aciéſque turbari; ne id poſſet accidere, cohortes in centurias diuiſerunt, & ſingulis centuriis ſingula vexilla conſtituerunt, ita vt ex qua cohorte, vel quota centuria eſſet. in illo vexillo literis eſſet adſcriptum, quod legentes vel intuentes milites, in quouis tumultu à contubernalibus ſuis aberrare non poſſent.*

Vegetius.

Idem cap. 20. docet Romanos partem ſtipendij militum apud proprium cuiuſque cohortis vexillum depoſuiſſe, vt pro eo fortiùs dimicarent milites, cùm ſcirent ſe pro ſuis ſtipendiis dimicare. Dicit ergo Sponſa: Sponſus in cellam vini me inducens, vinóque charitatis me potans, adeò illa me repleuit & roborauit, vt exercitum ex ea validum, aciémque robuſtam in me videatur inſtruxiſſe, & ordinaſſe, quâ contra omnes hoſtes, perſecutiones, tentationes, tribulationes, concupiſcentias & vitia fortiter æquè ac ſapienter confligam, viucam, ac inuicta de iis triumphem: Officia enim & actus varij charitatis, ſunt quaſi multi milites charitatis, qui iuncti eius exercitum conflant. Vnde Symmach. vertit: *Coacervate ſuper me charitatem.* Porrò, ſicut in exercitu robur conſiſtit in recta militum diſpoſitione & ordinatione, ſic & robur charitatis conſiſtit in recta officiorum & actuum eius diſtributione, & ordinatione. Primò enim diligendus eſt Deus, deinde propter Deum anima propria, tertiò proximus, iſque ſuo gradu & ordine. Primò enim diligendi ſunt parentes corporales & ſpirituales, deinde fratres, mox cognati, inde cæteri homines, quiſque ſuo gradu & ordine: quod ſi ordinem charitatis inuertas, charitatem perdis & euertis. *Ordinauit* ergo *in me charitatem*, non aliud eſt quàm ſi dixiſſet, ſtatuit me ſub vexillo charitatis, iuſſit me in hoc ordine militare. Rectè verò Noſter, ſicut & Septuag. vſus fuit verbo ordinandi: tum quia (vt ait D. Auguſt.) *nihil eſt aliud perfecta & vera virtus, quàm ordo amoris*: tum quia Sponſa his verbis hoc voluit: Non ſum ſuaui illo nectare dementata, non ebullit in me concupiſcẽtia; non agor in furorem, aut vagor bacchabunda, ſed probè mihi conſto, ſobrius eſt amor meus, & rerum perſonarúmque quam oportet, æſtimationem, & diſpoſitiones, ordinémque plenè teneo, quia ſequor charitatem quaſi Cynoſuram; hæc ſemper ordinata eſt, non minus quàm acies inſtructa ſuis vexillationibus. Sic enim charitas primo loco Deum collocat, ſe ſecundo, tertio proximos, & hos ipſos quoſdam in principiis, quoſdam in media acie, quoſdam in agmine extremo. Ita Nyſſen. Aponius, Honorius & alij hîc, ac S. Fulgent. lib. 1. ad Monim. cap. 20. S. Auguſt. (vel quiſquis eſt Auctor, ſtylus enim à S. Auguſt. diſſonat) lib. de ſubſtantia dilectionis cap. 4. & 5. atque ex iis Delrio. Huc

Symmach. *Vt exercitus ſit charitatis robur in ordine conſiſtit.*

Lib. 15. c. 22. de Ciuit. Dei.

facit

Digitized by Google

facis officiorum, velut militum in Eccleſia diſtributio & diſtributus ordo, de quo Apoſtol. Corinth. 12. 4. *Diuiſiones*
1. Cor. 12. *gratiarum ſunt, idem autem Dominus: & diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Et poſt nonnulla: *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecundò prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes & genera linguarum.*

*Vexillare charitatem, multa notat.* Porrò ex Hebr. דגל *dagal*, id eſt, *vexillauit*, multiplices, iíque ſapidi & profundi erui poſſunt ſenſus. Primò Vatabl.
1. Vatabl. vertit: *Cuius* (Sponſi) *vexillum erga me eſt dilectio.* Solent enim duces vexillo poſt ſe trahere milites, ita Sponſus Sponſam amore, tanquam vexillo ad ſe ſuáque caſtra attraxit.

2. Secundò, ſicut in arce capta victoris eleuatur vexillum, in quo expreſſum illius inſigne conſpicitur: Sic Sponſa victa beneficiis Sponſi, iiſque capta eſt & poſſeſſa, vt charitas, quæ Sponſi eſt vexillum, ſuper ipſam iam ſit erecta. Vnde
Chald. Chald. vertit: *Et vexillum præceptorum eius ſuſcepi ſuper me in dilectione, & dixi, omnia quæ præcepit Dominus, faciam & audiam.*

3. Tertiò, Giſlerius, q. d. Introducens me Sponſus in domum vini, in domum amoris ac voluptatis, erexit in me, quem in omnibus ſequerer amorem, illum mihi propoſuit quem ſequerer, quémque illæſum ſeruarem iugiter, æquè ac vexillum ſequuntur, tutantúrque milites.

4. Quartò, Sottomaior, q. d. Sicut in acie bene ordinatâ ſolent milites, legiones, cohortes & decuriæ vexillum, ſeu vexilliferum intueri ad victoriam & gloriam: Sic ego Sponſum meum ſemper amori meo, velut ſcopum propoſitum habeo, atque omnes actiones meas ad eum dirigo & exigo, vt ſint Deo gratæ, honeſtæ & bene ordinatæ, & denique gloriâ dignæ, iuxta illud quod præcepit Paul. 1. Corinth. cap. 10. *Siue ergo manducatis, ſiue*
1. Cor. 10. *bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Porrò vexillum charitatis Chriſti, eſt vexillum crucis. In cruce enim inuictam & ſummam charitatē, tum erga Deum, tum erga homines Chriſtus oſtendit; vnde per eam de Peccato, Morte, Diabolo & Inferno triumphauit. Quocirca Con-
*Labarum Conſtantini, vnde ſic dictum?* ſtantinus Magnus hoc crucis vexillum, ſibi in cælo cùm hoc lemmate oſtēſum: *In hoc ſigno vinces*, caſtris ſuis contra Maxentium aliòſque tyrannos prætulit, ac Labarum quaſi laborum ἆθλον, id eſt, finem & terminum nuncupauit; nam per illud omnes hoſtes proſtrauit, teſte Euſebio, lib. 1. de vita Conſtant. cap. 22. & ſeq.

Quintò, Titelmannus ex Chald. vertit: *Glutinum eius*, ſiue *iunctura ad me eſt* 5. Titelman. Chald.
*charitas*. q. d. Sponſus per charitatem mihi intimè coniungitur, & quaſi per glutinum conglutinatur, ſicut conglutinantur chartæ.

Sextò, Rabbini vertunt: *Inſigniuit in* 6.
*me charitatem*, vel *inſigne eius ad me dilectio.* Rabbini.
q. d. Sponſus non vulgariter ſed inſigniter me amat, nam inſignia & eximia dilectionis officia mihi exhibuit. Aut magnam, inſignem & ardentem charitatem, qua eum redamem, mihi infudit.

Septimò, neruosè præ omnibus noſter 7.
Sanchez cum Syro vertit: *Amorem contra* Sanchez.
*me tanquam exercitum vexillatum*, id eſt, per acies & vexilla digeſtum, *inſtruxit*, q. d. Non potui reſiſtere Sponſi viribus, quia ipſe omnes amoris vires in me effudit, quia ſuis officiis & beneficiis me obruit, & quaſi ſagittis amoris confixit & vulnerauit: amore ergo victa, confixa & obruta victori me totam dedo, & deuoueo: acies autem quam ordinauit Sponſus in me, & qua munitus animum meū expugnare aggreſſus eſt, illa ſunt quæ ad redamandum vehementer alliciunt: in primis ipſi Sponſi mei mitiſſimi mores, ſtudium in me ſingulare, liberale ingenium, eximia forma, amatoriæ blanditiæ, munera exquiſita, dotalis vinea; Et alia quæ hoc capite & deinceps explicantur latiùs. His omnibus tanquam armis oppugnauit Sponſam, his telis confixit, his charitatis vinculis attraxit, his illam ſibi ipſi violenter eripuit. Accedit quod verbum Græcum τάττω id planè ſignificat. Vnde τάξις dicitur acies, & idem non obſcurè innuunt Septuag.
dum vertunt: *Quia vulnerata charitate ego.* LXX.
Et Symmach. τετρωμένη φίλτρῳ, quod eſt Symmach.
quaſi inſtrumentum & telum amoris.

Huc pertinet expoſitio Caſſiodori & Bedæ, qui *ordinauit in me charitatem* ſic exponunt, q. d. Deus prior dilexit me, itaque me ad ſe redamandum compulit. Addit Beda, Deum ordine quodam homines dilexiſſe, q. d. *Omnia quidem mem-*
*bra mea, omnes electos piâ ſibi charitate copula-* Beda.
*uit, ſed eminentiora quæque ampliori, vt decet, affectu complexus eſt. Omnes quippe dilexiſſe patet ex illis verbis: Cùm dilexiſſet ſuos, qui in mundo erant, in finem dilexit eos: Et tamen indulgentior in quendam amor intimatur cùm dicitur: Diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus.*

Adiun

Adiungit Beda deinde, Deum ſuam hanc in Eccleſiam charitatem, quibuſdam profectuum gradibus per temporum interualla monſtraſſe.

8. LXX. Octauò Septuag. vertunt: *Ordinate ſuper me charitatem*, vt ſicut Sponſus Sponſam ambiit, ſic vice verſâ Sponſa Sponſi nuptias ambiens, dicat ſociabus: Eia meam charitatem ordinate, ac velut inſtructam aciem Sponſo meo proponite, vt is in amoris domo ab amore meo vincatur, mihíque in Sponſum ſe dedat. Vnde ſubdit: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo* q. d. Significate Sponſo amoris mei vehementiam, & ex ea languorem, vt is eo vulneratus amori ſuccumbat, méque ſui amantiſſimam vehementiſſimè redamet: Charitatis ergo acie & vexillo, non tantùm contra omnia aduerſa, ſed etiam contra Deum confligimus, & ſuperamus; ſicut Iacob cùm eo conflixit, indéque vocatus eſt Iſrael, id eſt, dominans Deo. Geneſ. 32. 28. Talis charitatis athleta, imò dux & ductor erat S. Paulus, qui proinde charitatis aciem inſtruens: *Quis*, inquit, *nos ſeparabit à Charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?* &c. *Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Rom. 8. vlt. Rom. 8.

Denique vox *vexillauit*, & *vexillum*, ſignificat Eccleſiam & Sponſam eſſe militantem per totam hanc vitam, ac continuò confligere debere cum dæmone, mundo, & carne: ſunt enim hæ duæ ciuitates, ſcilicet Dei & Diaboli, ſiue piorum & impiorum, inter ſe contrariæ & hoſtiles, quæ perpetuò inter ſe confligunt, vt docet S. Auguſt. lib. de Ciuit. Vnde & noſter Fundator S. Ignatius in lib. Exercit. Spirit. exercitium proponit duorum vexillorum, vnum eſt Chriſti, alterum Luciferi, ac quiſque milites cõſcribit, & quos poteſt ad ſuum vexillum aduocat: Vexilli Chriſti inſigne eſt charitas, Luciferi cupiditas. Porrò in cella vinaria vtriuſque, bibitur vtraque; vbi rurſum alluditur ad eos, qui conſcribunt milites: hi enim in tabernis hoſpitantur, ibíque aduentantibus vina propinantes, ſic eos ad nomen militiæ dandum alliciunt. Rurſum Coſaki, Hollandi aliíque plures, cùm quid arduum & periculoſum aggredi volunt, ſolent dolia vini (idque ſubinde aduſti,) militibus proponere, vt vino æſtuantes metum mortis ponant, ac animoſi in hoſtem ruant. Sic Chriſtus ſanguine ſuo nos in Euchariſtia potat, vt eius amore ebrij, in mortem & martyrium, ſi opus ſit, generosè procurramus.

*Duo vexilla militaria, Christi, & Luciferi.*

Tropologicè: Charitas eminet cæteris virtutibus, & ſuper omnes vexillum erigit, ad illúdque omnes cõuocat: quod ſi illud ſequantur, omnia tranſcendunt, ſeséque magnâ laude & meritis cumulant, vt docet Apoſt. 1. Corinth. 13. *Charitas*, inquit, *patiens eſt, benigna eſt.* &c. Hinc charitas cæteras virtutes quaſi acies Dei ordinat: primo loco ponit fidem: ſecundo humilitatem: tertio ſpem: quarto pœnitentiam. quinto patientiam: ſexto miſericordiam, &c. Rurſum hic ordo charitatis virtutes ipſas ſtabilit, facitque firmas & ſolidas. Vnde S. Ambroſ. in Pſal. 118. ſerm. 5. v. 1. legit: *Conſtituite in me dilectionem*, ſicque explicat: *Bona ſtatiua* (ſtatio & munitio militaris) *vbi plenitudo eſt charitatis*. Nyſſen. verò hom. 4. Græcum Τάξατε referens ad τάξεις, id eſt, ordines militares vertit, tum *ordinate*, tum *conſtituite & confirmate*: *Quoniam* inquit (Sponſa) *quæ primò fuerat dilecta, per inobedientiam fuit inter inimicos reputata, nunc ad eandem reuerſa eſt vitam, per charitatem Domino coniuncta; ea nunc dicit: Confirmate mihi hanc gratiam, eámque ſtabilem facite & immobilem, vos amici Sponſi, ſtudio & diligentiâ mihi conſeruantes propenſionem ad id, quod eſt melius.*

*Tropologicè. Charitas vexillum erigit virtutum.*

1. Cor. 13.

Ambroſ.

Nyſſen.

Denique arma, id eſt, officia charitatis ſunt inuicta, nec quis eis reſiſtere valet, iuxta illud cap. 8. 6. *Fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio*, &c. *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Quin & Philoſophi idem ſenſerunt: *ſi vis amari*, inquit ille, *ama.*

Cant. 6. 8.

*Vt præſtem Pyladen aliquis ſe præſtet Oreſten:*
*Hoc non fit verbis; Marce, vt ameris, ama.*

Vis ergo inimicum ſuperare, imò ſubiugare, tibique facere amicum, præueni eum officiis & beneficiis, ſic enim: *Carbones ignis congeres ſuper caput eius.* Rom. 12. Rom 12.

Hinc S. Auguſt. lib. 15. de Ciuit. c. 22. docet quod virtus non eſt aliud quàm ordo amoris, nec vitium aliud quàm inordinatio amoris. Omnis enim creatura, inquit, cùm bona ſit, & bene poteſt amari & malè; bene, ſcilicet ordine cuſtodito; malè autem, ordine perturbato, &c. *Vnde mihi videtur, quòd diffinitio breuis & vera virtutis, ordo eſt amoris, propter quod in ſancto Cantico Canticorum cantat*

*Virtus eſt ordo amoris, vitium, inordinatio.*

Auguſt.

Sponſa

Digitized by Google

*Sponſa Chriſti, ciuitas Dei, ordinate in me charitatem. Huius igitur charitatis, hoc eſt, dilectionis & amoris ordine perturbato, Deum filij Dei neglexerunt, & filias hominum dilexerunt. Quibus duobus nominibus ſatis ciuitas vtraque diſcernitur.* In Ciuitate enim Dei eſt ordo amoris, in Ciuitate verò Diaboli eſt inordinatio amoris: quia pij amant Deũ ſuper omnia, creaturas omnes propter Deum; impij verò plus amant creaturam, v. g. honorem, aurum, delicias, quàm creatorem. Porrò quia ordo hic charitatis eſt difficilis, ideò Eccleſia & anima ſancta petit ab Angelis, & viris ſanctis: *Ordinate in me charitatem*, iuxta Septuag. Vnde S. Hieron. Epiſt. 8. ad Marcellam: *Dilectio*, ait, *ordinem non habet, & impatientia neſcit menſuram. Vnde in Cant. quaſi difficile præcipitur: ordinate in me charitatem.*

Hieron.

Huc accedit S. Bernardus ſerm. 49. qui per ordinationem charitatis accipit diſcretionem, quæ temperat & dirigit zelum: *ſemper quidem*, inquit, *Zelus abſque ſcientia minùs efficax, minúſque vtilis inuenitur: plerumque autem & pernicioſus valde ſentitur. Quò igitur Zelus feruidior, ac vehementior ſpiritus profuſiórque charitas, eò vigilantiori opus ſcientiâ eſt, quæ Zelum ſupprimat, ſpiritum temperet, ordinet charitatem.*

Bernard.

Porrò Aponius docet ordinatam eſſe in Eccleſia charitatem, cùm ipſa illam didicit ex contemplatione ſummi ordinis, qui eſt in S. Trinitate: *In quo ordine charitatis*, inquit, *quid aliud credendũ eſt primùm imbui, niſi vt credat & agnoſcat primùm debere Patrem nominari, in quo Filius ſemper, vt verbum in voce? Secundum Filium, in quo ſemper Pater: Tertium Spiritum S. qui verâ ratione de voce & verbo, de Patre & Filio procedere comprobatur, ſecùndum illud initio Decalogi: Diliges Dominum Deum tuum, in toto corde tuo: ſecundus ordo eſt, in tota anima tua: tertius ordo eſt, in tota virtute tua.*

Aponius.

Plura de ordine & ordinanda charitate, vide apud S. Bernardum, ſerm. 49. & 50. vbi ordinem hunc dilectionis aſſignat, vt dilectioni hominis, Dei dilectio præponatur, & in hominibus ipſis perfectiores infirmioribus, cælum terræ, æternitas tempori, anima carni. Additque charitatem meliores ſemper præponere in affectu, ſed non in actu: Nam actu maior dilectio & cura adhibenda eſt magis egentibus & iis, quorum cura tibi commiſſa eſt, quàm exteris, licet ſãctioribus. Sed audi pauca è multis: *Da mihi hominem, qui ordinato Dei intendat amori, reſpiciens terram, ſuſpiciens cælum, vtens hoc mundo tanquam non vtens, & inter vtenda & fruenda intimo quodam mentis ſapore diſcernens, vt tranſitoria tranſitoriè, & id dumtaxat quod opus & prout opus eſt curet, æterna deſiderio amplectatur æterno. Talem inquam da mihi hominem, & ego audacter illum ſapientem pronuncio: cui nimirum quæque res reuera ſapiunt prout ſunt, & cui in veritate atque ſecuritate competit gloriari, & dicere: Quia ordinauit in me charitatem.* Vide & de ordine charitatis S. Thomam, & Scholaſt. tract. de charitate.

*Charitas meliores ſẽper præponet in affectu, ſed non in actu.*

Bernard.

Hæc omnia facile eſt aptare, tum animæ Sanctæ, tum B. Virgini, in qua adeò fuit ordinata charitas, vt mallet mori filium ſuum, quàm animas perire. Audi Rupertum, qui eam ſic loquentem inducit: *Iam dudum docuerat me charitatis ordinem, vt dolorem quidem, & iuſti doloris gladiũ in mente vel animæ portarem, non tamen auerti propoſitum Dei cuperem, prouenturum ipſi ad gloriam & honorem, & humano generi ad perpetuam ſalutem.*

Rupert.

---

Verſ. 5. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis; quia amore langueo.*

PRo *ſtipate me malis*, Hebr. eſt *ſternite me in pomis*. Tigurin. *ſubſternite mihi mala*. Vatabl. *Corroborate me malis*: Septuag. *Conſtipate me in malis*. Scholaſt. *Circumdate me malis*. Alij: *Agglomerate mihi poma*, ſcilicet odorata, vt aurea, citria, punica. Syrus: *Poſuerunt me in deliciis, circumuallarunt me malis, quia amore infirma ſum*. Pro *floribus* Hebr. eſt אשישות *aſchiſchoth*, quod Hebraïzantes vertunt *lagenis, ſcyphis, calicibus vini*. Verùm iam in cella vinaria vino oppleta erat Sponſa. Quare Noſter melius vertit *floribus*, tùm quia flores reſpondent *malis*, tum quia ſolent deliquium patientes odore leni & ſuaui, qualis eſt florum, animam, halitúmque reuocare. Vnde & Septuag. vertunt *μύροις*, id eſt, *vnguentis*, quæ è floribus odoratis fiunt: vbi tamen notat Origenes: *In Græco*, inquit, *habetur, confirmate me in myrrhis: myrrhin genus quoddam arboris nominans, quod Latini putantes myra dictum, vnguenta interpretati ſunt.* Origenes ergo pro *μύροις*, id eſt, *vnguentis*, legit *μύῤῥαις*, id eſt *arboribus myrrhæ*, hoc eſt, flore vel lachrymâ myrrhæ: flos enim ſuo odore refocillat languentes, non arbor. In homilia autem verſa à S. Hieronymo refertur ex alio interprete *Oenãthinis*; Oenanthe autem eſt flos vitis, ſiue labruſcæ cùm floret. Vide Dioſcor. lib. 5. c. 3. & lib. 1. c. 57.

Hebr. Tigurin. Vatabl. L x x. Scholaſt. Syrus. *Variæ Verſiones.* Origen.

Rurſum

Symmach. Rurſum clarè Symmach. vertit: *recumbere me facite in flore.* Videtur ergo Noſter æquè ac Septuag. & Symmach: Hebr. *aſiſoth* interpretari *flores*, forte à rad. שוש *ſos*, id eſt, *gauiſus eſt*. flores enim ſunt veris lætitia, camporum riſus, naturæ hominíſque gaudium. Sic Iſaiæ 16.7. dicitur: *his qui lætantur* (Hebr. eſt לאשישים *laaſchiſchim*)
Iſai. 16.7. *ſuper muros coctilis lateris*, vti vertit Noſter & Symmach. vt *Aſiſoth* vocetur quidquid exhilarat & lætitiam conciliat. Aut certè אשישות *Aſiſoth* ſumpſit Noſter pro ציצות *tſiſoth*, id eſt, *flores*: Litteræ enim ש & צ cùm ſint affines, & eiuſdem quaſi ſoni, ſubinde inter ſe commutantur. *Aleph* autem initiale ſumitur, vt heemanticum & formatiuum nominis, non verò vt radicale quare *Aſiſoth* hìc idem eſt, quod *tſitſoth*, id eſt *flores*. Deniq; *Aſiſoth*, propriè ſignificat fundamenta ſiue fulcra, quæ hoc loco languoris intelligenda ſunt, puta refocillantia, & animam ex deliquio ad ſe reuocantia: talia autem ſunt flores, ſimiléſque res odoriferæ.

Conſtructio. Sponſa in cella vinaria adeò vino amoris diuini ſeſe oppleuit, vt recedente Sponſo ex amoris vehementia linqueretur animo, deficeret & collaberetur. Aduocat ergo ſocias, eíſque inclamat: Ferte ſuppetias, flores & poma labanti admouete, quorum fragrantiâ ſpiritum fugientem reuocem, aggeſtu verò quaſi throno & ceruicalibus, erigat & ſuſtentet, erecta. Sic languere cœpit Eccleſia, poſtquam Ieſus inſtituto in ea venerabili Sacramento corporis & ſanguinis ſui, Spiritum ſanctum miſit, qui corda fidelium incredibili ardore charitatis & martyrij, & feruenti zelo quàm plurimos alios ſecum ad æternam gloriam perducendi, inflammauit: Hinc enim illa medullitus erumpentia: *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto; Quis me liberabit de corpore mortis huius? Viuo ego iam non ego, viuit autem in me Chriſtus. Tu ſcis Domine, quia amo te.* Ita S. Bernard. ſerm. 51. *Poſt iſta omnia*, inquit, *Sponſo more ſuo ſecedente, illa languere amore*
Bernard. *ſe perhibet, id eſt, præ amore. Quò enim gratiorem experta fuerat præſentiam, eò poſtmodum abſentiam moleſtiorem ſenſit. Subtractio nempe rei, quam amas, augmentatio deſiderij eſt, & quod ardentius deſideras, cares ægriùs. Rogat proinde iſta interim odoramentis florum ac fructuum confoueri, quouſque denuò reuertatur, quem moleſtiſſimè ſuſtinet demorantem.*

*Floribus & bonis odoribus reficiuntur vires.* Porrò rebus odoratis vt floribus ſpiritus animales ali, ac vires deficientes refici, & inſtaurari per halitum ſuauem rei odoriferæ olfactu attractum, docet Medici & Phyſici, vt Hippocrat. lib. de alimentis ſub finem; Et Galenus de vtilit. reſpir. cap. 5. vbi aſſerit neceſſarium eſſe ex inſpiratione per nares, præcipuam alimenti partem animali ſpiritui ſuggeri; Et Auicenna agens de curatione ſyncopis affirmat, ſpiritum maximè nutriri bonis odoribus.

Quæres, quinam ſint flores & mala, quibus ſe fulciri petit Sponſa? *Flores & mala quæ*

Primò, Noſter Sanchez ac Ioannes Carmelita accipiunt ipſum Chriſtum, qui ſe verſ. 1. vocauit florem campi, lilium conuallium, & malum inter ligna ſyluarum. Ait ergo Sponſa: *fulcite me floribus*, &c. q.d. ſtatuite me in ſinu atque complexu Sponſi. Quod ſtatim magis explicat, deſcribítque quale fulcimentum illud florum, & pomorum ſtipatio futura ſit, dum dicit: *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Quod nihil eſt aliud, quàm floribus ac pomis, de quibus hìc, ſuſtineri atque fulciri: quia ſuper flores & poma, id eſt, ſupra Sponſi ſinum recumbit & quieſcit. *Reſp. 1. Chriſtus.*

Porrò Ioannes Carmelita ſic explicat, quaſi Sponſa dicat ſociabus: Sponſo meo, qui eſt flos campi & malus inter ligna ſyluarum, ſuſtinete me, deliquium animæ ob ipſum patientem. Stipate me malis, id eſt, Sponſo velut igneo vallo me circundate, vt eius incendio ſenſim adurar, donec me velut Phœnicē morti ſe deuouentem, ignis expetitus abſumat. Videtur ergo Sponſa Phœnicem æmulari, cuius, cùm moritura eſt, hoc eſt ingenium, vt legat arborum aromaticarum ſurculos & florum cacumina, vt nidum conſtruat, in quo iacens excitato comburitur igne. Carpit ſurculos cinnami, amomi, thuris & arbuſcularum ſimilium, nardi ariſtas & flores aſſimiles. Sic Sponſa ex arbore mali & floribus campi, iuxta ſenſum expoſitum concinnari ſibi nidum poſcit, in quo iacens mortem præſtoletur, per ignem Sponſi tranſitura, moritura ſibi, ac in Sponſi vitam transferenda.

Secundò, Tres Patres apud Theodor. Philo Carpath. & Nyſſenus per flores & mala accipiunt virtutes & dona Spiritus ſancti, ac præſertim donum fortitudinis, quod animam labantem corroborat. Porrò Philo τὸ *ſtipate me malis* explicat, q.d. *Sepelite me in numero iuſtorum.* Alij per flores & mala accipiunt conſolationes cæleſtes, quas Deus animabus ſanctis in deſolatione immittit. 2. *Virtutes & dona Spiritus S.* Philo Carp.

Tertiò, planè & genuinè Titelmannus: 3.

*Genuinè: verba & actiones Chriſti.*

nus: flores, inquit, & mala, ſunt dicta & facta ſuauiſſima & mellitiſſima Chriſti, quorum memoriâ & meditatione Eccleſia & anima pia languens eius deſiderio, ſe ſuſtentat & roborat, donec eum facie ad faciem videat, eiúſque præſentiâ fruatur, ſicut Sponſa Sponſi abſentis amore languens, illins verbis & promiſſis, litteriſque & munuſculis, quæ apud ſe aſſeruat, ſeipſam conſolatur, tempúſque fallit, donec is redeat, & ore ad os cum ea colloquatur: Huc accedit Theodoret. qui per *flores*, vel vt ipſe ex Septuag. legit *Vnguenta*, & *mala* accipit memoriam Chriſti: *Fulcite me vnguentis*, hoc eſt, inquit, confirmate me & communite Sponſi ſuauitate, ne quid me concotiat & labefactet. Fragrantiâ illâ aſſiduâ me cumulate, ne Sponſi obliuiſcar, & ad alia aberrem. Malis, hoc eſt, Sponſi fructibus, me conſtipate, vt ſub vmbra illius ſedens, & vnguentis eius delibuta, fructûque conſtipata, perpetuam ipſius memoriam conſeruem: illius enim amore ſum ſaucia, cùm ipſe ſit ſagitta electa; quæ animas transfigit.

Huc quoque pertinet explicatio S. Ambroſij in Pſalm. 118. ſerm. 5. qui per flores & mala accipit memoriam & meditationem Chriſti crucifixi: hæc enim animam deficientem ſuſtentat & roborat, vtpote in cruce Chriſti defixam:

**Ambroſ.** *Iſtæ*, ait S. Ambroſ. *ſunt manſiones Chriſti & ſepultura, in quibus vulnerata eſt Eccleſia: vnguentum eſt, quod effudit: pomum eſt, quod pependit.* Et S. Bernard. tract. de diligendo Deo ſub initium, per mala accipit paſſionem, per flores reſurrectionẽ Chriſti.

*Tropologicè.* Tropologicè S. Gregorius per flores accipit fideles incipientes, per mala proficientes & perfectos:

**Gregor.** *Per flores*, inquit, *teneri quique & incipientes: per mala verò perfecti fideles deſignantur. Sponſa quippe quia amore languet, fulciri ſe floribus & ſtipari malis appetit, quia dum ſe æternitatis deſiderio afficit, dum qualiter illuc perueniat totâ anxietate perquirit, eo quòd perfectionem dum in carne viuit, omnino non inuenit, fatigata in deſiderio ſuo requieſcit: Et in hoc ſolo gaudet, ſi circa ſe reſpicit, vel quibus ipſa proficiat, vel in quorum profectione conſolationem de ſuo languore recipere poſſit.* Idem fuſius habet lib. 2. in Ezech. hom. 15. Sic & Caſſiodor. Iuſtus, Anſelm. & S. Bernard. ſerm. 51. quem audi:

**Bernard.** *fulcite me floribus, &c. Cùm præſto eſt quod amatur, viget amor, languet cùm abeſt. Quod non eſt aliud, quàm tædium quoddam impatientis deſiderij, quo neceſſe eſt affici mentem vehementer amantis abſente quem amat, dum totus in expectatione, quamtamlibet feſtinationem reputat tarditatem. Et ideo iſta poſtulat ſibi accumulari bonorum operum fructus, cùm fidei odoramentis, in quibus moram faciente Sponſo, interim requieſcat.*

Huc accedit Origenes, qui ait Eccleſiam incumbere ſuper catechumenos quaſi flores, & ſuper fideles ſanctos quaſi ſuper mala & arbores. Et Aponius: Eccleſia, inquit, fulciri ſe optat floribus, id eſt, animabus puris & caſtis; ac malis, id eſt, Apoſtolis, qui ex Chriſto quaſi ex arbore mali per doctrinam germinant.

Denique Rupertus hæc adaptans B. Virgini, aſſerit eam optare fulciri floribus, id eſt, actibus fidei; & pomis, id eſt, bonis operibus.

*Quia amore langueo.* Hebr. *quia infirma charitate ego ſum.* Lxx. *quia vulnerata charitatis ego ſum.* Symmach. *vulnerata enim ſum philtro.* Hi Hebræum חוֹלָה *chola* deriuant, non à חָלָה *chala*, id eſt, *infirmatus eſt*, ſed à חָלַל *chalal*, id eſt, *vulnerauit, occidit.* Sæpe enim verba quieſcentia *Ain Vau* commutantur cum verbis duplicantibus *Ain*, id eſt, ſecundam radicalem; puta *chol* vel *chala* commutantur cum *chalal*, & vice verſa, ac vnum ab altero ſua tempora, coniugationem, & inflexionem mutuatur. Porrò ex vehementi amore languorem naſci adeóque morbum, quo corpus macreſcit, marceſcit, & tabeſcit, qui proinde vocatur ἔρως, id eſt, amor, ſiue morbus amoris, docent Medici, & patet exemplo Amnon, qui deperibat Thamar. 2. Reg. 13. Sic & filius Seleuci amore ægrotans tabeſcebat, quem morbum omnibus incognitum, ex inſolito arteriarũ pulſu ſagaciter deprehendit Eraſiſtratus Medicus, teſte Plutarcho, in Demetrio, & Valerio Maximo lib. 5. c. 7.

*Hebr.*
*Lxx.*
*Symmach.*

*Languor & morbus ab Amore.*

Nota: Languor hic oritur ex liquefactione. Eſt autẽ liquefactio amoris effectus, quo anima ipſa mulcetur ac emollitur, vt res quam ardentiſſimè cupit, ſibi per amplexum & penetrationem quandam imprimatur. Quod vt fiat, tota dehiſcit, & patet illa, vt quaſi poris apertis hauriat rem amatam, tanquam recens panis aquam haurire ſolet. Hanc autem liquefactionem, quâ in Sponſum hiat anima, conſequitur effectus amoris alter, moleſtiſſimus ſanè, qui languor appellatur, quem diſertè notat illa, dicens: Quia amore langueo. Languor ergo hic in anima fideli oritur, quando ipſa ſic tota in Sponſi amorem fertur, & quaſi liquefacta reſoluitur, vt ſui prorſus oblita quid de ſe agatur neſciat, & ad om-

*Languor amoris oritur ex liquefactione.*

nia, quæ hîc infernè aguntur quaſi ſtupida & inſenſibilis iaceat, vt nec videre aliud poſſit aut velit, nec audire, nec guſtare, niſi ſuum dilectum: ita vt dicat cum Apoſtolo, Galat. 2. *Viuo autem iam non ego,*
Galat. 2. *viuit verò in me Chriſtus.* Qui etiam languor amoris in ſequentibus per liquefactionem animæ videtur ſignificari, di-
Cantic 5. cente eadem Sponſa: *Anima mea liquefacta eſt, ſtatim vt dilectus locutus eſt.* Cant. 5. Quin & Plato ita amorem definit: *Amor*
Plato. *eſt ardor animi in proprio corpore mortui, in alieno viuentis.* Hunc languorem charitatis Sponſa hauſit ex cella vinaria Euchariſtiæ, & Spiritus ſancti: ſicut eundem poſt Sacram Synaxim ſentiebat S. Ca-
S. Catharina Senenſis. tharina Senenſis, & ſimiles virgines ſanctæ. Quocirca S. Felicula collactanea S. Petronillæ, dicentibus tortoribus: *Nega*
S. Felicula. *te Chriſtianam, & dimitteris,* reſpondit: *Non negabo: nunc cœpi videre amatorem meum, in quo amor meus fixus eſt.* Præclarè Boëtius:
Boët. *O felix hominum genus: ſi veſtros animos amor, quo cœlum regitur, regat.* B. Philippus Nerius
S. Philippus Nerius. *Charitate Dei vulneratus*, ait Auctor vitæ eiuſdem, *languebat iugiter: tantòque cor eius æſtuabat ardore, vt cùm intra fines ſuos contineri non poſſet, illius ſinum, contractis, atque elatis duabus coſtulis, mirabiliter Dominus ampliauerit.*

Porrò S. Bernard. hîc, & clariùs tract. de diligendo Deo ſub initium, languorem hunc explicat defectum amoris: *Hæc mala*, inquit, *hi flores, quibus Sponſa interim*
Bernard. *ſtipari poſtulat & fulciri, credo ſentiens facilè vim amoris in ſe poſſe tepeſcere, & langueſcere quodammodò, ſi non talibus iugiter foueatur incentiuis.*

Verùm cæteri paſſim languorem hunc accipiunt exceſſum charitatis, quo anima ex Dei deſiderio tabeſcit & in carne macreſcit, iuxta illud: *Defecit caro mea, &*
Pſal 72. 26. *cor meum, Deus cordis mei.* Pſal. 72. 26. Audi S. Gregor. lib. 2. in Ezech. ſerm. 15. *Quid*
Gregor. *ergo ſunt in Sancta Eccleſia thalami, niſi eorum corda, in quibus anima per amorem Sponſo inuiſibili iungitur, vt eius deſiderio ardeat, nulla iam quæ in mundo ſunt concupiſcat, præſentis vitæ longitudinem pœnam deputet, exire feſtinet, & amoris amplexu in cæleſtis Sponſi viſione requieſcere? Mens itaque, quæ iam talis eſt, nullam præſentis vitæ conſolationem recipit, ſed ad illum, quem diligit medullitùs ſuſpirat, feruet, anhelat, anxiatur. Vilis ei fit ipſa ſalus ſui corporis, quia transfixa eſt vulnere amoris. Vnde & in Canticis dicit; Vulnerata charitate ego ſum. Mala autem ſalus eſt cordis, quæ dolorem huius vulneris neſcit: cùm verò anhelare iam in cæleſte deſiderium, & ſentire vulnus amoris cœperit, fit anima ſalubrior ex vulnere, quæ priùs ægrotabat ex ſalute.* Sic & Aponius, Iuſtus Orgelit. An-
Languor amoris à deſiderio vitæ æternæ. ſelm, & alij, languorem hunc proficiſci cenſent ex ingenti deſiderio vitæ æternæ, & coniunctionis cum Chriſto in cælo. Vnde languorem hunc Sponſæ cum ſomno & ecſtaſi fuiſſe coniunctum, liquet ex eo quod ſubdit Sponſus: *Adiuro vos, &c. ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam.*

Denique Septuag. vertunt: *vulnerata*
Vulnerari amore Dei optabile. *ſum charitatis*; vel *charitate.* Alij: *Occiſa*, vel *mortua ſum charitate*, q. d. Amore Chriſti quaſi telo transfixum & ſaucium eſt cor meum, vt amore mihi moriar & in Chriſtum, quem amo tranſeam, illique ſoli viuam, ſicut S. Franciſcus orabat: *Da Do-* S. Frãciſcus.
*mine, vt amore amoris tui moriar, qui pro amore amoris mei dignatus es mori.* Ita Tres Patres apud Theodoret. S. Baſilius in regulis fuſiùs diſput. reg. 2. & S. Auguſt. in Pſal. 37. quem audi: *Vulneratam ſe dicit cha-* Auguſtin.
*ritate. Amabat enim quidem & non tenebat; dolebat, quia nondum habebat; ergo ſi dolebat, vulnerata erat; ſed hoc vulnus ad veram ſalutem rapiebat. Qui hoc vulnere non fuerit vulneratus, ad veram ſanitatem non poteſt peruenire.*

Et S. Ambroſ. in Pſal. 118. ſerm. 5. *Vul-* Ambroſ.
*nerata charitatis ego ſum. Nudemus mẽbra noſtra bono vulneri, nudemus ſagittæ electæ. Sagit-* Iſaiæ 49.
*ta hæc Chriſtus eſt, qui dicit: poſuit me ſicut ſagittam electam: Bonum eſt ergo hac vulnerari ſagittâ, non mediocris manſionis iſte proceſſus: non omnes poſſunt dicere, quia vulnerati ſunt dilectione. Dicebant Apoſtoli, cùm pro Chriſto* Act. 5.
*lapidarentur & Chriſtum prædicarent; Dicebat Paulus cùm ter virgis cæderetur, & die ac no-* 2. Cor. 11.
*cte Chriſtum adorandum gentibus diſputaret. Dicunt hoc Martyres, qui vulnerantur pro* Act. 20.
*Chriſto. Et quia vulnerari pro eius meruerunt nomine, plus diligunt. Ad hanc ergo veniens manſionem Eccleſia, ad hunc proceſſum, vt pro Chriſto filios ſuos offerat, vt excipiat vulnera charitatis, quaſi bona fidei alimenta reperiens pietatiſque fructus, guſtauit ipſa, & hortari cœpit cæteros dicens: Guſtate & videte, quoniam* Pſalm 33.
*ſuauis eſt Dominus, ſicut malum. Et in malo vulnus eſt, ſed tamen ſuaue.* Denique vulnus charitatis infligitur à ſolo Deo, ideóque homini eſt immedicabile.

Symbolicè Origenes per charitatem Symbolicè.
accipit Chriſtum; Chriſtus enim ſuo amore velut telo transfigit fauciátque animam: *Quàm pulchrum eſt*, ait Origenes,
*quàm decorum à Charitate vulnus accipere.* Origen.
*Alius iaculum carnei amoris excepit, alius terreno Cupidine vulneratus eſt: Tu nuda membra, & præbe te iaculo electo, iaculo formoſa. Siquidem Deus ſagittarius eſt. Audi ipſum iaculum quid loquatur:*

Digitized by Google

*loquatur. Poſuit me vt ſagittam electam, & in pharetra ſua ſeruauit me, & dixit mihi: Magnū eſt tibi hoc, vocari puerum meum. Intellige ſagittam, quid dicat, & quomodo à Deo ſit electa. Quàm beatum eſt hoc iaculo vulnerari!* Neruoſius Nyſſen. hom. 4. ſic animam piam loquentem inducit: *Deus in me Sponſam ſuam, tanquam in ſcopum vnigenitum filium ſuum eſt iaculatus, de quo per Prophetam dictam eſt: Poſuit me vt ſagittam electam: ſagitta autem iſta aculeo fidei in me penetrans, ſecum ſimul adduxit ſagittarium, iuxta illud: Ego & pater vnum ſumus: Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Hæc Nyſſen. ſparſim.

*Nyſſen.*

*Exempla.* Huc facit illud S. Hieronymi, Epiſt. 22. ad Euſtachium: *Amemus & nos Chriſtum, eiúſque ſemper quæramus amplexus, & facile videbitur omne difficile, & iaculo illius vulnerati, per horarum momenta dicamus: Heu me, quia peregrinatio mea prolongata eſt!*

Sic Charitate vulneratus erat S. Auguſtinus, vt patet ex Soliloq. cap. 1. & lib. 9. Confeſſ. cap. 2. *Sagittaueras tu,* inquit, *cor noſtrum charitate tuâ, & geſtabamus verba tua transfixa viſceribus, & exempla ſeruorum tuorum, quos de nigris lucidos, & de mortuis viuos feceras, congeſta in ſinum cogitationis noſtræ vrebant, & abſumebant grauem torporem, ne in ima vergeremus, & accendebant nos validè, vt omnis ex lingua ſubdola contradictionis flatus inflammare nos acriùs poſſet, non extinguere.*

*Auguſt.*

*Tropologicè.* Tropologicè Philo Carpath. & S. Ambroſ. in Pſal. 118. ſerm. 5. docent Eccleſiam & animam piam vulnerari charitate, cùm Chriſti amore perſecutiones, verbera, vulnera, & martyrium libenter ſuſtinet.

*B. Virginis languor, & mors ab amore.* Denique B. Virgo poſt Chriſti in cælum aſcenſum, eius deſiderio & amore languebat, inquit Rupertus, adeóque hoc languore ſenſim reſoluta, & tandem mortua eſt ſine febri aliôue morbo, vt cenſet Franc. Suarez & alij graues Theologi. Id ipſum B. Virgo reuelauit S. Brigittæ lib. 6. reuelat. cap. 62. *Parans,* inquit Deip[illegible], *me ad exitum circumiens omnia loca mo[illegible]o, in quibus filius meus paſſus fuerat: cùmque quadam die animus meus ſuſpenſus eſſet in admiratione diuina charitatis, tunc anima mea in ipſa contemplatione repleta fuit tanta exultatione, quòd vix ſe capere poterat, & in ipſa conſideratione anima mea à corpore fuit ſoluta.*

*S. Birgitta.*

*Amor vehemens cauſat languorem & mortem.* Myſtici & Contemplatiui hæc referunt ad ſummum contemplationis, & amoris quaſi ecſtatici gradum. Nam vt ait Dionyſ. Carthuſ. tract. de fonte lucis Art. 18. *Ex tanto contemplationis exceſſu, amoriſque impetu, ardore, & ebullitione, generantur per redundantiam quandam in parte ſenſitiua ac corpore languor, debilitas, mœror ac macies, deteſtatio corporei alimenti, impotantia vſus ac motus membrorum ac ſenſuum, & totius corporis rigor. Nec in his actibus ſanctis mens tempus aduertit, moras non percipit, imò in his vehementiſſimè admiratur, nec ſufficit admirari anima ſancta charitatem, pietatem, dignationem, & munificentiam Dei circa ſe, & in ſe, quæ tam amorosè ac familiariter, tam gratiosè & munificenter ſe ei oſtendit, communicat, applicat & infundit.* Vide noſtrum Aluarez de Paz in fine tom. 3. vbi fusè de contemplatione agit, ac quindecim eius gradus aſſignat. Primus eſt intuitio veritatis; ſecundus, receſſus virium ad animæ interiora; tertius, ſpirituale ſilentium; quartus, quies; quintus, vnio; ſextus, auditio loquelæ Dei; ſeptimus, ſpiritualis ſomnus; octauus, eſtaſis; nonus, raptus; decimus, apparitio Chriſti & Sanctorum corporea; vndecimus, apparitio Chriſti & Sanctorum imaginaria; duodecimus, viſio Dei intellectualis; decimus-tertius, viſio Dei in caligine; decimus quartus, admiranda manifeſtatio Dei; decimus quintus, viſio clara & intuitiua Dei, quam S. Auguſt. S. Thom. & nonnulli alij tribuunt S. Paulo, cùm raptus eſt in tertium cælum, vbi audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Sic S. Franciſcus deſiderio Dei & cæli languens & moriens, quaſi philomela & cygnus cygnæum cecinit: *Educ de cuſtodia animam meam: me expectant iuſti donec retribuas mihi;* iiſque, languore amoris deficiens, anhelánſque ad Chriſtum immortuus eſt. Simili languore ex vehementi Chriſti deſiderio mortua ſcribitur B. Tereſia. O ſanctam! ô iucundam! ô beatam mortē! quæ morientes viuificat, amantes beat & glorificat! Quocirca qui verè Chriſtum amat, & amore eius languet, crebrò ad eum ſuſpiret, & per ardentes mentis affectus ad eum aſpiret, atque iaculatorias amoris orationes, velut ignis ſagittas cum Sponſa ad eum aſſiduè eiaculetur. Ruſsùm Richardus de S. Victore aſſerit culmen & apicem charitatis eſſe amorem inſatiabilem ſiue violentum, cuius tres gradus aſſignat. Primus eſt, amor vulnerans. Dicitur autem cor amore vulneratum, quando amoris ſagittâ transfixum, intimè ardet, æſtuat, anhelat, gemit, ſuſpirat, non ſe cohibere valens ob amoris vehementiam: Vnde etiam fit, vt ſæpè palleſcat ac præ amore tabeſcat. Secundus dicitur, Amor ligans, videlicet quando animus ita Dei amore aſtringitur, vt

*Gradus contemplationis 15.*

*S. Frāciſcus.*

*S. Tereſia.*

*Tres Amoris violenti gradus.*

nihil aliud meditetur, aliorum omnium obliuiſcatur; quidquid agat, quicquid loquatur, ſemper præſenti offert Domino: illum enim mente intuetur, perenni retinet memoriâ, illum dormiens, illum vigilans cogitat: ideò vulnerationem hæc ligatio & ſtrictiſſima vnio ſequitur, quâ mens ſolum Deum ipſum ſitit, ipſum ſolum intuetur, nihil ei præter vnum Dominũ dulce eſt, in vno tantùm quieſcit, vno reficitur, ſi aliud quiduis occurrat quod huic vni non ſubſeruiat, mox expellit: opprimit ac violenter propulſat deſideria, ſtudia, exercitia omnia quę ad exoptatam deſiderij ſui metam comprehendendam non conducant. Cùm verò datur vno ſuo frui, tunc omnibus bonis ſe abundare credens, nihil aliud admittit. Poſt hunc ſequitur tertius amoris violenti gradus, langueſcere faciens: qui languor prouenit quando ex hac amoris vehementia mens in Deum, qui luminis abyſſus eſt, rapitur: ita vt humanus animus hoc temporis articulo omnium exteriorum oblitus, ſeipſum penitùs neſciat, totúſque in Deum ſuum tranſeat.

---

Verſ. 6. *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.*

AMPLEXABITVR, id eſt, *amplexetur*, vt vertit Syrus. Hebræi enim futurum ſæpe ponunt pro Optatiuo, quo carent. Vnde Vatabl. vertit: *Siniſtra ipſius ſupponatur capiti meo, & dextra ipſius Sponſi me amplexetur.* Solent enim amantes, v.g. parentes filiolis, quos tenerè amant ſiniſtram manum capiti ſupponere, ac deinde dexterâ totum eorum corpus cõplecti, ſuóque ſinui & pectori aſtringere. q.d. Sponſa; Pari modo Sponſus meo ſuâ lęuâ dextrâque complectatur, itáque me totam ſibi arctiſſimè iungat & aſtringat circulo brachiorum, æquè ac amorum. Vnde Symmach. vertit: *Dextera eius circumplicetur mihi.*

*Syrus.* *Vatabl.* *Symmach.*

Alludit ad lectulos menſales & nuptiales, in quibus conuiuæ ita iacebant, id eſt, diſcumbebant, vt prior ſequentis capiti ſiniſtram ſubiiceret, itáque eum ſinu exciperet, vt deinde dextera, ſi vellet, eum circumplecti poſſet. Sic S. Ioannes in vltima Cœna in ſinu Chriſti recubuit, quod ſummi amoris erat ſignum.

Sponſa amore languens & deliquium paſſa, quaſi in ecſtaſi optat fulciri odore florum & pomorum, ſed iis vtpote medicæ virtutis ad languorem ſuperandum non contenta, illico ad dilectum ſuſpirat, vtpote qui ſolus languorem curare poſſit. Ait ergo, inquit Hortolanus: Hei mihi, labaſco, Sponſe mi, fer opem, ſerua me obſecro. Nutat mihi caput, læuam tuam quæſo ſupponito; ſoluuntur membra frigore, tua poteti dexterâ mediam me, amabo, complectere, in ſinu tuo ne concidam foue; In te vnum me reiicio; In te omnem fidem meam & ſpem colloco. Tu qui ſolus potes, ſpiritum meum impendentium malorum metu fractum, tuo fulci ſpiritu: infirmam carnem meam immensâ potentiâ tuâ corrobora, vt integer Spiritus meus, integra anima & corpus tibi ſemper maneant, tibíque in tuum ad me feruentur reditum.

*Paraphraſis.*

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

QVæres, quid læua & dextera ſignificent? Læua minora beneficia notat, dextera maiora. *Læua & dextera quid?*

Primò ergo, Læua humanitatem Chriſti denotat, dextera Deitatem: ſiniſtra enim imbecillitatis & imbecillæ humanitatis, dextera verò fortitudinis & fortiſſimæ diuinitatis eſt ſymbolum. Humanitas Chriſti ſuſtẽtauit caput Eccleſiæ, id eſt, Adamum, dum eum eiúſq; poſteros in peccatum prolapſos erexit, & gratiæ ac iuſtitiæ reſtituit. Rurſum eadem ſuſtentauit caput, id eſt, fidem Eccleſiæ ad acquirendam remiſſionem peccatorum, iuſtitiam & ſalutem: hæc enim omnia contulit humanitas & paſſio Chriſti. Ita Origen. & S. Bernard. ſerm. 4. in feſto omnium ſanctor.

*Reſp. 1. Læua, Humanitas Chriſti, Dextera, Diuinitas.*

Secundò, Læua gratiam præſentis vitæ, dextera gloriam futuræ, & æternæ deſignat, q.d. Chriſtus ſuâ gratiâ in hac vita me dirigat, & promoueat ad gloriam æternæ felicitatis, vt [illegible] iuinitatis dextera me complectatur, mihíque donet coronam regni æterni. Læua ergo Sponſi ſupponitur capiti ad meritum, dextera complectitur ad coronam. Ita Caſſiod. Philo Carpath. Beda & S. Bernard. ſerm. 4. de Vigilia Natiuit. Domini, vbi ſic ait: *Læua quidem leuat, dextera ſuſcipit. Læua medetur & iuſtificat, dextera amplectitur & beatificat. In læua eius merita, in dextera verò præmia continentur. In dextera inquam deliciæ, in ſiniſtra ſunt medicinæ.*

*2. Læua, Gratia huius vitæ. Dextera, Gloria futura.* *Bernard.*

Hinc rurſum idem S. Bernardus hîc ſerm. 51.

ſerm. 5 1. hunc verſum non optatiuè, ſed affectiuè accipiens, ſic explicat, q.d. Læua Christi caput meum modò ſustinet per gratiam: ſed dextera eius in cælo me amplexabitur per gloriam: pręſens enim gratia eſt certum pignus gloriæ cæleſtis, ac merita huius vitæ, dant certam ſpem futuri præmij: *Non ait*, inquit S. Bernardus, *amplexatur, ſed amplexabitur me,*

Bernard.

*vt uoneris priori gratiæ adeò non ingratam, vt ſecundam gratiarum actione præueniat.*

3. *Læua, bona terrena; Dextera, cæleſtia.*

Ambroſ.

Tertiò, S. Ambroſius in Pſalm. 118. ſerm. 14. ad verſ. 5. per læuam accipit bona terrena & temporalia, per dexteram cæleſtia & æterna: *Vtrumque*, inquit, *Sponſi brachium ad vtilia extenditur: habent tamen ſibi aliquid proprium ſingulæ in iuus. In dextera longitudo vitæ eſt, in ſiniſtra autem di-*

Prouerb. 3. 16.

*uitiæ & gloria. Prouerb. 3. 16. Læua præſentium remuneratrix, dextera futurorum: læua ſub capite Sponſæ eſt, dextera ſupra, quæ totam complectitur Sponſam. Itaque illa quaſi fulcrum eſt quietis præſentis: & ideò filius hominis non habebat vbi caput ſuum reclinaret, quia cùm diues eſſet pauper factus eſt.* Hæc eo loco ſparſim S. Ambroſ. Sic & Beda ac S. Thom. qui per læuam huius vitę proſperitatem, per dexteram æternam vitam intelligit. Vbi notat caput Spõſæ ſuſtineri à lęua manu, vt tamen non deſeratur à dextera, & ſiniſtram eſſe ſub capite, dextram ſupra: quia hæc inferiora, ita ſubeſſe debent, vt non auocent ab æternis, non deprimant caput, ſed eleuent potiùs, & nos excitent ad amorem eius, qui nobis ea tam liberaliter largitus eſt. Sic & Iuſtus Orgelit. S. Anſelmus & S. Gregorius, quem audi: *Per læuam Sponſi vita præſens, per*

Gregor.

*dexteram verò vita æterna deſignatur. Per caput autem Sponſæ mens, quæ animæ principatur adſumitur. Sed læua Sponſi ſub capite Sponſæ eſſe dicitur, & dextera eius amplexatur eam: quia vitam temporalem ſub mente ſua ſemper ponit, vitam verò æternam vt omni modo amplexetur concupiſcit. Hæc quippe, quæ videt, magnanimiter mente ſublimi conculcat, officiis cæleſtibus ſe occupat. Hæc neceſſitate tolerat, ad illa ſummo deſiderio quaſi brachio dextero Sponſi aſtricta ſuſpirat. In quæ cùm aliquantulùm intrat delectabiliter quieſcit, cuius quietis dilectione mundanos tumultus omnino faſtidit. Sic quieſcentem vtique Sponſus ampliùs diligit, & ab eius excitatione improbos quoſque repellit,* dicens: *Adiuro vos filiæ Ieruſalem*, &c. Huc

Prouerb. 3. 16.

facit illud Prouerb. 3. 16. *Longitudo dierum in dextera eius & in ſiniſtra eius diuitiæ & gloria.* Vide ibi dicta.

4. *Læua, aduerſa: Dextera proſpera.*

Quartò, Læua indicat aduerſa; dextera verò proſpera: caput autem Eccleſiæ



ſunt Epiſcopi & Prælati: corpus ſunt cęteri fideles: Prælatos ergo ſanctos Christus læuâ complectitur, id eſt, aduerſis exercet, & perficit: fideles verò, dextrâ id eſt, proſperitatibus & conſolationibus mulcet & prouehit.

Huc pertinet quod ſcribit Xenophon lib. 8. Cyripæd. Cyrum voluiſſe, vt fidi Principes ſibi ad læuam accumberent, eò quòd læua magis inſidiis obnoxia ſit quàm dextera, vel potiùs vt cordi ſuo eſſent propiores. Cor enim vergit ad ſiniſtram: ſimili modo Paſtores & Prælati ſunt ad cor Christi, quia illi ſummè ſunt cordi & curæ, vtpote à quibus ſalus fidelium pendet.

Quintò, Lęua eſt lex vetus, quia caput Eccleſiæ ſuſtentat, quia indicat verum 5.
Meſſiam, id eſt, Christum Saluatorem, eíque teſtimonium perhibet: Dextera eſt lex noua, cuius gratia totam Eccleſiam ambit & ſtringit, vt eius efficacia totam legem ſeruet & adimpleat: quare lex noua veterem ſupplet & perficit, ſicut dextera ſiniſtræ imbecillitatem ſupplet & roborat, vt patet Matth. 5. & ſeq. Rurſum lex vetus notatur per ſiniſtram, quia erat lex timoris & pœnarum; noua verò per dexterã, quia ipſa eſt lex amoris & gratiæ, ac gloriæ æternę. Ita S. Hieronym. in cap. 4. Zachar. & Eucher. lib. 2. in Geneſ.

*Læua, Lex vetus: Dextera Euangelium.*

Denique primaria Sponſa in Canticis eſt Humanitas Christi, quam Verbum vt amicam & Sponſam ſibi in incarnatione deſpondit, ac læuâ dextrâque, id eſt, circumquaque complexus eſt, vt dixi in Proœm. cap. 2.

## SECVNDVS SENSVS

### *De Christo & Anima.*

THeodoretus & tres Anonymi apud ipſum, ac S. Bernard. ſerm. 51. per læuam accipiunt comminationem ſupplicij, per dexteram verò regni promiſſionem: vtrâque enim Christus animam ad ſe trahit, ſibique copulat. *Eſt autem*, ait S Bernard. *cùm mens noſtra formidine pœnæ ſeruiliter premitur, & tunc nequaquam ſub capite, ſed ſuper caput læua eſſe dicenda eſt: nec poteſt ſic affecta anima omnino dicere: quia læua eius ſub capite meo. At verò ſi proficiens ex hoc ſpiritu ſeruitutis, tranſieris in quendam ſpontanei obſequij digniorem affectum, quatenus videlicet præmiis potiùs prouocetur, quàm arceatur ſuppliciis, magis autem ſi amore boni ipſius agatur, tunc indubitanter dicere poterit, quia læua*

*Læua, comminatio ſupplicij: Dextera, Promiſſio regni.*

Bernard.



Digitized by Google

*eius ſub capite meo*, *quippe qui illum ſeruilem*
*metum, qui in ſiniſtra eſt, meliori atque excel-*
*lentiori habitudine ſuperauit animi*, *& dignis*
*deſideriis etiam ipſi appropinquauerit dextera*, *in*
*qua ſunt omnes promiſſiones*, *dicente Prophetâ*
*ad Dominum: Delectationes in dextera tua vſq.*
Pſalm. 15. *in finem; vnde & certâ ſpe conceptâ cum fiducia*
*loquitur: Et dextera eius amplexabitur me*;
túncque exultans dicit cum Pſalte Pſal.
Pſalm. 4. 4. *In pace in idipſum dormiam & requieſcam*,
*præſertim cùm ſuppetat cauſa, quæ ſequitur, quo-*
Bernard. *niam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti*
*me*. Hæc S. Bernard.

Idem ibidem magis ad literam per
læuam & dexteram accipit omnimodam
protectionem, quâ Deus animam ad ſe
anhelantem tuetur & complectitur: *Er-*
*go*, inquit, *non ſuſtinet dilectam moleſtiam, adeſt*,
Idem. *neque enim moram facere poteſt tantis deſide-*
*riis euocatus. Et quia illam compererat donec ab-*
*ſens fuit*, *fidelem ad opera & ſollicitam ad lu-*
*cra*, *in eo nimirum*, *quod flores ſibi & fructus*
*præceperat adunari*, *etiam cum propenſiori hac*
*vice remuneratione gratia eſt reuerſus. Deni-*
*que vno brachiorum ſuorum ſuſtentat caput ia-*
*centis, alterum ad amplexandum parans, vt ſinu*
*foueat. Felix anima quæ in Chriſti recumbit pe-*
*ctore, & inter Verbi brachia requieſcit.*

Huc pertinet verſio Chaldæi: *Quando*
Chald. inquit, *populus domus Iſraël ambulabat per de-*
*ſertum*, *erant nubes gloriæ circundantes eos per*
*quatuor ventos mundi*, *vt non dominaretur in*
*eos æſtus, neque Sol, neque pluuia, neque grando.*
Columna enim nubis protegens He-
bræos in deſerto, typus erat protectio-
nis, quâ Spiritus S. protegit fideles Chri-
ſti in Eccleſia.

Secundò, Aponius hæc tripliciter ex-
ponit. Primò refert ad martyres, quos
Chriſtus ſuſtentat ſuâ læuâ, id eſt, pro-
miſſione regni cæleſtis, ac dexterâ, Id
eſt, gratiâ & auxilio ſuo amplectitur &
corroborat; *Tormenta enim omnia*, inquit,
Aponius. *ipſáque mors pro Chriſto ſuſcepta delicia ſunt*
*animarum ſanctarum*, *pro æternis gaudiis ac-*
*quirendis; vbi ſe Eccleſia deliciis reſoluta*, *am-*
*plexu dilecti Chriſti contineri lætatur*, *vt digna*
*ſit pro factore ſuo atrocitatem perpeti tormento-*
*rum*. Secundò, ad animam ſanctam, quaſi
ipſa dicat: Chriſtus ſuſtentat me læuâ
[illegible] compunctionis, ne deflectam ad ſiniſtra
carnis & concupiſcentiæ; & dextrâ tri-
bulationum me continet, ne dilabar ad
dextram ſuperbiæ. Tertiò, q. d. læua
Chriſti, id eſt, ſcutum fidei eſt ſub capite
meo, dextera verò, id eſt, gladio oratio-
nis amplexatur & obarmat me.

Myſtici & Contemplatiui hanc gno-
men accipiunt de ſummo contempla-
tionis gradu, quo anima intimè Deo per Summus Cõtemplationis gradus.
contemplationem intellectus, & per ar-
dorem voluntatis vnitur, eúmque quaſi
duobus hiſce brachiis reciprocè ſtrin-
git & amplectitur. Tunc enim Deus cor
allicit, ſuiſque quaſi illuminationis &
inflammationis brachiis mulcendo, tra-
hit ad altiorem quendam & puriorem
amoris amplexum. Et ſicut hîc cognitio
ſubtilior, ita & affectio nobilior viget,
quæ non adhæret delectationibus diui-
nis, ſed iis omnibus animosè præteritis,
optat in nudis Dei brachiis conquieſce-
re. Hîc præ magnitudine voluptatis cor
dilatatur, & quodammodò patefactis
poris dehiſcit, ac læditur, ſoletque ali-
quando hæc læſio ita ingraueſcere, &
amoris impetus ita augeri, vt tantis in-
crementis cor humanum par eſſe non
poſſit, ſed ei morte feliciſſimâ ſuccum-
bat, quod mortis genus aiunt beatiſſimæ
Deiparæ, S. Tereſiæ, aliiſque nonnullis
contigiſſe.

## TERTIVS SENSVS.

*De Chriſto & B. Virgine.*

PRimò Rupertus per læuam accipit
ſolatia, quæ Deus in hac vita con-
ceſſit B. Virgini; qualia ſunt videre Spi-
ritum ſanctum deſcendere in ſe & Apo-
ſtolos, Euangelium toto orbe prædicari,
gentes conuerti ad Chriſtum, &c. *Et dex-*
*tera illius amplexabitur me*, id eſt, gloria
patris, in qua ipſe eſt, totam circumdabit
& implebit me, cùm de præſenti ſæculo
eduxerit & aſſumpſerit me: illa videli-
cet dextera, qualem Pſalmiſta inſinuat
dicens: *Et delectationes in dextera tua vſque* Pſal. 15. 11.
*in finem* Pſal. 15. 11.

Secundò, Gulielmus Paruus, & ex eo
Delrio per *læuam* accipit acerbitatem
Paſſionis Chriſti, per *caput* mentem Ma-
riæ, per *dexteram* gaudium Reſurrectio-
nis: ipſa ergo dixit *amore langueo*, quia in
Paſſione languor iſte matris apertè ſe
prodidit. Videt, inquit, mens diuinitùs
illuminata, quàm vtiliter atque ſalubri-
ter dulciſſimus filius moriatur; quàm
breues ſit morulas in morte facturus, &
quàm gloriosè poſt modicum triumpha-
turus. Et ecce propter hoc: *Læua eius ſub*
*capite meo*; non enim ſupergreditur caput
meum, vt ratio cedat affectui, & lugea-
tur à me filius meus quaſi deſcenſurus
in corruptionem, non quaſi poteſtatem
habens ponendi animam ſuam, & ite-
rum ſumendi eam. Ego verò certiſſima
ſum,

ſum, quod Dextera eius amplexabitur me, quòd gloria reſurrectionis eius citò me exhilarabit; non tanget tantùm, ſed amplexabitur; non ſicut paſſio ad modicum contriſtauit, ita etiam reſurrectio perfunctoriè & ad horam exhilarabit, ſed conſciſſo mœroris mei ſacco perpetua lætitia circundabit me. De morte eius breui luctus mihi breuis, ſed quia reſurgens ex mortuis iam non moritur, materna in me charitas immortali lætitiâ perfruetur.

## VOX SPONSI.

Verſ. 7. *Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas ceruóſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoadusque ipſa velit.*

PRo *dilectam* Hebr. eſt אהבה *ahava*, quod & *dilectam* & *dilectionem* ſignificat. Vnde Vatabl. vertit: *ne expergefaciatis amorem*, id eſt, Sponſam ſummè amantem & amatam: ponitur enim abſtractum pro concreto per Epitaſim, ad ſignificandam vehementiam amoris in Sponſa, quæ tanta eſt, vt ipſa non tam amans & amata, quàm merus amor eſſe videatur. Vnde Syrus pro *dilectam* vertit, *eſſentiam amoris*, vel *ipſum eſſe amoris*. Arabicus, *amorem*.

Vatabl. *Abſtractum pro concreto.*

Syrus. Arabic.

Sponſa amore languens incidit in ſomnum & animi deliquium, tota abrepta in deſiderium Sponſi, quare ab adoleſcentulis in lectulum delata, in eo obdormiit. Sponſus ergo Socias eius adiurat, ne ab hoc ſancto ſuauîque ſomno eam ſuſcitent, ſed in eo conquieſcere ſinant donec ipſa Sponte euigilet, quâ adiuratione oſtẽdit, quàm ſibi hic amoris ſomnus placeat: Amoris enim languor, eſt dulcis amoris ſomnus; quare in ſomni huius lectulo manſit, egitque & dixit omnia quæ ſequuntur hoc capite ad finem; nam cap. ſequenti, puta 3. v. 1. ait ipſa: *In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea.* Ita Origenes, Aponius & alij. Septuag. vertunt: *Adiuraui vos in virtutibus & viribus agri, ſi ſuſcitaueritis & reſuſcitaueritis* (S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 5. *eleuaueritis & ſuſcitaueritis*. Scholiaſt. *è ſomno excitaueritis*) *charitatem, quoadvſque velit.* Per virtutes, ſiue potentias & vires, ſiue fortitudines agri, acci-

Cantic. 3. 1.

L x x.

Ambroſ.

pe plantas, arbores & virgulta, & quicquid pulchrum & præſtans eſt in agro.

Chald. more ſuo referens hæc ad Moſem & Hebræos tendentes in Chanaan, ſic vertit: *Poſt hæc, dictum fuit Moyſi in Prophetia à facie Domini, vt mitteret nuntios ad explorandam terram, & quando reuerſi ſunt ab explorando, detraxerunt terræ Iſrael, & demorati ſunt quadraginta annis in deſerto. Aperuit Moſes os ſuum, & ſic ait: Adiuro te Eccleſia Iſrael in Domino exercituum, & in fortitudinibus terræ Iſrael; ne ſuperbè contendatis aſcendere ad terram Chanaan, donec ſit voluntas à facie Domini, & conſumatur tota generatio virorum bellatorum, & moriantur de medio Caſtrorum; ſicut ſuperbierunt fratres veſtri filij Ephraim, qui ex Ægypto egreſſi ſunt triginta annis, antequam perueniſſet finis, & ceciderunt in manu Philiſtinorum, qui habitabant in Geth, & occiderunt eos: ſed expectate vſque ad tempus quadraginta annorum, & poſtea ingredientur filij veſtri, & poſſidebunt eam.*

Chald.

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

ADiurat, id eſt, obteſtatur cum comminatione vel execratione Sponſus, putà Chriſtus, filias Ieruſalem, id eſt, Iudæos, Scribas & Principes (vnde Hebr. pro *vos* eſt אתכם *etchem* maſculinum, q. d. Vos, ô Ciues Ieruſalem, vos ô Iudæi) ne orientis in Iudæa Eccleſiæ, ſed feruentis fidem, pacem & profectum interturbẽt. q. d. Sufficiat vobis, in me ſæuitum eſſe, vt lubuit. In ſuauiſſimã Sponſam meam ſæuire nondum permitto, quam ego in fidem & tutelam recepi meam; & otioſo iuſſi eſſe animo. Ecce domi ſuæ orat Angelorum circumſepta præſidio: Per quas ſanctas vos obteſtor mentes, ne orantem ſollicitetis, néve ſedato animo meæ fidei & promiſſis addormienti, obſtrepatis, aut negotium vllum exhibeatis: Niſi vultis cæleſtes acies, quibus ſcelerum veſtrorum pœnas detis, irritare. Acutiùs enim ipſis capreis cùm cernant, veſtra quantumcúmque occulta perſpiciunt conſilia. Capreis & ceruis longè celeriores, ſuis accurrunt ocyſſimè, atque opem ferunt clientulis: Omnes ſunt miniſtratorij ſpiritus, in meæ Eccleſiæ tutelam & miniſterium miſſi à me propter eos, qui hæreditatem capiũt ſalutis. Hebr. 1. Sicut enim olim per Angelos expuli Chananæos è Iudæa in gratiam veſtri, ſic per eos pariter vos ex illa expellam

Senſus.

in gratiam Eccleſiæ meæ, ſi illi, puta illius Apoſtolis & fidelibus Chriſtianis, reſtiteritis. Sinite ergo Eccleſiam meam iuſtum pacis & deuotionis ſomnum capere, & quamdiu volet, conquieſcere, regnum cælorum obtinere, & in eo regnare pacificè. Ita Hortolanus, Titelm. & alij.

Rurſus hanc gnomen adaptes Apoſtolis ſedentibus in Sion poſt Aſcenſum Chriſti, ac ſilentio & orationi vacantibus vſque ad aduentum Spiritus ſancti in Pentecoſte, quo repleti, ſponte rupto ſilentio cœperunt publicè prædicare magnalia Dei & Chriſti, idque ex Præcepto Chriſti: *Sedete*, ait, *in ciuitate donec induamini virtute ex alto*, Actor. 1. Verat ergo Chriſtus, ne quis Apoſtolorum quietem turbet, vſque ad aduentum Spiritus ſancti.

Act. 1.

Inſuper propriè filias Ieruſalem, id eſt, fideles ſingulos, maximè imperfectiores & leuiores monet Chriſtus, ne Eccleſiæ pacem diſcolis moribus, ſcandalis, ſchiſmate, aut tumultu perturbent donec ipſa velit, id eſt, iugiter. Semper enim ipſa volet pacem. Ita Delrio.

*Iuramentũ venatorium Sponſi quaſi Paſtoris.*

Porrò capreas ceruóſque camporum ad literam vt ſonat accipe; Eſt enim hic iuramentum venatorium, quo Sponſus velut paſtor campeſter & ruralis venatores adiurat per ceruos & capreas, quos ipſi in agris & ſyluis venantur more filiarum, id eſt, virginum Tyri, quibus Iudeæ vicinæ ſunt, quæ venationi vacabant, iuxta illud Virgil. Æneid. 1.

Virgil.

*Virginibus Tyriis mos eſt geſtare pharetram.*

Talis fuit Diana. Solemus enim iurare per res ſummè dilectas, quales venatoribus ſunt cerui ſibi ſummè dilecti. Geneſ. 42. 14. Hinc Septuag. vertunt: *In virtutibus & viribus, ſiue fortitudinibus agri*, id eſt, per omne quod eſt potens aut forte in agris & ſyluis, aut per omnem agrorum fœcunditatem, & quæcumque ex eis gignuntur vel aluntur, vel per omne quod vobis charum & iucundum (hoc enim ſignificat Hebr. צבי *tsevi*) eſt in agro. q. d. Si adiurationem hanc meam execratoriam violaueritis, ô Iudæi, perſequendo Eccleſiam & fideles Chriſtianos, fiet vt vobis ceruus pereat, ſteriles ſint capreæ, agri pariter lapideſcant & ſterileſcant, ac quod vos ſeminaueritis Titus & Romani demetant, denique tota veſtra regio vaſtetur & euertatur, vti de facto contigit.

L x x.

*Myſticè. Ceruus & caprea, quit*

Myſticè, per ceruos & capreas accipe vel Angelos, qui velut hinnuli mirâ celeritate per mundi campos, perque omnes Eccleſiæ angulos diſcurrunt, propter miniſteriũ fidelium, & ſalutem electorum, ac in Montibus, id eſt, in cælis degunt, atque vt capreæ acutiſſimè vident omnia, quæ in Eccleſia geruntur, & fidelibus de omnibus ad ſalutem opportunis prouident. Ita Origenes; Philo Carpath. Nyſſen. & alij: Vel prophetas & Patriarchas, ob eminentiam ſcientiæ & ſublimitatem conuerſationis, quâ velut cerui cum B. Virgine montana virtutum conſcenderunt. ita Theodor. & Rupert. Vel Apoſtolos & Doctores, qui cæleſtia docent, & homines ad cælũ tranſmittere ſatagunt. ita Aponius: Vel *Sanctas animas exutas corporibus*, ait S. Bernard. *propter nimium acumen viſus, & ſaltus celeritatem.* Mente enim ſaliunt in montes cælorum, & colles æternitatis. ita Rupert. Porrò S. Anſel. ſic explicat, q. d. ſi vultis habere naturas capreæ & cerui, quas habent ſancti, adiuro vos, ne peccatis, & inobedientiis veſtris animã amore languentem, & in contemplatione perſiſtentem dimoueatis ab illa quiete. Fusè deinde naturam dotéſque cerui & capreæ proſequitur, eáſque ſanctis & contemplantibus adaptat.

Bernard. Rupert.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

*Somnus animæ.*

ADiurat Chriſtus quoſlibet, ne animæ ſanctæ quietẽ, virtutis ſtudium & profectum, quo contẽdit in cæleſtem Ieruſalem, velut eius ciuis & filia, verbis, vel factis quomodolibet impediant vel interturbent, ſed quiſque de alterius profectu quaſi de ſuo gaudeat, ait Aponius. Addit Iuſtus Orgelitan. hîc docere voluntaria eſſe debere bona opera, non coacta: *Tunc enim*, inquit, *ſuſcitatur dilecta donec ipſa velit, quando ſanctorum vota voluntate ſpontanea Domino offeruntur.*

1. *Virtutis ſtudium.*

Iuſt. Orgelit.

Secundò, ſomnus animæ eſt humanarum rerum obliuio, vt tota Deo & cælo intendat, qualem agunt Anachoretæ, Monachi, & Religioſi: Nam vt ait, S. Baſilius Interrogatione 6. in regulis fuſiùs diſput. *Nihil eſt ſui ipſius abnegatio, niſi ſumma rerum omnium vita ſuperioris obliuio, atque à ſuis ipſius voluntatibus receſſio.* Huiuſmodi ſomnum plurimùm amat Deus, edicítque aliis denuntiatione ſeuerâ, ne vllum vlla ratione perturbent.

2. *Humanarũ rerum obliuio.*

Baſil.

Quod ſi per ceruos accipias Angelos, pia cogitatio eſt, ait Sanchez, quæ meditatur

Digitized by Google

ditatur hae adiuratione id à puellis peti, ne moleſtiæ aliquid afferant Angelis qui magno ſtudio, & fortaſſe diuturno eo Sponſam adduxerunt, vt in Sponſi ſinu quieſcat: neque priuent illos & magnâ voluptate, & ſui laboris fructu. Videant hîc qui aliis ſcandalo ſunt, quàm grauiter Deum, à cuius complexu Sponſa diuellitur; & Angelos, quorum etiam operâ effectum eſt, vt aliorum oblita, vnum Sponſum amet & curet; irritent & offendant.

3. *Oratio, Meditatio, Ecſtaſis.*

Tertiò, ſomnus animæ eſt Oratio, Meditatio, Contemplatio, Ecſtaſis. Vetat ergo Chriſtus, ne ab hoc pietatis ſomno Magdalenam ſuam, velut otioſam auocet negotioſa Martha. Vnde Ioannes Carmelita ſic exponit, q. d. *Obteſtor vos Eccleſiæ filiæ per memetipſum, qui caprearum ac ceruorum ſimilis ſum, ne animam, quam ego ecſtaſi, vel vitali quouis ſomno ad me rapio, excitare audeatis ad aliorum ſalutem curandam, quoadusque iubente me ipſa velit.* Ita Caſſiod. Beda, Anſelm & S. Gregor. quẽ audi: *Cerui & ceruæ munda animalia eſſe perhibentur. Quid ergo per ceruos & capreas, niſi fidem, & ſpem & charitatem accipimus? Quas dum nobis mundas ſeruamus, per eaſdem altos montes contemplationis aſcendimus. Sancta autem anima Sponſa Chriſti, à cunctis mundi perturbationibus quieſcere appetit, in ſinu Sponſi ſopitis terrenis cupiditatibus dormire ſancto otio concupiſcit, ita vt etiam neceſſaria colloquia aliquando faſtidiat, ſoliúſque Sponſi collocutione, quantò quietiùs, tantò ſereniùs hilareſcat. Sed hanc dormientem carnales qui ſunt in Eccleſia nonnunquam importunè excitant, negotiis mundi eam implicare deſiderant: quia eius vitam inutilem exiſtimant, dum ab eorum curis eam ſe abſtinentem conſiderant.* Et poſt nonnulla: *Hi dilectam excitare ſub adiurationis pondere prohibentur, ne videlicet mentem, quæ ad vacandum Deo ſe accingit, & ſolis ſpiritalibus ſtudiis inhærere concupiſcit, importunis ſollicitationibus inquietent, & tenebris curarum terrenarum oculum cordis eius obnubilent. Et tamen non ei omnis cura proximi interdicitur: quia profectò omni perfectæ animæ diſcernendum eſt, & quando cæleſti contemplationi ſtudeat, & quando proximorum vtilitatibus inſeruiat. Hanc vacandi Deo licentiam libentiſſimè Sponſa ſuſcipit, ſtatimque verbum Sponſi amplectitur, & dicit: Vox dilecti mei,* &c. Et S. Bernard. ſerm. 51. *Magna*, inquit, *& ſtupenda dignatio, quòd quieſcere facit animam contemplantem in ſinu ſuo, inſuper & cuſtodit ab infeſtantibus curis, protegitque ab inquietudinibus actionum & moleſtiis negotiorum, nec patitur omnino ſuſcitari, niſi ad ipſius vtique voluntatem.* Idem fusè proſequitur ſerm. 51. *Moriatur*, inquit, *anima mea morte*, (non tantùm *iuſtorum*, vti aiebat Balaam Numer. 23. verſ. 10. ſed) *etiam ſi dici poteſt Angelorum, vt præſentium memoria excedens, rerum ſe inferiorum corporeárumque non modò cupiditatibus, ſed & ſimilitudinibus exuat, ſitque ei pura cum illis conuerſatio, cum quibus eſt puritatis ſimilitudo. Talis vt opinor exceſſus, aut tantùm, aut maximè contemplatio dicitur. Rerum etenim cupiditatibus viuendo non teneri, humanæ virtutis eſt: corporum verò ſimilitudinibus ſpeculando non inuolui, Angelicæ puritatis eſt.* Et poſt nonnulla: *Erras, ſi citrà inuenire exiſtimas locum quietis, ſecretum ſolitudinis, luminis ſerenum, habitaculum pacis; ſed da mihi qui illuc peruenerit, & incunctanter fateor quieſcentem, qui meritò dicat: Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi* Pſalm. 114.

Ioann. Carmelit.

Gregor.

Idem.

Bernard.

Idem.

Idem.

Pſalm. 114

Porrò Septuag. vertunt: *Adiuraui vos filiæ Ieruſalem in virtutibus* (Alij *in exercitibus*) *& in viribus agri, ſi ſuſcitaueritis & reſuſcitaueritis eius charitatem, quoadvſque velit*, quaſi hæc ſint verba non Sponſi, ſed Sponſæ, quibus adiuret adoleſcentulas, vt excitent amorem ſuum, nec dormire aut torpere ſinant quoadusque ipſe velit, id eſt, vt charitatem ſuam Sponſi voluntati ſubiiciant. Deſiderat autem Spõſus ab omnibus amari: venit enim ignem mittere in terram, & quid vult, niſi vt accendatur? Lucæ 12. Ita Origenes, Theodoret. & Tres Patres. Verùm hæc diſſonant à Vulgata, æquè ac ab Hebræo, in quo liquet hæc eſſe verba Sponſi de Sponſa. τὸ enim *donec velit*, intellige, non Sponſus; ſed ipſa Sponſa. Hoc enim exigit תחפץ *techpats*, id eſt, *volet*, quod eſt femininum.

LXX.

Quocirca, minus quoque Hebræo & Vulgatæ reſpondet expoſitio Pſelli, qui Septuag. ſecutus, cenſet hîc animam ſauctam à capreis, id eſt, ab Angelis opẽ flagitare, vt ad ſalutem, & charitatis perfectionem (quod vnicè vult Deus) queat pertingere. Et Nyſſeni hom. 4. qui putat hîc ſignificari, quod in charitatis ſtudio imitari debeamus Angelos quouſque voluntas Dei, quæ eſt vt omnes homines ſalui fiant, impleatur. Et S. Auguſt. (vel quiſquis eſt Auctor) in ſpecul. c. 3. tom. 3. qui cenſet hîc Eccleſiam excitare fideles ad martyrium, qui eſt apex charitatis, ad quem eos promouere vult Chriſtus. Et trium Anonymorum apud Theodoretum, qui cenſent hîc animam ſapientem hortari infirmiores, vt tamdiu Chriſtum mente gerant, donec ipſe eiſdem claram ſui viſionem impertiri velit.

*Varia huius loci expoſitiones.*

Digitized by Google

velit. Et S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 5. qui opinatur hîc dici, quòd Chriſtus per Incarnationem ſuſcitatus ſit in lucem, per Reſurrectionem verò reſuſcitatus: vnde per capreas & ceruos accipit ipsūmet Chriſtum: *Vel*, inquit, *ſuſcitatur Chriſtus in his qui primùm accedunt, reſuſcitatur in his, qui poſtquam acceſſerint, dormierunt: Dormit ergo Chriſtus negligentibus, ſuſcitatur in ſanctis.*

Ambroſ.

*Dormit Chriſtus negligentibus.*

*Oratio quietis quæ?*

Myſtici & Contemplatiui hæc referunt ad orationem, quam quietis appellant, quia in ea omnes animæ facultates quieſcunt: in qua, ait B. Thereſia, ânima miro quodam modo intelligit Deum iam ſibi propinquum, & quaſi contiguum eſſe, ita vt leui conatu poſſit ad diuinam vnionem peruenire. Oratio ergo quietis eſt, quâ mens quaſi dormit in Deo, ſolâ voluntatis acie ferè inſenſibiliter operante in amante; ſicut infans ſemidormiens ſugit vbera matris, quæ ſi amoueatur, expergiſcitur, & plorat, ac ploratu oſtendit, quantum bonum amiſerit, quod dormiens non æſtimare nec ſentire videbatur. Tota enim anima intrat in ſe, ſeſéque colligit circa Deum, vt nec ſentire nec audire videatur, eſſéque dormiens & ſemimortua, donec ad ſe redeat; tunc experrecta ſentit quantum bonum perdiderit. In hac ergo oratione quaſi dormit, & moritur propria mens & voluntas, ac tranſit in diuinam, ab eâque mouetur & agitur, ſicut qui nauigat, mouetur non à ſe (quia quieſcit, & ſubinde dormit) ſed à naui quaſi quieſcens in patriam, & portum optatum vehitur. Talis ergo eſt quaſi puer dormiens in ſinu patris; totam enim ſuam curam & cogitationem Deo relinquit, cui ſoli inhæret & indormit, dicens: *In pace in idipſum dormiā & requieſcam.* Pſal. 4. Pſalm. 4.

## SENSVS TERTIVS

*De Chriſto & B. Virgine*

VIde Rupertum, qui hæc omnia adaptat ſilentio, contemplationi, & ecſtaſi B. Virginis. Rurſum hæc adapta eiuſdem fiduciæ & reſignationi in Dei prouidentiam, quâ ſciens ſe Deo & Chriſto filio ſuo ſummè eſſe cordi & curæ, inter eius brachia in eius quaſi ſinu ſecura quieſcebat, & indormiebat; tum in Chriſti paſſione & cruce, tum in Apoſtolorum & Eccleſiæ poſt Chriſti mortem perſecutione, factâ per Iudæos, tum in quibuſlibet dubiis & aduerſis.

SECVNDA

# SECVNDA PARS CANTICI,

## Qua deſcribitur Adoleſcentia & Incrementa Eccleſiæ vſque ad Cap. 3. verſ. 6. Sicut Infantiam Eccleſiæ deſcripſit à Capite 1. hucvſque.

*Hæc Adoleſcentia Eccleſia fuit poſt Pentecoſten, cum Apoſtoli recepto Spiritu S. profecti ad gentes, vbique Eccleſias fundarunt. Vide dicta in Proœmio cap. 3.*

### VOX SPONSÆ.

Verſ. 8. *Vox Dilecti mei; ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.*

Verſ. 9. *Similis eſt dilectus meus capreæ hinnuloque ceruorum. En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.*

VOX, *dilecti mei; Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles,* Heb. מְקַפֵּץ *mekappets,* id eſt, *contrahens ſe ſuper colles:* qui enim fortiter & procul ſalire volunt, membra & vires contrahunt, vt validiùs ſaliant. Vatabl. accurrens per colles.

Hebr.

Vatabl.

*Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum.* Chald. more ſuo hæc refert ad liberationem Hebræorum ex Ægypto: *Quando,* inquit, *habitabat populus domus Iſraël in Ægypto, aſcendit clamor eorum ad cælos excelſos: tunc reuelata eſt gloria Domini Moſi ſuper montem Horeb, & miſit eum in Ægyptum, vt redimeret eos, & educeret eos de oppreſſione ſubiectionis Ægyptiorum: & abbreuiatum eſt tempus præfinitum propter merita patrum, qui comparati ſunt montibus, & diminuit de tempore ſeruitutis centum nonaginta annos propter iuſtitiam matrum, quæ comparatæ ſunt collibus.* Verſ. IX. *Dixit cœtus Iſraël: In tempore quo reuelata eſt gloria Domini in Ægypto in nocte Phaſe, & occidit omne primogenitum, aſcendit ſuper fulgur velociſſimum, & cucurrit ſicut caprea & ſicut hinnulus ceruorum, & protexit domos noſtras.*

Chald.

Sponſa in ſuo amoris languore delata ad lectulum, ibique indormiens audiit confuſè & tenuiter vocem Sponſi aduenientis, & tranſilientis montes, vt ad Sponſam amore languentem feſtinanter accurreret; quare vox hæc eius fuit eminus miſſa, ideóque exilis & ſubmiſſa, vti docet S. Ambroſ. ſerm. 6. in Pſal. 118. verſ. 1. ſiue hæc vox fuerit Sponſi indicentis adoleſcentulis ſilentium, ne quo ſtrepitu Sponſam excitent, vt vult S. Gregor. & S. Bernard. ſiue aliqua alia, vt vult Origen. Vnde vocem dilecti indicante amore agnoſcens, & exultans Sponſa exclamat: En dilectus meus adeſt; hæc enim eſt vox dilecti mei, quam audio, qui vt video ſummam mei curam gerit, nec aliud agit, quàm vt meum amorem, tranquillitatem, pa- Senſus.

cem

cem omnéque bonum curet & promoueat: quare inſtar hinnuli & capreæ celerrimè tranſilit montes & colles, vt mihi adſit & ſuccurrat. Ita Ioannes Carmelita:

Ioan. Carmelita.

*Vox*, inquit, *dilecti mei, quæ vna id poteris, vt ſua diuina ſonuit, & expergefecit me.*

*Chriſtus ſalit in montibus tripliciter.*

I. Tripliciter hæc gnome poteſt exponi. Primò de Chriſti Incarnatione, q. d. Ego Eccleſia Chriſtiana, iam naſcente Chriſto exoriens in Beata Virgine, S. Ioſeph, Apoſtolis & diſcipulis, amore Chriſti languens & ſuſpirans, vt ipſe genus humanum à peccato & morte redimat, incipio iam audire vocem ipſius tum per ſe prædicantis, tum per Ioannem Baptiſtam, vt volunt tres Patres apud Theodor. huius enim vox fuit vox Chriſti; vnde ipſe ait, *Ego vox clamantis*, ſcilicet Chriſti, *in deſerto: Parate viam Domini*. Iſaiæ 40. & Matth. 3. Ecce ergo filius Dei venit in carne, vt me redimat ſibíque deſpondeat: *Saliens in montibus, tranſiliens colles*. Per montes & colles omnes Angelorum ordines intellige,

*Montes, Angeli.*

quos Chriſtus è cælo ſaliens in terram tranſiliuit, ac ſub omnibus ſe demiſit factus homo, iuxta illud: *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis*. Pſal. 8.3 & Hebr. 2.7. & vt ait S. Bernard. ſerm. 55. *Vt hinnulus quippe apparuit paruulus, qui natus eſt nobis* Sic & Caſſiod. & Beda: Chriſtus inquiunt, eſt hinnulus, quia factus eſt humillimus inter homines, & vt ait Iſaias c. 53. *nouiſſimus virorum*. Addit S. Anſelm. Chriſtum eſſe hinnulum, quia nulla carnis mole oppreſſus; & omnibus virtutibus ornatus, ſicut hinnulus maculis diſtinguitur. Idem verò dicitur caprea, ait Iuſtus Orgelit. propter ſimilitudinem carnis peccati, quam aſſumpſit. Aut per montes & colles intellige ſanctos Patriarchas & Prophetas: quia per medias generationes plurimas, inquit Titelman. poſt longam Patrum præcedẽtium ſeriem, tandem de virgine natus mundo apparuit. Quaſi enim tot montes & colles tranſiliit, quot ante ipſum præceſſerunt diuerſæ generationes Patrum præcedentium, ex quibus ſecundùm carnem proceſſit. Saliit videlicet à monte illo ſublimi, patre fidei noſtræ Abraham in filium Iſaac, ab hoc in filium Iacob, indéque in alios, & quaſi ſaltibus ſingulis noſtræ mortalitati factus vicinior: tandem manifeſtus in carne noſtra mortali apparuit. Saltus ergo præcipuus, cuius hîc fit mentio, ille eſt Dei ad homines admirabilis deſcenſus, quo Verbum caro, Deus homo factus eſt, quo patris ſapientia in aſſumpta ſerui forma inter homines apparuit. Chriſtus ergo inſtar fulguris montes, id eſt, Angelos & colles, id eſt, Patriarchas, & omnes patrum generationes tranſmittens, ait S. Bernard. ſerm. 54. in puriſſimum Virginis vterum deſiliit: inde ſaliit in præſepe: inde tranſiliit in Ægyptum, ait Nazianzen. inde rediens ſaliit in crucem: è cruce & ſepulchro reſiliit in cælum. Audi S. Ambroſium, in Pſalm. 118. ſerm. 6. verſ. 1. qui ita Sponſam loquentem inducit:

Ambroſ.

*Ego ſuſcitari mihi charitatem cupio, ego me vulneratam charitate puta, & ad me plus charitas ipſa feſtinat. Ego dixi: Veni; ille ſalit & tranſilit: ego rogo eum venire cum gratia, ille gratiarum operatur augmenta: & dum venit incrementa gratiæ ſecum vehit; & veniendo acquirit, quia ſtudet etiam ipſe ſua placere dilectæ. Salit ſuper excelſa, vt aſcendat ad Sponſam. Sponſa enim thalamus, tribunal eſt Chriſti. Salit ſuper Eccleſiam, tranſilit ſuper Synagogam. Salit ſuper gentes, tranſilit ſuper Iudæas. Videamus ſaltentem. Salit de cælo in Virginem, de vtero in præſepe, de præſepio in Iordanem, de Iordane in crucem, de cruce in tumulum, in cælum de ſepulchro.* Et poſt multa quæ interiicit: *Salit ſuper Eccleſiam, quæ eſt domus panis, eo quòd fidelium corda confirmet. Meritò ſicut capreola, quia caprea in altis paſcitur. Dorcas dicitur à videndo; Dorcadum enim viſus acutior eſt. Quid hoc aptius Chriſto, qui patrem vidit, quem vidit nemo? Aut ſi quis vidit in Chriſto, ipſe filius reuelauit. Meritò ſicut hinnulus quaſi filius, cui paterna inoleuerit vis naturæ, vt cum occulta non lateant, ſerpentes fugiant, venena non lædant.* Chriſtus ergo è cælo deſiliit in ſolum & in cœnum, è cœno in tartarum, è tartaro deinde in cœnum, & ex cœno reſiliit in cælum. Ita Caſſiod. S. Gregor. Beda & alij.

*Saliit Chriſtus è cælo in cœnum.*

2. Secundò, poteſt exponi de miſſione Spiritus ſancti in Pentecoſte. q. d. Apoſtoli & fideles poſt Chriſti aſcenſum in cælum, in Sion ob metum Iudæorum recluſi, ac orationi & contemplationi vacantes, in Die Pentecoſtes ſenſerunt Chriſti aduentantis opem & vocem, cùm in eos miſit Spiritum ſanctũ. Tunc enim *factus eſt repente de cælo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis*. Actor. 2. 2. Quare hoc ſpiritu armati annullarunt, ac ſuperarunt minas Iudæorum ac Pontificum, imò gentes omnes Chriſto ſubiugarunt.

Act. 2. 2.

iugarunt. Porrò eum Spiritu ſancto deſcendit ipſe filius, æquè ac Pater in Apoſtolos: tres enim perſonæ ſibi inuicem ſunt conſubſtantiales: & quod vna operatur ad extrà, hoc operantur & duæ cæteræ. Vnde Christus iturus in cælum Apoſtolis promiſit, dicens, Ioan. 14. 18.
Ioan.14.18. *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos,* ſcilicet cum Spiritu ſancto in Pentecoſte, inquit Rupert. & S. Cyril. lib. 9. in Ioannem cap. 45. Denique Spiritus ſanctus fuit quaſi vox Chriſti, quæ per os Apoſtolorum Chriſti fidem toto orbe prædicauit, & propagauit; Vnde de eo
Ioan.16.14. ait Chriſtus: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Ioan. 16. 14.

Spiritus ſanctus denique fecit Apoſtolos, montes, & colles, hoc eſt, omnes itinerum anfractus, omnes difficultates, omnes perſecutiones & tribulationes, omnia impedimenta Euangelij tranſilire, vt Chriſti fidem & Eccleſiam toto orbe diſſeminarent. Vnde S. Gregor. hîc ait, Chriſtum eſſe ſimilem capreæ ſalienti in montibus & tranſilienti colles, quia ſanctos omnes patientia operationis ſuæ tranſcendit, dum ſe à morte ſuſcitauit, Spiritum ſanctum in Apoſtolos miſit, gentes ad ſe conuertit. Nyſſenus ait Chriſtum ſaliiſſe ſuper montes, quia dæmones ſibi ſubiecit. Origenes verò, quia omnia regna mundi omnéſque reges, quamuis excelſos ſuæ fidei ſubiugauit. Theodoretus autem, quia aras & templa idolorum, quæ erecta erant in montibus euertit. Vnde Symmach. ver-
Symmach. tit: *Aſcendens contra montes, exiliens aduerſus colles.* Denique Salomon hucuſque deſcripſit infantiam Eccleſiæ, hîc verò depingit eius adoleſcentiam & incrementa vſque ad cap. 3. verſ. 6. vti dixi in Prooemio: hæc autem cœperè in Pentecoſte, & deinceps magis ſunt aucta.

3. Tertiò, Chriſtus tranſilit montes & colles, cùm Eccleſiæ in quauis perſecutione & aduerſitate, celerrimè cælo inſtar fulguris adeſt, conſilium & auxilium porrigit, facítque vt ipſa omnia ſuperet & tranſcendat, iuxta illud Chriſti promiſſum & oraculum: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduer-*
Matt.16.18. *ſus eam.* Matth. 16. 18. Et: *Cum ipſo ſum in tribulatione; eripiam eum & glorificabo eum.*
Pſal.90.15. Pſal. 90. 15.

* * *

*Cornel. à Lapide in Cant. Canticor.*

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

CHriſtus per ſanctas inſpirationes ſalit in animam: montes & colles, ſunt animæ potentiæ per Dei gratiam eleuatæ, & anhelantes ad cæleſtia. *Chriſtus ſalit in omnes animæ potentias.* Primò ergo ſalit Chriſtus in intellectum, dum quaſi ſol radios lucis cæleſtis illi immittit, vt videat quantum bonum, quàm vtile, quàm pulchrum, quàm iucundum ſit opus virtutis, v.g. charitatis, religionis, contemptus mundi, martyrij, caſtitatis, patientiæ, humilitatis, &c. deinde ex intellectu ſalit in voluntatem, ſtimulos caloris, id eſt, ſancti amoris impulſus illi inſpirans, quibus amet & ardenter velit opus virtutis. Tertiò ſalit in phantaſiam & appetitum ſenſitiuum, gaudium ſpirituale ei immittens, vt non reluctetur intellectui & voluntati, ſed potiùs ei obſecundet, eámque impellat ad opus hoc complectendum. Quartò ſalit in manus & pedes omnéſque ſenſus & membra, dum ea impellit ad bonum opus quod mente concepit, licet difficile & arduum, reipſa exequendum, iuxta illud Iſaiæ 40. verſ. vlt. *Qui autem ſperant in Domino mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient,* Iſai.40.31. omnes montes & colles, id eſt, omnes difficultates & impedimenta generosè & alacriter ſuperando, & tranſcendendo. Audi S. Ambroſium in Pſal. 118. ſerm. 6. verſ. 1. *Exultauit tanquam gigas ad currendã viam; à ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius, nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.* Pſal.18. *Ergo & nunc ſalit, & nunc currit de corde patris ſuper ſanctos ſuos, de Oriente ſuper Occidentẽ, de Septentrione ſuper Meridiem, Ipſe eſt qui aſcendit ſuper occaſum, ipſe ſuper cælos cælorum ad Orientem. Ipſe aſcendit ſuper mõtes, ipſe ſuper colles. Vtinam ego miſer dicam, dicat anima mea: Ecce iſte aduenit, & aduenit non ſuper terrena, non ſuper valles, ſed aduenit ſaliens ſuper montes. Deus enim Deus montium eſt. Vbi ergo ſalit? Super montes ſalit. Si ſis mons, ſalit ſuper te. Salit ſuper Iſaiam, ſalit ſuper Ieremiam, ſalit ſuper Petrum, Ioannem, Iacobum. Montes in circuitu eius. Si non potes mons eſſe, nec præuales, eſto vel collis, vt ſuper te Chriſtus aſcendat, & ſi tranſilis, tranſilias, vt te tranſitus eius vmbra cuſtodiat.*

Quare Chriſtus in animam inſiliens, *ſimilis* eſt *caprea & hinnulo.* *Chriſtus eſt caprea & hinnulus.* Primò, ob velo- 1. citatem ſuam, quam pariter animæ communicat.

municat, dum eam facit velocem in exequendo pium propoſitum.
2. Secundò,
quia inſtar capreæ acutiſſimi eſt viſus, qua omnia circumſpicit, & omnia profutura animæ prouidet, ac obfutura remouet; atque ipſi animæ idipſum communicat, vt omnia quæ agẽda ſunt priùs exactè proſpiciat, & circumſpiciat. Ita Theodor. & S. Bernard. ſerm. 54. Capreæ enim acutiſſimos habent oculos: Vnde Græcè vocantur δορκάδες à δέρκειν, id eſt,
3. à videndo. Tertiò, quia ſicut cerui halitu ſuo ſerpentes è cauernis extrahunt,
*ἔλαφος unde dicatur.* & vorant; vnde vocantur ἔλαφοι ἀπὸ τοῦ ἑλκεῖν ὄφιν, id eſt, ab extrahendo ſerpente: Sic pariter Chriſtus omnes tentationes carnis, mundi, & dæmonis, quas ipſe animæ ſuggerit, manifeſtat, elidit, diſcutit,
4. & perimit. Ita Philo Carpath. Quartò,
Chriſtus iudex erit quaſi caprea, quia acutiſſimo viſu omnia occulta hominum dicta, cogitata, facta videbit & iudicabit. Vnde S. Bernard. ſerm. 55. *Verùm tu qui aduentum deſideras Saluatoris, time ſcrutinium iudicij, time oculos capreæ: time illum qui*
*Bernard.* *per prophetam dicit: Et erit in die illa, & ego ſcrutabor Ieruſalem in Lucernis. Acuto viſu eſt, nihil inſcrutatum relinquet oculus eius. Scrutabitur renes & corda, ipſáque cogitatio hominis confitebitur illi. Quid tutum in Babylone, ſi Hieruſalem manet ſcrutinium?* Et poſt nonnulla: *Verendum valde cùm ad hoc ventum fuerit, ne ſub tam ſubtili examine multa noſtræ iuſtitiæ (vt putantur) peccata appareant. Vnum eſt tamẽ, ſi noſmetipſos diiudicauerimus, non vtique iudicabimur. Bonum iudicium, quod me illi diſtricto diuinóque iudicio ſubducit & abſcondit. Prorſus horreo incidere in manus Dei viuentis.*

Quintò, Origenes: Chriſtus, ait, &
5. ſancti capreæ ſunt in contemplatione, cerui in actione, quâ occidunt ſerpentes, id eſt, mortificant paſſiones & vitia. Aſſerunt, inquit, Medici capreæ ineſſe intra viſcera humorem quendam, qui caliginem depellat oculorum, & obtuſiores quoſque viſus exacuat. Meritò ipſi Chriſtus comparatur, quia non ſolùm videt ipſe patrem; ſed & videri eum ab aliis facit, quorum viſus ipſe curauerit.

Audi S. Gregorium hom. 29. in Euangelium: *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, veniendo quippe ad redemptionem noſtram, quoſdam vt ita dixerim ſaltus dedit. Vultis fratres chariſſimi, ipſos eius ſaltus agnoſcere? De cælo venit in vterum; de vtero venit in præſepe, de præſepe venit in crucem, de cruce venit in ſepulchrũ, de ſepulchro rediit in cælum. Ecce vt nos poſt ſe currere faceret, quoſdam nobis ſaltus manifeſtata per carnem veritas dedit. Quia exultauit vt gigas ad currendam viam ſuam, vt nos ei diceremus ex corde: Trahe nos poſt te: curremus in odorem vnguentorum tuorum. Vnde fratres chariſſimi oportet, vt illuc ſequamur corde, vbi eum corpore aſcendiſſe credimus. Deſideria terrena fugiamus, nihil nos iam delectet in infimis, qui patrem habemus in cælis.*

*Gregor. Saltus Chriſti.*

Moraliter hinc colligit Aponius, animam piam in tranquillitate debere ſemper aurem cordis erectam, attentámque habere, vt vocem Chriſti ſiue per prædicatores loquentis, ſiue per ſe menti bona deſideria inſpirantis ſollicitè excipiat, ideóque orationi vacare, vt gratiam impetret, quâ illa exequatur & in opus conferat. Nam vt ait Nyſſen. hæc vox & inſpiratio Chriſti non ſtat nec permanet, ſed inſtar hinnuli tranſilit & præterit. *Moraliter.*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

CHriſtus tranſiliens montes & colles Patriarcharum, ſaliit in vterum Virginis, ex eàque carnem ſuſcepit, cùm Verbum caro factum eſt, vti iam dixi. Vnde ipſe ait: *Ante omnes colles ego parturiebar.* Eccleſ. 24. Qua in re capreas, id eſt, Angelos, adeóque ipſum Gabrielem nuncium celeritate præuenit, eodem Archangelo teſtante, inquit S. Bernard. ſerm. 54. cùm ait: *Aue gratia plena, Dominus tecum. Quid? quem modò reliquiſti in cælo, in vtero reperis? quonam modo? Volauit & peruolauit ſuper pennas ventorum. Victus es ô Archangele, tranſiliit te, qui præmiſit te.* Idem S. Bernard. ſerm. 4. de Aſcenſione, docet Chriſtum in variis virtutum montibus ſaliiſſe. Ibat, inquit, de virtute in virtutem, vt videretur Deus in Sion: hinc in monte Thabor transfiguratus eſt, in Monte elegit Apoſtolos & Euangelium promulgauit, in monte pernoctabat in oratione, in Monte Caluariæ crucifixus eſt, è monte Oliueti aſcendit in cælum, in Montem Sion miſit Spiritum ſanctũ. Rurſum Chriſtus ſalire fecit B. Virginem in Montes, cùm eam impulit aſſiduè ad excelſos virtutum actus, ac nominatim cùm eam incitauit ire in Montana ad ſalutandum Eliſabeth.

*Eccl. 24.* *Bernard.* *Chriſtus ſaliens in montibus virtutum.*

Tropologicè, S. Bernard. ſerm. 54. Chriſtus, inquit, ſalit in montes, id eſt, in humiles: Sola enim humilitas exaltat: ſola humilitas eſt mons & vera celſitudo, tranſilit colles, id eſt, ſuperbos, quos *Tropologia.*



Digitized by Google

ſuperbia fecit colles, at non montes. *Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* 1. Petri 5. v. 5. (1. Petr. 5. 5.)

Aliter Ioannes Carmelita: Chriſtus, inquit, ſalit in montibus, cùm grandiores charitate viſitat; tranſilit colles, id eſt, non ita ſublimes ſimili non afficit voluptate, ſed eos quaſi prætērit. Sic & S. Bernard. loco iam citato, ac Caſſiod. Beda, Origen. & S. Ambroſ. lib. de Iſaac & anima cap. 4. (Ambroſ.) *Super maioris gratiæ animas ſalit*, inquit, *inferioris tranſilit*, &c. *qui infirmo corde virtutem eius capere non poſſunt.*

Et S. Anſelmus: (Anſelm.) *Saliens in montibus, hoc eſt*, inquit, *pedes ponens & habitans in perfectis, & etiam eos ſalire facit ſicut Paulum, quem ex perſecutore eius fecit ſummum prædicatorem: Tranſiliens quoque colles inferiores montibus, in quibus licet Deus non ita ſaliat ſicut in perfectis; tranſilit tamen eos; quia quandam cognitionem myſteriorum ſuorum oſtendit eis; licèt non adeò plenam.*

Rurſum Origenes ait Chriſtum ſalire in montibus, id eſt, in Doctoribus & ſanctis eximiis, dum in eis per affluentiam doctrinæ, fit *fons aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam.* Ioan. 4. 14. (Ioan. 4. 14.) Et Caſſiod. (Caſſiod.) *In his montibus*, inquit, *ſaltus dare dilectum, hos tranſilire colles perhibetur, quia corda ſublimium Dominus crebrâ ſuæ viſitationis gratiâ ſolet illuſtrare; & pulchrè non manere in his collibus, ſed ſalire vel eoſdem tranſilire dicitur, quia contemplationis interna dulcedo, quantùm alta eſt propter agnitionem rerum cæleſtium, tantùm eſt breuis & rara propter grauedinem mentium, carnis adhuc mole detentarum.*

(*Symbolicè. Montes, nouum Teſtamentum.*) Symbolicè Origenes per montes accipit nouum teſtamētum, per colles vetus: In lectione enim S. Scripturæ, eiúſque meditatione inuenitur Chriſtus, atque in mentes inſilit. Hinc Philo Carpath. ait Chriſtum ſaliiſſe ſuper Prophetas, tranſiliiſſe ſuper Apoſtolos; S. Bernard. verò ſaliiſſe in montibus, id eſt, in Angelis, Patriarchis & Prophetis; ac collibus, cùm nonnullis è populo apparuit.

(*Anagogicè.*) Anagogicè Iuſtus Orgelit. per vocem Dilecti accipit tubam Archangeli, qui in fine mundi clamabit: *Surgite mortui, & venite ad iudicium.* Vnde Aponius: Chriſtus, inquit, ſimilis eſt capreæ, quæ in poſteriori parte candorem habet, quia in futuro ſæculo ſuam exhibebit præſentiam. Et S. Bernardus ſerm. 55. Chriſtus, inquit, ſimilis eſt hinnulo & capreæ propter miſericordiam in electos, & iudicium in reprobos: hinnulus enim ſignificat ſalientis in alta deſiderium; caprea, iudicium.

(*Moraliter.*) Moraliter diſcant hîc à Chriſto Chriſtiani, inſtar caprearum aſcendere ad montana orationis & virtutum omnium, ac veloces eſſe, hilares, & agiles ad omnem beneficentiam, omnéque opus bonum. Nam vt ait S. Ambroſ. (Ambroſ.) *Neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia*; ipſe enim eſt ignis conſumens: *Qui* proinde *facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis.* Hebr. 1. 7. Verè Eccleſ. cap. 31. 27. (Hebr. 1. 7. Eccli. 31. 27.) *In omnibus operibus tuis eſto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi.* Vide ibi dicta.

---

*En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.* verſ. 9.

PRO *reſpiciens* Hebr. eſt מַשְׁגִּיחַ *maſchghiach*, id eſt, intentè & cum animi obſeruatione proſpiciens, hoc eſt, intuens, obſeruando ſcilicet omnes Sponſæ geſtus, actus, ſermones idque ſtudioſè & exactè. Hebr. מֵצִיץ *metſits*, id eſt, *efflorēſcēs*, vel *inſtar floris erumpens, & emicans*, ſeſéque tenuiter oſtendens & videndum exhibens *per cancellos.* Aptè pulchrum Sponſi caput, vultus, & oculi comparantur flori, quia & caput capillis velut floribus ornatur, & vultus colore eſt roſeo, & oculi in orbibus ſuis emicant quaſi flores in calyce ſuo. Nam vt flores, inquit Luyſius, cùm primò erumpunt, lætiores & nitidiores nobis videntur, quàm cùm foliorum orbem explicauerunt, nec apparent tunc toti, ſed capitulorum tantùm acumina oſtendunt: Sic enim flore omníque roſâ pulchrior Sponſus, caput feneſtræ intuliſſe, & os roſeum aperuiſſe viſus eſt. Septuag. (L x x.) vertunt: *ἐκκύπτων διὰ τῶν δικτύων*, id eſt, *proſpiciens per retia*, id eſt, per feneſtras reticulatas, ſiue per cancellos. S. Ambroſ. ſerm. 6. in Pſalm. 118. legit: (Ambroſ. Hieron.) *Eminens per retia.* S. Hieronym. lib. 3. in Ezech. c. 12. *Apparens per retia.* Significat Sponſum accurrentem ad Sponſam, illam per rimas & cancellos domus clarè inſpexiſſe, ſed ab illa non eſſe viſum, imò illi nonniſi per cancellos obſcurè ſe ſpectandum exhibuiſſe, vt maiorem ſui reuerentiam & deſiderium in ea excitaret, ac viciſſim honeſtè, modeſtè, & verecundè illi ſe ſe inſinuaret. Ita S. Bernard. qui enim per cancellos proſpiciunt, clarè alios intuentur, ſed ab iis non niſi obſcurè & tenuiter videri poſſunt. ita Origen. Vnde Arabicus vertit: *perſpiciens per rimas.* (Arab.)



Digitized by Google

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

HÆc gnome in ſenſu planè cohæret cum præcedenti: vnde & in Bibliis eodem verſu cum eadem iungitur. Iuxta illam ergo conformiter exponenda eſt. Igitur Caſſiodor. Beda, S. Ambroſ. S. Gregor. S. Bernard. & alij qui præcedentem gnomen de Incarnatione Chriſti exponunt, hanc quoque de eadem explicant: Paries enim Verbi incarnati, ſiue Deitatis, eſt eiuſdem humanitas, quæ Deitatem celat. q. d. Filius Dei veniens in carnem, poſt eam quaſi poſt parietem ſtans, per eius oculos & ſenſus, quaſi per feneſtras cancellatas proſpicit in Eccleſiam eiúſque fideles, ac per eoſdem flos & pulchritudo Deitatis eius tralucet & emicat, ſed tenuiter, obſcurè, ac per partes & quaſi dimidiata. Quare Chriſtus quà Deus perfectè, clarè, & immediatè intuetur nos, nos verò eum per vmbrã dumtaxat, ſiue per rimas & cancellos, puta per humanitatem Deitatem eius aſpicimus. Deus ergo in carne naſcens homo fuit ציץ *metſits*, id eſt, emergens, progerminans & efflorеſcens Roſa, quæ ſeſe aperiens & ſenſim explicans, roſeum Deitatis vultum & odorem ſuauiſſimum intus latentem, quaſi per retia cancellorum, hoc eſt, per operationes *theandricas*, vt ait S. Dionyſius, de diuin. nomin. id eſt, *Deiviriles*, puta ab homine Deo, ſiue à Verbo incarnato promanantes vmbraticè oſtentabat, cùm Chriſtus homo poſt parietem, id eſt corpore intermedio Deitatem ſuam abſcondebat, ita tamen vt tenuiter & ex parte quaſi per cancellos illam conſpiciendam exhiberet, vti fecit in Transfiguratione & in miraculis, cæteríſque operibus diuinis. In cælo verò ſuam diuinitatem ſine cancellis, hoc eſt, clarè & facie ad faciem beatis videndam exhibebit. In hac vita ergo cancelli humanitatis lumen, & fulgorem Deitatis eius temperabant, vt loqui & agere poſſet cum hominibus, ne eorum perſtringeretur intuitus; ſicut Moſi apparuit & Hebræis tectus caligine & columnâ nubis. Exodi 13. & 20. Ita Caſſiodorus, cæteríque iam citati, ac S. Bernardus, ſerm. 56. qui & explicat τὸ *ſtat:* *Stetit*, inquit, *per diuinitatis potentiam, qui per infirmitatem carnis occubuit, dicente ipſo: Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* Matth. 26. 41. Audi S. Gregorium hîc: *Quaſi poſt parietem noſtrum Chriſtus incarnatus ſtetit, quia in humanitate aſſumptâ diuinitas latuit. Et quia eius immenſitatem, ſi oſtenderet, infirmitas humana ferre non poſſet, carnis obſtaculum obiecit: & quicquid magni inter homines operatus eſt, quaſi poſt parietem latitans fecit. Per feneſtras autem & cancellos qui aſpicit, partim videtur, partim verò ſe abſcondit: Sic & Dominus Ieſus Chriſtus, dum & miracula per diuinitatis potentiam fecit, & abiecta per carnis infirmitatem pertulit, quaſi per feneſtram & cancellos proſpexit: quia in alio latens, in alio quis eſſet apparuit.*

*Primus expoſitio.*
*Paries Verbi incarnati eſt Humanitas.*
Bernard.
Matth. 26.
Gregor.

Et S. Bernard. ſermon. 56. *Porrò cancellos*, inquit, *& feneſtras per quas reſpicere perhibetur, ſenſus (vt opinor) carnis & humanos dicit affectus, per quos experimentum cepit omnium humanarum neceſſitatum. Denique languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Humanis ergo affectionibus ſenſibúſque corporeis, pro foraminibus vſus eſt & feneſtris, vt miſeriat hominum homo factus experimento ſciret, & miſericors fieret.* Et poſt nonnulla: *Tot autem in noſtro ruinoſo, & pleno rimarum pariete inuenit foramina, quot noſtræ infirmitatis & corruptionis in ſuo corpore ſenſit experimenta.*

Bernard.
Iſai. 53.
Bernard.

2. Secundò hanc gnomen aptiùs ad ſequentia exponas de Pentecoſte, & aduentu Spiritus ſancti Chriſtus enim ſeipſum, per Spiritum ſanctum à ſe miſſum Apoſtolis, exhibebat per linguas igneas quaſi per cancellos, per quas ipſe Apoſtolos clarè intuebatur, Apoſtoli verò ipſum obſcurè.

Ruſum hanc gnomen referas ad Euchariſtiam, quæ fidelibus maximè poſt aduentum Spiritus ſancti frequentari cœpit. In Euchariſtia enim Chriſtus non ſolum Deitatem ſuam, ſed & humanitatem per ſpecies ſacramentales panis & vini, quaſi per parietem intermedium abſcondit, per eaſque quaſi per cancellos clarè nos intuetur, non ſolùm oculis mẽtis ſed & corporis, vt multi Theologi cenſent; ſed per fidem & ænigma dũtaxat videtur à nobis, puta per ſpecies ſacramentales, ac multò magis per conſolationes, illuminationes, & guſtus ſpirituales, quos manducantibus exhibet tantos & tam ſublimes, vt ipſi Chriſtum non tantùm oculis cernere, ſed & guſtu mentis ſapere & guſtare videantur, vt contigit S. Franciſco, S. Monicæ, S. Catharinæ Senenſi, & aliis ſanctis.

*Chriſtus in poſt parietem in Euchariſtia proſpiciens per cancellos.*

Huc pertinet verſio Chaldæi, qui hæc explicat de Agno Paſchali; hîc enim expreſſus fuit typus Euchariſtiæ: *Et prodixit,*

Chald. *xit*, inquit, *domos noſtras, in quibus eramus, & ſtetit poſt parietes noſtros, & proſpexit per feneſtras, & aſpexit per cancellos, & vidit ſanguinem victimæ Phaſe, & ſanguinem circumciſionis, qui impreſſus erat in portis noſtris, & contemplatus eſt de cælis excelſis: & vidit populum ſuum, qui comedebat victimam ſolemnitatis aſſam igni cum inteſtinis, & lactucis agreſtibus & azymis, & pepercit nobis, & non dedit poteſtatem Angelo diſſipatori, vt diſperderet nos.*

3. Tertiò, hãc gnomẽ accipias de quolibet Chriſti aduẽtu, quo Eccleſiã & fideles, præſertim in perſecutione vel tribulatione viſitat, protegit, propugnat, illuſtrat. q.d. Chriſtus poſt aſcenſum in cælum amictus lumine gloriæ ſicut veſtimento, inde quaſi per cancellos intuetur Eccleſiam, eique ſuccurrit & de omnibus prouidet; & ab illa non videtur niſi per effectus gratiæ, protectionis & auxilij. Ita Aponius, qui docet pariter modum, quo Chriſtus Eccleſiæ & animæ afflictæ nunc ſe oſtendit, nunc ſe abſcondit *Habet*, inquit, *inuiſibiles hoſtes Anima,*

Aponius. *qui eam intra ſua mentis ſeptum inuiſibiliter, & inceſſanter circundatam impugnant: quam ita in ergaſtulo redigunt vitiorum, vt non poßit omnino progredi ad viam mandatorum Dei currendam, quouſque eius precibus reuocatus, veniens quaſi occultus ſtet, & ſpectet luctamen eius: & non tantùm ſe oſtendit, ne omnino fugatis hoſtibus, ceſſante pugna, otij torpore depereat, ſed velut per feneſtras aſpicit, ſuæ viſionis adiutorium commodando, vt anima vires recipiat reſiſtendi, & hoſtis impugnatio diminuta eius terrore, aliquantulum conquieſcat: aſpicit autem per feneſtras, ſenſus videlicet illius: quibus corporeas peragit cogitationes, ſi non ſunt polluti ſordibus.*

## SECVNDVS SENSVS

### *De Chriſto & Anima Sancta.*

CAncelli hîc non ſolùm Sponſi, de quibus iam dixi, ſed & Spõſæ, putà animæ accipi poſſunt. Chriſtus ergo eſt velut Sol, qui geſtit ſuâ luce illuminare, & ſuo calore charitatis accendere omnes fideles; ſed obſtat paries, tum carnis, tum concupiſcentiæ, & peccatorum noſtrorum, qui radios hoſce non admittũt: Chriſtus ergo pro immenſa ſua animarũ ſiti explorat rimas & cancellos, id eſt, occaſiones omnes, quibus per pias imagines, cõciones, ſermones, inſpirationes in oculos & aures, indéq; in mentem penetret, illique ſuam lucem & calorem inſtillet. Ita Aponius, Beda, Rupertus, & *Cornel. à Lapide in Cant. Canticor.*

S.Bernard.ſerm.56. Audi Origen.hom.2. ex duabus, qui legens ex Septuag. *Eminens per retia: Vbi*, inquit, *non proſpicit Sponſus, ibi mors inuenitur aſcendens, vt legimus in Ieremia: Ecce mors aſcendit per feneſtras veſtras. Quando videris mulierem ad concupiſcendam eam, iam mors aſcendit per feneſtras tuas. Eminens per retia. Intellige quòd in medio laqueorum ambules, & ſubtus machinas tranſeas imminentes. Omnia retibus plena ſunt. Diabolus laqueis cuncta compleuit. Si autem venerit tibi ſermo Dei, & cœperit eminere de retibus, dices: Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium. Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Eminot igitur Sponſus per retia, tibi viã faciens. Ieſus deſcendit ad terras, ſubiecit ſe retibus mundi.* Similia habet S. Ambroſ. in Pſal. 118.ſerm.6.verſ.3. vbi inter cætera, ait Chriſtum eminere ſuper retia, id eſt peccata, quia ſolus ab iis immunis eſt, ideóque aliorum omnia diſſoluit: *Plena*, inquit, *erant omnia laqueis, referta retibus. Audi dicentem: In via hac qua ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi. Et in libro Sapientia Sirach moneris, vt cognoſcas quia in medio laqueorum ambul.es. Quot vitia, tot retia; quot peccata, tot laquei hæreditarij iam te nexus tenebant. Venit ad laqueos Ieſus, vt Adam ſolueret. Venit liberare quod perierat.*

LXX. Origen.

Ierem. 9. 21.

*Mundus laqueis & retibus plenus.*

Ambroſ. Pſalm. 141. Eccleſ. 9.

Hinc S. Antonius vidit totum mundum laqueis obtenſum, in quos incidebant animæ è terra in cælum auolantes, iiſque capiebantur velut aues & piſces reti; qua de causâ ingemiſcens & exclamans: *Domine quis euadet hos laqueos?* Audiuit, *Humilitas*. Ita S. Athanaſius in eius vita.

*S. Antonius*

Rurſum ſicut parentes & magiſtri ſimulant ſe abire, ac deinde poſt oſtium & parietem ſe abſcondunt, vt per rimas & cancellos, vel clathros videant quid filij & diſcipuli agant, cùm ſe liberos, & à nemine obſeruari putant, ac, ſi modeſtos ſtudiis intendere conſpiciant, eos præmiant; ſin verò libris abiectis garrire, ludere, pugnare cernant, eos caſtigant: ſic pariter Chriſtus in cælũ abiens, ibi quaſi ſe abſcondit, indéque omnia noſtra facta, dicta, cogitata per rimas intuetur, vt videns omnes à nemine videatur, hoc fine, vt bene operantes præmiet, malè agentes puniat. Inſuper Chriſtus animæ ſubinde ſe præſentem oſtendit per gratiam & conſolationem, quâ eam mulcet, túmque anima hilariter fertur ad omne bonum; nam vt ait S.Bernard. *Suauiter equitat, quem gratia Dei portat*; quandoque verò ab anima quaſi abit, ſeſéque abſentat, dum eam in mentis deſolatio-

*Chriſtus à nobis quaſi ſe occultat aliquando.*

Bernard.



Digitized by Google

ne,ariditate, tentatione relinquit,vt videat eius certamen: quod ſi illam in bono conſtantem viderit, illicò accurrit, ſuccurrit & conſolatur. Sic S. Antonium in atroci cum dæmonibus formâ luporum,leonum,tigridum, aſpidum & ſerpentum apparentibus,luctâ,ad modicum tempus quaſi deſeruit,ſed eo generosè certante, illicò in luce fulgida apparuit, eóque conquerente ac dicente:
S. Antonius. *Domine vbi eras?* reſpondit: *Antoni, ego hic aderam,téque certantem videbam.* Ita S.Athanaſius in eius vita. Sic S. Stephanus luctans cum Iudæis, *intendens in cælum vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem* (ad pugnandum pro eo) *à dextris Dei.* Actor.7.

Myſticè. Myſticè Iuſtus Orgelitanus: Chriſtus, inquit, proſpexit per feneſtras & cãcellos,cùm lanceâ perforato latere,& egrediente ex eo ſanguine & aquâ, Eccleſiæ contulit ſacramenta.

Symbolicè. Symbolicè per parietẽ Origen. Theodoret. & Philo accipiunt S. Scripturam: per illius enim litteram, quaſi parietem cancellatum inſpicimus Deum in illa latentem & loquentem, ac Deus per illam nobis loquitur,nos inſtruit, conſolatur,exhortatur,roborat. &c. Hinc Philo Carpath.per parietem accipit legem,per feneſtras Prophetas,per retia Apoſtolos,
Matth 4. quibus dixit Chriſtus: *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum.* Matth.4.

Rurſum idem Origen. & S.Ambroſ. in Pſal.118. ſerm.2.verſ.3. per parietem accipiunt ſtructuram bonorum operum: hanc enim occultè Chriſtus intuetur, dirigit, promouet & perficit. Tres Partes verò apud Theodor. per cancellos ſiue retia accipiunt virtutum connexionem; hæ enim inter ſe mutuo contextu munitæ,arcent volucrum, id eſt,dæmonum ingreſſum.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

CHriſtus in vtero B. Virginis incarnatus,quaſi poſt vteri parietẽ aſpiciebat ipſam & ab ipſa ſentiebatur & aſpiciebatur. Rurſum Chriſtus ex vtero matris intuitus S.Eliſabetham & S.Ioannem Baptiſtam,eos impleuit Spiritu ſancto,quò factum eſt, vt S.Ioannes in vtero Eliſabethæ abſconditus, agnouerit Chriſtum in vtero B. Virginis latentem, eúmque coluerit & adorarit,iuxta illud:
Luc.1.44. *Ecce enim vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis,exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Lucæ 1.verſ.44.

Tropologicè,S.Bernard.ſerm.56. per cancellos, qui anguſtiores ſunt,accipit compunctionem: per hanc enim & in hanc reſpicit Sponſus: *Quia cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet.* Pſal.50.per feneſtras verò,quæ latiores ſunt,vocem exultationis & laudis: *Quod ſi*,inquit, *interdum corde dilatato in charitate pro conſideratione diuinæ dignationis, ac miſerationis libet animum laxare in vocem laudis & gratiarum actionem. Puto me non iam anguſtam, ſed ampliſſimam ſtanti poſt parietem Sponſo aperire feneſtram, per quam(ni fallor)tantò libentiùs reſpicit, quantò amplius ſacrificium laudis honorificat eum.* Similia habet Theodoretus. Tropologicè. Cancelli, compunctio. Pſalm. 50. Feneſtra, laus & gratiarũ actio. Bernard.

Anagogicè Chriſtus in hac vita ſtat poſt parietem carnis noſtræ, at in morte eo diſſoluto clarè ſe animæ noſtræ facie ad faciem videndum fruendúmque exhibebit. Ita Origen. Caſſiod. Beda, & S. Auguſtin.13. Confeſſ. cap. 10. Audi S. Bernard. ſerm. 56. *Peccata noſtra*, inquit Iſaias cap. 59. *ſeparant inter nos & Deum. Et vtinam vnus mihi tantùm obſtet paries corporis, ſolúmque obicem pariat id quod eſt in carne peccatum, & non multæ interſint maceria vitiorum. Vereor enim ne etiam præter illud quod in natura eſt,quàm plurima de propria iniquitate adiecerim, quorum à me interiectu nimium elongauerim Sponſum;ita vt ſi verum dicere velim, poſt parietes magis mihi illum ſtare fatear, non poſt parietem.* Et pluribus interiectis: *Nil tale verendum erat animæ Pauli, cui ab aſpectu & amplexu dilecti vnus tantummodò paries obſiſtebat, videlicet lex peccati, quam inueniebat in membris ſuis. Ipſa eſt carnis concupiſcentia, qua carere omnino non potuit donec in carne fuit. Hoc ſanè vno interiecto pariete, non longè peregrinabatur à Domino. Vnde & optabat clamans: Quis me liberabit de corpore mortis huius? ſciens ſe mortis compendio continuò ad vitam peruenturum.* Anagogicè. Bernard. Rom. 1.24

Verſ. 10. *En dilectus meus loquitur mihi: ſurge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni.*

HEBR. eſt *Reſpondit dilectus meus & dixit mihi. Surge tibi* &c. *veni tibi*; vbi bis τὸ *tibi* redundat. Senſus enim eſt, *ſurge & veni.* Nota τὸ *reſpondit* ſubindicat Sponſam, cùm aduertiſſet Sponſum ſtare poſt parietem, & per cancellos proſpicere, ſubmiſſis verbis, vel nutibus aut geſtibus eum inuitaſſe, vt domum ingrederetur; Hebr.



Digitized by Google

& coràm cum ea colloqueretur. Sponſus
huic inuitationi reſpondit, ſe nolle do-
mum ingredi, ſed potiùs Sponſam ad ſe
foras euocare in agrum & vineam, quod
iam ver appetat, in quo omnia vireant
& floreant: quare tempus eſſe ruſtican-
di, vites putandi, groſſos colligendi, &c.
Porrò S.Bernard. ſerm.57. *Venit* (Sponſus)
Bernard. inquit *in angelis, accelerat in Patriarchis, ap-
propiat in Prophetis, adeſt in carne, reſpicit in
miraculis, alloquitur in Apoſtolis. Vel ſic: Venit
affectu & ſtudio miſerendi, accelerat ſubuenien-
di zelo, appropiat humiliando ſemetipſum, ad-
eſt præſentibus, proſpicit in futuros, loquitur do-
cens & ſuadens de regno Dei. Sic ergo eſt aduen-
tus Sponſi.* Pergit deinde S.Bernard. doce-
re, quàm vigilanter Sponſi aduentum
cum Sponſa obſeruare debeamus. Qui
enim cum Pſalte dicit: *Oculi mei ſemper ad
Dominum; & quia prouidebam Dominum in
Bernard. conſpectu meo ſemper, nonne hic accipiet benedi-
ctionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſa-
lutari ſuo? Viſitabitur profectò frequenter, nec
vnquam ignorabit tempus viſitationis ſuæ quã-
tumlibet is, qui in ſpiritu viſitat, clandeſtinus
veniat & furtiuus, vt pote verecundus amator.*

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

*Chriſtus hic Apoſtolos euocat ex Iudæa ad Euãgelium diſſeminandum Gentibus.*

CHriſtus Sponſam Eccleſiam in le-
ctulo quieſcentem, id eſt, Apoſto-
los poſt aſcenſum ſuum in cælum, in
Sion recluſos & orationi vacantes, in
Pentecoſte miſſo Spiritu ſancto euocat
vt foràs prodeant, ac Euangelium auda-
cter & alacriter in Iudæa, & deinde per
10 totum orbem prædicent. Ait ergo: Sur-
ge è lectulo quietis tuæ, ſat lecto ſomnô-
que datum, propera ad euangelizan-
dum *Amica mea*, id eſt, Sponſa mea, *veni* ad
proficiſcendum per Iudæam & cæteras
prouincias; vt animas mihi lucreris, &
omnes gentes ad me meámque fidem
& cultum adducas: conuenit enim te
mihi Sponſo tuo eſſe ſimilem, qui à Pa-
tre ſum miſſus in mundum euangeliza-
re regnum Dei, vti prædixit Iſaias c.61.1.
*Spiritus Domini*, inquit, *ſuper me, eo quòd vn-
Iſai.61.1. xit me, ad annunciandum gentibus miſit me, vt
mederer contritis corde, & prædicarem captiuis
indulgentiam & clauſis apertionem, vt prædi-
carem annum placabilem, & diem vltionis Deo
noſtro, vt conſolarer omnes lugentes.* Hoc ergo
fuit aureum Euangelij ſæculum, quod
ferreo legis Moſaicæ æuo, iugóque ſuc-
ceſſit, quo proinde inuitatur Eccleſia,
id eſt, Apoſtoli, virique Apoſtolici ad
intrepidè & ardenter euangelizandum
vbiuis gentium.

*Columba mea.* Apoſtoli euangelizan- *Apoſtoli ſimiles columbis.*
tes comparantur columbis. Primò, ob
candorem, & ſimplicitatem, iuxta illud 1.
Chriſti: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſim-* Matth. 10.
*plices ſicut columbæ.* Secundò, ob velocita- 16.
tem, quia celerrimè totum orbem euan- 2.
gelizando peruolarunt. Tertiò, ob fide-
litatem; columba enim columbæ ſuæ 3.
quaſi coniugi aſſociatus, ei fidem ſeruat,
nec aliam aſpicit: Sic Apoſtoli fuêre
fideles Chriſto in fame, ſiti, perſecutio-
ne, &c. vſque ad mortem & martyrium.
Quartò, ob fœcunditatem: columba 4.
enim ſingulis menſibus oua, fœtúſque
parit, cùm cæteræ aues ſemel dumtaxat
in anno pullos procreent. Sic Apoſtoli
plurimos filios peperêre Chriſto. Nam *in
omnem terram exiuit ſonus eorum.* Pſalm. 18. Pſalm. 18.
Vnde eos præuidens Iſaias cap.60.8. ad-
mirans exclamat: *Qui ſunt iſti, qui vt nubes* Iſai.60.8.
*volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?* Vide
ibi dicta. Quintò, columba puritatis, ca- 5.
ſtitatis, & innocentiæ eſt ſymbolum. Co-
lumba enim cœnum horret, nec aquam
bibit niſi puram & elimem. Vnde Varro
de re ruſtica lib.3.cap.7. *Aquam*, inquit, Varro.
*puram eſſe oportet quæ influat, vnde bibere & ſe
lauare poſſint columbæ: permundæ enim ſunt hæ
volucres* Sextò, columba indulgentiſſima 6.
eſt erga fœtum & prolem: Vnde ipſa eſt
viua imago piæ matris Eccleſiæ erga *Columba ſe pro pullis explumat.*
omnes præſertim verò erga filios & do-
meſticos fidei, quos genuit per lauacrũ
regenerationis. Etenim (vt tradunt ij,
qui de rerum natura ſcripsêre) columba
ſeſe ad fouendos fœtus etiam explumat.
Nam ſæuiente frigore nidificans, & par-
tum nido immittens, ſuas plumas etiam
non grauatur auellere, vt paruuli fœtus
molliùs incubent. Quò fit, vt ipſa ſæpe
mater gelu contabeſcat.

Idem facit Eccleſia. Audi Paulum 1.
Theſſal. 2. *Cùm poſſemus vobis oneri eſſe, vt
Chriſti Apoſtoli, facti ſumus paruuli in medio* 1.Theſſal. 2.
*veſtri, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos. Ita
deſiderantes vos, cupidè volebamus tradere vo-
bis non ſolum Euangelium Dei, ſed etiam ani-
mas noſtras, quoniam chariſſimi nobis facti eſtis.*

*Formoſa mea.* Apoſtoli fuêre formoſi *Apoſtoli formoſi.*
omni gratiâ, decore virtutum, ideóque
euangelizando omnes ad ſe & Chri-
ſtum pellexerunt iuxta illud: *Quàm ſpecioſi
pedes euangelizantium pacem, euangelizan-* Rom. 10.15.
*tium bona.* Rom. 10.15. & Iſaiæ 52.7. Vide Iſai.52.7.
ibi dicta. Præclarè S.Ambroſ. lib. de Iſaac
& Anima cap.4. *Surge*, inquit, *veni proxima
mea, id eſt, ſurge à delectationibus mundi, ſurge*



Digitized by Google

Ambroſ.

*à terrenis, & veni ad me, quæ adhuc laboras & onerata es, quia ſollicita es, quæ ſunt mundi. Veni ſupra mundum, veni ad me, quia ego vici mundum: veni prope me iam pulchra æterna vitæ decore, iam columba, id eſt, mitis, & manſueta, iam tota plena gratia ſpiritalis.* Et S. Bernard. ſerm. 57. *Etenim*, inquit, *meritò amica dicitur, quæ Sponſi lucra ſtudioſè ac fideliter prædicando, conſulendo, miniſtrando conquirit. Meritò columba, quæ nihilominus pro ſuis delictis in oratione gemens & ſupplicans, diuinam ſibi non ceſſat conciliare miſericordiam. Meritò quoque formoſa, quæ cæleſti deſiderio fulgens, ſupernæ contemplationis decorem ſe induit, horis dumtaxat, quibus commodè & opportunè id poteſt.* Deinde has tres dotes docet repræſentari per Martham miniſtrantem, Lazarum quaſi gementem ſub lapide, & Mariam contemplantem.

Bernard.

*Anagogicè.* Anagogicè Origen. hom. 4. ex quatuor & Iuſtus Orgelit. cenſent hîc Eccleſiam in Reſurrectione & die Iudicij à Chriſto Iudice euocari ad cælum, vt ex militante fiat triumphans. Et S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 6. verſ. 3. ita Chriſtum animam è corpore ad ſe in cælum inuitantem inducit: *Surge à mortuis, exurge à vinculis, quibus circundata teneberis: exurge, quia ego reſurrexi tibi. Solue vincula iniquitatis; quia ego iam ſolui tibi. Veni, quia iam retia tibi ſoluta ſunt. Virgo peperit, puer natus ex virgine eſt. Nihil debet muliebri hæreditate, quia quaſi filius mulieris non tenetur. Cerne medium parietem maceriæ iam ſolutum, qui internorum affectuum concordiam diuidebat, & in diuerſum excitabat diſſenſionem corporalium paſſionum. Veni ergo ſecura, vt iam me non per retia videas, ſed facie ad faciem, vultibus amatoriis dilecta potiaris.*

Ambroſ.

S. Hieronymus deſcribens mortem S. Paulæ in eius Epitaphio: *Statim*, inquit, *vt audiuit ſponſum vocantem: Surge, veni proxima mea, ſpecioſa mea, columba mea: Quoniam ecce hiems tranſiit & receſſit, pluuia abiit ſibi; læta reſpondit: flores viſi ſunt in terra, tempus ſectionis aduenit. Et: Credo videre bona Domini in terra viuentium.*

Hieron.

# SECVNDVS SENSVS

## *De Chriſto & Anima Sancta.*

PRimò, Chriſtus animā piam à ſomno ſuæ commoditatis, negligentiæ & puſillanimitatis excitat, iubétque ſurgere, vt ſublimiores charitatis & virtutum gradus conſcendat, ad altiora tendat, ac ſemper in Dei gratia, amore & obſequio proficiat. Perfectio enim huius viæ & vitæ conſiſtit in continuo & perpetuo profectu, vt ſcilicet iuſtus Deū vocantem ſequatur, in diéſque magis ac magis eius puritati ac ſanctitati aſſimilare ſe conetur, itáque quietem perennem & coronam gloriæ illuſtriorem mereatur accipere in cælis. *Surge* ergo, id eſt, attollere, more ſurgentis in altiora contende, currens propera, & vt columba in nidum conuola per charitatis incrementa. O Sponſa verè formoſa, cui & virtutum decor, & actuum expeditio venuſtatem conciliant. Gradere, & ad me veni, hoc eſt, *Specie tua & pulchritudine tua proſperè procede.* Hoc eſt quod ait Pſaltes: *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarū, in loco quem poſuit. Etenim benedictionem dabit legiſlator. Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.* Pſalm. 83. 6. Pſal. 83.6.

Quare quò quis ſanctior eſt, eò magis ad maiorem ſanctitatem aſpirat, & ſtrenuè contendit. Signum enim minoris ſanctitatis, imò deficientis & percuntis ſanctitatis eſt, nolle in ea progredi, ſed velle in ſuo ſtatu gradúque conſiſtere, quod eſt impoſſibile; nam nolle proficere, eſt velle deficere, vti docet S. Bernardus epiſt. 154. vnde S. Paulus poſt tot agones & curſus: *Fratres*, inquit, *ego me non arbitror comprehendiſſe: vnum autem, quæ retro ſunt obliuiſcens, ad ea verò, quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto.* Et ſubdit: *Quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus.* Et Roman. 12. 11. *Sollicitudine*, inquit, *non pigri, ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes.* Ita Origenes hom. 2. *Cur ait, ſurge? cur, propera? Ego pro te ſuſtinui rabiem tempeſtatum, ego fluctus qui tibi debebantur excepi. Triſtis eſt facta anima mea propter te vſque ad mortem: ſurrexi à mortuis, fractis mortis tanuis, & inferni vinculis diſſolutis. Ideo dico tibi, ſurge & veni.* Et Nyſſen. hom. 5. *Surge*, inquit, *veni proxima mea, ſpecioſa mea, columba mea. Audit iuſſum, verbo confirmatur, excitatur, accedit, appropinquat. Pulchra redditur, columba nominatur: pulchra, quia appropinquans ad Deū, inſtar ſpeculi imaginem in ſe ſuſcepit diuinæ pulchritudinis: columba verò, quia pulchra ob ſuſceptam Sancti ſpiritus imaginem, Amica fit anima cognoſcendo Deum: formoſa, Chriſti humilitatem ſeruando: columba verò efficitur, quia nihil de terrenis cupiditatibus abſque cibo viliſſimo, indumentóque corporis requirendo, ſed ſemper columbarum ſimplicitatem tenens, Spiritui ſancto ſe conſociat.* Et S. Gregor. *Propter fidem*, inquit, *Chriſtus Sponſam ſuam amicam vocat, columbam propter ſimplicitatem, formoſam propter*

*Quò quis ſanctior eſt, eò ad maiorem ſanctitatem aſpirat.*

Rom. 3. 13.

Origen.

Nyſſen.

Gregor.

*pter operationem, &c. Hanc itaque hortatur vt ſurgat & veniat, quia dignum eſt, vt quicumque ad amorem Chriſti properat, carnis torporem quantùm poteſt, abiiciat, & ſe ad æterna conſequenda celeriter accingat.*

*Hic Anima à Contéplatione euocatur ad Actioné.*

Secundò, Caſſiod. Beda & S. Anſelmus cenſent hic animam euocari ab otio cõtemplationis ad negotium actionis, à quiete ad luctam & puluerem, à ſorte Magdalenæ ad ſortem Marthæ, vt proximorum ſaluti ſe impendat, illóſque ſimiles faciat, & ad cælum perducat. Audi S. Bernardum ſerm. 57. *Denique audit Sponſa, vt ſurgat & properet, haud dubium quin ad animarum lucra. Hoc ſiquidem vera & caſta contemplatio habet, vt mentem quam diuino igne vehementer ſuccenderit, tanto interdum repleat zelo & deſiderio acquirendi Deo, qui eum ſimiliter diligant, vt otium contemplationis pro ſtudio prædicationis libentiſſimè intermittat: & rurſum potita votis aliquatenus in hac parte, tantò ardentius redeat in idipſam, quantò ſe fructuoſius intermiſiſſe meminerit, & item ſumpto contemplationis guſtu, valentius ad conquirenda lucra ſolitâ alacritate recurrat.*

Bernard.

*Chriſtus non imperiosè mandat, ſed ſuauiter inuitat.*

Porrò notat S. Bernard. ſerm. 58. non dici *vade*, ſed *veni*, (imò Nyſſen. legit *veni ſponte*: licèt enim τὸ *ſponte* non ſit in Hebræo, tamen ſubintelligitur) quia Chriſtus non imperiosè mandat, ſed ſuauiter inuitat ad labores vitæ actiuæ. Quærit deinde Bernardus, cur Sponſus, qui paulò antè vetuit Sponſam a ſomno excitari, mox ipſe eam à ſomno excitet & euocet ad labores, ſicut Chriſtus in paſſione modicum indulgens ſomnum Apoſtolis longâ vigiliâ grauatis, illico eum abrupit dicens: *Surgite, eamus: Ecce appropinquat qui me tradet.* Matth. 26. 45. ac reſpondet: *Agnoſcite*, inquit, *viciſſitudines ſanctæ quietis, ac neceſſariæ actionis: & quia non ſit in hac vita copia contemplandi, nec diuturnitas otij, vbi officij & operis cogentior vrget inſtantiórque vtilitas. More igitur ſuo ſponſus vbi dilectam paululum in ſinu proprio quieuiſſe perſentit, ad ea denuò, quæ vtiliora viſa ſunt trahere non cunctatur. Non tamen quaſi inuitam; nec enim quod fieri vetuit, faceret vllatenus ipſe: ſed trahi ſanè à Sponſo Sponſæ eſt, ab eo accipere deſiderium bonorum operum, deſiderium fructificandi Sponſo; quippe cui viuere Sponſus eſt, & mori lucrum.*

Matth. 26. 45.

Bernard.

*Anagogicè. Columba ſymbolum contemplationis.*

Anagogicè Columba ſymbolum eſt vitæ contemplatiuæ, cæleſtis, & beatæ. Vnde Varro lib. 3. de re ruſtica *columbam* dictam cenſet à *columinibus* (lego cum Aldrouando *culminibus*) villæ, in quibus degere ſolet. Hinc in vita S. Marinæ legimus, columbam ei in martyrio coronam impoſuiſſe, ac dixiſſe: *Pax tibi ancilla Dei: nunc confide, cæleſtem coronam accipiens è manu altiſsimi.* Ruſum Angelus ſpecie columbæ animam S. Amatoris detulit in cælum, vti narratur in vita S. Germani cap. 5. S. Benedictus vidit animam S. Scholaſticæ ſororis ſuæ, ſpecie columbæ aſcendere ad cælum, vti habet eius vita. Anima quoque S. Spei Abbatis vt columba euolauit ad ſuperos, vt *Deus ex hac ipſa ſpecie oſtenderet, quàm ſimplici corde ei vir ille ſeruiſſet*, ait S. Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 10. Sic & B. Beatricem Eſtenſem columba fixo oculo intuita, tranſitus ex hac vita ad cæleſtem illi fuit prænũcia, vti refert Bernard. Scardionius in eius vita. Sic & S. Fabiani capiti columba inſidens, eum Pontificatu digniorem, ideóque eligendum denunciauit. Eadem S. Chryſoſtomi miſſam celebrantis ceruici inſidens, eius ſanctitatem vitámque cæleſtem declarauit. S. Radegundis inuocata à naufragis, columbæ ſpecie nauim circumuolitans, eos periculo exemit, vt habet eius vita. Plura huiuſmodi columbarum exempla recenſet Aldrouandus in columba pag. 404. & ſeq. Denique in Chriſti baptiſmo, Spiritus Sanctus ſpecie columbæ in ipſum è cælo dilapſus requieuit. Lucæ 3.

*Exempla. S. Marinæ.*

*S. Amatoris.*

*S. Scholaſticæ.*

*S. Spei.*

Gregor.

*B. Beatricis Eſtenſis.*

*S. Fabiani.*

*S. Chryſoſtomi.*

*S. Radegundis.*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

RVpertus cenſet his verbis ſignificari ingens deſiderium Verbi ad carnem ex B. Virgine aſſumendam, ac proinde iis eam inuitari, vt Angelo Gabrieli illam annuncianti illico conſenſum præbeat: *Tu*, inquit, *amica mea per humilitatem, columba mea per charitatem, formoſa mea per caſtitatem, &c. Veni ergo Maria, veni; nam Eua ad latebras fugit. Veni, & crede Angelo euangelizanti: nam Eua credidit ſerpenti ſuſurranti. Veni & contere caput ſerpentis; nam Eua & capite illecta, & ventre oblectata, & cauda eſt abligata ſerpentis. Veni & dic: Ecce Ancilla Domini. Nam Eua ſe abſcondens pariter & defendens: ſerpens, ait, decepit me & comedi. Hæc eſt vox dilecti mei, & hoc loquitur mihi: Surge, propera & veni. Surge per fidem, propera per ſpem, veni per charitatem.*

Rupert.

*Maria & Eua Antitheſes.*

Rurſum hiſce verbis: *ſurge, propera*, Chriſtus euocat B. Virginem, primò, vt licèt grauida, ſurgat & abeat in montana cum feſtinatione ad ſalutandum Eliſabeth, eique ſeruiendum. Ad hæc vt

contendat

contendat in Bethlehem, ibique pariat Chriſtum, vt pote in patria Dauidis, & in domo panis: Chriſtus enim eſt panis Angelorum, æquè ac hominum.

Denique hiſce verbis multi cenſent, Chriſtum ſuauiſſimè matrem in morte inuitaſſe ad ſe in cælum: quare ipſam nõ dolore, ſed Chriſti deſiderio & amore ſanctiſſimam animam efflaſſe.

---

Verſ. 11. *Iam enim hyems tranſiit, imber abiit & receſſit.*

Verſ. 12. *Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit: vox turturis audita eſt in terra noſtra.*

EST Periphraſis veris & vernæ amœnitatis, ad quã Sponſus Sponſam è lectulo euocat in agros & vineas, ad earum culturam. In vere enim hyems cum ſuo frigore, niue, gelu & imbre tranſiit: flores apparent: putantur vites & frutices; turtures, ceteræque aues cantillant: Turtures enim totâ hyeme ita in antris ſe abdunt, vt nemo ſit, qui in hyeme turturem ſe vidiſſe aſſerat, teſte Ariſtot. lib. 8. hiſtor. anim. cap. 16. quare vbi turtur apparet, certum eſt ſignum tranſiiſſe hyemem, & incipere ver: ſimili modo ver pingit Ouidius lib. 1. Faſtor.

*Turtur ſignum veris.*

*Omnia tunc florent, tunc eſt noua temporis ætas,*
*Et noua de grauido palmite gemma tumet.*
*Et modò formatis operitur frondibus arbos,*
*Prodit & in ſummum ſeminis herba ſolum.*
*Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent,*
*Ludit & in pratis luxuriátque pecus.*
*Tunc blandi ſoles, ignotáque prodit hirundo,*
*Et luteum celſa ſub trabe fingit opus.*

Ouidius. *Indicia veris.*

Flores accipe non vitium, ſed violarum, hyacinthorum, tuluparum, &c. Vites enim non florent antequam putentur. Hebr. enim eſt נצנים *nitſſanim*, quæ vox non tantùm *flores*, ſed & prima germina, ſiue primas baccas & gemmas ex ſtirpibus & fruticibus progerminantes ſignificat, quales hîc etiam in vitibus accipi poſſunt. Pro *putationis*, Hebr. eſt זמיר *zamir*, quod Vatabl. aliíque Hebraïzantes vertunt *cantillationis*; in vere enim cantillant philomelæ cæteræque aues. Radix enim זמר *zamar* propriè ſignificat putare, ſiue incidere vites & arbores; inde per Metaphoram transfertur ad inciſionẽ muſicam, ſiue ad cantum, quo voces certis flexibus, numeris & tonis inciduntur, vt modulationem gratam auribus exhibeant: Vnde מזמור *mizmor* vocatur pſalmus & pſalmodia: hinc & Arabes *zambra* vocant chorum canentium. Verùm noſter meliùs vertit *putationis*, tum quia cantillationem auium ſat ſignificat *vox turturis*, tum quia *putationis* vertunt Septuag. Chald. Aquila & Symmach. tum quia Sponſa inuitatur hîc ad culturam vitium, puta ad putationem, vt copioſas vuas & vina proferant: tum deniquè, quia videmus initio veris putari vites ante æquinoctium vernum, antequam gemmaſcant & floreant; idque Vinitori faciendum eſſe docet Plinius lib. 18. cap. 26. *Putationem*, inquit, *æquinoctio perfectam habeto.* Additque id faciendum antequam canere incipiat cuculus: cuculus autem canit initio veris, teſte Ariſtot. lib. 9. Hiſtor. animal. cap. 49. Vnde Oppianus cuculum appellat primum veris nuncium. Et Columella lib. 4. de re ruſtica cap. 10. & 14. *Putandi*, ait, *duo ſunt tempora: melius autem (vt ait Mago) vernum antequam ſurculus progemmet; quoniam humoris plenus facilem plagam, & leuem & æqualem accipit, nec falci repugnat.*

*Vites in veris initio putandæ.*

Plin.

*Cuculus primus veris Nuncius.*

Columell.

Porrò Noſter Sanchez putationem hanc accipit non vitium, ſed balſami. Arbuſcula enim balſami oſſe vel vitro inciſa, ſtillat opobalſamum ſuauiſſimum & odoratiſſimum, teſte Plinio lib. 12. cap. 25. & Hegeſippo lib. 4. 17. Salomonis enim vineæ præſtantiſſimæ erant in agro Engadditano, in quo ſolo olim inueniebatur balſamum: putationem verò accipit pro ipſa lacryma ſeu gutta, quæ putando defluit, puta pro ipſo opobalſamo Metonymicè. Hoc autem ſtillat non initio veris, ſed adulto vere, puta ſub ſolſtitium cùm incipit æſtas. Id rectè competit Chriſto, qui opobalſamum doctrinæ, charitatis & Sanctitatis ſtillauit in vita; ac ſanguinis & aquæ, quibus abluimur in cruce. Vnde Eccleſ. 24. 21. ait: *quaſi balſamum non mixtum odor meus.* Eccli 24. 21.

Verùm hîc videtur agi de initio veris, cùm primùm tranſiit hyems & imber, cùmque turtur & aues canere incipiunt: Quare potiùs ſimpliciter putatio vitium & fruticum hîc accipienda videtur. Fateor tamen hîc ver non tantùm incipiẽs, ſed & proficiens ac adultum, ipſámque æſtatem accipi. Nam apoſtoli qui hîc notantur, cœperunt prædicare poſt Pẽtecoſtem, vti iam dicam.

Chaldæus de more referens hæc ad Iudæos ex Ægypto liberatos, ſic vertit: *Quoniam ecce tempus ſubiectionis, quod ſimile eſt hymis, ceſſauit; & anni quos dixi Abrahæ* Chald.

*inter*

Digitized by Google

*inter diuiſiones, abbreuiati ſunt: & dominium Egyptiorum, quod comparatum eſt pluuiæ continuæ, tranſiuit & abiit & non addetis vltrà videre eos vſque in ſæculum.* Verſ. 12. *Moſes autem & Aaron, qui comparati ſunt ramis palmarum, apparuerunt, vt ederent miracula in terra Ægypti: Et tempus putationis primogenitorum aduenit; & vox Spiritus ſancta redemptionis, quam dixi Abrahæ patri veſtro. Iam enim audiſtis quid dixerim ei, & etiam populum cui ſeruituri ſunt, iudicabo ego, & poſtea egredientur cum ſubſtantia magna: & nunc volo facere, quod iuraui ei in verbo meo.*

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

CHriſtus Sponſus Eccleſiam primitiuã quaſi Sponſam, putà Apoſtolos in Pentecoſte recepto iam Spiritu sãcto euocat, vt vineas, id eſt, Eccleſias Iudææ ac cæterarum gentium excolant. Dicit ergo: Iam hyems, id eſt, rigor & timor legis Moſaicæ, inquit Origen. Theod. & S. Gregor. ac frigus gelúque infidelitatis Gentium tranſiit, imber errorum & vitiorum abiit, quia ſol vernus, putà Spiritus ſanctus illuxit, qui calore ſuo tam hyemem, quàm imbrem fugauit, ac flãte Auſtro gratiæ ſuæ flores ſanctorum, vti fuêre primi credentes, ac Martyrum, vt SS. Innocentium, S. Iacobi, S. Stephani & Sociorum produxit in terra noſtra: tempus ergo putationis aduenit, quo vos, ô Apoſtoli, Iudæorum & Gentium ignorantiam & infidelitatem, omnémque cupiditatem rerum temporalium gladio fidei amputetis, vt fructus bonorum operum profetant. *Vox turturis audita eſt in terra noſtra:* Turtur hic ſolitarius, pudicus & gemens fuit S. Ioannes Baptiſta, ait Nyſſen. cuius vox & vita non aliud fuit quàm gemitus, & prædicatio pœnitentiæ: *Pænitentiam*, inquit, *agite; appropinquauit enim regnum cælorum.* Matth. 3. & Lucæ 4. Ioannes ergo fuit finis legis veteris, & exordium Euangelij, iuxta illud Chriſti: *Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem; ex eo enim regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud vim facit.* Lucæ 16.16. Rurſum vox turturis fuit prædicatio S. Petri & Apoſtolorum: Vnde eâ auditâ, Iudæi pœnitentes de Chriſti à ſe occiſi nece, dixerunt: *Quid faciemus viri fratres? Petrus verò ad illos; Pænitentiam inquit agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti.* Actor. 2. 37. Idem dixit Cornelio Centurioni, qui primus è Gentibus ad Chriſtum à S. Petro conuerſus, oſtium aperuit Apoſtolis ad obeundum conuertendúmque omnes gentes. Actor. 10. 42. Tempus ergo legis nouæ fuit ver Euangelij, quo Chriſtus quaſi ſol, calore gratiæ ſuæ omnem infidelitatis & cõcupiſcentiæ hyemem diſcuſſit, floréſque & fructus bonorum operum produxit; vnde tunc apparuerunt flores Martyrum, putationes, id eſt, mortificationes & auſteritates Religioſorum & Anachoretarum, turtures Viduarum & Virginum, quæ ſe Chriſti amore caſtrauerunt propter regnum cęlorum. Turtur enim caſtitatis eſt exemplar, ait Aponius, S. Bernard, & alij. Imò S. Auguſt. hom. 33. inter 50. & S. Hieronym. lib. 1. contra Iouin. & S. Ambroſ. lib. de Iſaac cap 4, *Vbi*, inquit, *antè impudicitias ibi caſtitas.* Ita quoque Caſſiodor. Beda, Anſelm. Rupert. & alij. Porrò per flores Origen. accipit quoslibet credẽtes, Aponius innocentes pro Chriſto occiſos, S. Ambroſ. in Pſal. 118. ſerm. 6. Apoſtolos: *Boni flores*, ait, *Apoſtoli, qui diuerſarum ſcriptorum atque operum ſuorum fuderunt odorem.* Per Turturis vocem accipiunt Apoſtolorum prædicationem Caſſiodorus, Beda, & Rupertus: Pauli, Philo Carpathius: Chriſti, S. Cyrill. lib. 15. de adoratione: Eccleſiæ, S. Gregorius.

*Hyems, Rigor legis Moſaica.*

*Imber errorum & vitiorum.*

*Turtur fuit Ioannes Baptiſta.*

Matth. 3.

Luc 16. 16. *Et Apoſtoli.*

Act. 2. 37.

*Ver Euangelij.*

Ambroſ.

Ambroſ.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

PRimò, Chriſtus animam peccatricem euocat ad pœnitentiam & iuſtitiam, dicens: Surge è lecto peccati; iam enim hyems peccatorum, & imber concupiſcentiæ tranſiit: illuxit enim tibi gratia mea, quæ te amore calefaciat, ac pœnitentiæ, virtutúmque flores, & fructus producat, vt fias formoſa inſtar columbæ Deo tuo. Quare notantur hîc tres actus Pœnitentiæ, putà contritio per flores; confeſſio per vocem turturis; ſatisfactio per putationem: contritionis enim actus eſt quaſi emicans flos fidei, ſpei, & charitatis, ex quo naſcitur fructus iuſtificationis: Vox turturis eſt confeſſio gemebunda pœnitentis: putatio eſt ſatisfactio, qua per ieiunia, lachrymas, aliáque opera pœnalia caſtigatur præterita culpa, & futuræ occaſio amputatur & ſucciditur. Huc facit quòd turtur ſit Pœnitentiæ ſymbolum; Nam poſt mortem coniugis perpetuò gemit &

*1. Senſus de anima pœnitente.*

*Tres hic Pœnitentiæ actus pulcrè adumbrati.*

*Turtur Pœnitẽtiæ ſymbolum.*

contendat in Bethlehem, ibíque pariat Chriſtum, vt pote in patria Dauidis, & in domo panis: Chriſtus enim eſt panis Angelorum, æquè ac hominum.

Denique hiſce verbis multi cenſent, Chriſtum ſuauiſſimè matrem in morte inuitaſſe ad ſe in cælum: quare ipſam nō dolore, ſed Chriſti deſiderio & amore ſanctiſſimam animam efflaſſe.

---

Verſ. 11. *Iam enim hyems tranſiit, imber abiit & receſſit.*

Verſ. 12. *Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit: vox turturis audita eſt in terra noſtra.*

EST Periphraſis veris & vernæ amœnitatis, ad quā Sponſus Sponſam è lectulo euocat in agros & vineas, ad earum culturam. In vere enim hyems cum ſuo frigore, niue, gelu & imbre tranſiit: flores apparent: putantur vites & frutices; turtures, ceteræque aues cantillant: Turtures enim totâ hyeme ita in antris ſe abdunt, vt nemo ſit, qui in hyeme turturem ſe vidiſſe aſſerat, teſte Ariſtot. lib. 8. hiſtor. anim. cap. 16. quare vbi turtur apparet, certum eſt ſignum tranſiiſſe hyemem, & incipere ver: ſimili modo ver pingit Ouidius lib. 1. Faſtor. *Turtur ſignum veris.*

*Omnia tunc florent, tunc eſt noua temporis ætas,*
*Et noua de grauido palmite gemma tumet.*
*Ouidius. Indicia veris.* *Et modo formatis operitur frondibus arbos,*
*Prodit & in ſummum ſeminis herba ſolum.*
*Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent,*
*Ludit & in pratis luxuriátque pecus.*
*Tunc blandi ſoles, ignotáque prodit hirundo,*
*Et luteum celſa ſub trabe fingit opus.*

Flores accipe non vitium, ſed violarum, hyacinthorum, tuliparum, &c. Vites enim non florent antequam putentur. Hebr. enim eſt נִצָּנִים *nitſſanim*, quæ vox non tantùm *flores*, ſed & prima germina, ſiue primas baccas & gemmas ex ſtirpibus & fruticibus progerminantes ſignificat, quales hîc etiam in vitibus accipi poſſunt. Pro *putationis*, Hebr. eſt זָמִיר *Zamir*, quod Vatabl. aliique Hebraïzantes vertunt *cantillationis*; in vere enim cantillant philomelæ cæteræque aues. Radix enim זָמַר *zamar* propriè ſignificat putare, ſiue incidere vites & arbores: inde per Metaphoram transfertur ad inciſionē muſicam, ſiue ad cantum, quo voces certis flexibus, numeris & tonis inciduntur, vt modulationem gratam auribus exhibeant: Vnde מִזְמוֹר *mizmor* vocatur pſalmus & pſalmodia: hinc & Arabes *zambra* vocant chorum canentium. Verùm noſter meliùs vertit *putationis*, tum quia cantillationem auium ſat ſignificat *vox turturis*, tum quia *putationis* vertunt Septuag. Chald. Aquila & Symmach. tum quia Sponſa inuitatur hîc ad culturam vitium, puta ad putationem, vt copioſas vuas & vina proferant: tum denique, quia videmus initio veris putari vites *Vites in veris initio putandæ.*
ante æquinoctium vernum, antequam gemmaſcant & floreant; idque Vinitori faciendum eſſe docet Plinius lib. 18. cap. 26. *Putationem*, inquit, *æquinoctio peractam habeto.* *Plin.* Additque id faciendum antequam canere incipiat cuculus: cuculus autem canit initio veris, teſte Ariſtot. lib. 9. Hiſtor. animal. cap. 49. Vnde Oppianus cuculum appellat primum veris nuncium. *Cuculus primus veris Nuncius.* Et Columella lib. 4. de re ruſtica cap. 10. & 14. *Columella.* *Putandi*, ait, *duo ſunt tempora: melius autem (vt ait Mago) vernum antequam ſurculus progemmet; quoniam humoris plenus facilem plagam, & leuem & æqualem accipit, nec falci repugnat.*

Porrò Noſter Sanchez putationem hanc accipit non vitium, ſed balſami. Arbuſcula enim balſami oſſe vel vitro inciſa, ſtillat opobalſamum ſuauiſſimum & odoratiſſimum, teſte Plinio lib. 12. cap. 25. & Hegeſippo lib. 4. 17. Salomonis enim vineæ præſtantiſſimæ erant in agro Engadditano, in quo ſolo olim inueniebatur balſamum: putationem verò accipit pro ipſa lacryma ſeu gutta, quæ putando defluit, pura pro ipſo opobalſamo Metonymicè. Hoc autem ſtillat non initio veris, ſed adulto vere, puta ſub ſolſtitium cùm incipit æſtas. Id rectè competit Chriſto, qui opobalſamum doctrinæ, charitatis & Sanctitatis ſtillauit in vita; ac ſanguinis & aquæ, quibus abluimur in cruce. Vnde Eccleſ. 24. 21. *Eccli 24. 21.*
ait: *quaſi balſamum non mixtum odor meus.*

Verùm hîc videtur agi de initio veris, cùm primum tranſiit hyems & imber, cùmque turtur & aues canere incipiunt: Quare potiùs ſimpliciter putatio vitium & fruticum hîc accipienda videtur. Fateor tamen hîc ver non tantùm incipiēs, ſed & proficiens ac adultum, ipſámque æſtatem accipi. Nam apoſtoli qui hîc notantur, cœperunt prædicare poſt Pētecoſtem, vti iam dicam.

Chaldæus de more referens hæc ad Iudæos ex Ægypto liberatos, ſic vertit: *Quoniam ecce tempus ſubiectionis, quod ſimile eſt hyemis, ceſſauit: & anni quos dixi Abrahæ* *Chald.*
*inter*

Digitized by Google

*inter diuiſiones, abbreuiati ſunt: & dominium Egyptiorum, quod comparatum eſt pluuiæ continuæ, tranſiuit & abiit & non addetis vltrà videre eos vſque in ſæculum.* Verſ. 12. *Moſes autem & Aaron, qui comparati ſunt ramis palmarum, apparuerunt, vt ederent miracula in terra Ægypti: Et tempus putationis primogenitorum aduenit; & vox Spiritus ſancto redemptionis, quam dixi Abrahæ patri veſtro. Iam enim audiſtis quid dixerim ei, & etiam populum cui ſeruituri ſunt, iudicabo ego, & poſtea egredientur cum ſubſtantia magna: & nunc volo facere, quod iuraui ei in verbo meo.*

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

CHriſtus Sponſus Eccleſiam primitiuã quaſi Sponſam, putà Apoſtolos in Pentecoſte recepto iam Spiritu sãcto euocat, vt vineas, id eſt, Eccleſias Iudææ ac cæterarum gentium excolant. Dicit ergo: Iam hyems, id eſt, rigor & timor legis Moſaicæ, inquit Origen. Theod. & S. Gregor. ac frigus gelúque infidelitatis Gentium tranſiit, imber errorum & vitiorum abiit, quia ſol vernus, putà Spiritus ſanctus illuxit, qui calore ſuo tam hyemem, quàm imbrem fugauit, ac flãte Auſtro gratiæ ſuæ flores ſanctorum, vti fuêre primi credentes, ac Martyrum, vt SS. Innocentium, S. Iacobi, S. Stephani & Sociorum produxit in terra noſtra: tempus ergo putationis aduenit, quo vos, ô Apoſtoli, Iudæorum & Gentium ignorantiam & infidelitatem, omnémque cupiditatem rerum temporalium gladio fidei amputetis, vt fructus bonorum operum proferant. *Vox turturis audita eſt in terra noſtra:* Turtur hic ſolitarius, pudicus & gemens fuit S. Ioannes Baptiſta, ait Nyſſen. cuius vox & vita non aliud fuit quàm gemitus, & prædicatio pœnitentiæ: *Pœnitentiam,* inquit, *agite; appropinquauit enim regnum cælorum.* Matth. 3. & Lucæ 4. Ioannes ergo fuit finis legis veteris, & exordium Euangelij, iuxta illud Chriſti: *Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem; ex eò enim regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud vim facit.* Lucæ 16. 16. Rurſum vox turturis fuit prædicatio S. Petri & Apoſtolorum: Vnde eâ auditâ, Iudæi pœnitentes de Chriſti à ſe occiſi nece, dixerunt: *Quid faciemus viri fratres? Petrus verò ad illos; Pœnitentiam inquit agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti.* Actor. 2. 37. Idem dixit Cornelio Centurioni, qui primus è Gentibus ad Chriſtum à S. Petro conuerſus, oſtium aperuit Apoſtolis ad obeundum conuertendúmque omnes gentes. Actor. 10. 41. Tempus ergo legis nouæ fuit ver Euangelij, quo Chriſtus quaſi ſol, calore gratiæ ſuæ omnem infidelitatis & cõcupiſcentiæ hyemem diſcuſſit, floréſque & fructus bonorum operum produxit; vnde tunc apparuerunt flores Martyrum, putationes, id eſt, mortificationes & auſteritates Religioſorum & Anachoretarum, turtures Viduarum & Virginum, quæ ſe Chriſti amore caſtrauerunt propter regnum cœlorum. Turtur enim caſtitatis eſt exemplar, ait Aponius, S. Bernard, & alij. Imò S. Auguſt. hom. 33. inter 50. & S. Hieronym. lib. 1. contra Iouin. & S. Ambroſ. lib. de Iſaac cap 4, *Vbi,* inquit, *antè impudicitia ibi caſtitas.* Ita quoque Caſſiodor. Beda, Anſelm. Rupert. & alij. Porrò per flores Origen. accipit quoſlibet credẽtes, Aponius innocentes pro Chriſto occiſos, S. Ambroſ. in Pſal. 118. ſerm. 6. Apoſtolos: *Boni flores,* ait, *Apoſtoli, qui diuerſorum ſcriptorum atque operum ſuorum fuderunt odorem.* Per Turturis vocem accipiunt Apoſtolorum prædicationem Caſſiodorus, Beda, & Rupertus: Pauli, Philo Carpathius: Chriſti, S. Cyrill. lib. 15. de adoratione: Eccleſiæ, S. Gregorius.

*Hyems, Rigor legis Moſaicæ.* — *Imber errorum & vitiorum.* — *Turtur fuit Ioannes Baptiſta.* — Matth. 3. — Luc 16. 16. *Et Apoſtoli.* — Act. 2. 37. — *Ver Euangelij.* — Ambroſ. — Ambroſ.

## SECVNDVS SENSVS

### *De Chriſto & Anima Sancta.*

PRimò, Chriſtus animam peccatricem euocat ad pœnitentiam & iuſtitiam, dicens: Surge è lecto peccati; iam enim hyems peccatorum, & imber concupiſcentiæ tranſiit: illuxit enim tibi gratia mea, quæ te amore calefaciat, ac pœnitentiæ, virtutúmque flores, & fructus producat, vt fias formoſa inſtar columbæ Deo tuo. Quare notantur hîc tres actus Pœnitentiæ, putà contritio per flores; confeſſio per vocem turturis; ſatisfactio per putationem: contritionis enim actus eſt quaſi emicans flos fidei, ſpei, & charitatis, ex quo naſcitur fructus iuſtificationis: Vox turturis eſt confeſſio gemebunda pœnitentis: putatio eſt ſatisfactio, qua per ieiunia, lachrymas, aliáque opera pœnalia caſtigatur præterita culpa, & futuræ occaſio amputatur & ſuccidıtur. Huc facit quòd turtur ſit Pœnitentiæ ſymbolum; Nam poſt mortem coniugis perpetuò gemit

*1. Senſus de anima pœnitente.* — *Tres hic Pœnitentiæ actus pulcrè adumbrati.* — *Turtur Pœnitẽtiæ ſymbolum.*

&

& mœret: quare nunquam in viridi ramo vti antè, ſed ſemper in arido reſidet, nunquam in aqua ſeipſam inſpicit, ne comparis ſui mortui imago & memoria ſibi occurrat; nec aquam claram & climem vti antè, ſed turbidam & limoſam bibit. imò aquam limpidam pede turbat antequàm bibat, vti tradunt Phyſici, & ex iis Sanchez. Vnde Baptiſta Mantuanus:

Mantuan.

*Sicut vbi amiſſo thalami conſorte, per agros*
*Sola volat turtur, nitidis nec potat in vndis,*
*Ne comitis priſci triſtetur imagine viſâ,*
*Nec viridi poſthac fertur conſidere trunco.*

*2. de Anima ſancta.*

Secundò, Chriſtus euocat Animam ſanctam ab otio & torpore ad ſtudium virtutis & bonorum operum, ſcilicet vt producat flores eleemoſynæ, putationem ieiunij & mortificationis, ac vocem turturis, id eſt, orationem & meditationem, item pios gemitus & ſuſpiria ex corde deuoto & amoris pleno inſtinctu columbæ, id eſt, Spiritus ſancti, manantes, de quibus ait Apoſt. Rom. 8. 26. *Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Vnde S. Bernard. ſerm. 59. *Vox turturis*, inquit, *quare non turturum? Fortè Apoſtolus ſoluit, vbi ait quia ipſe ſpiritus poſtulat pro ſanctis gemitibus inenarrabilibus. Ita eſt, ipſe inducitur gemens, qui gementes facit, & quamlibet multi ſint, quos ita gemere audias, vnius per omnium labia vox ſonat.* Addit turturem notare amantes ſilentij & ſolitudinis, & conſequenter orationis & gemitus: turtur enim amat ſolitudinem. In ſolitudine enim Chriſtus loquitur ad cor, ait Origenes, imò Oſee cap. 2. Porrò quomodo mortificatione iugi & continuâ mortificandæ ſint cupiditates ex inolita natura corrupta ſemper repullulantes, pulchrè docet S. Bernard. ſer. 58. Inſuper, vt ait S. Ambroſ. lib. 2. Apol. Danid c. 3. *Eſt hyems non temporis ſed mentis, quæ agrum animæ fœcundum omni flore deſpoliat, quando animo frigus illabitur, quando vapor animi euaneſcit, quando ſoluitur vigor ſenſus, quando nimius humor exundat in mentem, quando interior caligat aſpectus.* Hyemem hanc graphicè depingit Nyſſen. hom. 5. vbi & ait animam ſanctificatam per Chriſti gratiam proferre flores virtutum, fructum verò prolaturam in tempore ſuo Sic & Caſſiodor. Origen Beda, Anſelm. Bernard. per flores accipiunt virtutes, puta virtutum primordia.

Rom. 8. 26.

Bernard.

*Turtur ſilentij & ſolitudinis ſymbolum.*

Ambroſ.

*3. de ſuſpirante ad Deum.*

Tertiò, vox turturis eſt gemere, & gemendo ſuſpirare ad Deum. Vnde Virgil.

Virgil.

*Nec gemere aërea ceſſabit turtur ab vlmo.*

Turtur enim caſtiſſima aſſiduè perſtans in gemitu defuncto compare ſuo, perſeuerantis amoris ſimulachrum eſt, vt docet S. Baſil. homil. 8. Hexam. S. Ambroſ. lib. 5. Hexam. 13. ac Nazian. Orat. ad Virginem, ait:

Nazianz.

*---- Turtur viduata marito,*
*Extinctum aſſiduo gemitu luctúque requirit.*
*O verè ſapiens volucris!*

Ita ad Deum gemit, ſuſpirat & anhelat S. Auguſt. in Meditat. præſertim cap. 36. vbi inter alia ait; *Da mihi euidens ſignum amoris tui, irriguum lachrymarum fontem iugiter emanantem, vt ipſæ quoque lachrymæ tuum tu me teſtentur amorem, ipſæ prodant, ipſæ loquantur quantum te diligit anima mea, dum præ nimiâ dulcedine amoris tui, nequit ſe à lachrymis continere, &c. Da mihi irriguum ſuperius & irriguum inferius, vt ſint mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.*

Auguſt.

Anagogicè.

Anagogicè, euocatur hîc anima ſancta ab exilio huius vitæ ad cæleſtem patriam & gloriam; dicit ergo ei Chriſtus: Veni in thalamum meum Sponſa mea, ô Anima ſancta, iam hyems torpidæ mortalitatis tranſiit, imber fluxæ concupiſcentiæ, æquè ac ærumnarum, perſecutionum, angorum, ſollicitudinum, quæ in hanc vitam aſſiduè quaſi imber è cælo in homines copioſè depluunt, iam abiit & receſſit; flores cæleſtis gloriæ iam apparent, tempus putationis, quo ſcilicet omnes vitiorum & miſeriarum radices per mortem à te amputentur, aduenit: vox turturis, quâ ingemiſcēs ad hanc redemptionem corporis tui multoties ſuſpiraſti, exaudita eſt: veni ergo, ingredere in locum gloriæ & beatæ immortalitatis. Ita S. Gregorius: *Flores*, inquit, *apparuiſſe in terra dicuntur, quia ſanctæ animæ cùm à corporibus recedunt, in cælo recipiuntur. Et quia in hac vita quamuis hyems fuerit, à bono opere non torpuerunt, mox vt receſſerunt, in terra viuentium glorioſè floruerunt. Bene ergo ſequitur, quod dicit: Tempus putationis aduenit quia quò amplior electorum numerus in cælo congregatur, eò celeriùs reprobi ab Eccleſia tanquam ſarmenta inutilia amputantur, vt mundus citiùs finiatur.* Et paulò poſt: *Quid per turturem niſi Eccleſia? quid per terram Sponſi niſi vita illa beata deſignatur. Sed vox turturis in terra Sponſi audita eſſe dicitur, quia dum pro deſiderio ſuo ſancta Eccleſia deprecatur, à Chriſto in cælo clementiſſimè exauditur.* Sic & Origenes Iuſtus Orgelit. Theodoret. & alij, qui per hyemem accipiunt perturbationes & tribulationes huius vitæ; per imbrem, vitiorum procellas. Addit S. Gregorius hom. 16. in Ezech. flores eſſe cæleſtis gloriæ prægustus, quos ſancti

Gregor.

ſancti in hac vita, ac præſertim in morte à Deo hauriunt: *Tunc*, ait, *apparent flores in terra, quia cùm de æterna beatitudinis vita quadam ſuauitatis primordia prægustare anima cœperit, quaſi iam in floribus odoratur exiens, quod poſtquam egreſſa fuerit, in fructu vberiùs habebit.*

Gregor.

Porrò S. Ambroſ. ſerm. 6. in Pſal. 118. pro *tempus putationis* legit *tempus ſecandi, quo matura*, inquit, *in horrea frumenta conduntur, & qui metit mercedem accipit.* Vnde & Philo Carpath. ait hoc eſſe tẽpus mortis.

Ambroſ.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

INitio veris, puta die 25. Martij ſub Æquinoctium, Angelus Gabriel annuncians B. Virgini Chriſti conceptionem, illâque præbente conſenſum, Verbum caro factum eſt. Tunc ergo longa hyems Prophetarum, & legis duriſſimæ tranſiit, abiit imber peccatorum, iræque & minarum Dei, ac ver iucundiſſimum vernans floribus gratiæ, reconciliationis & remiſſionis peccatorum, ac apertionis cæli apparuit, cùm ortus eſt ſol iuſtitiæ Chriſtus Dominus: tunc pariter fuit tempus putationis, id eſt, gratiæ & pœnitentiæ, per quam amputantur prauæ peccatorum conſuetudines, & noxiæ concupiſcentiarum delectationes præciduntur: per illam enim fit ſpiritualis circumciſio in ſpiritu, cuius illa Iudæorum in carne circumciſio typus fuit & vmbra, Rom 2. Tunc vox turturis, id eſt, caſtiſſimæ Virginis ſuſpirantis ad Chriſti incarnationem, audita eſt: *Ecce*, inquit, *ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Lucæ 1. Ita Rupert. Rurſum

Lucæ 1.

vox turturis fuit exultatio Ioannis in vtero matris, cùm illa à B. Virgine iam à Chriſto grauida ſalutaretur. Lucæ 2. Ad hæc vox turturis fuit vox Annæ viduæ, quæ 85. annorum non recedens à templo, loquebatur de Chriſto omnibus, qui expectabant redemptionem Iſraël, ait Iuſtus Orgelit. Poſſunt quoque flores Iudææ nuncupari Chriſtus, ait Origen. & Ioannes in vtero matris iam concepti.

Ver, Tempus vitæ Chriſti. Inſuper Patres cenſent hìc deſcribi tempus feliciſſimum, quo Chriſtus in carne (Caro enim & humanitas Chriſti, eſt primaria hìc Sponſa Verbi, vt dixi in Proœmio cap. 2.) cum Iudæis conuerſatus eſt, ac in vere, puta in Paſchate paſſus eſt & reſurrexit. Ita Caſſiod. Beda, Origen. Theodoret. Nyſſen. Philo, Aponius, Rupert. Bernardus ſerm. 58. qui docet tempus hyemis fuiſſe Apoſtolis, à paſſione Chriſti vſque ad aduentum Spiritus ſancti, qui hyems, id eſt, timoris & torporis frigus ſuo charitatis ardore reſoluit, & in ver, æſtatémque diuinam conuertit: per imbrem verò accipit Iudæorum blaſphemias, Phariſaïcas traditiones, Philoſophorum loquacitatem, Hæreticorum erroneas doctrinas, & omnes turbulentos ſpiritus: *Chriſtus*, inquit Bernard. *vt flos è terra ſurrexit & apparuit, & cum illa multa corpora ſanctorum, vt multi flores ſurrexerint, & apparuerint multis.* Vnde Poëta Chriſtianus ver naturæ & Chriſti ita depingit:

Bernard.

*Vere pubentes renouantur agri,*
*Pampino gemmæ redeunt, vitéſque*
*Frons in arbuſtis, iuueneſcit omni*
*Gramen in horto.*
*Verna tempeſtas viget ante tempus,*
*Omne ver anni decus & venuſtas,*
*Ver & acceptum ſuperis, origa eſt*
*Rebus & horis.*
*Nuncium cæli Deus ad Mariam*
*Vere demiſit, cruce tunc & hoſtes*
*Vicit infernos: Lacheſique ferrum*
*Chriſtus ademit.*

Denique Hugo Victor. ſerm. de Aſſumpt. B. Virginis ſub finem tom. 2. docet vocem turturis eſſe vocem amoris, quo æſtuabat B. Virgo: *Vox turturis*, inquit, *amori canit & dilectioni, & habet ſingularem dilectionem turtur, cui canit vel præſenti gaudium, vel abſenti affectum. Igitur vox turturis tota de amore, & non nouit aliud præter amorem turtur: & illi ſingularis amor eſt, qui ſoli non adiungit alterum: & æternus, qui nec primo ſecundum. Ergo vox turturis amori cantat, & amoris canticum eſt vox turturis: & ardent corda ad vocem turturis: vnum eſt quod ſonat vox turturis, & ſemper illud ſonat & reſonat, & non faſtidit vnquam. Semper idem canit, qui ſemper idem diligit. Et quis dignus erit audire vocem turturis? In ſolitudine canit, & ſemper ſolitudinem diligit turtur, quia ſingularem dilectionem quærit.* Et paucis interiectis: *O ſpecioſa inter filias Ieruſalem, audiſti vocem turturis, audiſti & intellexiſti. Intus loquebatur, & tu intus eras, ideo audiſti & intellexiſti, & dixiſti: vox dilecti mei. Intellexiſti enim quia vox dilecti erat, & de dilectione erat; non enim intellexiſſes niſi dilexiſſes, quia dilectionis verbum erat, & non poterat niſi à diligente intelligi. Dilectus loquebatur, & dilecta loquebatur, & dilectio commendabatur. Quia ergo vocem dilecti audiſti, & dilectionem intellexiſti: Ne differas vltrà Surge velociter,*

Hugo Victorin.



Digitized by Google

Verſ. 13. *Ficus protulit groſſos ſuos: Vineæ florentes dederunt odorem ſuum. Surge, amica mea, ſpecioſa mea, & veni.*

F*ICVS protulit groſſos ſuos: vineæ florentes* (Symmach. *vitium flos dedit*) *dederunt odorem ſuum: Surge amica mea, ſpecioſa mea & veni.* Septuag. *Arbor fici produxit germina ſua, vites florent, dederunt odorem ſuum.* Pro *floret* Græcè eſt *κυπρίζουσι*, id eſt, *cypriſantes*, hoc eſt, inſtar cypri florentes & redolentes. Groſſi vocantur primæ ficus, qui quandoque immaturi decidunt, ſed dant ſpecimen & ſpem maturitatis & perfectionis cæterorum: quandoque matureſcũt, ſúntque dulces & ſuaues, teſte Columella lib. 5. cap. 10. groſſos ergo hîc intellige deciduos, vel potiùs matureſcentes. Hebr. enim eſt פג *pag*: vnde Latinum *ficus*: *pag* autem nõnulli Hebræi deriuant à פנג *panac*, eliſa media *Nun*, id eſt, *delicatus eſt*; ficus enim recentes ſunt deliciæ oris & ſtomachi, præſertim groſſi, ſiue primæ maturæ, de quibus Mich. cap. 7. dicitur: *Præcoquas ficus deſiderauit anima mea.* Pro *florentes* Hebr. eſt סמדר *ſemadar*, Quod ſignificat florem, ſiue folliculum vitis, cùm iam graneſcere incipit, ac minuta vuarum grana producit. Ecce quod verſ. præcedenti dixi hic notari ver non tantùm incipiens, ſed & proficiens ſiue adultum. Nam ficus proferunt groſſos, & vineæ florent ac graneſcunt vere adulto. Nominat præ cæteris arboribus ficum & vitem, quia harum fructus, putà ficus & vuæ, ſunt ſuauiſſimi & præſtantiſſimi: omnis enim fructus aliarum arborum habet aliquid aquoſi, crudi & incocti, ſola ficus ob calorem nil habet crudi, ſed omne maturum & percoctum; nec lapillos aut nucleos habet vllos, ſed merum ſuccum edulem & ſacchareum, ſiue melleum. Vnde ille ficum aiebat eſſe burſam mellis. Hiſce fructibus Sponſus inuitat Sponſam è lectulo in agrum & vineam.

Ficus etymon.

Mich. 7.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

APoſtolis in vere, putà in Pentecoſte & deinceps prædicantibus, ficus protulit groſſos, id eſt, multi Iudæi ad Chriſtum conuerſi ſunt: & vineæ florentes, id eſt, gentes credere incipientes, dederunt odorem ſanctæ vitæ, famæ, & exempli, ſuum, indéque ſpem magnæ fertilitatis, putà conuerſionis omnium omnino gentium. Porrò ſicut groſſi nonnulli matureſcunt, ſed perplures immaturi decidunt; ſic pauci ex Iudæis in fide fuêre conſtantes: perplures enim ex eis à fide defecerunt, & in Iudaiſmum relapſi ſunt: multos enim ex turba Chriſtus prædicando conuertit; ſed maior eorum pars ob metum Pontificum & Scribarum defecit, præſertim dùm vidit Chriſtum pati, crucifigi, & mori. Similiter Ioannes Baptiſta multos Iudæorum ſuâ auſteritate & efficaciâ prædicandi conuertit, ſed multi ex iis in priſtina ſcelera relapſi ſunt. Vnde Chriſtus Ioannis 5. loquens de Ioanne: *Ille* ait, *erat lucerna ardens & lucens: Vos autem voluiſtis ad horam exultare in luce eius*, quaſi horariam ſignificans fuiſſe eorum conuerſionẽ. Quoſdam verò ipſemet Ioannes arguebat non ſyncerè credentes: *Progenies viperarum*, inquiens, *quis vobis demonſtrauit fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*, &c. Porrò de iis, qui Chriſto prædicante crediderunt, quàm pauci permanſerint fideles, vel ex eo liquet, quòd eo adhuc prædicante multi diſcipulorum abierunt retro, ita vt conuerſus diceret ad duodecim: *Nunquid & vos vultis abire?* In paſſionem quoque traditus, etiam ab his ipſis duodecim fuit derelictus, & ferè ab omnibus abnegatus, inclamante fortiter vniuerſâ multitudine Iudæorum ante faciem Pilati: *Tolle, Tolle, crucifige, crucifige eum. Sanguis eius ſuper nos*, &c. Matth. 26. Denique quàm fuerit immaturus ille Iudaïcæ pœnitentiæ fructus & groſſus, liquet ex eo quod ait Paulus Iudæis: *Vobis oportebat primùm loqui regnum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, conuertimur ad gentes.* Actor. 13. 46. At verò florentes vineæ odorem ſuum dederunt gratiſſimum, quoniam videlicet gentiũ populi per orbem vniuerſum diſperſi, qui vſque ad Chriſti aduentum infructiferi, quaſi in hyeme quadam idololatriæ perpetuâ fuerant, ad prædicationem ſanctorum Apoſtolorum ſtatim florere cœperunt, ac florendo odorem ſuauiſſimum gratiſſimúmque in naribus Domini Sabaoth effudêre, qui proinde halitu virtutis & famæ ſuæ, omnia holocauſta & thymiamata legis veteris longè ſuperauit. Ita S. Gregor. Nyſſen. Caſſiodor. Beda, Philo, Anſelm. Rupert. & S. Bernard. Idipſum facto repræſentauit Chriſtus,

Ioan. 5.

Matth. 3. Luc. 3.

Ioan. 6.

Matth. 26.

Act. 13. 46.

ſtus,cùm eſuriens quæreret ex ficu fructus,nec inueniens illi maledixit dicens: *Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum, & areſacta eſt continuò ficulnea.* Matth.

Matt.21. 19.

21:19. ficulnea enim hæc, æquè ac illa, quam herus ob ſterilitatem iuſſit ſuccidi Lucæ 13.6. repræſentabat Synagogam, puta Iudæorum in fide ariditatem & reprobationem, vti docet S. Hieronym. Gregor. Hilar. cæterique Patres Græci & Latini vnanimi conſenſu. Audi S. Ambroſiũ, lib.7.in Lucam cap.13. ficum comparantem cum aliis arboribus: *Alia, inquit, florem ferunt antequam fructum,pomáque ventura prænuntio ſui flore deſignant:hæc*

Ambroſ.

*ſola ab initio germinat poma pro floribus.In aliis flos decutitur, & poma naſcuntur: in hac poma decidunt, vt poma ſuccedant; Ergo priora illa caſſa fructuum,vice floris emergunt.* Deinde idipſum Iudæis & Gentibus applicans:*Spe-*

Idem.

*ctes nunc*, inquit, *cultus & animos Iudæorum, qui quaſi primi fructus malè feracis Synagoga, groſſi labentis ſimilitudine corruerunt, vt manſura ſupra annum noſtri generis poma ſuccederent.Etenim primus Synagoga populus,quaſi radice operum infirmus arenti, vbertatem ſapientiæ naturalis haurire non potuit. Et ideo velut inutilis decidit fructus, vt quaſi ex iiſdem claniculis arboris fructuoſa, de pinguedine religionis antiquæ, nouus Eccleſiæ populus emergeret. Ergo ille qui erat; eſſe deſiuit, vt iſte inciperet qui non erat.Primi tamen ex Iſraël, quos naturæ validioris ramus extulerat, ſub vmbra legis & crucis, in vtriuſque ſinu, ſucco gemino colorati, groſſi matureſcentis exemplo, pulcherrimorum gratiâ fructuum cæteris præſtiterunt, quibus dicitur: ſedebitis ſuper duodecim thronos iudicantes duodecim tribus Iſraël.* Matth.19.

Huc pertinet expoſitio S. Anſelmi: Ficus protulit groſſos ſuos,id eſt,ait, legis veteris præcepta, velut fructus inutiles deciderunt. Nam, vt ait S. Bernard.

Bernard.

ſerm. 60. *Et verè quid non groſſum in gente illa? Nec actius profectò, nec affectus, nec intellectus:ſed nec ritus,quem in colendo Deum habuit. Nam actus in bellis, affectus in lucris erat totus, intellectus in craſſitudine literæ, cultus in ſanguine pecudum & armentorum.* Subdit deinde perfectam fuiſſe à Synagoga Iudæorum hanc groſſorum productionẽ, *Cùm Chriſtum occidit tunc completa eſt malitia eius;*

Bernard.
Matth.23.
Ioan.19.

*iuxta quod ipſe eis prædixerat: Implete menſuram patrum veſtrorum. Vnde in patibulo traditurus iam ſpiritum,conſummatum eſt, inquit. O qualem conſummationem dedit groſſis ſuis ficus hac maledicta, & ſubinde æternâ ariditate damnata!* Et pluribus interiectis: *Ex tunc itaque dici potuit,quia ficus protulit groſſos ſuos,*

Bernard.
Leuit.26.

*cùm iam videlicet legitima illius populi eſſe ce-*

*perunt quaſi in exitu ſuper ſummum; vt noua (iuxta veterem prophetiam) ſuperuenientibus vetera proiicerentur. Non aliter ſanè quàm quomodo groſſi cadunt, & cedunt ſuborientibus ficubus bonis.* Subdit deinde S.Bernar. *Sicut* vineæ florentis odore fugantur ſerpentes; ſic feruore primorum Chriſtianorum fugatos eſſe dæmones;additque:*Cæterùm*

Bernard.

*ſi vinea anima,flos opus, odor opinio eſt,fructus quid? Martyrium. Et verè fructus vitis, ſanguis eſt martyris.*

Sic & S.Gregor.*Ficus*, ait,*protulit groſſos*

Gregor.

*ſuos, quia S. Eccleſia Martyres ſuos ad æternam patriam præmiſit.*Sic & Aponius.

Symbolicè;ficus eſt Chriſtus & Chriſti crux:Primò, quia ficus ramos & folia habet rara, vaga & vilia: ita Chriſtus &

*Symbolicè. Ficus eſt Chriſtus & Crux.*

crux ſpecie externa, mundanis vilis fuit 1.
& deſpectus.Secundò, quia ficus nullos 2.
flores emittit, ſed pro floribus illicò dat fructus,eóſque dulciſſimos; ſic Chriſtus illicò dedit ſuauiſſimos fructus, cùm Iudæos & Gentes ſaluauit. Tertiò, quia 3.
multi cenſent pomum vetitum, quod comedit Adam fuiſſe ficum. Ita Theodoret. Gennadius, Iſidor.& alij quos citaui. Geneſ.3. Decuit ergo Chriſti crucem, vel fieri ex ficu, vel eâ ſignificari, vt ficus quæ mortem dederat inobedienti Adæ illiúſque poſteris, vitam daret obedienti Chriſto & Chriſtianis. Hinc

*Multi cenſent pomum Adamo vetitum fuiſſe ficum.*

Bellonius, qui terram ſanctam & totum Orientem peragrauit lib.2.Obſeru.c.88. ſubindicat materiam crucis Chriſti fuiſſe ficum, quod hæc arbor frequens in Palæſtina, frequens quoque eſſet in fabrorum officinis, licet alij aliter ſentiant, vti dicam cap. 7. 8. Vites ſunt Apoſtoli, quia vites hæ toto orbe tranſplantatæ, copioſas vuas & vinum conuerſionis gentium Deo & Chriſto protulerunt.

*Materia Crucis Chriſti fuit Ficus ex quibuſdam.*

Symbolicè rurſum S.Bernard. in Declarat.per groſſos accipit dignitates Eccleſiaſticas,quas multi ambiunt; ſed variè,quia groſſi ſunt mox caſuri: *Ficus*, inquit, *protulit groſſos ſuos, quod videlicet perſecutione ceſſante inclyta facta ſit Eccleſia, poſita in ſuperbiam ſæculorum. Quam ſanè excellentiam & ſublimitatem dignitatum congruè ſatis groſſos vocat, vt futura in his moneat quàm præſentia cogitare; groſſi enim præſagia ſunt futurorum fructuum: quia quæ videntur temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna.*

*Groſſi,dignitates Eccleſiaſtica.*

Bernard.

*Cornel.à Lapide in Cant. Canticorum.*

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima pia.*

FIcus & Vitis fideli cuilibet excolenda, eſt anima: hæc enim, ſi ritè colatur, dabit ficus ſuauiſſimas manſuetudinis, patientiæ, eleemoſynæ, ſuauitatis morum & ſermonum; ac vuas, vinumque charitatis, quod mentem accendit & Dei amore inebriat. Hinc illud Prouerb. 27. 28. *Qui ſeruat ficum, comedet fructus eius.* Vide ibi dicta. Audi S. Bernard. ſerm. 60. *Dico autem per gratiam Dei, quæ in nobis eſt, & ficus nos habere & vineas. Ficus quidem, quia ſuauiores in moribus ſunt; vineas verò, quia ſpiritu feruentiores. Omnis qui ſe inter nos communiter ſocialitérque agit, & non ſolùm ſine querela conuerſatur inter fratres, ſed & multâ cum ſuauitate fruendum ſe omnibus præbet in omni officio charitatis, quidni illum vicem agere ficus conuenientiſſimè dicam?* Et pluribus interiectis: *Iam qui vineæ ſunt, ſeueriores nobis quàm ſuauiores ſe exhibent, in ſpiritu vehementi agentes, zelantes pro diſciplina, vitia acerrimè corripientes, aptantes ſibi congruentiſſimè vocem ſuam; Nonne qui oderunt te Domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Item: Zelus domus tuæ comedit me; & mihi quidem illi in dilectione proximi, iſti in dilectione Dei eminere videntur.* Generalius Theodoretus per groſſos accipit primos animæ fructus fidei, quos ſequuntur fructus bonorum operum. Porrò qui ſint groſſi S. Bernard. initio ſerm. ſic explicat: *Verè ficus eſt populus fragilis ſpiritu, paruulus ſenſu, animo humilis, cuius primi fructus (interim nomini alludamus) groſſi vtique & terreni: Nec enim popularis eſt ſtudij, primùm quærere regnum Dei & iuſtitiam eius; ſed vt ait Apoſtolus, cogitare quæ mundi ſunt, quomodo placeant vxoribus, vel illa viris: tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi; ſed in nouiſſimis non negamus eos fructus fidei aſſecutos, ſi bonam habuerint nouiſſimam confeſſionem, maximéque ſi carnis opera eleemoſynis redemerint. Ergo primi plebium fructus, nec fructus ſunt, non magis quàm ficuum groſſi, qui ad nihil vtiles ſunt, niſi quòd ſecuturi fructus ſunt quidam prænuncij, ſed immaturè cadunt & dant locum maturandis, ipſi minimè habiles ad creſcendum.*

Prouerb. 27. 28.

*Ficus ſunt manſueti, vineæ ſunt zeloſi. Bernard.*

Pſal. 138.

Pſalm. 68.

*Groſſi, primi Animæ fructus fidei.*

Bernard.

Anagogicè ficus & vitis repræſentant ſuauitatem patriæ cæleſtis: ibi enim nos Deus ficubus cæleſtibus & vino diuino potabit, iuxta illud Chriſti promiſſum: *Et ego diſpono vobis regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam.* Lucæ 22. 30. Et *Dico vobis, quia non bibam amodo de hoc genimine vitis vſque in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum nouum in regno patris mei.* Matth. 26. 29. Hinc & Chriſtus finem mundi, diémque Iudicij & Reſurrectionis repræſentauit per ficum: *Videte ficulneam*, inquit, *& omnes arbores, cùm producunt iam ex ſe fructum, ſcitis quia prope eſt æſtas; ita & vos cùm videritis hæc fieri, ſcitote quoniam prope eſt regnum Dei.* Lucæ 21. 29.

*Anagogicè. Ficus & vitis ſuauitatem Patriæ cæleſtis indicant.*

Luc. 22. 30.

Matth. 26. 29.

Luc. 21. 29.

Huc ſpectat verſio Chaldæi, qui hæc refert ad ingreſſum Hebræorum in terram promiſſam, vbi quiſque quietus, lætúſque ſedit ſub vite & ficu ſuâ. Hic enim ingreſſus, fuit typus introitus in terram viuentium, puta in cælum. Audi Chald. *Cœtus Iſraël, qui comparatus eſt præcocibus ficubus, aperuit os ſuum, & dixit canticum ſuper mare cæteſloſum, & etiam pueri & infantes laudauerunt dominatorem ſæculi linguis: illico dixit eis dominator ſæculi: Surge tibi congregatio Iſraël, dilecta mea & formoſa mea, vade hinc ad terram, quam iurauit patribus tuis.*

Chald.

Porrò ſicut groſſi præcedunt ficus, earúmque fertilitatem prænunciant: ſic boni virtutis actus prænuncij ſunt dulciſſimorum fructuum, quibus perfruemur in cælo. ita Nyſſen. Hinc rurſum Origen. homil. 4. ex quatuor per vites florentes accipit Angelos, qui *hominibus*, inquit, *largiuntur odorem ſuum, id eſt doctrinæ & inſtitutionis bonum, quo inſtruunt & imbuunt animas, donec ad perfectionem veniant, & incipiant capaces fieri Dei* Et poſt nonnulla: *Angelicæ*, inquit, *virtutes, quibus electi quique & beati in Reſurrectione ſociabuntur, qui erunt ſicut Angeli Dei, ipſæ ſunt florentes vites & vineæ, quæ odorem ſuum vnicuique animæ, & gratiam quam à Conditore ſuſcepit priùs, & nunc iterum perditam recuperauit, impertiunt, ſuauitatéque cæleſtis odoris fœtorem tandem abiecta ab eis mortalitatis, corruptioniſq; depellunt.*

*Vineæ florentes Angeli.*

Origen.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

VInea Domini Sabaoth, domus Iſraël eſt, ait Propheta. Vineæ ergo, id eſt *Patriarchæ*, inquit S.Bernard. *Chriſtum in carne naſciturum & moriturum adorauerunt, at non dederunt odorem ſuum, quia ſecretum ſuum non publicauerunt. Dederunt autem poſtea, cùm per ſucceſſiones generationum naſcentem ex ſe Chriſtum ſecundùm carnem, partu virgineo ſæculis ediderunt. Tunc planè inquam, ſpirituales illa vinea dederunt odorem ſuum, cùm apparuit benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei, & cœpit præſentem habere mundus, quem pauci adhuc*

Iſai. 5. 7.

*Bernard. Vineæ, Patriarchæ.*

*adhuc abſentem præſenſerant.* Et poſt nonnulla: *Dictum eſt itaque vineas dediſſe odorem, ſiue quia fideles animæ bonam de ſe vbique opinionem ſpargunt, ſiue quod palàm facta ſunt mundo oracula & reuelationes Patrum, & in omnem terram exiuit odoratus eorum, dicente Apoſtolo manifeſtè, magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt mundo, aſſumptum eſt in gloria.* 1. Timoth. 3. Hinc Tres Patres Anonymi apud Theodoretum, per vinearum, id eſt, Eccleſiæ florem intelligunt tres Magos, qui fuère primitiæ gentium credentium, dum in Bethlehem venerunt ad Deiparam, ac Chriſto obtulerunt thus quaſi Deo, aurum quaſi regi, myrrham quaſi mortali, & pro hominum ſalute morituro.

1. Timot. 3.

*Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni.* Hac iteratione, inquit Nyſſen. ſuſcitatur anima ad progrediendum ſemper in virtute, & proficiendum in ſpiritu: *Neque enim ei,* inquit Nyſſen. hom. 5. *qui verè ſurgit vnquam deerit ſemper ſurgere, neque ei, qui currit ad Dominum, vnquam conſumetur amplum & latum campi ſpatium, ad diuinum curſum perficiendum. Oportet enim ſemper ſurgere & excitari, & per curſum appropinquando nunquam ceſſare. Quamobrem quoties dicit: Surge & veni, toties ad id, quod eſt melius aſcenſioni ea, quæ deinceps ſequuntur, à Verbo adiiciuntur.* S. Bernard. verò ſerm. 61. *Commendat*, inquit, *Sponſus multam dilectionem ſuam iterando amoris voces. Nam iteratio, affectionis expreſſio eſt, & quod rurſum ad laborem vinearum ſollicitat dilectam, oſtendit quàm ſit de animarum ſalute ſollicitus. Nam vineas animas eſſe iam audiſtis.*

Nyſſen.

Bernard.

---

Verſ. 14. *Columba mea in foraminibus petræ; in cauerna maceriæ, oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora.*

C*OLVMBA mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ,* (Hebr. *in ſecreto illius gradus, vel ſcalæ.* Vatabl. *in receſſu ſcalarum, vel in abſcondito gradus, id eſt, cochleæ,* id eſt, *Chriſti,* inquit, *per quam ad Chriſtum aſcendimus:*) *oſtende mihi faciem tuam.* Septuag. Vaticani: *Tu columba mea in tegumento.* (S. Ambroſ. & Orig. *in velamento*) *petra iuxta promurale.* S. Ambroſ. ſerm. 6. in Pſalm. 118. *Iuxta præmu-*

Hebr.

Vatabl.

Lxx.
Ambroſ.
Origen.

*Cornel. à Lapide in Cant. Canticor.*

*nitionem.* Complut. *Veni tu columba mea in tegmine petræ.* (Syrus, *in velamine ſepis*) *inhærens antemurali, oſtende mihi aſpectum tuum.* Columbæ enim agreſtes nidificant non in columbariis vti domeſticæ, ſed in foraminibus rupium & cauernis maceriarum, id eſt, ruderum, lapidum aggeſtorum, & murorum dirutorum. q. d. Memento, ô Sponſa te, æquè ac me eſſe paſtores rurales, qui inſtar columbæ liberæ & agreſtis, rure in ruinis ædium & rupium commorantur: quare exi è domo & vrbe, ac mecum in agrum perge, vbi lætè ruſticabimur, paſcemur, & oblectabimur. Vnde Origenes cenſet hic non notari terminum *à quo* ſed *ad quem*, puta locum ad quem Sponſa inuitante Sponſo venire debeat, q. d. Veni, vt habites mecum in foraminibus petræ: *Addit*, inquit, *hoc, vt oſtenderet ei locum ad quem venire debeat, qui locus ſub velamento & tegmine ſaxi ſit poſitus: ſit autem idem locus, non tam iuxta murum, quàm iuxta promurale quoddam: promurale autem dicitur, cùm extra muros, qui ambiunt Ciuitatem alius ducitur murus, & eſt murus ante murum.*

Complut.
Syrus.

Origen.

Sic ſenſus erit, q. d. Veni, ô Sponſa, & egredere è domo & ciuitate in agros, ibi in vmbroſis tabernaculis in petra exciſis quieti, lætique commorabimur. Sic & Rupertus, & S. Bernardus, quem audi: *Ne timeas, ô Sponſa, quaſi hæc ad quam te hortamur opera vinearum, negotium amoris impedire, ſeu interrumpere habeat. Erit certè, & aliquis vſus in ea ad id, quod pariter optamus. Vineæ ſanè macerias habent, & diuerſoria grata verecundis.*

Bernard.

Aptiùs Noſter Sanchez cenſet hic notari terminum *à quo*: Sponſam enim euocari è foraminibus petræ ad apertum aërem vinearum; vt liberum ſpiritum ex libero & ſereno cælo trahat. Sponſa, inquit, timida & commoditati ſuæ ſtudens, propter hyemis immite frigus domi ſe continens, inſtar columbæ in foraminibus petræ ſe abſcondens, horret cæli aperti, ſoliſque duri, quam grauem putat eſſe inclementiam, non audet ſub dio pernoctare cum Sponſo, cubile amat, & ibi ſe fouet, atque indulget, ſicut in ſuis luſtris nonnullæ feræ, & reptile animantium genus in ſuis cauernis hyberni temporis incommoda declinant. Ex hoc ergo receſſu atque mollitie Sponſam euocat, affirmans à ſe ſatis eſſe prouiſum, ne quid ſit in his nuptiis, quod timere poſſit. Quamuis enim in agro ſubeundi ſint imbres, æſtus, labores, & dolores, imò mors ipſa pro ani-



Digitized by Google

marum ſalute, tamen hæc omnia dulcia facit amor Chriſti pro vobis crucifixi: atque ſub felle crucis Deus mel,& manna miræ voluptatis abſcondit: quo guſtato atque explorato ſentiens Sponſa, quàm crux Chriſti ſit dulcis,vltrò Sponſum in agrum laboris & crucis euocat, cap. 7.

Porrò Chald. hæc refert ad Hebræos clauſos montibus & rupibus, cùm tranſierunt mare rubrum:*Quando*,inquit,*perſecutus eſt Pharao impius populum domus Iſraël, erat cœtus ſimilis columbæ,quæ clauſa eſt foraminibus petræ, quam ſerpens coarctat intrinſecus, & accipiter coarctat eam extrinſecus:ſic erat cœtus Iſraël clauſus à quatuor partibus mundi;quoniam ante eos erat mare, & poſt eos perſequebatur hoſtis,& à duobus lateribus eorum erant deſerta plena ſerpentibus igneis, qui mordebant & occidebant veneno ſuo filios hominum: illicò autem aperuit os ſuum in oratione coram Domino, & deſcendit vox de cælis excelſis, & ſic ait: Tu congregatio Iſraël,quæ comparata es columbæ mundæ, & occultata es in clauſura foraminum petræ, & in abſconditis graduum, oſtende mihi*,&c.

Chald.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

CHriſtus Eccleſiam timore Iudæorum perculſam, & inſtar columbæ in antris petræ latentem, hoc eſt, Apoſtolos in Sion poſt aſcenſum Chriſti delitеſcentes, & orationi meditationique Paſſionis Chriſti deditos, miſſo in Pentecoſte Spiritu ſancto,animoſos, fortéſque efficiens, forás euocat, vt in publicum prodeant, ibíque in agris & villis ipſi & cæteris ſuam faciem oſtendant, ac vocem prædicationis audiri faciant, vtpote ſibi ſuauem & auditoribus ſalutarem.Sic olim tempore Decij, Galieni, Diocletiani Imperatorum fideles perſequentium, Pontifices & Chriſtiani ſe abſcondebant in antris, cauernis & cryptis,quæ etiamnum extant in Roma ſubterranea, & ſacrum horrorem intuentibus iniiciunt.

Quocirca per foramina petræ ſymbolicè,quinque Chriſti(hic enim eſt petra. 1.Corinth.10.) vulnera accipiunt Patres,quin & Zacharias cap. 3. 9. vidit lapidem oculatum, cælatum ſculpturâ, id eſt, Chriſtum in paſſione inciſum ſuis plagis & ſtigmatibus. Vide ibi dicta. Ita S.Gregorius:*Per foramina petræ*,inquit,*vulnera manuum & pedum Chriſti in cruce pendentis libenter intellexerim:cauernam verò maceriæ vulnus lateris, quod lanceâ factum eſt, eodem ſenſu dixerim. Et bene columba in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ eſſe dicitur: quia cùm in crucis recordatione patientiam Chriſti imitatur, dum ipſa vulnera propter exemplum ad memoriam reducit,quaſi columba in foraminibus, ſic ſimplex anima in vulneribus nutrimentum,quo conualeſcat, inuenit. Poſſunt tamen per foramina petræ Incarnationis Chriſti ſacramenta ſignari, & per cauernam maceriæ ipſa protectio Angelicæ cuſtodiæ figurari.* Et Rupertus;*Videbunt*, (ait Zachar. cap. 12.) *in quem transfixerunt. Claui enim Chriſti & lanceæ ſunt animæ meæ vulnera, in illis habito & gemo ſicut columba in foraminibus petræ,propter fixuram clauorum; in cauerna maceriæ, propter vulnus lateris. Chriſtus enim eſt petra & maceria,exiſtens enim mortalis & paſſibilis erat maceria,vbi autem reſurrexerit à mortuis, eſt petra ſolidiſſima.* Sic & Caſſiodorus, Beda, Iuſtus, Anſelmus, & Aponius, qui in hiſce Chriſti plagis,ait,abſorptum habitaſſe S. Thomam, cùm apparente Chriſto poſt Reſurrectionem,eáſque oſtendente exclamauit:*Dominus meus & Deus meus.* Audi S.Bernardum ſerm.61. foramina petræ, ait,ſunt vulnera Chriſti, nam *Petra Chriſtus.Bona foramina,quæ fidem adſtruunt Reſurrectionis, & Chriſti Diuinitatẽ.Dominus meus*, *inquit,& Deus meus:Vnde hoc reportatum oraculum,niſi ex foraminibus petræ?In his paſſer inuenit ſibi domum & turtur nidum, vbi reponat pullos ſuos.In his ſe columba tutatur, & circumuolitantem intrepida intuetur accipitrem.* Et inferiùs: *Et reuera vbi tuta firmáque infirmis ſecuritas & requies, niſi in vulneribus Saluatoris? Tanto illic ſecurior habito, quanto ille potentior ad ſaluandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus inſidiatur; non cado, firmatus enim ſum ſupra firmam petram. Peccaui peccatum grande, turbatur conſcientia; ſed non perturbabitur,quoniam vulnerum Domini recordabor. Nempe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras.Quid tam ad mortem, quod non Chriſti morte ſaluetur?* Et pluribus interiectis: *Patet arcanum cordis per foramina corporis,patet magnum illud pietatis ſacramentum,patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto.Quidni viſcera per vulnera pateant? In quo enim clarius, quàm in vulneribus tuis eluxiſſet, quòd tu Domine ſuauis & mitis & multæ miſericordiæ? Maiorem enim miſerationem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro addictis morti & damnatis. Meum proinde meritum, miſeratio Domini.* Subdit deinde:*Quanta in his* (Chriſti vulneribus) *multitudo dulcedinis,plenitudo gratiæ perfectióque*

Foramina petræ ſunt quinq; vulnera Chriſti.

Gregor.

Zachar. 12.

Rupert.

Ioan.20.28.

Bernard.

Ioan. 20.

Pſal.83.

quæ

*que virtutum,*&c. *Sublimis in regno, ſed ſuauis in cruce. In hac me viſione præueniat, in illa adimpleat. Adimplebis me, ait, lætitiâ cum vultu tuo. Vtraque viſio ſalutaris, vtraque ſuauis, ſed illa in ſublimitate, iſta in humilitate. Illa in ſplendore, hæc in pallore eſt: Denique inquit, & poſteriora dorſi eius in pallore auri. Quomodo non in morte palleſcat?*

Pſalm. 67.

Symbolicè. Symbolicè rurſum Theod. ait Eccleſiam hîc vocari ad tegmen fidei, id eſt, ad doctrinam S. Petri, cui dictum eſt à Chriſto: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; atque ad mortificationem carnis; hanc enim innuit cùm dicit iuxta LXX. *Egredere iuxta propugnaculum.* q.d. *Mortifica membra tua, quæ ſunt ſuper terram. Ea quæ ſunt à carne remotiſſima in corpore meditare. Inter perturbationes praſta te à perſecutionibus vacuam. Extra præſentem ciuitatem eiúſque muros conſiſtas: niſi enim iuxta propugnaculum extiteris, conſuetudine meâ frui non poteris.*

Matth. 16. 18.
LXX. Theodor.

Tropologicè. Tropologicè Epiphan. hæreſi 59. cenſet animam in peccatum prolapſam hîc vocari ad pœnitentiam: *Et veni*, inquit, *tu columba mea in tegmine petræ contigua muro. In tegmine petræ*; in benignitate Chriſti & in miſericordia Domini. Hoc eſt regnum petræ, tegmen fidei, ſpei ac charitatis. *Contigua muro*, hoc eſt, priuſquam claudatur porta: priuſquam Rex intra mœnia conſtitutus, non amplius admittit, poſt diſceſſum hinc & mortem.

Myſticè. Cauerna maceriæ, S. Scriptura. Foramina petræ 4. Euangelia.

Myſticè Iuſtus Orgelit. per cauernam maceriæ accipit S. Scripturam, & exempla, meritáque Sanctorum, in quibus ſecura quieſcit anima ſancta: ſic & Aponius per foramina petræ accipit quatuor Euangelia, & per cauernam maceriæ doctrinam Apoſtolorum, per quam Eccleſia & Anima fidelis ad Dei cognitionem & cultum peruenit. Et S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 6. ſequens Septuag. *Veni* inquit (ô Eccleſia, ô anima Chriſto deſponſa) *iuxta Euangelium, propugnacula fidei tua geſta ſunt Chriſti: muri tui ſubſidia, verba ſunt Domini: paſſio dominici corporis, tua virtus eſt.* Similia habet Nyſſen. & tres Anonymi apud Theodoret. ac Philo Carpath. qui ait, nos hîc vocari ad munimẽ petræ, id eſt, ad Euangelium, quo munimur cõtra omnes inſidias Diaboli, cuius antemurale eſt lex vetus. Vtrâque ergo lege, tam nouâ, quàm vetere munimur. S. Hieronymus verò lib. 1. contra Iouin. ait, Chriſtum nobis eſſe firmiſſimæ petræ antemurale, iuxta illud Iſaiæ 26. 1. *Vrbs fortitudinis noſtræ Sion ſaluator, ponetur in ea murus & antemurale.*

Ambroſ.
Iſai. 26. 1.

*Cornel. à Lapide in Cant. Canticorum.*

## SECVNDVS SENSVS

### *De Chriſto & Anima Sancta.*

SAnctus Bernardus ſerm. 61. aſſerit pias & religioſas animas habitare in foraminibus petræ (Vnde & reuera Eſſeni ſub S. Marco, & Anachoretæ in cauernis & cryptis vacabant orationi & Dei laudibus) id eſt, in vulneribus Chriſti meditando: Martyres verò imitando, & cum Chriſto ac pro Chriſto patiendo: *Vult*, inquit, *benignus dux deuoti militis vultum & oculos in ſua ſuſtolli vulnera, vt illius ex hoc animum erigat, & exemplo ſui reddat ad tolerandum fortiorem: Enimuerò non ſentiet ſua, dum illius vulnera intuebitur. Stat Martyr tripudians & triumphans, toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro, non modò fortiter, ſed alacriter ſacrum è carne ſua circumſpicit ebullire cruorem: Vbi ergo tunc anima Martyris? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in viſceribus Ieſu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in ſuis eſſet viſceribus, ſcrutans ea, ferrum profectò ſentiret, dolorem non ferret, ſuccumberet & negaret. Nunc autem in petra habitans, quid mirum ſi in modum petræ durauerit?* Idipſum deinde exaggerans ſubiicit: *Sed neque hoc mirum, ſi exul à corpore, dolores non ſentiat corporis. Neque hoc facit ſtupor, ſed amor. Submittitur enim ſenſus, non amittitur. Nec deeſt dolor, ſed ſuperatur, ſed contemnitur. Ergo ex petra martyris fortitudo, inde planè potens ad bibendum calicem Domini. Et calix hic inebriãs, quàm præclarus eſt? Præclarus inquam atque iucundus, non minus Imperatori ſpectanti, quàm militi triumphanti. Gaudium etenim Domini, fortitudo noſtra. Quidni gaudeat ad vocem fortiſſimæ confeſſionis? Denique & requirit eam cum deſiderio: ſonet (inquiens) vox tua in auribus meis. Nec cunctabitur rependere vicem ſecundùm ſuam promiſſionem continuò, vt qui ſe confeſſus fuerit coram hominibus, confiteatur & ipſe eum coram patre ſuo.*

Bernard. Martyrum robur ex cruce Chriſti.

Per cauernam verò maceriæ idem S. Bernard. ſerm. 62. cum Caſſiod. Beda & Anſelmo accipit ſanctorum communionem, & Angelorum hominúmque Beatorum cuſtodiam, qui pios & electos tuentur, vt per eos ruinæ Angelorum lapſorum, putà dæmonum, in cæleſti patria inſtaurentur, idque fit per vulnera & merita Chriſti. In horum ergo meditatione & inuocatione, aſſerit commorandum eſſe animæ piæ: *Licebit itaque*, inquit, *vnicuique veſtrum etiam hoc tempore noſtræ mortalitatis, cauare ſibi quacumque parte volet cauernas ſupernæ maceriæ, nunc quidem Pa-*

Cauerna. cœtus Beatorum.
Bernard.

*triarchas reuiſere, nunc verò ſalutare Prophetas, nunc ſenatui immiſceri Apoſtolorum, nunc Martyrum inſeri choris, ſed & beatarum Virtutum ſtatus & manſiones à minimo Angelorum vſque ad Cherubim & Seraphim, totâ mentis alacritate percurrendo luſtrare, prout quemque ſua deuotio feret.*

Symbolicè.

Symbolicè S. Anſelmus per foramina petræ, accipit benignam prouidentiam, miſericordiam & protectionem Chriſti, ad quam confugit, ſub eaque ſecura latet Anima ſancta.

Anagogicè.

Anagogicè S. Bernard. per petram & maceriam, eiúſque cauernam & foramina, accipit arcanum cæleſtis gloriæ Dei & Beatorum, in quo anima pia contemplando commoratur: Sic enim ait: *Duo liquet contemplationis genera eſſe, vnum de ſtatu & felicitate & gloriâ ciuitatis ſupernæ, quo vel actu, vel otio ingens illa cæleſtium ciuium occupata ſit multitudo. Alterum de regis ipſius maieſtate, æternitate, Diuinitate: illa in maceria; iſta in petra.* Et Origen. ſecutus Septuaginta: *Euocatur, ait, anima extra murum & vſque ad promurale perducitur, cùm abiiciens ea, quæ videntur & téporalia ſunt, contendit ad ea quæ non videntur, & æterna ſunt: Oſtenditur autem ei iter iſtud ſub velamine petræ agendum,* id eſt, ſub firmis & ſolidis Chriſti dogmatibus: *Chriſti ergo doctrinâ & fide ſi obtegatur anima & veletur, tutò poteſt ad illud peruenire ſecretum, vbi reuelatâ facie gloriam Domini contempletur.* Deinde pluribus interiectis ſubiicit: *Poſſumus adhuc de loco promurali etiam hoc addere, quod promurale ſinus ſit patris, in quo vnigenitus filius poſitus enarrat omnia Eccleſiæ ſuæ, quæcumque in ſecretis & abſconditis patris ſinibus continentur. Vnde & quidam ab eo edoctus dicebat: Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus, qui eſt in ſinu patris ipſe enarrauit. Illuc ergo vocat Sponſam ſuam Chriſtus, vt & de omnibus eam, quæ apud patrem habentur edoceat, ac dicat: Quia omnia vobis nota feci, quæ audiui à patre meo. Et: Pater, volo vt vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus.* Ioan. 12. 26.

Bernard. Origen. Ioan. 1. 18. Ioan. 12. 26.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

Cauerna, vterus Deiparæ: Iſai. 51. 1.

CHriſtus incarnatus eſt in cauerna maceriæ, id eſt, in abſcondito ventris virginalis, (iuxta illud Iſaiæ 51. 1. *Attendite ad petram vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci de qua præciſi eſtis*) & natus in foramine petræ, id eſt, in ſpelunca Bethleem, quæ exciſa erat ex petra iuxta illud: *Et reclinauit illum in præſepio, quia non erat ei locus in diuerſorio.* Lucæ 2. 7. Vnde S. Hieronym. Epiſt. 18. ad Marcellam, inuitans eam ad Bethleem, vbi ipſe cum S. Paula degebat: *Quo, ait, ſermone, quâ voce ſpeluncam Saluatoris exponam, & illud præſepe, quo infantulus vagiit ſilentio magis, quàm infimo ſermone honorandum.* Et poſt nonnulla: *Ecce in hoc paruo terræ* (Bethleem) *foramine calorum Conditor natus eſt, hic inuolutus pannis, hic viſus à paſtoribus, hic demonſtratus à ſtella, hic adoratus à magis,* &c.

Luc. 2. 7. Et Bethleẽ.

Et vterus Eliſabeth.

Rupertus hæc refert ad Ioannem Baptiſtam, qui in cauerna, id eſt, in vtero matris exiſtens, audiens vocem B. Virginis ſalutantis matrem Eliſabeth, exultauit in gaudio, quia per eam agnoſcẽs, amans, & adorans Chriſtum in eius vtero conceptum, à peccato originali expiatus eſt, ac repletus Spiritu ſancto.

Et ſepulchrũ Chriſti.

Denique per foramen petræ accipi poteſt ſepulchrum Chriſti, quod exciſum erat ex petra, è quo glorioſus reſurrexit. Hoc enim, æquè ac montem Caluariæ, vbi petræ infixa fuerat crux Chriſti, reliquáque loca, in quibus paſſus fuerat Chriſtus, crebrò deuotè viſitabat & obibat B. Virgo, vt in iis penè habitare videretur.

L x x. Ambroſ.

*Oſtende mihi faciẽ tuam; ſonet vox tua in auribus* (Septuag. *Auditam fac mihi.* S. Ambro. *Inſinua vocem tuam*) *meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Nyſſen. Philo, & Pſellus, cenſent hîc loqui Sponſam, poſcereque Sponſi præſentiam & colloquium. Tunc, inquit Philo, Chriſtus oſtendit faciem ſuam decoram, cùm Verbum caro factum eſt, & cùm transfiguratus eſt; ac vocem ſuam dulcem, cùm vocauit laborantes, reſtituit ſanitates, & peccata dimiſit. Verùm cæteri omnes aſſerunt hæc eſſe verba Sponſi ad Sponſam, qui optat & poſtulat, vt Sponſa faciem velatam, & velamine petræ obtectam retegat, ac nudam, clarámque oſtendat, ait Origen. vt in illa quaſi in ſpeculo imaginem ſuam repræſentatã Sponſus aſpiciat, ait Theodoret. vtque illam poliat, pingat & perficiat, & ad puram cæleſtium contemplationem traducat, vt vult Origen. iuxta illud: *Nos vero reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu.* 2. Corinth. 3. 18. Hiſce enim verbis Chriſtus euocat Apoſtolos timidos & latentes in Sion, vt in Pentecoſte faciem ſuam populo audacter oſtendant, illíque Euangelium prædicent, vti paulò antè dixi. Quod enim proximis amore Dei facimus, hoc Deo facimus,

2. Corinth. 3. 18.

facimus, iuxta illud Chriſti: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Matth. 25. Vnde S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 6. verſ. 6. legens: *Oſtende mihi faciem tuam, & inſinua vocem tuam,* quia *ſuauis eſt vox tua, & facies tua pulchra: Suauis,* inquit, *eſt vox: quia ore confeſſio fit ad ſalutem; & decora facies, quia non erubeſcit auctorem, non confunditur redemptore. Oſtendit ergo faciem ſuam, ſignaculum crucis præferens; & inſinuat vocem ſuam, authoritatem prædicationis aſſumens.*

Matth. 25.

Ambroſ.

Prædicatores ergo validi inſtar Apoſtolorum, prodeant in pulpitum ex foraminibus petræ, id eſt, ex ſolitudine orationis & meditationis paſſionis Chriſti, vt Chriſtum crucifixum intrepidè magno pietatis ardore & ſpiritu prædicent. Illi ergo oſtendant faciem ſuam; hoc eſt, Chriſti ſolius intuitu, non ſui lucri causâ prædicent, atque faciem à creaturis omnibus auertant, & ad vnum Deum per orationem conuertant, vt ab eo illuſtrentur, illique faciem, id eſt, conuerſationem ſuam conforment, ſicut Moyſes colloquens cum Deo in Sina, ab eo cornutam faciem, id eſt, cornua lucis faciei afflata accepit. Vnde Chald. vertit: *Oſtende mihi aſpectum tuum, & opera tua bona: Fac audire vocem tuam: quoniam vox tua ſuauis eſt in oratione in domo ſanctuarij modici, & aſpectus tuus pulcher in operibus bonis.*

Chald.

Sponſus ergo ab Eccleſia hîc poſcit ſibi exhiberi puritatem fidei & operum, quaſi faciem decoram; & prædicationem cæleſtis doctrinæ, quaſi vocem dulcem. Ita Caſſiodorus, S. Gregorius, Beda, Origenes, Theodoretus, Anſelmus, & alij. Audi S. Gregorium: *Quid enim per faciem, niſi fidem, qua à Deo cognoſcimur accipimus? Et quid per vocem, niſi prædicationem intelligimus? Sed præcipit Sponſus, vt ei Sponſa faciem ſuam oſtendat: quia quicumque ſe fidem dicit habere, neceſſe eſt vt in bonis operibus ſe exerceat, vt in operibus exterioribus fides interior innoteſcat: ſed & opera neceſſe eſt, vt vox prædicationis ſequatur: quia quicumque in ſanctis operibus perfectè ſe dilatat, conſequens eſt, vt ad eadem facienda proximos quoſque exhortetur. Ideo ſequitur: Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Tunc enim & vox placet & facies decoratur, quando & opera prædicatio ſequitur, & rurſum prædicationem bona opera comitantur.* Et Caſſiodorus: *Tuam,* ait, *faciem mihi oſtende,* quam in baptiſmo tibi dedi, & quando mundaui te ab omni peccato. *Vox tua,* dicit, *in auribus meis* ſonet, vt ex ſincera intentione dilectionis meæ procedat, vt non propter aliud prædices, niſi propter me. Aponius verò refert hæc ad Iudæos ab Apoſtolis conuerſos: *Ad Apoſtolorum doctrinam,* inquit, *quaſi de antro incredulitatis cœpit faciem ſuam Eccleſia, iam corde compuncta oſtendere Creatori, & quæ tanti piaculi collapſu fœdauerat faciem ſuam, Dominum Maieſtatis perſequendo, perfuſa ſanguine iuſti, quem ſuper ſe ſuâ effuderat voce, dicendo ſanguis eius ſuper nos, nunc conuerſa ad ſe dicit: Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis, &c. Sicque vox eius, quæ horridam, interclusam, impietatis raucedine amariſſimam, & lamentabilem reuocauerat vocem dicendo; Crucifige, crucifige; tali hauſtu & medicinali poculo ſanguinis, quem effuderant, Chriſti, ad canoram dulcedinem renouata eſt; confitendo ſe credere Deum, quem vt hominem ante Pilatum damnauerat.*

Facies decora, puritas fidei & operum.
Vox dulcis Prædicatio verbi diuini.

Gregor.

Aponius.

Symbolicè; facies decora ſignificat ſpeciem & decorem mentis ſanctæ conuerſantis cum Deo: Hæc enim eſt facies hominis non externa, ſed interna: Vox verò ſignificat pios mentis gemitus & ſuſpiria ad Deum: vtraque Deo gratiſſima & iucundiſſima eſt, adeò vt illâ ſe Deus paſcat & oblectet, iuxta illud: *Et gaudebit Sponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus.* Iſaiæ 62. 5. Vtraque facit prædicatorem potentem & efficacem. Audi S. Bernard. ſerm. 62. *Nam quantùm illi placeat cum puritate quidem mentis prædicatia veritatis, oſtendit cùm ſubinde infert: Vox enim tua dulcis. Quia enim non placeat, ſi diſpliceat facies, demonſtrat cùm illicò ſubdit: Et facies tua decora. Quid interna decor faciei, niſi puritas? In pluribus hæc abſque prædicationis voce complacuit, illa abſque iſta in nemine. Impuris non ſe veritas oſtendit, non ſe credit ſapientia. Quid ergo loquuntur, quam non viderunt? Quod ſcimus, inquit, loquimur, & quæ vidimus teſtamur. Id ergo tu audes teſtari, quod non vidiſti, & loqui quod ignoras? Quæris quem dicam impurum? Qui laudes requirit humanas, qui non ponit ſine ſumptu Euangelium, qui euangelizat vt manducet, qui quæſtum æſtimat pietatem, qui non requirit fructum, ſed datum.*

Symbolicè.

Iſai. 62. 5.

Bernard.

Porrò hæc optimè B. Virgini adaptat Rupertus: *Oſtende,* inquit, *mihi faciem tuam,* & oſtendendo corrige quod Eua peccauit, & abſcondit à me faciem ſuam in medio ligni paradiſi, ſcilicet in eodem, in quo peccauit; vtpote quæ in peccato ſuo ſibi complacuit, & peccatum ſuum defendit. *Non oſtendit mihi faciem ſuam,* cùm dicerem: Vbi es? non ſonuit vox eius in auribus meis, vox confeſſionis, quæ ſonare debuiſſet ſaltem cùm dicerem:

De B. Virgine.

rem:

Digitized by Google

rem: Quare hoc feciſti? ſicut & quando benedixi ei dicens: *Creſcite & multiplicamini*, non ſonuit vox in auribus meis: nullum enim cantauit canticum gratiarum actionis pro tam magno beneficio, quo illam conſtituebam matrem tantæ generationis, poſſeſſuræ tantam hæreditatem Regni Dei. Tu oſtende mihi, ſicut & oſtendis, faciem. Sonet vox tua in auribus meis, vox inquam confeſſionis & gratiarum actionis. Vox enim tua dulcis in eo, quòd columba mea es, & intenta foraminibus petræ; inſtar columbæ gemitum pro cantu habes, canendo gemis, gemendo canis: & ipſa exultatio, qua exultauit ſpiritus tuus in Deo ſalutari tuo, plena eſt gemitibus, plena lachrymis. *Facies* verò *tua decora*, quia magna eſt fides, magna eſt humilitas tua. Hæc ad verbum Rupertus, ſed nonnullis breuitatis ſtudio reciſis. Iam ad litteram Nicephorus ex S. Epiphanio lib 2. hiſtor. cap. 23. ita faciem S. Virginis depingit: *Facies non rotunda & acuta, ſed aliquanto longior*, &c. *Erat faſtus omnis expers, ſimplex, miniméque vultum fingens, nihil mollitiei ſecum trahens, ſed præcellentem humilitatem colens.* Similis fuit facies Chriſti: Chriſtus enim carens patre matriſſabat. Audi Nicephorum: lib. 1. cap. 40. *Non rotundam aut acutam habuit faciem, ſed qualis matris eius erat, paulùm deorſum verſus vergentem, ac modicè rubicundam; grauitatem atque prudentiam cum lenitate coniunctam, placabilitatémque iracundiæ expertem, præ ſe ferentem. Perſimilis denique per omnia fuit diuinæ & immaculatæ ſuæ genitrici.*

*Qualis vultus B. Virginis.* Nicephor.

*Et Chriſti.* Nicephor.

*Anagogicè.*

Anagogicè: hiſce verbis Chriſtus animam piam euocat è cauerna huius vitæ ad cæleſtem gloriam, vti ſuperiùs dixi: talis enim animæ facies depurata eſt ab omni labe, etiam veniali, ideóque decora: vox quoque dulcis, quia vox gratiarum actionis, exultationis, & iubili.

---

Verſ. 15. *Capite nobis vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas, nam vinea noſtra floruit,*

CAPITE *nobis vulpes paruulas*, quæ demoliuntur (Septuag. *quæ exterminant.* Symmach. *corrumpunt*) *vineas: nam vinea noſtra floruit.* Septuag. *& vinea noſtra κυπρίζουσι*, id eſt *germinant & florent inſtar cyprorum.* Arabicus: *Et vinea noſtra florebit*, captis vulpeculis quæ eas corrumpunt. τὸ *paruulas* referendum eſt ad *vulpes*, vt patet ex Hebræo, Græco & Vulgata. Quare mirum eſt Origenem, Philonem Carpathium & alios τὸ *paruulas* referre ad *vineas*. Iudæa abundat vulpibus, vt patet ex trecentis vulpibus, quas cepit Samſon. Iudic. 19. 4. Vulpes autem præ cæteris feris nocent vineis, tum quia eas ſuffodiunt & eradicãt, tum quia vuas deprædantur & depaſcuntur: paruulę autem vulpes cùm ſint petulcæ, nec ſatis habeant virium ad vites eradicandas, eas cùm teneræ ſunt & florent, vellicant, arrodunt, floréſque decerpunt, ac terram iuxta radices ſuffodiunt, vt vites humore deſtituantur, ac Soli expoſitæ eius radiis vrantur & exareſcant: Ad hæc paruæ vulpes grandiores factæ vites eradicabant. Inſuper vulpes paruulæ, vtpote inexpertæ facilè decipi capíque poſſunt, at grandiores factæ non ita: ſunt enim aſtutiſſimæ, iuxta illud: *Annoſa vulpes haud capitur laqueo.*

LXX. Symmach.

Arabic.

*Iudæa vulpibus abundat.*

*Vineis multùm nocent vulpes.*

Denique vulpes capi iubet cùm ſunt paucæ, & viribus infirmæ: vulpes enim in vere, cùm vineæ florent, generant: quare ſi tunc negligas eas capere & extirpare, valde ſoboleſcent & multiplicabuntur. Porrò Plinius lib. 23. c. 8. ſcribit vulpes amygdalis amaris necari: *Aiunt*, inquit, *ſi ederint eas, nec contingat è vicino aquam lambere, mori.* Chaldæus per vulpes intelligit Amalecitas, qui impedire conati ſunt progreſſum Hebræorum in terrã Sanctam, ideóque à Moſe & Ioſue capti & cæſi ſunt. Exodi 17.

*Amygdalis amaris necantur vulpes.* Plin.

# PRIMVS SENSVS

## *De Chriſto & Eccleſia.*

IVbet Chriſtus Eccleſiæ, id eſt, Apoſtolis, vt in prædicatione Euangelij & fundatione vinearum, id eſt, Eccleſiarum capiant vulpes paruulas, id eſt, Hæreticos iam tum ſubnaſcentes: hi enim ſubdolè quaſi vulpes fidem & Eccleſiam ſubuertunt: tales tempore Apoſtolorum fuêre Iudaïzantes, qui cum Euangelio volebant miſcere & obſeruare Circumciſionem, cæteráque legis veteris præcepta. Item Simon Magus primus Hæreſiarcha, Menander, Baſilides, Carpocras, Ebion, Gnoſtici, &c. Horum ergo fraudes & errores, cùm adhuc puſilli ſunt & in paucis hærent, detegi, atque argumentis, ait S. Bernardus, non armis reuinci & exterminari iubet, ne inualeſcant, totámque Eccleſiam inſtar fermenti peruadant & corrumpant. Ita S. Gregor. Caſſiod. Aponius, Origen. Beda, Theodor.

*Vulpes Hæretici.*

Theodor. S. Anſelm.& alij paſſim. Audi S. Auguſtinum, in Pſalm. 80. *Vulpes, inſidioſos, maximéque hæreticos fraudulentos ſignificant, doloſos, cauernoſis anfractibus latentes & decipientes, odore & tetro putentes. Contra quem odorem dicit Apoſtolus, Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco. Iſtæ vulpes ſignificantur in Canticis Canticorum, vbi dicitur: Capite nobis vulpes puſillas exterminantes vineas, latentes in cauernis tortuoſis. Capite nobis, conuincite nobis: capis enim eum, quem de falſitate conuincis.* Nam vt ait S. Bernard. *Cùm proditur dolus, cùm fraus aperitur, cùm conuincitur falſitas, rectiſſimè tunc dicitur capta vulpes puſilla, quæ demoliebatur vineas.* Sic Ezechiel. cap. 13. 4. *Quaſi vulpes*, inquit, *in deſerto, prophetæ tui Iſraël erant. Vident vana & diuinant mendacium, dicentes: Ait Dominus, cùm Dominus non miſerit eos.*

Auguſt.

2. Cor. 2. 14.

Bernard.

Ezech. 13. 4.

*Vulpes quomodo capiendæ.*
Auguſt.

Porrò quomodo capiendæ ſint hæ vulpes, id eſt, Hæretici, ſic docet S. Auguſt. in Pſal. 80. *Vulpes ſolent habere tales foueas, vt ex vna parte intrent & ex alia parte exeant. Ad vtrumque foramen captor vulpium retia poſuit. Dicite mihi, de cælo eſt an ex hominibus? Sentiunt illi eum ex vtroque parte tetendiſſe vnde caperet, & aiunt apud ſe: ſi dixerimus de cælo, dicturus eſt nobis, quare ergo non credidiſtis? Ille enim teſtimonium Chriſto perhibuit: ſi dixerimus de terra, lapidabit nos populus, quia vt prophetam habent.* Et paucis interiectis: *Videamus ſi & nos quaſdam vulpeculas capere poſſumus. Proponamus ad foramen vtrumque, vt vnde vulpes exire voluerit, capiatur. Verbi gratia, Manichæo facienti ſibi Deum recentem, & in corde ſuo ponenti quod non eſt, dicamus & interrogemus eum: Subſtantia Dei corruptibilis, an incorruptibilis eſt? Elige quod vis, exi quò vis, ſed non effugies. Si dixeris corruptibilis, non à populo, ſed à teipſo lapidaberis: Si autem dixeris incorruptibilem Deum, incorruptibilis quomodo timuit gentem tenebrarum? Quid facturo erat incorruptibili gens corruptionis?*

Notat Caſſiodorus & Beda poſt vineas in plurali, nominari vineam in ſingulari cùm ait: *Vinea noſtra floruit*, quia omnes Eccleſiæ particulares coëunt, & conflant vnam Eccleſiam communem & vniuerſalem.

Bernard.

*Triumphat de Deo amor.*

S. Bernard. ſer. 64. vrget τὸ *nobis*, cùm ait, *capite nobis vulpes. Poterat*, inquit, *dicere capite mihi, ſed maluit nobis, conſortio delectatus. O ſuauitatem, ô gratiam, ô amoris vim! Itáne ſummus omnium, vnus factus eſt omnium? Quis hoc fecit? Amor dignitatis neſcius, dignitate diues, affectu potens, ſuaſu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Quid tamen tam non violentum? Amor eſt. Quæ eſt iſta vis quæſo tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam? Denique ſemetipſum exinaniuit, vt ſcias amoris fuiſſe, quòd plenitudo effuſa eſt, quòd altitudo adæquata eſt, quòd ſingularitas aſſociata eſt.*

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

*Vulpes paruæ.*

1.
*Suggeſtiones fraudulentæ. Dæmonis, mundi, carnis.*

VVlpes ſunt ſuggeſtiones fraudulentæ, quas dæmon, caro, vel mundus animæ ſuggerit ſub ſpecie boni, vt eam ad malum inducat. Vitium enim palliat velo virtutis: Satanas enim transfigurat ſe in Angelum lucis 2. Corinth. 11. quare hæ illico dum oriuntur & paruulæ ſunt, capiendæ ſunt; vt earũ fraus, dolus, & error detegatur, ne adultæ & corroboratæ capi & euelli nequeant.

Notat Nyſſen. dæmones, qui hominem tentant non vocari leones, vrſos, tigrides, ſed vulpes, eáſque paruulas, quia paruæ & debiles ſunt eorum vires, vt ab homine generoſo & conſtante illico repelli & expugnari queant: armari ergo eos aſtutiâ vulpium: quare aſtutias haſce eorum ſolerter eſſe indagandas & diſſipandas. Addit S. Bernard. paruulas dici, quia ſuggeſtiones eorum ſunt ſubtiles, nec niſi iis, qui acutâ ſunt mẽte viſibiles.

Bernard.
*Iſta vinea mentis excolenda.*

Audi S. Bernardum, ſer. 63. *Viro ſapienti ſua vita vinea eſt, ſua mens, ſua conſcientia. Nil quippe incultum, deſertum in ſe ſapiens derelinquet.* Et poſt nonnulla: *Et bona vinea iuſti, imò bona vinea iuſtus, cui virtus vitis, cui actio palmes, cui vinum teſtimonium conſcientiæ, cui lingua torcular expreſſionis. Denique gloria noſtra hæc eſt, inquit, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Vides apud ſapientem vacare nihil? ſermo, cogitatio, conuerſatio, & ſi quid aliud eſt ex eo, quidni totum Dei agricultura, Dei ædificatio eſt, & vinea Domini Sabaoth? Quid denique illi de ſe perire poſſit, quando & folium eius non defluet? Cæterùm tali vineæ nunquam infeſtationes, nunquam inſidiæ deerunt. Nempe vbi multæ opes, multi ſunt & qui comedunt eas. Sapiens erit ſolicitus ſeruare vineam ſuam non minus quàm excolere, nec ſinet eam vorari à vulpibus.* Harum deinde vulpium ſer. 64. & 65. varia recenſet exempla, vti Monachi illius, qui è monaſterio abiit, vt parentes conuerteret, ſed ipſos non acquiſiuit & ſeipſum perdidit. Aliorum qui è Monaſterio abeunt, vt concionentur, aut vt ſibi ſoli viuant & Deo. Aliorum qui cum feminis conuerſantur pio prætextu, vt eas in ſpiritu inſtruant; ſed mox ſpiritus tranſit in carnem: nam vt ſermon. 65. prudenter ait S. Bernard.

Digitized by Google

S.Bernard. *Cum femina ſemper eſſe & non cagnoſcere feminam,nonne plus eſt quam mortuum ſuſcitare? Quod minus eſt, non potes, & quod maius eſt,vis credam tibi?*

Bernard.

2. *Vulpes paruula, Relaxationes Regula & diſciplina.*

Secundò, paruæ vulpes ſunt relaxationes regulæ & diſciplinæ in rebus paruis: v.g. cùm in monaſterio vel collegio diſſimulatur ruptura ſilentij, vſurpatio rerum paruarum non petitâ veniâ, leues inobedientiæ, &c. hæc enim niſi corrigantur, ſerpunt, creſcunt, & magnæ euadunt, vt tandem omnem regulam & diſciplinam euertant: Quare faciendum eſt quod monet ſapiens:

*Principiis obſta, ſerò medicina paratur,*
*Cùm mala per longas inualuêre moras.*

*Frigus corporis nocet vinea anima.*

Vnde S.Bernard ſerm.63. præter vulpes, frigus quoque noxium eſſe vitibus aſſerit: eas enim adurit & deſiccat: ſic frigus, id eſt, torpor obrepens Religioſo, virtutē eius adurit & ſiccat: Ex eo enim *Mox*, inquit, *vt in corpore ſolet euenire febricantibus, ſubit quidam animi rigor, & vigor lenteſcit, languor ſingitur virium, horror auſteritatis intenditur, timor ſolicitat paupertatis, contrahitur animus, ſubtrahitur gratia, protrahitur longitudo vita, ſopitur ratio, ſpiritus extinguitur, deferueſcit nouitius feruor, ingraueſcit tepor faſtidioſus, refrigeſcit fraterna charitas, blanditur voluptas, fallit ſecuritas, reuocat conſuetudo. Quid plura? diſſimulatur lex, abdicatur ius, fas proſcribitur, derelinquitur timor Domini. Datur poſtremò impudentia manus, præſumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpiſſimus, plenus ille ignominiâ & confuſione ſaltus de excelſo in abyſſum, de pauimento in ſterquilinium, de ſolio in cloacam, de cœlo in cœnum, de clauſtro in ſaculum, de paradiſo in infernum; Principium & originem huius peſtis; & vel quâ arte vitetur, vel quâ ſuperetur virtute, non eſt huius temporis demonſtrare.*

Bernard.

3. *Vulpes paruula detractores, ſuſurrones, adulatores.*

Bernard.

Tertiò, paruæ vulpes ſunt detractores & ſuſurrones, æquè ac adulatores, qui vineas, id eſt, cœtus & ſocietates diſſociant, ac fidelium animas ſubuertunt. Ita S.Bernard.ſerm.63. *Peſſima vulpes*, ait, *occultus detractor; ſed non minùs nequam adulator blandus; cauebit ſapiens ab his; Dabit operam ſanè, quod in ipſo eſt, capere illos, qui talia agunt, ſed capere beneficiis atque obſequiis monitiſque ſalutaribus, & orationibus pro his ad Deū; Non ceſſabit eiuſmodi carbones ignis congerere ſuper caput maledici, & item ſuper adulatoris quouſque ſi fieri poteſt, & illi inuidiam, & iſti ſimulationem de corde tollat, faciens mandatum Sponſi dicentis, Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.*

## TERTIVS SENSVS

*De Christo & B. Virgine.*

*Herodes ambo, vulpes.*

HErodes Aſcalonita fuit vulpes, volens doloſè occidere Chriſtū. Vnde miſit in Bethleem Magos, vt ipſi locum natiuitatis Chriſti explorarent, eúmque ad ſe referrent: fingebat enim ſe quoque velle Chriſtum adorare, vt hac ratione eum caperet & necaret; ſed illuſus fuit à Magis, dum ipſi reſponſo cælitus accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam regreſſi ſunt in regionem ſuam. Matth.3. Vnde huius Herodis Aſcalonitæ filius Herodes Antipas, vulpini æquè ac pater ingenij, à Chriſto vocatur vulpes: *Ite*, inquit, *dicite vulpi illi*: Lucæ 13.31. Ita Rupertus: Luc. 13.32. *Nonne videtis*, inquit, *quòd teneros palmites fera iſta* (ferus Herodes) *momordit*, Rupert. *quòd infantes beſtia crudelis occidit in Bethleem Iuda Ciuitate Dauid? Capite, capite, nam vinea noſtra floruit*, &c. *Fructus eius adhuc flos & nondum botrus eſt, nondum maturuit, & idcirco damnoſum nimis eſt huiuſmodi ad vineam, vel florem eius ſuccidi, vel demoliri. Creſcat priùs & de flore proueniat fructus, condatur Euangelium, & cognoſcatur de ſignis & virtutibus veniſſe Sanctum Sanctorum, atque hoc erit florem veniſſe in fructum & maturuiſſe botrum. Tunc ſi fuerit ſucciſus huiuſmodi botrus, cuſtodiatur, atque in vecte crucis portetur, vt experimento Reſurrectionis & dulcedinis eius cognoſcatur, qualis terra, quale ſit regnum eius, ad quod non pertinent vulpeculæ iſtæ, quæ vineas demoliuntur.*

---

Verſ. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia.*

HEBR. *qui paſcit in liliis*, hoc eſt, qui paſcit oues in paſcuis liliorum copiâ, colore & odore præſtātibus. Chald. vertit: Hebr. *In illo tempore conuerſi ſunt in pœnitentia: Tunc ſtetit Moſes propheta, & orauit coram Domino, & Ioſue miniſter eius accinctus eſt, & egreſſus eſt de ſub alis nubium gloria Domini, & cum eo viri iuſti, qui ſimiles ſunt roſæ in operibus ſuis, & inierunt prælium contra Amalec, & confregerunt illum & populum eius in nomine Domini, qui occidit & contriuit eos in ore gladij.* Chald.

PRIMVS

Digitized by Google

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

CAſſiodorus & Beda cenſent Sponſam hìc precari, q.d. Vtinam Dilectus meus mihi ſit vel adſit, & ego illi: vtinā dilectus meus dignetur mihi coniungi glutino charitatis, & ego illi coniungar vinculo obedientiæ, ubtemperans præceptis eius, ait Caſſiodor. Verùm cæteri omnes cenſent Sponſam hîc non optare, ſed aſſerere & affirmare: Dilectus meus mihi eſt & ego illi ſum, iuxta ſenſum, quem iam dabo.

A verſ. 8. & 10. hucvſque Sponſa deliquium amoris paſſa in lectulo recubās, retulit verba Sponſi, quibus Sponſam ad ſe in agrum & vineam ad labores pro ſalute animarum euocat, tenerúmque pariter erga eam teſtatur amorem: Nunc Sponſa in ſua perſona loquens, amorem amori rependit, ſeſéque promptam vt Spunſo vocanti pareat, & in vineam ad labores exeat, oſtendit, aítque: *Dilectus*

Dilectus meus mihi, & ego illi quid?

*meus mihi, & ego illi*; quia ſicut ille *paſcitur inter lilia*, ſic & ego liliorum, id eſt, candoris & puritatis ſum ſtudioſiſſima: *dilectus meus mihi*, ſubaudi totum ſe tradidit: vnde & *ego illi* auidè me totam tradā, imò reipsâ trado. Illi vni vaco, ſeruio, & placere ſatago. Quare quod ipſe vult, hoc & ego volo: ipſe vult vt à lectulo ad agrum, ab utio ad negotium trāſeam, idipſum & ego volo: ipſius enim velle & nolle, meū

Symmach.

velle & nolle eſt. Symmach. vertit in genitiuo: *& ego eius*. q.d. Ego tota ſum Spōſi, ſicut Sponſus totus eſt meus, adeóque ipſe eſt id, quod ego ſum, vt non tam duo, quàm vnus idémque eſſe videamur. Amicus enim eſt alter ego: & amātes vnum quaſi habent cor, vnámque animam. Anima enim amantis magis eſt vbi amat, quàm vbi animat, puta magis eſt in amato, quàm in ipſo amante. Hinc ciuiliter Sponſus & Sponſa cenſentur vna eadémque perſona, iuxta illud: *Erunt*

Epheſ. 5.

*duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Epheſ. 5. ſicut enim eſſentia matrimonij conſiſtit in mutuo coniugum ad coniugium conſenſu: ſic coniunctio Chriſti & Eccleſiæ, velut Sponſi & Sponſæ, conſiſtit in mutuo amore & myſtici coniugij conſenſu, quòd ſcilicet Chriſtus non aliam amet, velítque habere Sponſam, quàm Eccleſiam, & Eccleſia viciſſim alium non amet, nec velit habere Sponſum, quàm Chriſtum: ex quo deinde ſequitur mutuus conuictus, ac mutua obſequia & officia per omnem vitam: hæc omnia ſignificat *τὸ dilectus meus mihi, & ego illi*. q.d. Quia Chriſtus dilexit me prior vt Sponſam, hinc ego viciſſim diligo eum vt Spunſum, imo dilectio eius præuênit meā, eiúſque eſt cauſa: ideo enim ego diligo ipſum, quia ipſe prior me diligens, ſuum mihi inſpirauit amorem per gratiam præuenientem, iuxta illud: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro*

Epheſ. 5.

*ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam.* Epheſ. 5. Abite ergo malæ vulpes, quæ Eccleſiam à Chriſto ſeparare per dolos conamini: Ego enim Eccleſia Chriſto Sponſu meo ſeruo fidem, vt nullum præter eum diligam; ille viciſſim mihi ſeruat fidem, vt nullam præter me habeat dilectam; nullam aliam velit habere Sponſam.

S. Bernard. ſerm. 68. notat Sponſam, ſcilicet Eccleſiam & animam Sanctam hæc dicere abſente Sponſo Chriſto, dicere inquam, non adoleſcentulis, ſed ſibi ipſi, atque ex abundantia affectus, non tam loqui, quàm eructare amoris copiam, ideóque verba eius eſſe trunca, manca, imperfecta ac ſupplenda hoc modo: Dilectus meus mihi, ſcilicet totus intendit, & ego illi viciſſim tota intendo. *Ille mihi*, inquit S. Bernardus, *quia benignus & miſericors eſt; ego illi, quia non ſum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratia; ego illi gratiam pro gratia. Ille meæ liberationi, ego illius honori. Ille ſaluti meæ, ego illius voluntati. Ille mihi & non alteri, quoniam vna ſum columba eius; ego illi & non alteri.* Et anteriùs hanc Chriſti dignationem admirans excla-

Idem.

mat: *Quàm admirabile eſt, quòd illius intentionem iſta ſibi quaſi propriam vendicat, dicens: Dilectus meus mihi? Nec eo contenta tamen pergit amplius gloriari, reſpondere ſe illi, quaſi ex æquo morem gerere, rependere vicem. Sequitur enim: Et ego illi. Inſolens verbum, Et ego illi: Nec minus inſolens, Dilectus meus mihi; niſi quod vtroque inſolentius, vtrumque ſimul. O quid audet cor purum & conſcientia bona, & fides non ficta! Mihi, inquit, intendit. Itáne huic intenta eſt illa maieſtas, cui gubernatio pariter & adminiſtratio vniuerſitatis incumbit, & cura ſæculorum ad ſola transfertur negotia, imò otia amoris & deſiderij huius? Ita planè.*

1. Tim. 2.

*Ipſe enim eſt in Eccleſia electorum, de quibus Apoſtolus: Omnia, inquit, propter electos, & cui dubium, quòd gratia & miſericordia Dei ſit in ſanctos eius, & reſpectus in electos illius? Ergo prouidentiam cæteris creaturis non negamus, curam Sponſa vindicat ſibi.*

Idem S. Bernard. ſerm. in feſto Natiuit. B. Mariæ ſub finem ait, hiſce verbis ſignificari luctam amoris, qua Sponſus cum Sponſa luctatur, vincit, & vincitur.

Huc accedunt expoſitiones aliorum Patrum: Nyſſeni, quæ talis eſt: *Vidi facie ad faciem eum, qui ſemper manet, & qui* Nyſſen. *propter me ex ſorore meâ Synagogâ, in humana natura eſt exortus, & in eo requieſco, & fio eius habitaculum.* Philonis Carpathij: Dicit Eccleſia, inquit: *Dilectus meus mihi*, id eſt, ipſe mihi ſapientiam dat, & ego illi cor dabo: ille mihi de cælis ſapientiam, ego verò illi de gentibus, fidei, ſpei & charitatis fructum rependam. Sentio enim me ab illo vehementer amari, ob ídque firmiſſimè ipſi ſemper adhæreo. Theodoreti: Sicut Sponſus me omnibus prætulit: Sic ipſum ego omnibus antepono, cum alio coniungi non patior. Ab iſtis, qui vulpes & fraudulenti vocantur, abhorreo; abſurdum enim eſt me, quæ tantoperè dilecta atque ornata ſum, amanti in amore pro viribus non reſpondere. His ſimile videtur id, quod 1. Cor. 6. ab Apoſtolo ſcriptum eſt: *Corpus autem non fornicationi, ſed Domino, & Dominus corpori.* Iuſti Orgelitani: *Habet Chriſtus Eccleſiam in ſuo corpore, & Eccleſia Chriſtum* Iuſt. Orgel. *in ſuo capite, quæ connexio, quia diſſociari non poteſt, meritò dixit: dilectus meus mihi.*

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

ANima ſancta dicit Chriſto, inquit Theodoretus: *Dilectus meus mihi viuit; & ego illi viuo, non mihi*, vt ait S. Paulus. Theodor. Aponius verò: *Dilectus meus mihi, ait anima ſancta, præſtat gratiam vocationis, redēptionis inſigne, adoptionis clariſſimam libertatem.* Aponius. *Et quid ego illi? Voluntatis obedientiam, conſeruandæ integritatis ſtudium, quod indidit per naturam. Quid ille mihi? Singulare conſeruandæ virginitatis exemplum, naſcendo per Virginem. Et quid ego illi? Singularem lætitiam denuo naſcendo per baptiſmum, in toto corde meo ſeruando præcepta, Angelicam, cæleſtémque imitando naturam, vt intactum corpus redeat ad paradiſum, quod intacto de vtero matris induxerat naſcendo in mundum. Nam ſicut Diabolus cruentâ iracundiâ, & execrando cœno libidinis ſaginatur: ita & Chriſtus miſericordiæ, manſuetudinis & caſtimoniæ liliis paſcitur.* Breuiùs S. Gregor. & clariùs exponit, q. d. *Dilecti mei amicitiam conſtanter teneo, quia eius conſtantem beneuolentiam erga me ſentio: quia dum* Gregor. *eius benignitatem familiarem habeo, durum mihi eſt quicquid ei aduerſum; inimicos latrantes audio, & dum in eius aſſiduitate qualis ſit video; ſi quid erroris proferunt aduerſarij, à veritate, quam in eius viſione cognoui, non recedo.*

Denique amor Chriſti virgo eſt, quia ad vnum Chriſtum totus purè & virgineè dirigitur, iuxta illud Pauli: *Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* 2. Cor. 11. 2. Corinth. 11.

Quærit S. Bernardus ſerm. 69. cùm Chriſtus ſit Sponſus multarum, imò omnium animarum ſanctarum, quomodo cuilibet totus intendat? ac reſpondet: *Quomodo Chriſtus omnibus & cuilibet totus intēdit?* *Primò quidem, quòd habeat in natura ſimpliciſſima Sponſi diuinitas, quaſi vnum reſpicere multos, & quaſi multos vnum. Nec ad multitudinem multus erit, nec ad paucitatem rarus, nec ad diuerſitatem diuiſus, nec reſtrictus ad vnum, nec anxius ad curas, nec perturbatus ſeu turbulentus ad ſolicitudines: Sic ſanè vni intentus, vt non detentus, ſic pluribus, vt non diſtinctus.*

Exemplum appoſitum eſt in anima rationali: Hæc enim tota amat, informat & animat omnes & ſingulas corporis ſui partes, ita vt tota ſit in corpore, & tota in ſingulis eius partibus: ſic enim Deus totum ſuum amorem omnibus, & totum dat ſingulis ſanctis. Addit deinde Bernard. Chriſtum ad animam, quam ſibi deſpondet, ſecum adducere Patrem & Spiritum Sanctum, vt pariter ipſi ſibi animam deſpondeant, iuxta illud: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Ioan. 14. 23. *Quid eſt*, inquit Bernardus, *venire ad animam Verbum? Erudire in ſapientia.* Ioan. 14. 23. *Quid eſt Patrem venire? Afficere ad amorem ſapientiæ, vt dicere poſſit: quia amatrix facta ſum formæ illius.* Bernard. Sapient. 8. *Patris diligere eſt, & ideo Patris aduentus ex infuſa dilectione probatur.* Signa deinde aduentus Verbi & Patris ſubiicit: *Si ſenſero*, inquit, *aperiri mihi ſenſum, vt intelligam ſcripturas, aut ſermonem ſapientiæ quaſi ebullire ex intimis, aut infuſo lumine deſuper reuelari myſteria, aut certè expandi mihi quaſi quoddam largiſſimum cæli gremium, & vberiores deſurſum influere animo meditationum imbres, non ambigo Sponſum adeſſe.* *Signa aduētus Dei in animam.* *Verbi ſiquidem hæ copiæ ſunt, & de plenitudine eius iſta accepimus. Quod ſi ſe pariter infuderit, humilis quædam, ſed pinguis intimæ aſperſionis deuotio, vt amor agnitæ veritatis neceſſarium quoddam odium vanitatis in me generet & contemptum, aut ne fortè ſcientia inflet, aut frequentia viſitationum extollat me; tunc prorſus paternè ſentio agi mecum, & patrem adeſſe non dubito: ſi autem perſeuerauero huic dignationi, dignis ſemper, quod in me eſt, affectibus*



Digitized by Google

*bus & actibus reſpondere, & gratia Dei apud me vacua non fuerit, etiam manſionem apud me faciet, tam Pater enutriens, quàm Verbum erudiens.* Quærit deinde, vnde Anima ſciat Sponſum totum ſibi intendere, vt dicere audeat: *Dilectus meus mihi*, ac reſpondet, id ſcire ex eo, *quòd ſe diligere, & vehementer diligere ſentit, etiam diligi nihilominus vehementer non ambigit, ac de ſua ſingulari intentione, ſolicitudine, curâ, operâ, diligentiâ ſtudióque, quo inceſſanter & ardenter inuigilat, quemadmodum placeat Deo, æquè hæc omnia in ipſo indubitanter agnoſcit, recordans promiſſiones eius: In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis* Matth. 7.

Bernard.

Matth. 7.

Et poſt nonnulla: *Nec dubitat ſe amari, quæ amat. Ita eſt. Amor Dei amorem animæ parit, & illius præcurrens intentio intentam animam facit, ſolicitudóque ſolicitam. Neſcio enim quâ vicinitate naturæ, cùm ſemel reuelatâ facie gloriam Dei ſpeculari anima poterit, mox illi ſe conformari neceſſe eſt, atque in eandem imaginem transformari. Igitur qualem te paraueris Deo, talis oportet appareat tibi Deus. Cum ſancto ſanctus erit, & cum viro innocente innocens erit. Quidni æquè ac tum amante amans, & cum vacante vacans, & cum intento intentus, & ſolicitus cum ſollicito?* De hoc Sponſæ & Sponſi ſpirituali connubio ciúſque fructibus, ita ſcribit Laurent. Iuſtin. lib. de caſto connubio Verbi & Animæ c. 25. p. 318. H *Ibi iuge celebratur conuiuium, & vitulus ſæpiſſimè comeditur ſaginatus. Pax in illo guſtatur interna: ſecura tranquillitas, tranquilla felicitas, iucunditas magna, fides ſerena, amabilis ſocietas, oſcula vnitatis, contemplationis delectatio, ſuauitas in Spiritu ſancto. Ibi cæli ianua eſt, & paradiſi porta. Sponſa frequenter de thalamo aſcendit in cælum, & de cælo iugiter Sponſus deſcendit in thalamum. Non pauida, non de ſalute incerta ingreditur Sponſa in ſupernorum manſiones, ſed tanquam in dilecti domum & in propriam poſſeſſionem. Vt enim illam emeret, vendidit ſua, & tradidit egenis; vt illam lucraretur, pugnauit in tentationibus: pugnauit cum ſpiritibus nequam, quotidieque pugnat contra ſe. Non temerariè, ſed confidenter in atria intrat Sponſi. Nam etſi aliàs aduena illius ſanctæ fuerit ciuitatis, nunc verò ciuis effecta eſt Sanctorum, & Sponſa Verbi: cui ex amoris priuilegio, omnia quæ ſunt Sponſi debentur. Amor quippe verus, nil priuatum habet, nil proprium: ſua, ſéque gratanter impertitur: eâ quoque lege, eadémque charitate, quâ largitur propria, vtitur alienis. Ex amoris igitur mutui exuberantia, tanta eſt inter Verbum & animam familiaritas, loquutionis fiducia, gloriæ certitudo, & conditionis inconſideratio.* Tritum eſt illud Comici: *Omnis amans, amens.*

Bernard.

Spiritalis Connubij deſcriptio.

Laurent. Iuſtinian.

*Cornel. à Lapide, in Cant. Canticorum.*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

BEata Virgo dicere poterat Chriſto: Tu ſolus mihi es filius vnicè dilectus, & ego tibi ſum Mater (imò & quaſi Pater) dilectiſſima, qui paſceris inter lilia Virginitatis meæ & Ioſephi mariti mei: ex hoc enim virginali coniugio decebat te naſci, quaſi Virginitatis filium, imò Ducem & Anteſignanum. Hoc eſt quod ait Iſaias c. 7. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*, id eſt, *nobiſcum Deus*. Ita Rupert. Audi S. Anſelmum, lib. de Excellentia Virginis c. 4. *Amorem*, inquit, *quem Pater & Mater ſinguli debent filio ſuo, amorem etiam, quem debet filius ſimul ſuo patri & matri, ille filius verè virginis, ſuæ debet ſoli matri. Nam ſicut alij filij naſcuntur ex patre & matre, ita filius eius natus eſt ex ea ſola matre. Excedit itaque omnes amores parentum in filios, aut filiorum in parentes amor iſtius matris in filium ſuum, & iſtius filij in matrem ſuam.*

Iſaiæ 7.

Anſelm.

*Maternus Amor B. Virginis in filium.*

Rurſum Guerricus Abbas ſerm. 2. de Aſſumpt. *Veni* inquit, *electa mea, & ponam in te thronum meum. Communicaſti mihi quòd homo ſum, communicabo tibi quòd Deus ſum.* Et B. Petrus Damiani ſerm. 2. de Natiuit. recenſitis tribus modis, quibus Deus eſt in qualibet Creatura, ſubiicit: *Quarto modo ineſt vni creaturæ, videlicet Mariæ matri, identitate, quia idem eſt cum illa. Hic taceat, & contremiſcat omnis creatura, & vix audeat aſpicere tantæ dignitatis immenſitatem. Habitat Dominus in Virgine, cum qua vnius naturæ habet identitatem.*

Guerric. Abb.

Petr. Damian.

Denique S. Bernard. ſerm. 71. *Mihi*, inquit, *adhærere Deo bonum eſt. Bonum planè ſi omni ex parte adhæſeris. Quis eſt, qui perfectè adhæret Deo, niſi qui in Deo manens tanquam dilectus à Deo, Deum nihilominus in ſe traxit diligendo? Ergo cùm vndique inhærent ſibi homo & Deus; inhærent autem vndique intimâ & mutuâ dilectione inuiſcerati alterutrum ſibi: Per hoc Deum in homine, & hominem in Deo eſſe haud dubiè dixerim.* Hoc præ omnibus competit B. Virgini. Idem S. Bernard. ſerm. 29. *Sagitta electa eſt amor Chriſti, quæ Mariæ animam, non ſolùm confixit, ſed etiam pertranſiuit, vt nullam in pectore virginali particulam amore vacuam relinqueret, ſed toto corde, totâ animâ, totâ virtute diligeret & eſſet gratiâ plena.* Hæc Bernard. Et Hugo de S. Victore, cuius verba refert S. Thomas opuſc. 8. *Quia in corde Virginis*, inquit, *amor Spiritus ſancti ſingulariter ardebat, ideò in carne mirabilia faciebat, in tantum quod de ea naſceretur*

Bernard.

Idem.

Hug. Vict. S. Thom.

*ſceretur Deus & homo. Luc. 1. Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.*

Cauſam dat S. Bernardus: *Quid mirum,* inquit, *ſi Maria præ omnibus diligit, quæ eſt præ omnibus dilecta?* Plures alias cauſas dat Sophron. ſerm. de Aſſumptione: *Cogitate,* inquit, *& perpendite quantis afficiebatur B. Virgo doloribus poſt Chriſti ad cælos aſcenſum: conſiderate, quo cruciebatur amore, quóue deſiderio æſtuabat hæc virgo, dum reuolueret animo cuncta quæ audierat, quæ viderat, quæ cognouerat! quanto indeſinenter cremabatur ardore pij amoris: quantis mouebatur repleta Spiritu ſancto cæleſtium ſecretorum incitamentis: quia ſi diligebat Chriſtum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente; nouis tamen quotidie inflammabatur præſētia abſens deſideriorum affectibus: tantò ſiquidem validius quantò diuinis illuſtrabatur intùs viſitationibus, quam totam repleuerat Spiritus ſancti gratia, quam totam incanduerat diuinus amor, ita vt in ea nihil eſſet mūdanus quod violaret affectus, ſed ardor continuus & ebrietas perfuſi amoris eius, qui illius erat & Dominus & filius. Fortaſsis ergo præ nimio amore in loco, quo ſepultus dicitur, habitaſſe eam credimus, quatenus piis paſceretur internus amor obtutibus, non quòd iam viuentem quæreret cum mortuis, ſed vt ſuis conſolaretur aſpectibus, & quem genuerat mentis complectebatur amplexibus. Amor Chriſti deſiderium pariebat, deſiderium verò gliſcens quaſi nouis reparabatur ardoribus.*

Bernard.

Sophron.

*Qui paſcitur inter lilia.* Pro *lilia*, Hebr. eſt שׁוֹשַׁנִּים *ſchoſchannim*, quod Chaldæus & Hebraizantes nonnulli vertunt *Roſas*, vti dixi ſuperiùs. Symmach. vertit *flores*. Hebr. eſt *qui paſcit in liliis. Paſcit*, ſcilicet tam oues, quàm ſeipſum, hoc eſt, *paſcitur*, vt vertit Noſter; quanquam *paſcitur* ſubinde ſumitur pro *paſcit*, quaſi ſit verbum generis Deponentis. Septuag. ποιμαίνων, id eſt, *paſtorem agens in liliis.* Symmach. *Et ego eius, paſcentis flores*, id eſt, qui paſcit oues inſtar candicantium liliorum candidè. Poſſet quoque ex Hebræo verti, *qui paſcit lilia*, id eſt, alit, fouétque Virgines, æquè ac virginitatem & cæteras virtutes, vel *qui paſcitur liliis*, id eſt, oblectatur virginibus æquè ac virtutibus. *Paſcitur* verò *inter lilia*, hoc eſt, paſcitur in paſcuis lætiſſimis ac pulcherrimis, qualia ſunt, quæ liliis inter herbas florentibus decorantur. Hebr. רֹעֶה *roï* & Græcum ποιμαίνειν, id eſt, paſcere, ſiue paſtorem agere, notat Chriſtum circa Eccleſiam, & Animas fideles, omnia boni paſtoris munia ſedulò obire, ſcilicet illam tenerè amare, pabulum procurare, familiariter illi adeſſe, educere ad paſcua, & reducere, cibare, potare, curare, regere, à lupis & furibus defendere, etiam cum vitæ ſuæ periculo, ac cætera paſtoris officia præſtare, quæ deſcribit Pſaltes Pſal. 22. & Chriſtus Ioan. 10. Chriſtus ergo & paſcit, & paſcitur inter lilia, id eſt, inter caſtas, puras, & ſanctas animas, præſertim virgines: paſcit illas ſuâ doctrinâ, exemplo, gratiâ, ſacramētis, imò ſeipſo in Euchariſtia. Audi S. Ambroſ. in Pſal. 118. ſerm. 14. verſ. 1. *Bona paſcua diuina ſunt ſacramenta. Carpis illic nouum florem, qui bonum odorem dedit Reſurrectionis: carpis lilium, in quo ſit ſplendor æternitatis: carpis roſam, hoc eſt, Dominici corporis ſanguinem. Bona etiam paſcua libri ſunt ſacrarum ſcripturarū, in quibus quotidianâ lectione paſcimur, in quibus recreamur ac reficimur, cùm ea quæ ſcripta ſunt deguſtamus, vel ſummo ore libata frequentius ruminamus. His paſcuis grex Domini ſaginatur. Bona etiam Chriſti paſcua, qui paſcit in liliis, hoc eſt in ſplendore ſanctorum.* Addit Nyſſen. *Hic eſt paſtor bonus, qui non fœno paſcit gregem, ſed Spiritu ſancto, per liliorum puritatem & odorem ſignificato.* Accedit Theodoret. qui paſcua Chriſti cenſet vocari lilia, quia candida ſunt, pinguia, ſuauia, & odorata inſtar liliorū. Idem tamen inferiùs ait Chriſtum paſcere inter lilia, cùm per ſanctos Doctores ſuas leges puriſſimas promulgat.

Hebr.
Chald.

Symmach.

LXX.

*Chriſtus paſcit, & paſcitur inter lilia. i. Animas caſtas, & puras.*

Ambroſ.

Nyſſen.

Rurſum Chriſtus, non tantùm actiuè paſcit, ſed & paſſiuè paſcitur inter lilia, id eſt, oblectatur puris & caſtis mentibus, præſertim virginibus, earumq; puritate, virginitate, & virtutibus. Ita S. Gregorius, Caſſiodor. Beda, Iuſtus, Anſelmus, cæteríque Latini: *Quid per lilia*, ait S. Gregor. *niſi mundæ animæ deſignantur? quæ dum caſtitatis candorem retinent, per bonæ famæ opinionem proximis quibuſque ſuauiter olent. Inter lilia Sponſus ergo paſcitur, quia procul dubio animarum caſtitate delectatur, quæ & in ſe munditiam carnis conſeruant, & per nitidas cogitationes coram eo placent, & exempla proximis quaſi odoris ſuauitatem donant.*

Gregor.

Hinc illud S. Ambroſij, quod vſurpat Eccleſia in officio Virginum:

*Qui paſcis inter lilia,*
*Septus choreis Virginum,*
*Sponſas decorans gloria.*

Ambroſ.

Chriſtus ait S. Bernard. ſerm. 70. quà Deus, regnat ſuper ſidera; quà homo paſcitur, non lilia, ſed inter lilia. *Nam qui in altiſſimis eſt Dominus, in imis eſt dilectus, ſuper ſidera regnans, & inter lilia amans.* Deinde lilia hæc myſtica eſſe docet veritatem, manſuetudinem, iuſtitiam, cæteráſque virtutes, ſed duas præſertim, continentiam ſcilicet & innocentiam,

Bernard.

inter

Digitized by Google

inter haſce enim paſcitur & oblectatur Chriſtus, iuxta illud Pſalm. 44. *Procede*
Pſalm 44. *& regna propter veritatem, manſuetudinem & iuſtitiam.* Nempe *quot virtutes, tot lilia*, inquit Bernard. *Quis finis virtutum apud Do-*
Bernard. *minum virtutum? Quod ſi plenitudo virtutum in Chriſto, & liliorum; & fortaſſis propterea ipſe*
*Lilia Chriſti.* *ſe lilium appellauit, quòd totus verſetur in liliis, & omnia quæ ipſius ſunt, lilia ſint: conceptio, ortus, conuerſatio, eloquia, miracula, ſacramenta, paſſio, mors, reſurrectio, aſcenſio. Quid horum non candidum & non ſuauiſſimè redolens? Tanta denique in conceptione refulſit ſuperni luminis claritas de ſuperuenientis abundantia ſpiritus, vt ne ipſa quidem virgo ſancta ſuſtinuiſſet, ſi non ſibi obumbratum foret à virtute Altiſſimi. Porrò ortum candidauit incorrupta virginitas matris, conuerſationem innocentia vitæ, eloquia veritas, miracula puritas cordis, ſacramenta pietatis arcanum, Paſſionem patiendi voluntas, Mortem libertas non moriendi, Reſurrectionem Martyrum fortitudo, Aſcenſionem exhibitio promiſſionum.*

*Lilia, pura legum obſeruantia.* Idem ſerm. 71. docet Chriſtum paſci inter lilia, id eſt, inter puram legum ſuarum obſeruantiam: *Ergo*, inquit, abſque
Bernard. Pſalm. 44. liliis *nunquam eſt, qui abſque vitiis ſemper eſt: quia totus & ſemper eſt candidus, ſpecioſus formâ præ filiis hominum. Tu ergo qui hæc audis, vel legis, cura habere lilia penès te, ſi vis habere habitatorem liliorum habitantem in te. Opus tuum, ſtudium tuum, deſiderium tuum, lilia eſſe proteſtentur, moralis quidam rerum ipſarum candor atque odor. Habent & mores colores ſuos, habent & odores*, &c. *Colorem operi tuo dat cordis intentio, & iudicium conſcientiæ, odorem fama*, Et pluribus interiectis: *Sponſus itaque, & cùm ſit virtus, in virtutibus complacet ſibi; & cùm ſit lilium, libenter inter lilia commoratur; & cùm ſit candor, delectatur candidis. Et fortaſſis hoc eſt quod dicitur paſci inter lilia, candore & odore virtutum delectari; Et quidem paſcebatur olim corporaliter apud Mariam & Martham, & recumbens etiam corpore inter lilia (illas loquor, nam lilia erant) nihilominus ſpiritum refocillabat deuotione & virtutibus mulierum.*

*Idem Chriſto, paſcere, & paſci.* Docet deinde idem in Chriſto eſſe paſcere, quòd paſci, quia ipſe paſcit nos ſuâ gratiâ & virtutibus, iiſdémque paſcitur & oblectatur: *At paſcens*, inquit,
Idem. *ita puto, nihilominus paſcitur ipſe, & quidem eſcis quibus libenter veſcitur, profectibus noſtris. Etenim gaudium Domini fortitudo noſtra. Ita ergo, & cùm paſcit paſcitur, & paſcitur cùm paſcit, ſimul nos ſuo gaudio ſpirituali reficiens, & de noſtro æquè ſpirituali profectu gaudens. Cibus eius pænitentia mea, & cibus eius ſalus mea, cibus eius ego ipſe*, &c. *Mandor cùm arguor, glutior cùm inſtituor, decoquor cùm immutor, digeror cùm transformor, vnior cùm conformor.*

*Cornel. à Lapide in Cant. Canticor.*

Idem S. Bernard. ſerm. in Natiuit. B. Mariæ ſub finem aliter explicat: *Attende*, inquit, *quòd locum non cibum indicare videtur, nec quibus paſcitur exprimit Sponſa, ſed inter quæ.* Idem.
*Fortè enim non cibo, ſed conſortio paſcitur liliorum, nec liliis veſcitur, ſed in illis verſatur: nimirum odore potiùs, quàm ſapore lilia placent, & viſui magis ſunt apta, quàm eſui. Cæterùm etſi iuſtus germinet ſicut lilium, ſed non ad lilium Sponſus paſcitur, nec in ſingularitate complacet ſibi. Audi denique inter lilia commorantem: Vbi, inquit, fuerint duo* Matth. 18. 20.
*vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Amat ſemper medio Ieſus, diuerticula ſemper & reclinatoria reprobat filius hominis, Dei & hominum mediator.*

Porrò paſcit Chriſtus animas diuerſimodè, quamque iuxta ſuam inclinationem, ſtatum, & diſpoſitionem; *Chriſtus quemque paſcit pro ſuo ſtatu.*
quare ſubditis dat obedientiam, Superioribus prudentiam regendi, Virginibus amorem virginitatis, Coniugatis affectum caſtitatis coniugalis, & robur ad ferendum mores coniugis, filiorum, & ſeruorum à ſuis diuerſos: Martyribus dat inuictam in tormentis conſtantiam; Doctoribus acumen docendi, Prædicatoribus efficaciam prædicandi: Diuitibus impulſum ad eleemoſynas, Pauperibus ad tolerantiam, &c.

---

Verſ. 17. *Donec aſpiret dies & inclinentur vmbræ. Reuertere, ſimilis eſto, dilecte mi, capreæ, hinnulóque ceruorum ſuper montes Bether.*

D*ONEC aſpiret dies, & inclinentur.* (Septuag. *moueantur*, Lxx.
id eſt, amoueantur) *vmbræ.* Refer ad id, quod præceſſit: *Dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia*, licet nonnulli referant ad id, quod ſequitur *Reuertere ſimilis eſto*, &c. vt mox dicam. Nota τὸ *aſpiret dies.* Solet enim manè oriente luce & die ſuauis aſpirare aura, quam efficit calore ſuo ſol oriens in aurora, quaſi in auræ rore: hic enim vapores frigore noctis collectos reſoluit & commouet, ex iiſque flatus & ventos efficit: quare minus rectè Theodoret. exponit, q. d. *Donec aſpiret dies*, id eſt, donec ardor diei prætereat, & ros ſalutis aſpiret. Iam

Primò, nonnulli per diem accipiunt Euangelium, per vmbras legem vete-



Digitized by Google

*Dies & vmbra quid. Reſp.* 1. rem, quæ typus & vmbra fuit Euangelij, q. d. Apparente luce Euangelij euaneſcent vmbræ, id eſt, obſeruantiæ & ceremoniæ typicæ legis veteris. Ita Iuſtus Orgelit. & S. Auguſt. orat. contra Iudæos, cap. 6.

2. Secundò, alij per diem accipiunt claram cognitionem veritatis & æternitatis: hanc enim adepta anima ſancta fugat, & pellit à ſe vmbras vanitatis rerum temporalium. Ita Nyſſen.

3. *Genuinè.* Tertiò & genuinè, per diem accipe futuram vitam & gloriam, per vmbras pręſentis vitę tenebras & ærumnas, q.d. Chriſtus paſcitur inter lilia, id eſt, verſatur inter puras animas quamdiu durant vmbræ huius vitæ. Nam vbi aſpirauerit & illuxerit dies gloriæ, verſabitur inter beatos in ſplendoribus ſanctorum. Si enim in valle lachrymarum paſcitur inter lilia, inter quæ & quanta paſcetur in die nuptiarum & gloriæ ſempiternæ? Chriſtus nunc me paſcit inter lilia caſtitatis & gratiæ, at vbi aſpirauerit dies felicitatis, paſcet me inter lilia claritatis & gloriæ: tunc amor ſponſi abſentis vertetur in gaudium & fruitionem præſentis, tunc mutabitur fides in ſpeciem, ſpes in rem, charitas in claritatem, ærumna in gloriam, mors in vitam, corruptio in incorruptionem, luctus in iubilum. Ita S. Gregorius, Caſſiodor. Beda, S. Bernard. & cæteri. Hîc ergo anima pia amore corporis preſſa gemit, & ſuſpirat, donec aſpiret dies æternitatis beatæ, & inclinentur vmbræ miſeræ mortalitatis. *Hic* Gregor. *quippe nox eſt*, ait S. Gregor. *ibi verò dies erit: quia hîc in viſione veritatis caligamus, ibi Deus ipſe tota veritas mentibus elucebit* Porrò S. Bernard. ſerm. 71. ait Chriſtum in hac vita paſci liliis, id eſt, virtutibus, quia hîc mixtæ ſunt, rudes & imperfectæ; in cælo iis potari, quia ibi erunt liquidæ, defæcatæ, ſubtiles, & perfectæ.

Nonnulli cum noſtro Sanchez cenſent τὸ *inclinentur vmbræ*, eſſe periphraſin veſperæ: in ea enim poſt meridiem ſole declinante inclinant vmbræ, iuxta illud Virgil.

Virgil. *Maioréſque cadunt altis de montibus vmbræ.*

Aquila. Vnde & Aquila pro *donec aſpiret dies* vertit, *donec ceſſet dies*: veſpera enim, dum ceſſat dies, aſpirat flatus & ventos. Vnde Plinius. Plinius lib. 2. cap. 47. *Sol*, ait, *& auget & comprimit flatus: auget exoriens occidénſque.* Ariſtot. Et Ariſtot. in Problem. ſect. 25. quæſt. 4. *Flatus*, inquit, *vel ortu ſolis, vel obitu incipit.* Virgil. Hinc Virgilius: *Aſpirant auræ in noctem.* Vnde ex Hebræo verti poteſt *donec expiret*, id eſt, finiatur *dies*: Verba enim Hebræa ſunt ſimplicia, ideóque ſumuntur pro omnibus compoſitis, vtpote quibus Hebræi carent, יפוח *iaphuach* ergo ſignificat *ſpiret, aſpires, perſpiret, reſpiret, expiret*, & hoc ſignificat Græcū διαπνεύσῃ apud Septuag. q.d. Toto die, id eſt, toto tempore huius vitæ *dilectus meus mihi, & ego* LXX. *illi*, idémque toto hoc tempore *paſcitur inter lilia.* Verùm noſter aptiùs vertit *aſpiret*: dum enim aſpirat dies, finiuntur vmbræ & tenebræ nocturnæ. Quocirca magis appoſitè S. Gregor. & alij paſſim cenſent per vmbram hîc intelligi noctem: nox enim vmbroſa eſt & mera quaſi vmbra, quæ inclinatur, id eſt, deficit, & vt Hebr. eſt *fugit*, id eſt, euaneſcit, oriente in aurora ſole, ſed ſenſim & pedetentim; quò enim magis aſcendit ſol, eò magis minuuntur vmbræ, adeo vt in meridie ferè nulla ſit vmbra. Rurſum oriente ſole aſpirat dies, non occidente: tunc enim expirat & finitur.

Symbolicè S. Bernard. ſerm. 71. per *Symbolicè. Dies, viſio beatifica: vmbra, dæmones.* vmbras accipit dæmones, qui electis in die iudicij & beatis inclinabuntur, id eſt, ſubdentur, ac tanquam victi victoribus ſubiicientur. Idem rurſum per diem accipit viſionem beatificam, per quam omnes vmbræ errorum, ſimulationum, ignorantiarū diſpellentur. Denique addit cumulum felicitatis æternæ ſignificari per τὸ *aſpiret*: *Ergo*, inquit, *is cumulus aſpirantis erit diei. Ipſa inquam adiecies ad* Bernard. *menſuram inſpiratæ plenitudinis, ad inſpirātis diei copiam ſupra modum in ſublime pondus gloriæ operans, ita vt redundet in corpora ſupereffluens clarificationis adiectio. Hac de cauſa enim non ſpirans, ſed aſpirans dicta eſt, quòd addat ad inſpirantem, hoc ſignificante Spiritu ſancto per adiectam (ad) præpoſitionem: quia quos illa intus illuminat, hos iſta adornat foris, & ſtolâ gloriæ induit eos.* Et poſt nonnulla: *Cùm igitur duo in nobis præcedant dies, vnus quidem inſpirans pro corporis vita; alter verò reſpirans in ſanctificationis gratia; porrò tertius ſuperſit aſpirans in reſurrectionis gloria; claret profectò aliquando adimpletum iri in corpore, quod præceſſit in capite, magnum vtique pietatis ſacramentum, & Prophetæ teſtimonium, qui ait: viuificabit nos poſt duos dies,* Oſee c. 6. *in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius.*

Porrò diſpunctio, quæ eſt in Bibliis Hebræis, cuius auctor non eſt Salomon, ſed Rabbini poſteriores ſiue Maſoretæ, hæc verba, *donec aſpiret dies & inclinentur vmbræ*, cōnnectit cum eo quod ſequitur: *Reuertere, ſimilis eſto dilecte mi*: atque hæc connexio

connexio commoda quoque eſt, commodóſque dat ſenſus, vt patet ſenſus iam dandos intuenti, cum iiſque hæc verba, *donec aſpiret dies*, combinanti.

*Reuertere, ſimilis eſto, dilecte mi, capreæ, hinnulóque ceruorum ſuper montes Bether.*

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

*Varij hîc ſenſus.*

VArij hîc à variis aſſignantur ſenſus. Primus eſt, q.d. Sponſa: Video te, ô Sponſe mi, delectari paſcendis gregibus in ſyluis & montibus, quales ſunt montes Bether: ibi enim paſceris inter lilia, eóque me inuitas & euocas dicens: ſurge, *propera amica mea*: vt tuo ergo æquè ac meo animarum zelo ſatisfacias feſtinus & velociter, inſtar capreæ & hinnuli *reuertere*. Hebr. סב *Sob*, id eſt, circuito, luſtrato & viſitato greges noſtros, puta fideles Chriſtianos, qui paſcuntur in Bether, id eſt, in diuiſione, hoc eſt, in diuiſis locis, & particularibus Eccleſiis per totum orbem diffuſis habitant, ac paſce eos tuâ ſanctâ doctrinâ, gratiâ, conſolatione, inſpiratione, Sacramentis, &c. Ita Theodor. & tres Anonymi apud ipſum, Pſellus & Philo Carpathius, qui cenſent hîc obſecrare Sponſam, vt Spōſus ad paſcua reuertatur, vt omnes fideles eius conſpectu fruantur atque illuſtrentur, iiſque ipſe ſuam ſuauitatem & amorem impertiat.

Secundus planior & plenior eſt, q. d. Sponſa: Permitto quidem, imò cupio, ô Sponſe, vt fideles noſtros toto orbe diffuſos viſites, inſtruas, robores, perficias, ſed velim id fieri expeditè & velociter, vt per eos decurras celeriter, inſtar capreæ vel hinnuli, hoc fine, vt iis viſitatis illicò ad me reuertaris: ego enim tui præſentiam intimè deſidero, nec eâ ſatiari queo: atque magis decet Sponſum Sponſæ, id eſt, Chriſtum Eccleſiæ vniuerſali, quàm particularibus Eccleſiis adeſſe & aſſiſtere. Hūc ſenſū exigit τὸ *reuertere*, vt vertit Noſter & Septuag. reſpicit enim ad id, quod dixit v. 8. *Vox dilecti mei: Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles*, vt illico ad me iam ex amore deliquium paſſam aduolet, ſuſtētet, méque mihi reſtituat: quare *Similis eſt dilectus meus capreæ hinnulóque ceruorum.* Ita S. Bernard. Beda & alij. Audi S. Bernard. qui hîc notat amoris impotentiam neſcire impudentiam: Sponſam enim reuocare illico Sponſum, cui paulò antè abeundi dederat facultatem. *Intempeſtiua*, inquit ipſe ſerm. 74. *reuocatio magni vnius amoris, magna alterius amabilitatis indicium eſt.* Et ſerm. 73. *Amor intemperans facit hoc. Nempe is eſt, qui omnem in ſe triumphans captiuánſque pudoris ſenſum, conuenientiæ modū, deliberationis conſiliū, totius modeſtiæ & opportunitatis neglectum quendam, & quandam incuriam parit. Nam vide nunc quomodo illum penè adhuc incipientem ire, iam tamen redire flagitat. Etiam accelerare rogat, & quidem currere, inſtar vnius alicuius feræ ſyluarum velociter currentis, verbi gratiâ, capreæ hinnulíue ceruorum. Hic litteræ tenor, & hæc Iudæorum portio.*

*Bernard.*

*Quinam ſunt Montes Bether?*

Quæres, qui ſunt montes Bether? Reſp. eſſe montes Bethel (vti vertit Arabicus) vbi Iacob vidit ſcalam è terra in cælum porrectam, per quam aſcendebāt & deſcendebant Angeli ad Deum Scalæ innixum, ideóque locum oleo inungens conſecrauit, vocauítque Bethel, id eſt, domum Dei. Geneſ. 32. Montes verò Bethel dicuntur montes Bether, id eſt, diuiſionis, quia diuiſi ſunt & diffiſſi, vt plures intermedias contineant cauitates & valles, ac conſequenter plures quaſi montes in varios colles diſſectos, ita vt capreæ ex vno in alium ſaliant: Vnde à Septuag. vocantur montes κοιλωμάτων, id eſt, *concauitatum*. Nonnulli legunt κυκλωμάτων, id eſt *circuitionum*, id eſt, montes ad quos non eſt facilis acceſſus, ſed diu eos per anfractus circuire opus, antequam ad culmen peruenias: tales enim quærunt capreæ & hinnuli, vt à venatoribus ſint ſecuri. S. Ambroſ. lib. 3. de Virgin. legit cum Syro, *Montes aromatum*; ſic enim vocantur hîc c. 8. v. vlt. nam hi montes aromatibus abundant. Audi Adrichom. in deſcript. terræ ſanctæ pag. 16. n. 43. *Bethel, ſeu Bether montes ſunt fæcundi, nemoroſi & arboribus conſiti, gramine & herbis aromaticis pleni, & ideo cerui, capreæ, & hinnuli illorum cacumina frequentant, de quibus in Canticis.*

*Bether eſt Bethel, vnde.*

*Adrichom.*

Symbolicè ergo montes Bethel vel Bether, aptè repræſentant Eccleſiam vniuerſalem in varias particulares diuiſam & diſtinctam: Eccleſia enim eſt *mons domus Domini in vertice montium.* Iſaiæ 2. 2. quia ſuâ fide, ſpe, doctrinâ, conuerſatione & contemplatione cæleſti ſuperat omnes ſectas Iudæorum, Hæreticorum, Gentilium, adeóque iam non in terra, ſed in cælis cum beatis degere videtur, iuxta illud: *Noſtra conuerſatio in cælis eſt.* Philipp. 3. 20. Quocirca hi montes peculiariter repræſentant monaſteria &

*Iſai. 2. 2.*

*Bethel eſt Monaſterium.*

1. Collegia Religioſorum: primò, quia
monaſterium & clauſtrum eſt *Bether*, id
eſt, locus diuiſus & ſeparatus à conſor-
2. tio ſæcularium. Secundò, quia montes
Bether ſunt ardui & aſperi, ac cauitati-
3. bus & ſalebris interrupti. Tertiò, ſicut
capreæ & hinnuli ad præruptos & inacceſſos hoſce montes fugiunt, vt tuti ſint à canibus & venatoribus: ſic pariter Religioſi fugiunt ad clauſtra, vt ibi à mundi tentationibus & periculis ſint ſecuri & ſemoti. Ibi ergo Chriſtus paſcitur inter lilia puritatis, quæ naſcuntur in montibus Bether, id eſt, ſeparationis, orationis, & contemplationis. Huc facit verſio Chaldaica, quæ de Sanctis Patriarchis ſic exponit: *Et voluit Dominus diſperdere eos de ſæculo, niſi ſubiiſſet memoria orationis iuramenti ſui, quod iurauit in verba ſuo Abraham, Iſaac, & Iacob, qui erant velociſſimi in cultu tuo, ſicut caprea & hinnulus ceruorum: & etiam oblationis, quâ obtulit Abraham Iſaac filium ſuum in Monte Moriah: & ante hæc detulerat illi oblationes ſuas, & diuiſerat eas æqualiter.*

Chald.

Hinc Philo Carpath. per mõtes conuallium, vt vertunt Septuag. intelligit ſanctos, & iuſtos eminentes. hi enim ſunt montes per virtutis excellentiam, quâ ſupra mundum & mundana omnia eminent; ſunt & valles per humilitatem, quâ humiliter doctrinã & gratiam Dei, ceu pluuiam è cælis valles, excipiunt. Sic & Ambroſ. ſerm. 14. in Pſal. 118. Tres verò Anonymi apud Theod. per *montes conuallium* accipiunt Doctores, qui diſcipulis, ſicut montes vallibus, longè eminent & excellunt, q. d. *Te illis ſimilem præſta veniens in magiſtras animas, quæ inter diſcipulas perturbationum fluctibus depreſſas montium inſtar excellunt, vbi ipſarum opera propellas & fuges beſtias illas peſtiferas, quæ naturalem rudium animarum æqualitatem excauant, in eiſque ſibi latebras conſtituunt, atque ita illis priſtinam æqualitatem redde.* Ex aduerſo Theodor. & Nyſſen. hom. 6. per montes conuallium accipiunt ſuperbos inter humiles, q. d. ait Nyſſen. *Vide vt caprea, qui aſpicis cogitationes hominum: dele peccati generationem, ſicut hinnulus delet ſerpentes. Curre quàm celerrimè diuinum Verbum ad montes conuallium: Quicquid enim extollitur aduerſus veritatem, eſt barathrum, & non mons; concauitas, & non aſſurgens faſtigium. Si adhuc accurreris, omnis vallis implebitur, & omnis mons huiuſmodi humiliabitur.* Huc accedit S. Anſelmus, qui putat Eccleſiam hîc orare Chriſtum, vt iuuet ſe laborantem in conuerſione infidelium: *Reuertere*, inquit, id eſt, *condeſcende iſtis, & aſpira eos interius, quia aliter labor noſter erit infructuoſus: Reuertere & ſimilis eſto capreæ*, &c. *Natura capreæ hinnulique eſt, vt licet in ſummitate mõtium habitent, deſcendant tamen in colles, vt ab inferioribus videantur. Cùm enim Chriſtus habitet in montibus, id eſt, in eminentibus propter virtutes, rogatur deſcendere ex ipſis, & per ipſos ad cognitionem inferiorum.*

Sancti ſunt Montes per virtutis eminẽtiam, & valles per Humilitatem.

3. Patres.

Nyſſen.

Anſelm.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

CHriſtus ſubinde videtur abire ab Anima ſancta, vel ob eius defectus & lapſus veniales, vel vt eius fidem & conſtantiam probet, vel vt ſui deſiderium in ea adaugeat, animámque in ſpiritu promoueat & perficiat, dum eam ſine guſtu, ſine conſolatione, ſine lætitia aridam & ſiccam relinquit, in deſolatione, perſecutione, tentatione, triſtitiâ, obſcuritate, ſimilive afflictione animæ vel corporis. Quare anima hoc ſtimulo puncta ardentiùs ad Spõſum Chriſtum ſuſpirans, eius reditum, opémque inclamat: Reuertere ad me, ô dilecte mi, & inſtar capreæ vel hinnuli velociter accurre, vt me conſoleris, adiuues, robores, confirmes, promoueas.

Addit Noſter Sanchez, quòd anima pia edocta multa ſe amori impedimenta oppoſuiſſe, & infirmitatis ſuæ conſcia, ſibi ipſi parum fidens, oret Sponſum, vt quamuis vagetur ſuper montes Bether, id eſt, inter ſalebras & anfractus & mille alia impedimenta, quæ ad omnia officia pronum & feſtinantem retardare potuerint; ferat nihilominus hæc patienter; & quo eſt animo ad hæc perferenda planè indomito, & lenitate ad condonandum planè admirabili, deuoret has moleſtias, tranſiliat hæc obſtacula, ac tandem quamuis per *Bether*, id eſt, *confragoſa* atque aſpera, ad ſe tamen rectà, feſtinatóque perueniat.

Et Luyſius Legion. Poſtulat, inquit, anima fidelis, cùm inclinantur vmbræ, id eſt, inclinato iam ad occaſum die, & irruentibus periculorum, tentationúmque tenebris, ſibi auxilietur, nullâ morâ interpoſitâ. *Similis*, inquit, *eſto capreæ, hinnulóque ceruorum.* Quod ſine metaphora propriè & literatè Dauid dicebat: *Domine ad adiuuandum me feſtina*, & rurſus: Pſalm. 69.
*Domine accelera, vt eruas me.* Quódque non Pſalm. 10.
ſolùm cauſâ incitandi Deum, & vt auxilium ferre maturet efficiendi, ab Spõſa dicitur, ſed etiam quo nos admoneat vt in

Digitized by Google

vt in ipſo ſtatim prauæ cogitationis initio, vt primùm mala libido ſubire animum cœpit, ad primos hoſtis aſpectus, imò verò ad primos rumores atque ſuſpiciones belli, antequàm ob negligentiam, turbarum in nobis atque tumultus aliquid oriatur, attollamus ad cælum oculos, & ad Deum cor noſtrum penitus conuertamus, illud cum lachrymis iterantes: *Reuertere, dilecte mi, ſimilis eſto capreæ hinnulóque ceruorum*, ſalutémque illi noſtram ardentiſſimè commendantes, vt acceleret, atque feſtinet liberare nos, non à malo ſolùm, ſed etiam à ſuſpicione mali ab ipſo petamus. Huc accedit Caſſiodor. qui exponit, q. d. O Chriſte, qui per carnem, quam paruulus vt hinnulus aſſumpſiſti, velut caprea aſcendiſti in cælorum ſublimia, nos tuâ conſolatione & gratiâ viſita, illuſtra, & lætifica.

*Quomodo Deus viſitet animam.*

28 Porrò quomodo Deus animam ſanctam viſitet, docet S. Bernard. ſerm. 74. idque ex experientia, qua in ſua anima crebrò hanc Dei viſitationem ſenſiſſe ſe aſſerit: *Viuum, inquit, & efficax eſt* (Verbum Dei, putà Christus) *mòxque vt intus venit, expergefecit dormitantem animam meã; mouit, & molliuit, & vulnerauit cor meum, quoniam durum, lapideúmque erat & male ſanum. Cœpit quoque euellere, & deſtruere; ædificare, & plantare; rigare arida, tenebroſa illuminare, clauſa reſerare, frigida inflammare, necnon & mittere praua in directa, & aſpera in vias planas, ita vt benediceret anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. Ita igitur intrans ad me aliquoties Verbum Sponſus, nullis vnquam introitum ſuum indiciis innoteſcere fecit, non voce, non ſpecie, non inceſſu.* Et poſt nonnulla, quæ in hanc rem interiicit, ſubiicit: *Ex reuolutione & reformatione ſpiritus mentis meæ, id eſt, interioris hominis mei, percepi vtcumque ſpeciem decoris eius, & ex contuitu horum omnium ſimul expaui multitudinem magnitudinis eius. Verùm quia hæc omnia vbi abſceſſerit Verbum, perinde ac ſi olla bullienti ſubtraxeris ignem, quodam illico languore torpentia & frigida iacere incipiunt: atque hoc mihi ſignum abſceſſionis eius, triſtis ſit neceſſe eſt anima mea, donec iterum reuertatur & ſolitò recaleſcat cor meum intra me, idque ſit reuerſionis indicium.*

Bernard.

Secundò, Aponius ait Sponſum diſcedere, cùm Sponſæ, id eſt, animæ peccata caſtigat; reuerti, cùm pœnitentiâ placatus ei reconciliatur: *Prolongatio*, ait, *Christi in Eccleſia tunc eſt, quando ad caſtigandam plebem tribulationem induci permittit, Reuerſio autem eius eſt, dum precibus inclinatus ad miſericordiam, ad veſtigia pietatis ſuæ velociùs recurrit, quàm proſiluerat vindicando, ſimilis factus curſus vel conſuetudini capreæ, hinnulique ceruorum, quorum natura eſt, voce ante ſe in montibus reſonante poſt tergum emiſſâ, dum obuium ſibi opinantur occurrere quidpiam, ad locum, vnde abſceſſerant, velociori curſu reuerti. Et hæc eſt cauſa, vt exaſperatæ ab hoſtibus conſuetam nolint derelinquere ſedem, ſicut & Chriſtus quamuis prouocatus & exaſperatus peccatis hominum, pietatis tamen non dereliquit conſuetam ſedem.*

Aponius.

*Myſticè, de Chriſti Aſcenſione. Iuſt. Orgel.*

Myſticè, Iuſtus Orgelitan. cenſet hîc ſignificari aſcenſum Chriſti in cælos: *Dum dilectum*, inquit, *Eccleſia inſinuat regredi, ſimiléмque capreæ & hinnulo dicit, Chriſti in cælos Aſcenſionem mundis & velocibus animalibus comparandam demonſtrat. Hæc enim celeri curſu montium altiora tranſiliunt: ſupergreſſus eſt autem Chriſtus omnia excelſa, & bene additur ſuper montes Bethel, id eſt, domus Dei, quia ſuper ſanctos omnes eleuatus eſt.* Aponius verò cenſet hîc Eccleſiam orare, vt Chriſtus mortuus à morte reſurgat: *Super montes Bethel*, inquit, *quod eum reuerti precatur, in cuius finibus Chriſtus crucifixus eſt, velocitatem reſurrectionis die tertiâ celebrandam prophetaſſe monſtratur.*

Aponius.

*Tropologicè.*

Tropologicè, Beda æſtimat hîc animam piam ad perfectionem tendentem poſtulare, vt Chriſti ſibi cæleſtis felicitatis prægustum exhibeat: *Obſecro*, inquit, *ò generoſi inſtructione reuertaris ſæpius ad illuſtranda ſublimius corda perfectorum; & ſicut caprea, aut hinnuli ceruorum rarus quidem, ſed cum delectatione conſpicientium in montibus ſolet eſſe intuitus: ſic in excelſis mentibus veſtigia tuæ magnitudinis qualiacumque præſentes. Precor vt dulcedinem vitæ immortalis, quam membris omnibus meis in retributione promittis, aliquibus etiam in itinere, quaſi à longè ſpeculandam reueles. Congruit autem & nomen montium mentibus eorum, qui contemplationi cæleſtium oculos cordis aperire didicerunt, cùm dicitur ſuper montes Bether, quod domus conſurgens, ſiue domus vigiliarum interpretatur.*

Beda.

*Anagogicè.*

Anagogicè S. Gregor. cenſet hîc animam piam rogare Chriſtum, vt citò veniat ad iudicium, vt in eo ipſa cum piis gloriam; impij, qui pios affligunt gehennam conſequantur. *A nobis*, inquit, *dilectus tunc corporaliter abiit, quando poſt Reſurrectionem in cælos aſcendit: tunc autem reuertetur, quando in fine mundi reſuſcitatis omnibus hominum corporibus, in iudicio manifeſtabitur: Hanc manifeſtationem hîc petunt animæ ſanctæ; Tunc Chriſtus verè ſimilis capreæ & hinnulo ceruorum apparebit ſuper montes Bethel,* quia

Gregor.

*quia in eadem humanitatis forma ad iudicium veniet, quam ab Eccleſia, quæ per capream deſignatur ſumpſit; quando in hoc mundo ex patrum progenie, quaſi hinnulus ceruorum humilis natus fuit; tùmque ſuper omnes ſummos; qui quaſi montes excellunt in Eccleſia, quæ domus Dei eſt, ſublimior eminebit.* Similia habet S. Bernard. ſerm. 73.

## TERTIVS SENSVS

### *De Chriſto & B. Virgine.*

*Poſtulat B. Virgo, ne Chriſtus tres dies integros maneat in ſepulchro.*

RVpertus cenſet B. Virginem hîc poſtulare à Chriſto iam mortuo, vt reſurrectionem ſuam velut hinnulus acceleret, nec triduum integrum, id eſt, 72. horas maneat in ſepulchro, ſed illud decurtet, vt poſt 33. horas illico reſurgat: *Citò reuertere*, inquit, *noli moras facere, quia anima mea deſiderat te,* &c. *Tridui quidem tempus breue eſt, ſed dilectæ & Columbæ tuæ deſideranti, & gementi vulneratâ mente, non ſatis, Dilecte mi, feſtinatum eſt. Abbreuia hoc ipſum triduum, & ſimilis eſto in reuertendo capreæ & hinnulo ceruorum, id eſt, velociſſimus eſto ad peragendum curſum tuum. In corde terræ, id eſt, in ſepulchro tuo, non totum expendas triduum. Sufficit ad complendam veritatem Scripturarum, ſi partem exiguam primi diei, id eſt, tres horas nouiſſimas, & partem aliquam tertij, ſcilicet ſex horas, quod eſt dimidium noctis, cum die ſecundo, id eſt, cum Sabbato, iacens in ſepulchro tranſegeris. Nam tres integri dies horæ ſeptuaginta duæ ſũt. Hoc eſſet nimis longum.* Subdit deinde aliam rationem numericam: *Sufficiunt horæ triginta tres, qui numerus ex duobus ternariis, deceno & ſingulari compoſitus eſt. Beatam Trinitatem, cui primus homo peccauit, in te, & per te, & de teipſo, Dilecte mi, caro mea & ſanguis meus, Deus meus & Dominus meus, placare oportet: ſed hoc fiat celerrimè & multum feſtinanter, ſicut caprea, ſiue hinnulus ceruorum in montibus celerrimus eſt: ſecundùm nomen tuum, quo per Prophetam iuſſus es vocari, accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari. Vix igitur expectatis triginta tribus horis, Reuertere ſuper montes Bethel, id eſt, reſurge & appare principibus domus Dei, ſcilicet Apoſtolis tuis & mihi, cuius maximè ſicut & illorum, imò & multò plus quàm illorum, tu es grande deſiderium.*

Rupert.

Idem Rupert. cenſet B. Virginem hîc orare pro conuerſione ſuæ gentis, puta Iudæorum: *Reuertere*, inquit, *Similis eſto capreæ ſuper montes Bethel; id eſt, prope patres domus Dei; hoc enim interpretatur Bethel.* q. d. Miſerere Iudæorum, ipſi enim ſunt filij Abrahæ & Sanctorum Patriarcharum, qui fuêre Bethel, id eſt, domus, familia & Eccleſia Dei. Rurſum Iudæi ſunt montes Bether, id eſt, diuiſionis & ſeparationis, quia per ſuperbiam diuiſerunt & ſepararunt ſe à fide Patriarcharum, qui in Chriſtum venturum crediderunt, & conſequenter à Deo, ab Eccleſia, à cælo, à ſalute, & omni bono. Similiter B. Virgo etiamnum orat pro peccatoribus, qui velut montes Bether per peccatum ſuperbè ſepararunt ſe à Deo, Deique gratiâ. q. d. Reuertere, ô Dilecte, ad animam olim tuam, quæ nunc à Diabolo tyrannicè poſſidetur: inſpice velut caprea lynceis oculis miſerrimam eius ſeruitutem & tyrannidem, quâ opprimitur à Diabolo, ac velut hinnulus ceruorum; qui halitu ſuo extrahunt necántque ſerpentes, teſte Plinio lib. 8. cap. 32. ab animarum harum cauernis educ Tartareos, non tam ſerpentes, quàm Dracones immanes, qui habitant in montibus Bether, id eſt, in ſuperbia diuiſionis, puta in cordibus ſuperbis, æquè ac in inferno, vbi ob ſuperbiam à Deo & cælo diuiſi & diſſecti ſunt in omnem æternitatem.

Rupert.

*Iudæi, montes Bether .i. diuiſionis.*

CAPVT

# CAPVT TERTIVM

## SYNOPSIS

*Sponſa in lectulo quærens Sponſum, nec inueniens, circuit vicos ac tandem inuenit, nec dimittit. Inde Sponſus* Verſ. 5. *vetat eam ſuſcitari. Mox* Verſ. 6. *Inchoatur Actus tertius Dramatis, quo obuiantes Sponſæ eam laudant, comparántque myrrhæ, thuri, & aromatibus. Sponſum verò* Verſ. 7. *à robore ſtipatorum, ac* Verſ. 8. *à ferculo cedrino, argenteo, & purpureo. Denique* Verſ. vltimo *iubentur filiæ Sion oculos à ferculo ad Sponſum coronatum, qui ferculo vehebatur, conuertere. Primis ergo quinque verſibus Salomon pergit deſcribere & finire adoleſcentiam creſcentis Eccleſiæ; à verſu verò 6. & deinceps deſcribit Eccleſiæ quaſi virilem ætatem & perfectionem, vti dixi in Proœmio.*

Vers. 1. IN lectulo meo per noctes quæſiui quẽ diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni.

2 Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni.

3 Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem: Num quem diligit anima mea, vidiſtis?

4 Paululùm cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea: tenui eum; nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

5 Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas, ceruóſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.

6 Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?

7 En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël:

8 Omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi: vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.

9 Ferculum fecit ſibi rex Salomon de lignis Libani:

10 Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum: media charitate conſtrauit propter filias Ieruſalem:

11 Egredimini & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.

Verſ. 1.

Verſ. 1. *In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni.*

Verſ. 2. *Surgam,& circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea:quæſiui illum, & non inueni.*

Verſ. 3. *Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem, Num quem diligit anima mea vidiſtis?*

Verſ. 4. *Paululùm cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea: tenui eum:nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.*

*SVRGAM & circuibo* ( Arabicus *perluſtrabo*) *ciuitatem:per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea; quæſiui illum & non inueni.* Addit Arabicus:*Vocaui eum,& non obediuit mihi. Inuenerunt me vigiles,qui cuſtodiunt* ( Syrus *qui circuibant* )*ciuitatem:*(Addit Arabicus:*Et dixi*) *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* Syrus: *An eſſentiam amoris,quam diligit anima mea, vidiſtis? Paululum cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea : tenui eum nec dimittam eum,donec introducam eum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Arabicus,*illius quæ me concepit.*

Syrus.

*Connexio hic difficilis. Nexus.*

1\. Difficilis eſt hìc connexio, quâ ratione ſcilicet hæc nectantur præcedentibus,vt ſeruetur decorum Dramatis. Primò Noſter Sanchez:In capite primo,inquit, Scriptor ſacer deſiderium Sponſæ, quo in abſentem Sponſum ferebatur, luculenter deſcripſit.In ſecundo, Sponſi in dilectam blandimenta atque officia complexus eſt.In tertio,iam propiùs accedit ad nuptias; componit enim coniuges in curru, quo de more cum plauſu atque ſymphoniâ domum reducebantur. Apud Hebræos enim Sponſus non accedebat ad Sponſam, niſi poſt traductionem eius in domum Sponſi; Senſus ergo huius verſus eſt,q.d. Dolui abeſſe Sponſum à lecto.quia eſſe in eo non poterat,niſi peractis nuptiarum Sacris.Vel, deſideraui lecti ſocium habere, id eſt, nuptias inire; quia ante illas non ſperabat fore, vt ſecum vnquam in noctibus haberet quem amabat. In hanc ſententiam Bernard. ſerm.75. dicit, Sponſam cùm eſſet in lecto quæſiiſſe Sponſum, non quidem in lecto cubantem,ſed cùm abſentem deſideraret, de illo inueſtigando ſecum deliberaſſe. Et conſonat valde huic explicationi tranſlatio Septuag. qui vertunt ἐπὶ κοίτην, id eſt *in lectulum*. q.d. Deſideraui ad lectum ſeu ad connubium.Hæc Sanchez.

*Apud Hebræos Sponſus non accedebat ad Sponſam,niſi vbi traducta fuerat in domum Sponſi.*

Secundò, Genebrardus cenſet hìc nouum eſſe Drama, vel potiùs nouum, ſcilicet ſecundum actum Dramatis:quare nullam hìc quærendam eſſe connexionem,quod alio tempore, ſcilicet noctu geſta ſint, quæ hìc narrantur,cætera verò per diem. Melius Giſlerius cenſet nouum hìc quidem eſſe actum, nouámque narrationem, ſed cum prioribus connexam: Sponſam enim poſt diſceſſum Sponſi narrare quid à ſe factum ſit aliquando,cùm Dilectum ſuum à ſe abſceſſiſſe animaduertit, quo ſtudio illum quæſierit,quomodo inuenerit ac tenuerit,ne rurſum abſcederet. 2.

Tertiò, Ioannes Carmelita cenſet hæc Sponſæ verba produci,vt dent cauſam, cur Sponſus ei dixerit cap. 1. v. 10. *Surge,propera amica mea*, quia ſcilicet inuenit eam in lectulo cubantem vel deſidem; hinc ab eo illam euocat dicendo: *Surge,propera.* 3.

Quartò, Gilibertus Abbas,qui continuauit Sermones S. Bernardi in Cant. hìcque inchoat,ſic nectit ſerm. 1. *De montibus*,inquit, *ſe raptim contulerat ad lectulum Sponſa, vbi illa excitata & deficiens vbertate delectationis, obdormiuit exhauſta inter amplexus dilecti. Oblectata obdormiuit: ſomnum dulcem,ſed expergefacta non inuenit illum,hæc mulier deliciarum in manibus ſuis. Gaudia itaque illa,gaudia ineffabilia ſilentio tranſiens, in hanc tamen vocem erupit: In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea.* 4.

Gilbert. Abb.

Quintò, magis appoſitè Luyſius Legionenſis cenſet Sponſam ex amore deliquium paſſam in ſomnum incidiſſe, ac in ſomnis vel ſemiſomnem dixiſſe adoleſcentulis ſociabus ſuis: *Vox dilecti mei* & cætera,quæ à cap. 2. verſ. 8. vſque ad finem capitis narrantur: nunc verò, inquit, ſoluta ſomno Sponſa atque experrecta, Spõſum, quôcum modò loqui ſibi per quietem viſa eſt, vnà ſecum iacere arbitrata, ipſum quæſiuiſſe, atque eo non inuento è lecto exiliuiſſe,domóque egreſſa,vrbis loca omnia,illum quæritando obiiſſe dicitur.In quo, non quid reipsâ geſtum ſit commemoraſſe intelligendus eſt Salomon, ſed quid rei,de qua agitur, natura fieri poſtulet, accommodatè ad ipſam rem expoſuiſſe. 5.

*5. Germanus.*

Itaque

Itaque quia intellexit, aut decorum à ſe negligi, aut bonam huius carminis partem omitti debere, idcirco perſonam ſumpſit de medio, ruriſque educatam fœminam induxit, quo decore ſeruato exprimeret in ea omnem amoris vim. Quare Sponſa, partim amoris, partim timoris (ne quid Sponſo abſenti per noctem mali accidat,) ſtimulis excita, imperare ſibi non potuit, vt quoad luceret, domi maneret; ſed exiliuit ſtatim, neque tenebris deterrita, neque nocturnos caſus metuens, neque ſui rationem vllam habens, vnúmque amorem ducem ſecuta, virum ſuum perueſtigauit. Nam nuptias iam antè à Sponſo cum Sponſa initas fuiſſe, ac Sponſum ad Sponſam acceſſiſſe ſatis liquet ex præcedentibus præſertim ex cap.1.verſ.4.vbi ait Sponſa: *Introduxit me rex in cellaria ſua.* & verſ.12. *Dum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* & cap.2.verſ.4. *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem,* &c.

Ex aduerſo Aben Ezra cenſet Sponſam hîc narrare ea, quæ ſomnians videbat, idque probat ex eo quod ipſa ait: *In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea:* noctu enim dormitur & ſomniatur: quis enim quærat eum, quẽ ſcit ſibi præſentem, vel abſentem in lectulo? & ex eo quod v.5. iubet Sponſus, ne quis eam à ſomno excitet; iam ergo dormiebat Sponſa & ſomniabat, quod ſanè probabile eſt, præſertim ob verſ.5. iam dictum. Hoc ſi ſequi placet, dicito nouum hîc eſſe Sponſæ ſomnium, priori partim ſimile, partim diſſimile, quo ſcilicet ſomniet Sponſa, ſe dilectum ſuum per vicos & plateas anxiè quæſiiſſe, ac tandem poſt longos circuitus inueniſſe, inuentum tenuiſſe, nec dimiſiſſe: Quæ enim quis amat & valde deſiderat, de his crebrò & variè ſomniat. Vnde & amantes ſibi ſomnia fingunt, ac deſideria amantium ſunt ſomnia vigilantium. Hinc S. Anſelmus notat, non eſſe mirum Sponſam in lecto dormire & ſimul aſcendere, vt virgulam fumi; quia quò magis à terrenis abſtrahitur, iiſque quaſi indormit, eò altiùs ad cœleſtia eleuatur.

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

PRimò, Chald. hæc exponit de Iudæis, qui adorantes vitulum aureum perdiderunt Dei gratiam & ſanctitatem: ſic enim ait: *Et quando vidit populus Domini Iſraël, quod ſublatæ eſſent nubes gloriæ ab eis, & corona ſanctitatis, quæ data fuit eis in Sinai, ablata eſſet ab eis, remanſerunt contenebrati ſicut nox, & quæſierunt coronã ſanctitatis, quæ ſublata fuerat ab eis, & non inuenerũt illam.* Chald.

Secundò, Titelman. & alij hæc accipiunt de ſtatu veteris Synagogæ, aut generaliùs de ſtatu humanæ naturæ ante Chriſti aduentum, ac deinde nouæ Eccleſiæ poſt eius aduentum. Nam genus humanum ante Chriſtum ex lapſu Adæ miſerum, iacénſque in lectulo infirmitatis ſuæ pigrum & ægrum ad omne bonum; idque in nocte infidelitatis & ignorantiæ, quærebat in lege naturæ à ſuis Sophis, Sophiſtis & Philoſophis tanti mali remedium, ſcilicet ſummum bonum, ſiue in quo ſita eſſet felicitas hominis, modúmque ad eam perueniendi; ſed nihil ſolidi & veri ab eis, vtpote cæco mentis ſuæ ingenio præſidentibus hauſit, cùm debuiſſet lectulum ſuum exire, & ad lucem tranſire diuinæ gratiæ, ſine qua fruſtrà quæritur, nec inuenitur Sponſus, qui ſolus animam ſe quærentem & diligentem beet: Sic & Synagoga iacuit pigra & infirma in lectulo legis Moſaïcæ, & in nocte vmbrarum, hoc eſt, cæremoniarum figuralium, ac quæſiuit Sponſum per vicos & plateas, quando in legis littera confidens, & ad Patrum Abræ, Iſaac, Iacob, &c. merita, exempláque attendens, per luſtrales cæremonias, ſacrificiáque animalium, & iudicia illa vmbratilia, ſe iuſtificare, Deúmque promereri contendebat. At ibi eum non inueniens adiit vigiles ciuitatis, ſcilicet Scribas & Phariſæos, ab iiſque eum perquiſiuit: ſed nullum ab eis conueniens reſponſum tulit. Poſtquam ergo vanis eorum traditionibus contemptis, & falsâ doctrinâ repudiatâ, ad nouam è cælo cum Chriſto venientem Euangelicæ gratiæ doctrinam, aures, animúmque tranſtulit, inuenit tandem Synagoga quem tantoperè quæſierat, & tot ſæculis expectauerat ſuum Dilectum, verum mundi Saluatorem, Patribus ab initio repromiſſum, & variis cæremoniarum ænigmatibus præſignatum: quem vſque tunc ipſa, licèt occultè, quæſierat per typica ſua ſacrificia & cæremoniales obſeruantias, quæ omnia ad Chriſtum mundi Saluatorem, quaſi ad finem vniuerſæ legis reſpiciebant, iuxta quod Apoſtolus ait: Chriſtum finem eſſe legis *ad iuſtitiam omni credenti.* Rom. 10. Rom.10.

P Verùm,

Verùm, quia Canticum hoc eſt Epithalamium, non Synagogæ & Moſis, nec ſtatus legis naturæ & Dei, ſed Chriſti & Eccleſiæ, vti docent S. Hieronym. Caſſiodor. Beda, Origen. Theodoret. & cæteri paſſim, hinc de Chriſto & Eccleſia hæc exponenda ſunt. Iam quia, vt dixi in Procemio, in Cantico ortus, progreſſus, & perfectio Eccleſiæ deſcribitur, ortus autem ſiue infantia Eccleſiæ deſcripta ſit à cap. 1. verſ. 1. vſque ad cap. 2. verſ. 8. inde autem vſque ad cap. 3. verſ. 6. deſcribatur Eccleſiæ progreſſus, ſiue adoleſcentia, ſequitur pariter hæc, quæ cap. 3. v. 1. & ſequent. vſque ad verſ. 6. continentur, ad eiuſdem adoleſcentiam referenda eſſe, hicque eam terminari. Infantia autem Eccleſiæ fuit ab ortu Chriſti vſque ad eius aſcenſum in cælum & miſſionem Spiritus ſancti, quæ continet geſta Chriſti à Natiuitate vſque ad Mortem, Reſurrectionem, Aſcenſionem & Pentecoſten: inde verò incipit adoleſcentia & propagatio Eccleſiæ, quam prædicando fecerunt Apoſtoli. Quare infantia Eccleſiæ deſcribitur in Euangeliis, adoleſcentia autem in Actis Apoſtolorum.

*Infantia Eccleſiæ ab ortu Chriſti vſque ad Pentecoſten: Inde verò incipit eius Adoleſcentia.*

Lectulus ergo hic Sponſæ, ſiue Eccleſiæ primitiuæ, ſuit quies eiuſdem, quâ poſt aſcenſum Chriſti in cælum, quieuit cum B. Virgine & Apoſtolis in Sion vſque ad Pentecoſten & aduentum Spiritus ſancti, ac poſt eum quieuit in Sion & Iudæa per plures annos, quibus ſolis Iudæis prædicarunt Apoſtoli: (Baronius numerat annos decem, ego verò quatuor dumtaxat, vti oſtendi, Actor. 12. 1.) imò putabat ſe ibi perpetuo quieturam cum ſuo Sponſo Chriſto; ſed ibi Chriſtum non inuenit, quia pauci à Iudæis fidem amplexi ſunt, cæteri cum Scribis & Pontificibus Chriſtum & Eccleſiam ſpreuerunt, imò perſecuti ſunt. Quocirca Eccleſia, putà S. Petrus & Apoſtoli edocti à Chriſto, ſuſceperunt laborioſum iter & onus euangelizandi per omnes gentes, ibique Chriſtum inuenerunt in fide, religione, & obedientiâ omnium gentium, vt patet ex Actis Apoſtolorum & ex Hiſtoria Eccleſiaſtica. Concatenatio ergo Cantici, eiuſque expoſitio petenda eſt ex ſucceſſu Chriſti & Eccleſiæ, qui in Euangeliis, Actis, & Hiſtoria Eccleſiaſtica deſcribitur.

*Senſus & Conſtructio huius loci.*

Senſus ergò eſt, q. d. Ego Eccleſia ſuauiter quieſcens in Sion & Iudæâ, ibique vacans orationi, Verbo Dei, frequenti communioni, ſanctitati, omnique virtuti & perfectioni Chriſtianæ, vt patet Actor. 2. & ſequent. ibi quæſiui Chriſtum, ſed non inueni, quia plerique Iudæorum inhærentes legi Moſaicæ Chriſti fidem reſpuerunt; Chriſtus autem reſidet & inuenitur in Eccleſia, ac in multitudine & vniuerſitate credentium totius mundi. Norat enim Sponſa Chriſtum per fidem habitare in cordibus fidelium, vt notat S. Bernardus. Dixi itaque: *Surgam & circuibo Ciuitatem* Ieruſalem, reliquámque Iudæam illi ſubiectam; *per vicos & plateas*, euangelizando *quæram quem diligit anima mea*, Chriſtum ſcilicet, Chriſtique fidem & cultum: *quæſiui illum & non inueni*: quia Iudæi Chriſto & Euangelio reſtiterunt: *Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt Ciuitatem*, ſcilicet Pontifices, Principes Sacerdotum, Scribæ, Herodes Agrippa & cæteri Iudææ Præſides: Interrogaui illos: *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* Agnoſciitiſne Meſſiam Patribus veſtris promiſſum? Creditiſne in Ieſum Chriſtum crucifixum? At illi obticuerunt, ac ſuo ſilentio ſe neſcire Chriſtum teſtati ſunt. Quocirca *Paululùm cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea*, cùm ſcilicet paulò poſt perſecutionem Pontificum, ac necem ſancti Stephani, ſcilicet anno ſecundo à Paſſione Chriſti, Chriſtus S. Paulum conuertit, ac Doctorem gentium auctorauit dicens: *Vas electionis eſt* Act. 9. 15.
*mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus*. Actor. 9. 15. Etcùm Actor. 10. S. Petro per vas è cælo miſſum oſtendit, non ſolos Iudæos, ſed & gentes vocandas eſſe ad Chriſtū & Eccleſiam, ideóq; iuſſit S. Petro, vt Corneliū Cēturionem, quaſi primitias gentium conuerteret, & Chriſto adiungeret. Vnde paulò poſt, ſcilicet anno Chriſti 37. qui fuit quartus ab eius Paſſione, & Reſurrectione, Apoſtoli diuiſis inter ſe gentium Prouinciis, quiſq; ad ſuam profectus, eandem pariter conuertit & Chriſto adiunxit. Ibi ergo in fide gentium Apoſtoli inuenerunt Chriſtum, quaſi in Eccleſia vniuerſali reſidentem & dominantem. Tunc ergo dixit Eccleſia: *Tenui eum nec dimittam*, quia fundabo vbique gentium Eccleſias, itáque Sacerdotibus, Epiſcopis, Sacramentis, Doctoribus, Prædicatoribus, miraculis, &c. eas in fide Chriſti ſtabiliam, vt illi nunquam illam abiiciant, ſed vel ſimul, vel alternatim & ſucceſſiuè arctè eam retineant, ita vt ſemper magna pars orbis Chriſtum colat & adoret,

Donec

*Donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ*, hoc eſt, Synagogæ. Synagoga enim vetus Iudæorum fuit mater, & genitrix Eccleſiæ Chriſtianorum. Primi enim Chriſtiani, putà Apoſtoli, fuêre oriundi à Iudæis. Senſus ergo eſt, q. d. Transferam Chriſtum Chriſtique fidem & cultum à Iudæis ad Gentes, ibique illum firmabo & ſtabiliam, donec in fine mundi per Eliam & Enoch conuertam Iudæos: Sic enim Chriſtum Chriſtíque fidem *introducam in domum matris meæ*, id eſt, in Synagogam Iudæorum, vt omnis Iſraël ſaluus fiat, atque ex Iudæis & gentibus fiat vnum ouile & vnus paſtor: Hoc eſt, quod ait Apoſtolus: *Cæcitas ex parte contigit in Iſraël: donec plenitudo Gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret, ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion, qui eripiat & auertat impietatem à Iacob*, id eſt, à Iudæis ex Iacob prognatis. Rom. 9. 25. Ita S. Gregorius: *In domum matris*, inquit, *Dilectum introducet, quando in fine mundi Eccleſia per prædicationem, in plebem Iudaïcam Chriſtiana ſacramenta immittet. In cubiculum autem, quaſi in ſecretiorem partem domus eum introducet, quia ex eadem plebe ita plurimos conuertet, vt omnes mundi ſarcinas abiiciant, & in intimis cogitationibus ſoli Deo placere concupiſcant. Huiuſcemodi homines cubiculum facient Sponſo: quia dum à ſe omnes ſordes cupiditatis abiicient, quaſi ſecretum locum in mente, in quo delectetur, component.* Sic & Caſſiodorus, Beda, Aponius, Philo Carpathius, Iuſtus Orgelitan. S. Anſelm. Rupert. S. Bernard. & cæteri paſſim, qui eodem modo, quo S. Gregor. verſum quartum: *Donec introducam*, &c. exponunt; vnde colligas præcedentes quoque tres verſus eodem modo, quo expoſui, eſſe exponendos. Hoc enim exigit ipſa hiſtoriæ Acoluthia & connexio.

*Synagoga Mater Eccleſiæ Chriſtianæ.*

Rom. 9. 5.

Gregor.

Nota quod ait Sponſa, ſe Sponſum Chriſtum quæſiſſe per *noctes* intellige per tenebras, cùm ſcilicet Ieruſalem & Iudæam, totúmque orbem occuparent tenebræ infidelitatis & ignorantiæ Dei, Chriſti, & ſalutis. Audi S. Bernardum ſerm. 45. *Habet mundus iſte noctes ſuas & non paucas. Quid dico, quia noctes habet mundus; cùm penè totus ipſe ſit nox, & totus ſemper verſetur in tenebris? Nox eſt Iudaica perfidia, nox ignorantia paganorum, nox hæretica prauitas, nox etiam Catholicorum carnalis animaliſve conuerſatio. An non nox, vbi non percipiuntur ea, quæ ſunt ſpiritus Dei? Sed & apud hæreticos vel ſchiſmaticos: quot ſectæ, tot noctes. Fruſtra per has noctes iuſtitiæ ſolem, & lumen quæritis veritatis, id eſt, Sponſum, quia nulla ſocietas luci ad tenebras.*

*Bernard. Varia Noctes, & peſſima.*

Myſticè, lectulus Chriſti fuit vterus B. Virginis; item præſepium, ac ſepulchrum, vbi S. Magdalena & ſociæ, æquè ac SS. Petrus & Ioannes quæſierũt Chriſtum & non inuenerunt, quia iam ex eo reſurrexerat. Audi S. Bernardum ſer. 75. *An non lectulus, tumulus? an non lectulus, præſepium? An non lectulus, vterus Virginis?* &c. *Meritò proinde Sponſa ponens lectulum, dicit ſuum, quia omne quod infirmum eſt Dei, non de proprio ineſſe illi manifeſtum eſt, ſed de noſtro. Ex nobis aſſumpſit, quæ pro nobis ſuſtinuit, naſci, lactari, mori, ſepeliri. Mea eſt mortalitas nati; mea infirmitas paruuli, mea expiratio crucifixi, mea ſepulti dormitio. Quæ priora tranſierunt, & ecce noua ſunt omnia: In lectulo meo quæſiui per noctes, quem diligit anima mea. Quid? In tuo quærebas, qui ſe iam in ſua receperat: Num videras filium hominis aſcendentem, vbi erat prius? Iam cælum tumulo commutauit & ſtabulo, & tu illum in tuo adhuc lectulo quæris? Surrexit, non eſt hic. Quid quæris in lecto fortem; in lectulo magnum, clarificatum in ſtabulo? Introiuit in potentias Domini; Decorem induit & fortitudinem; & ecce ſedet ſuper Cherubim, qui ſub lapide iacuit.* Et pluribus interiectis, ſub finem ſermonis vrgens illud *Surgam & circuibo: Quidni*, inquit, *ſurgeret, recognito de reſurrectione dilecti? Cæterùm, ô beata, ſi conſurrexiſti cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt ſapias oportet: neque deorſum, ſed ſurſum quæras Chriſtum neceſſe eſt, vbi ſedet in dextera patris.*

*Lectus Chriſti quis?*

Bernard.

Marc. 18.

Pſalm. 70.

Symbolicè S. Bernard: *Eccleſia*, inquit, *dicitur ciuitas propter collectionem, Sponſa propter dilectionem, oues propter manſuetudinem.* Vnde concludit, hócque dat monitum paſtoribus Eccleſiæ: *Propterea attendite vobis quicumque opus miniſterij huius ſortiti eſtis, attendite inquam vobis, & pretioſo depoſito, quod vobis creditum eſt. Ciuitas eſt, vigilate ad cuſtodiam concordiámque. Sponſa eſt, ſtudete ornatui: Oues ſunt, intendite paſtui. Et hæc tria ad illam Domini trinam ſciſcitationem, fortè non incongruè pertinere dicentur: Petre amas me: paſce oues meas.* Ioan. 21.

*Symbolicè.*

Bernard.

Ioan. 21.

## SECVNDVS SENSVS

### *De Chriſto & Anima Sancta.*

PRimò Anima peccatrix quærit Deũ, id eſt, ſummum ſuum bonum & felicitatem in lectulo, Id eſt, in voluptatibus carnis per noctes ignorantiæ & tenebrarum peccati; lectulus enim Auari eſt aurum; Superbi, honor; Guloſi, deliciæ; Acedi, ignauia, iuxta illud Prouerb. 26. 14.

*Qualis Animæ Peccatricis lectulus.*



Digitized by Google

Prouerb. 26.14. 26.14. *Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita
piger in lecto ſuo.* Hi quærunt eum in no-
cte, quæ cauſatur ex obiectu terræ, id
eſt, terrenarum cupiditatum, quas am-
biunt, quæque ſe inter ipſos & Deum
interiiciunt, & obices obiiciunt, vt eius
lucem haurire nequeant: Quare hi Deũ
non inueniunt, tum quia in tenebris
quærunt, tum quia ibi non eſt locus &
quies Dei. Ita Caſſiodor. Philo Carpath.
Beda, & alij. Quare anima peccatrix ſed
pœnitens cum S. Magdalena (cuius actio
hîc ad viuum depingitur; vnde & hæc
loco Epiſtolæ legit Eccleſia in feſto S.
Magdalenæ) ex hoc lecto voluptatis &
concupiſcentiæ ſurgit, ac circuit vicos
& plateas ſollicitè quærens Chriſtum,
quem tandem inuenit in domo Simo-
nis, id eſt, Obedientiæ, recumbentem in
lectulo tempore prandij, vt conuiuas &
hoſpites paſcat diuinis ſuis eloquiis. Ibi
ergo à tergo Magdalena lacrymis ſuis la-
uans, capillis tergens, ore oſculans, ma-
nibus vngens pedes Chriſti, veniam,
gratiam, & ſalutem à Chriſto accepit.

*Anima pia quærit Chriſtum.* Simili modo anima ſancta quærit
Chriſtum in lectulo ſuo, primò cùm quę-
1. rit eum in ſua commoditate; ſed ibi non
inuenit, quia Chriſtus non inuenitur, ni-
ſi in cruce, vti aiebat S. Martinus. Ita Caſ-
ſiodorus: *Exurgam*, inquit, *de ſtrato corporis
& carnalis delectationis, & circuibo Ciuitatem*
Caſſiodor. *huius mundi, maria ac terras peragrando: Per
vicos & plateas quæram*, &c. *id eſt per lata iti-
nera gradientes huius ſæculi, & ſuis voluptati-
bus deditos aſpiciam, ſi fortè in illis dilecti mei
veſtigia inueniam.*

2. Secundò, cùm quærit eum in propria
volũtate; ſed ibi non inuenit, quia Chri-
ſtus non venit facere voluntatem ſuam,
ſed Patris. Vnde in horto inſtante paſſio-
Matth. 26. ne orauit: *Non mea voluntas, ſed tua fiat.*
Matth. 26. Exuat ergo propriam volun-
tatem, & diuinam induat, ſiue à Deo,
ſiue à Superiore, qui Dei eſt Vicarius &
interpres, ipſi indicatam, qui Deum,
Deíque gratiam inuenire cupit.

3. Tertiò, cùm quærit eum in curioſita-
te, curioſè circumeundo & luſtrando
omnes hominum ſectas, artes, ſtatus, ſtu-
dia & exercitia: ſed ibi non inuenit, quia
iſte circuitus facit hominem vagum, in-
*S. Iuſtinus vbi inuenit ſapientiam, quam quærebat?* ſtabilem, & erronem. Vndè S. Iuſtinus
Philoſophus Dial. contra Triph. narrat
ſe obiuiſſe omnes Philoſophorum ſcho-
las, putà Platonis, Ariſtotelis, Democriti,
Epicuri, Stoicorum &c. & nuſquam in-
ueniſſe ſapientiam, ſed monitum à viro
graui, qui ex improuiſo ſibi apparuit, vt
legeret Prophetas; eos lectitando repe-
riiſſe, quod quærebat: Vnde conuerſus
ad Chriſtum & Doctor, & Martyr glo-
rioſus euaſit. Sic hodiè, qui mutant ſta-
tus, officia, & exercitia pietatis & virtu-
tis, nunc vnum, nunc aliud experiendo,
nihil proficiunt, ſed vagando tempus
conſumũt. Nihil enim profectui ita con- *Crebra Exercitiorum mutatio Profectui valdè contraria.*
trarium, ac crebra mutatio exercitiorum
vti docet Caſſianus, Climacus, Doro-
theus, cęteríque rerum ſpiritualium Ma-
giſtri.

Quartò, qui eum quærit in ſua pace, 4.
otio, & tranquillitate, cùm Deus ipſum
vocet ad bellum, ad negotium, ad labo-
res pro ſalute animarum obeundos, in
ea Deum non inuenit, quia Deus cuique
apparet ſuâ luce & gratiâ in eo ſtatu, ad
quem eum vocat, non in alio; vndè quos
vocat ad ſortem Magdalenæ iis apparet
in ſolitudine & contemplatione; quos
vocat ad ſortem Marthæ, iis apparet in
actione, cuique in eâ, quæ illi propria eſt
& peculiaris, ad quam eum deſtinat.
Hinc Theodoret. docet Deum non in-
ueniri in lectulo proſperitatis, cùm Deus
aduerſa nobis immittat, vt iis noſtrã pa-
tientiam & virtutem exerceat & adau-
geat. Audi S. Ambroſium, lib. de Iſaac.
cap. 5. *Multi ſunt, qui in otio quærunt Chriſtum* Ambroſ.
*& non inueniunt, & quærunt eum in perſecu-
tionibus & citò inueniunt, & ideo quaſi poſt ten-
tationes, quia in periculis ſuorum fidelium adeſt.
Quàm modicum, inquit, cùm tranſiui ab eis, &
inueni eum.*

Pleniùs pertractat idem S. Ambroſ.
lib. 3. de Virgin. *Si vis*, inquit, *& tu tenere
Chriſtum, quære iugiter nec pœnam metuens; in-
ter ſupplicia enim frequenter corporis, inter ipſas* Idem.
*perſecutorum manus Chriſtus meliùs inuenitur,
Quàm modicum, inquit, fuit, cùm trãſiui ab ipſis
donec inueni eum. Exiguo enim ſpatio breuique
momento cùm perſecutorum manus euaſeris, nec
ſuccubueris poteſtatibus mundi, tibi Chriſtus oc-
currit, nec te diu tentari patitur.*

Quintò, Deus animæ ſanctæ & fer- 5.
uenti ſubinde ſuam præſentiam, ac gra-
tiam illuminantem & conſolantem, ſub-
trahit, vt eius deſiderium acuat & fer-
uorem magis accendat. Ita S. Gregor.
5. Mor. cap. 4. *Abſcondit*, ait, *ſe ſponſus cùm* Gregor.
*quæritur, vt non inuentus ardentiùs quæratur:
& differtur quærens Sponſa ne inueniat, vt tar-
ditate ſua capacior reddita, multiplicìus quan-
doque inueniat quod quærebat.* Nam vt ait S.
Bernard. ſerm. 84. *Magnum bonum quærere
Deum: ego hoc nullis in bonis animæ ſecundum
exiſtimo: primum in donis, vltimum in profecti-
bus eſt. Virtutum nulli accedit, cedit nulli: cui ac-*

cedat,

Digitized by Google

*cedat, quam nulla præcedat, quæ omnium magis conſummatio eſt? Quæ enim virtus adſcribi poſſit non quærenti Deum, quiſve terminus quærenti Deum? Quærite inquit faciem eius ſemper, exiſtimo, quia nec ſi inuentus fuerit ceſſabitur à quærendo. Non pedum paſſibus, ſed deſideriis quæritur Deus & vtique non extinduit deſiderium ſanctũ felix inuentia, ſed extendit.* Idem ibidem docet animam non poſſe quærere Deum, niſi eius gratiâ ſit præuenta: *quia Deus prior dilexit nos.* 1. Ioan. 4. 10. *Minimè prorſus,* inquit, *niſi prius quæſita quæreretur. ſicut nec diligeretur niſi dilecta prius.* Vnde S. Auguſt. in Pſalm. 69. *Quære,* inquit, *eum, qui prior quæſiuit te, & reportauit in humeris ſuis,* quaſi ouem errantem & perditam.

1. Ioan. 4.

Auguſt.

Rurſum S. Gregor. hom. 25. in Euang. *Dilectum,* inquit, *in lecto quærimus, quando in præſentis vita aliquantulâ requie Redemptoris noſtri deſideria ſuſpiramus. Per noctem quærimus: quia etſi iam in illo mens vigilat, tamen adhuc oculus caligat. Sed qui dilectum ſuum non inuenit, reſtat vt ſurgat & ciuitatem circumeat, id eſt, ſanctam electorum Eccleſiam mente & inquiſitione percurrat: per vicos eum & plateas quærat, id eſt, per anguſta & lata gradientes aſpiciat, vt ſi qua in eis valeat inuenire eius veſtigia, exquirat: quia ſunt nonnulli etiam vitæ ſæcularis, qui imitandum aliquid habeant de actione virtutis. Quærentes autem nos vigiles inueniunt, qui cuſtodiunt ciuitatem. quia Sancti Patres, qui Eccleſiæ ſtatum cuſtodiunt bonis noſtris ſtudiis occurrunt, vt ſuo vel verbo vel ſcripto nos doceant. Quos cùm paululùm pertranſimus, inuenimus quem diligimus: quia Redemptor noſter etſi humilitate homo inter homines; diuinitate tamen ſuper homines fuit. Cùm ergo tranſeuntur vigiles, dilectus inuenitur, quia cùm Prophetas & Apoſtolos infra ipſum eſſe conſpicimus, illum qui natura Deus eſt, eſſe ſupra homines conſideramus.* Cauſam deinde cur Chriſtus quæri velit, ſubiicit: *Priùs ergo non inueniendus quæritur, vt poſt inuentus ſtrictiùs teneatur. Sancta enim deſideria vt prædiximus dilatione creſcunt. Si autem dilatione deficiunt, deſideria non fuerunt. Hoc amore arſit quiſquis ad veritatem pertingere potuit. Hinc namque Dauid ait: ſitiuit anima mea ad Dominum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Pſalm. 41.

Gregor.

Pſalm. 41.

Porrò S. Bernard. qui in hæc verba decem ſermones conſcripſit, imò in iis ſermones ſuos in Cantica concludit & terminat, docet animam quærere Deum ſeptem de cauſis: ſic enim ait ſerm. 85. *Quærit anima verbum, cui conſentiat ad correctionem; quo illuminetur ad cognitionem; cui innitatur ad virtutem; quo reformetur ad ſapientiam; cui conformetur ad decorem; cui maritetur ad fœcunditatem; quo fruatur ad iucunditatem.*

*Anima quærit Deũ, ſeptem de cauſis.*

Bernard.

*Cornel. à Lapide in Cant. Canticor.*

Secundò ſerm. 86. docet animam quærere debere Deum verecundè, cautè, & ſecretè, purà in arcano lectuli & noctis. Cùm enim *nocturnus ſopor induerit ſilentium, tunc planè liberior exit, puriórque oratio.* Addit S. Bernardus quæri Deum in lectulo infirmitatis, vt eam ſanet in noctibus, iuxta illud: *Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius: vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius.* Pſalm. 40. 4. Et in nocte ignorantiæ, vt eam luce ſua diſpellat. *Et ſi placet ſentire,* inquit, *lectuli quidem nomine humanam figurari infirmitatem; nocturnis autem tenebris ignorantiam æquè humanam, conſequens eſt & congruum ſatis, vt Dei virtus & Dei ſapientia Verbum, contra vtrumque originale malum inſtantiùs requiratur. Nempe quid conuenientius, quàm vt infirmitati virtus, ignorantiæ ſapientia opponatur?*

Idem.

Pſal. 40. 4.

Bernard.

Rurſum S. Ambroſ. ſerm. 7. in Pſalm. 118. *Quæſiui,* ait, *in noctibus, id eſt, in perſecutionibus & aduerſis. Nox enim eſt omnibus, quibus non eſt perfecta ſecuritas.*

Ambroſ.

Denique anima quærens Deum iam aliquo modo eum inuenit, imò & habet, & tenet: non enim quæreret, niſi eum cognoſceret, deſideraret, & amaret. Inuenit ergo eum per fidẽ & ſpem, quærit vt poſſideat per charitatem: Inuenit per deſiderium abſentem, vt præſentem teneat per gaudium: Inuenit & tenet per patientiam, vt poſſideat per conſolationem: Tenet per pij affectus inchoationem, vt poſſideat & teneat per eius profectum & perfectionem: Tenet per amorem, quærit vt poſſideat per feruorem. Vnde S. Bernard. tract. de diligendo Deo: *Bonus es Domine,* inquit, *quærenti te, quid ergo inuenienti? Sed enim hoc eſt mirum, quod nemo te quærere valet niſi qui prius inuenerit: Vis igitur inueniri, vt quæraris; quæri, vt inueniaris.* Igitur Deus quæritur per fidei, ſpei, pœnitentiæ, patientiæ, cæterarúmque virtutum inchoationem; inuenitur per earundem incrementa, præſertim amoris & charitatis, vti docet Richard. de S. Victore iuxta illud: *Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.* Pſal. 83. 8. S. Auguſt. in Pſalm. 104. ad illa: *Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem eius ſemper.* Deus, inquit, *eſt ſine fine quærendus, quia ſine fine amandus.* Et paulò antè: *Sed ſi ſemper quæritur, quando inuenitur? An ſemper dixit in tota vita iſta, quâ hîc viuitur, ex qua nos id facere debere cognouimus, quando & inuentus quærendus eſt? Iam quippe illum inuenit fides, ſed adhuc eum quærit ſpes. Charitas autem & inuenit eum per fidem, & eum quærit habere per ſpeciem: vbi tunc ſic*

*Anima quærens Deum, iam eum aliquo modo habet.*

Bernard.

*Quomodo Deus quæratur, & inueniatur.*

Pſal. 83. 8.
Pſal. 104. 4.

Auguſt.



Digitized by Google

*inuenietur, vt ſufficiat nobis, & vlteriùs non quæratur.*

*Symbolicè. Deus in triplici Creatura inuenitur.*

Symbolicè, Richardus de S. Victore hîc docet Deum inueniri in triplici creatura, velut in triplici Dei ſimilitudine: primò in animalibus, cælis, elementis, mixtis: ſecundò in Homine: tertiò in Angelo, qui eſt ſignaculum ſimilitudinis, & in quo ab initio ſignata perſeuerat ſimilitudo Dei. Ipſe ergo eſt ſpeculum Dei: *Mundi enim ſunt,* (Angeli) inquit, *ſicut eſt mundus ille: ſancti ſunt Angeli, ſicut eſt ſanctus Dominus Deus eorum, atque adeò de illis mundis tranſiſſe ipſam animam ad munditiæ auctorem, & de contemplantibus ad contemplandum, & ſtatim inueniſſe: quoniam ij adeò vicini ſunt, vt nil ſit medium, & poſt hos non ſit inuenire niſi illum: Inuento Dilecto, Angelis congratulando, & conſecutum per eos beneficium commemorādo, dicit: Paululùm cùm pertranſiſſem eos inueni, &c. id eſt, illicò vt hos pertranſiui, dilectum inueni: hos pertranſiui vt venirem, & per hos tranſiui, vt inuenirem: horum enim occurſu & auxilio obtinui quod concupiui, qui & meum prouocauerunt & accenderunt deſiderium, & dilecti obtinuerunt occurſum.*

Richard. Victorin.

Symbolicè rurſum Gilibertus Abbas ſucceſſor S. Bernardi in explic. Cant. ſerm. 1 ait aptè Chriſtum quæri in lectulo otij & tranquillitatis mentis, ac in nocte obliuionis curarum & rerum temporalium. *Benè collocariſ,* inquit, *in lectulo, ſi otio quodam ab occupationibus mens tua liberò feriatur; libertate & otio quid accommodatius ad vſum amoris? & libertas illecebram parit. In otio expeditur affectus, & non parum impenditur illi.* Et poſt pauca: *E contrà inſenſibilem penè reddit affectum frequens cura Mundi, & quaſi callum quendam menti obducit. Animum cura implicat, quies explicat. Explicita deſideria in quæ putas incrementa ſe dilatant? Vides quāta bona contineantur in lectulo? Quies, libertas, illecebra. In lectulo enim quietus & vacuitatis vota magis inardeſcunt. Locus accōmodatus oblectamento charitatis, Sponſam ad quærendum vrget ardentiùs. Illic enim ægriùs caret dilecto, vbi poterat vberiùs frui. In lectulo,* inquit, *meo, & per noctes.* Et pluribus interiectis: *Bona ergò nox, quæ prudenti obliuione diſſimulat omnia temporalia ad illum, qui æternus eſt, quærendum; tempus expediens & explicans occaſiones, quæ mundi concupiſcentiam abſcondit, curam, cogitatum: Hoc eſt enim Mundum habere abſconditum, vel Mundo abſcondi. Sic etiam abſcondi poterimus in abſcondito faciei tuæ Domine.*

Gilbert. Ab.

*Cura implicat, quies explicat.*

# TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

RVpertus ſic B. Virginem loquentem inducit: *Iam ex quo baptizatus eſt)* Chriſtus) *à Ioanne, fieri cœperat in lectulo, ſiue in cubiculo meo, in illo habitationis meæ ſecreto, vt non inuenirem eum. Nam ſtatim ductus eſt in deſertum à Spiritu, & deinde regreſſus, Euangelium meis prapoſuit affectibus, ita vt diceret: Quid mihi & tibi eſt mulier? Sed & alios docuit, vt ſimiliter facerent, vt ſcilicet patrem & matrem propter Euangelium relinquerent. Ita deſiderio quærebam, & non inueniebam eum, vt ſolitaria poſſiderem ſolitarium. Dixi ergo: ſurgam, & circuibo ciuitatem per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea. Dixi & feci ſic: cùm enim circurret per ciuitates & caſtella prædicans Euangelium regni Dei, ego ſequebar & quærebam eum. Quæſiui illum & non inueni. Ille enim tanto intentus negotio, me matrem ſuam agnoſcere quodammodò diſſimulauit.* Et poſt nonnulla, quæ in hanc rem interiicit, ſubiicit: *Poſt hæc iuxta crucem eius ſteti. Sed nunquid hoc mihi fuit inueniſſe dilectum? imò fuit mihi inueniſſe gladium, qui & pertranſiuit animam meam. Sepultus eſt, clauſum & ſignatum fuit monumentum; Et ego quali mente quærebam eum: quali deſiderio deſiderabam eum, ſciens eum eſſe à mortuis reſurrecturum? Indè non inueni illum. Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem. Qui vigiles, vel, quam cuſtodientes ciuitatem? Diſcipuli eius, qui ad hoc erant diſpoſiti, vt cuſtodirent, imò vt ædificarent ciuitatem veram Hieruſalem. Et ego inquam: Num quem dilexit anima mea vidiſtis?* &c. *Paululum cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea, & non quomodocumque, ſed in cælum vidi aſcendentem, & Apoſtolos miſſo de cælis Spiritu ſancto, vidi prædicantes gloriam Domini.* Nunc ſingula ad incudem reuocemus, & penitiùs ſecreta nōnulla, quæ latent, per ſingulos verſus indagemus.

Rupert.

Idem.

*Surgam, & circuibo ciuitatem; per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: quæſiui illum & non inueni.* Pro *vicos* Hebr. eſt שְׁוָקִים *ſchouakim* plurale, cuius ſingulare eſt שׁוֹק *ſchok*, id eſt, *tibia*, ſiue *pes*, qui à coxendice excurrit ad talos, indéque per metaphoram *vicus*, ſiue *angiportus*, qui à platea aliorſum excurrit, ſicut tibia excurrit ex corpore. Vnde Septuag. vertunt ἐν ἀγοραῖς, id eſt, *in foris*. S. Ambroſius 3. de Virgin. legit *in foro*: ἀγορὰ enim eſt forū, vbi res venales palàm omnibus exponuntur, Vers. 2.

Hebr.

LXX.

Ambroſ.

exponuntur, ſiue vbi fieri ſolet hominum conuentus. Porrò in vrbe multa ſunt fora, ſcilicet boarium, vbi boues venduntur; olitorium, vbi olera; ſuarium, vbi ſues; frumentarium, vbi frumenta; vinarium, vbi vina, &c. *Sponſus non inuenitur in Foro.* Significat ergo Sponſa ſe quæſiſſe Sponſum in vineis & foris, vbi ſolet eſſe hominum turba: at in turba non inuenitur Sponſus, qui amat ſecretum & ſolitudinem vel certè fidem & ordinem, qualis eſt in Eccleſia fidelium. Audi Sanctum Ambroſium libro tertio de Virgin. Ambroſ. *Non eſt Chriſtus circumforaneus. Chriſtus enim pax eſt, in foro lites: Chriſtus iuſtitia eſt, in foro iniquitas. Chriſtus fides eſt; in foro fraus atque perfidia. Chriſtus operator eſt; in foro inane otium. Chriſtus charitas eſt; in foro obtrectatio. Chriſtus in Eccleſia eſt, in foro idola. In Eccleſia vidua iuſtificatur, in foro circumuenitur, fugiamus ergo forum: fugiamus plateas.* *Denique forum ſubinde eſt furum.* Theodor. *Non enim iniuria tantummodò eſt non inuenire, quem quæras, ſed etiam plerumque vbi non oportet quæſiſſe, vulnus eſt: quæſiſſe in domibus virorum, qui ſibi falſo Doctorum nomen aſſumunt, quæſiſſe procaciùs quàm verecundiùs.* Circuit tamen Sponſa, quia *domi conſiſtere eam non ſinebat amoris flamma*, ait Theodoret. Ad litteram, vt dixi, loquitur de Apoſtolis circumeuntibus vicos, & plateas Ieruſalem, euangelizando, vt Iudæos ad Chriſtum conuerterent: verùm in iis non Chriſtum, ſed Moſen; non ſpiritum, ſed carnem; non veritatem, ſed vmbram inuenerunt. Vnde Chaldæus more ſuo Iudaïzans ita vertit: *Dixerunt filij Iſraël ad inuicem: Surgamus, & eamus, circumdemus tabernaculum fœderis, quod extendit Moſes extra caſtra,* Chald. *& quæramus doctrinam à facie Domini, & maieſtatem ſanctam, quæ ſublata eſt à nobis; & circuiuerunt per ciuitates & plateas, & per vicos, & non inuenerunt eam.*

*Myſtica plateæ & vici.* Myſticè, per vicos & plateas Theodoret. & Aponius accipiunt SS. Scripturas: S. Gregorius verò, Beda, & Anſelmus exempla Sanctorum, qui vel arctiorem (quam notant vici) vel laxiorem (quam notant plateæ) viuendi rationem ſecuti ſunt. *Anagogicè.* Anagogicè Nyſſenus accipit ordines & ſtatus Angelorum, & Sanctorum in cæleſti Ieruſalem. Vnde S. Bernard. ſerm. 76. cenſet Sponſam hîc quærere Chriſtũ in vicis & plateis vbi paulò antè prædicauerat, & ſanauerat infirmos, ſed non inuenit, quia Chriſtus à morte reſurgens à terrena Ieruſalem aſcenderat ad cæleſtem.

*Tropologicè.* Tropologicè tres Anonymi apud Theodoret. Ciuitas, aiunt, eſt anima pia quæ in ſeipſa quærit Sponſum per fora actionis, & per plateas contemplationis alternatim obambulando, & ab vna in aliam viciſſim circumeundo. Ita Anonymi. Philo verò Carpath. *Per fora & plateas, hoc eſt*, inquit, *à præteritis vitæ meæ actionibus ſurgam, à malorum conſuetudine diſcedam, diſcutiam conſcientiam meam, & diligẽter examinabo per circuitum actiones vitæ meæ, recogitabo annos vitæ tranſactæ, ſtudioſè quæram in Ciuitate, hoc eſt, in Eccleſia, in Scripturis ſanctis, in Sanctorum vitis & exemplis, quomodo ad Deum rectè ambulare debeam, & quomodo hucuſque vixerim & ambularim: per latas enim & apertas peccatorum vias inceſſi, communes mores & conſuetudines aliorum imitata ſum: Ob idque per fora & per plateas dicit ſe diſquiſituram, ſecundùm illud.* Phil. Carp. *Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua.* Pſalm. 118. *In foris enim & plateis exponuntur, venduntur, tractantur omnia corporis voluptati ſolummodò idonea & grata, quibus animæ Chriſtianorum miſerabiliter captantur & occiduntur. Ab iis ſe quoque vexatam profitetur, & ab iis ſe prohibitam ne quærendo Dominum inueniret. Arcta eſt enim via & anguſta, quæ ducit ad vitam.* Matth. 7. Matth. 7.

Symbolicè. Symbolicè, Anima circuit ciuitatem, cùm cogitatione circuit mundum, contemplans cælum, terram & omnia, quæ in eis ſunt, vti Philoſophi fecerunt; ſed non inuenerunt Deum: tum quia cùm Deum ex eis per vmbram cognouiſſent, eum tamen vt Deum non glorificauerunt; tum quia luce fidei deſtituti in multos errores inciderunt, ac circumeundo in ſuam ignorantiam relapſi ſunt, atque creaturæ potiùs quàm creatori ſeruierunt, indulgendo ſuis voluptatibus, ambitioni, & honoribus, vti docet Apoſtolus, Rom. 1. vnde in circuitu contemplationis & experientiæ omnium mundi bonorum, magnam ſe vanitatem & afflictionem expertũ eſſe docet Salomon Eccleſiaſtis 2.3. & ſeq. Quocirca ſapienter S. Auguſtinus in Pſalm. 33. ad illa: *Exquiſiui Dominum, & exaudiuit me: Ergo*, inquit, *noli aliud à Domino extra illum quærere, ſed ipſum Dominum quære, & exaudiet te, & adhuc te loquente dicet: Ecce adſum. Quid eſt, Ecce adſum: Ecce præſens ſum, quid vis? quid à me quæris? Quicquid tibi dedero, vilius* Auguſt. *eſt quàm ego, meipſum habe, me fruere, me amplectere: nondum potes totum; ex fide continge me, & inhærebis mihi. Hoc tibi Deus dicit: Cætera onera tua ego à te deponam, vt totus mihi inhæreas, cùm hoc mortale tuum ad immortalitatem conuertero, vt ſis æqualis Angelis meis, & ſemper videas faciem meam & gaudeas, & gaudium*

*tuum nemo auferet à te, quia inquiſiſti Dominum & exaudiuit te, & ex omnibus tribulationibus eruit te.*

*Moraliter.* Moraliter; Nota hîc amorem Sponſæ párere in ea ardorem quærendi Sponſum; vnde licet eum non inuenerit in lectulo, nec in vicis & plateis, nec apud vigiles; tandem tamen his omnibus peractis eum reperit. Quare Richardus de S. Victore docet Sponſam hoc ſuo ſollicito circuitu, multum profeciſſe in amore & ardore quærendi: hic enim repulſam tertiò paſſus magis accenſus eſt, ſicut ignis in ſtipula ventis aduerſis agitatus magis exardeſcit: *Fruſtratio enim rei amatæ, flabellum amoris eſt amanti.* Vnde S. Bernard. ſerm. de triplici cohærentia vinculorum: *Lætetur*, inquit, *cor quærentium Dominum: Si gaudetis ad labores, ſi indefeſſo pede curritis viā mandatorum, ſi quotidie vtriuſque ſtatus recentior eſt ad proficiendum & perficiendum, quàm ad incipiendum, profectò quæritis faciem eius ſemper.* *Bernard.*

VERS. 3. *Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem:* (quos interrogaui, dicens) *Num quē diligit anima mea, vidiſtis?* Hebr. *Inuenerunt me cuſtodes* (excubitores) *qui circumeunt in ciuitate.* Sic & Septuag. Aquila & Symmach. S. Bernard. ſerm. 79. notat vehementiam amoris in Sponſa confundere verba: *O amor præceps*, inquit, *vehemens, flagrans, impetuoſe, qui præter te aliud cogitare non ſinis, faſtidis cætera, contemnis omnia præter te, te contentus. Confundis ordines, diſſimulas vſū, modum ignoras: totum quod opportunitatis, quod rationis, quod pudoris, quod conſilij iudiciive videtur, triumphas in temetipſa, & redigis in captiuitatem. Et omne quod cogitat iſta, & quod loquitur, te ſonat, te redolet & aliud nihil: ita tibi ipſius & cor vendicaſti & linguam. Ait: Num quem diligit anima mea vidiſtis? Quaſi verò hi ſciant quid cogitet ipſa: Quem diligit anima tua, de ipſo ſciſcitaris? & non habet nomen? Quænam verò tu, & ille quis?* Vnde ſubiicit: *Amor vbique loquitur, & ſi quis horum, quæ leguntur, cupit adipiſci notitiam, amet, &c. Quomodo enim Græcè loquentem non intelligit, qui Græcum non nouit, nec Latinè loquentem, qui Latinus non eſt; & ita de cæteris: ſic lingua amoris ei, qui non amat, barbara erit ſicut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.*

*Amoris ardor.* *Bernard.*

*Vigiles qui? Reſp. 1. Pontifices & Principes Ieroſolymitani,* Quæres, qui ſint hi Vigiles, ſiue cuſtodes Ciuitatis? Reſp. ad litteram propriè & genuinè, ſunt Legiſperiti, Pontifices, & principes Ieroſolimæ; Horum enim erat officium populo indicare Meſſiam, ſiue Chriſtum aduenientem. Hos ergo iure ſuo interrogarunt Apoſtoli & fideles de Chriſto, quando eis Chriſti doctrinam, vitam, & miracula prædicando expoſuerunt, vt iis conuicti reſponderent ipſum eſſe verum Meſſiam à Prophetis prædictum & Patribus promiſſum. Verùm ipſi Meſſiam expectabant Regem ſplendidum & glorioſum, quaſi alterum Salomonem: quare cùm viderunt Chriſtum humilem, pauperem, & crucifixum, eum deſpexerunt, nec crediderunt ipſum eſſe Meſſiam. Vide dicta verſ. 1.

Tropologicè: Vigiles, id eſt, Cuſtodes Eccleſiæ & animæ fidelis, Primò ſunt Angeli, qui Sponſum ſcilicet Deum clarè cognoſcunt, imò vident facie ad faciem, eiúſque notitiam & amorem hominibus inſtillant. Vnde viri pij eos ſæpe inuocant, & de dubiis, modôque Deum inueniendi, eîque placendi conſulunt. Ita Theodoret. & tres Anonymi apud ipſum, Nyſſenus hom. 6. S. Ambroſ. lib. de Iſaac cap. 5. S. Bernardus, Pſellus & alij. *Tropologicè.* *Angeli.*

Secundò, Vigiles ſunt Apoſtoli, Paſtores & Prælati, qui ſollicitè inuigilant gregi, id eſt, fidelibus ſuæ curæ commiſſis; hi ergo paſtorum ſuorum iudicio & ductu inueniunt Sponſum. Ita S. Gregorius, Theodoret. Caſſiodor. Beda, Philo, & S. Anſelmus, qui ait: *Inuenerunt*, id eſt, me quærentem inuenerunt, meam affectionem cognouerunt ſancti paſtores, qui cuſtodiunt Eccleſiam. Cùm dicit ſe priùs inuentam, quàm inueniſſe, notat nobis vigilantiam & diligentiam, quam debent habere Paſtores in Eccleſia, ſcilicet vt ex quo mouetur aliquis compunctione, parati ſint vt eum commoneant, & ad notitiam Dei pertrahant. Verba S. Gregorij citaui verſ. 1. Nunc audi S. Bernardum. ſerm. 76. *Quàm boni vigiles, qui nobis dormientibus ipſi peruigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus noſtris! Quàm boni cuſtodes, qui vigilantes animo atque in orationibus pernoctantes, hoſtium inſidias ſagaciter explorant, anticipant conſilia malignantium, deprehendunt laqueos, eludunt tendiculas, retiacula diſſipant, machinationes fruſtrantur! Hi ſunt fratrum amatores & populi Chriſtiani, qui multum orant pro populo & vniuerſa ſancta ciuitate. Hi ſunt, qui multùm ſolliciti pro ſibi commiſſis Dominicis ouibus, cor ſuum tradunt ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illos, & in conſpectu Altiſſimi deprecantur.* *2. Apoſtoli, Prælati, Paſtores.* *Bernard.*

Quocirca idem S. Bernardus ex hoc Sponſæ exemplo docet fideles in dubiis debere cōſulere ſuos Superiores, iiſque obedire; alioqui ſi ſine eorum conſilio *Sine Duce viam vitæ ingredi periculoſum.*

ſuæ

ſuæ ſapientiæ confidant, periculo lapſus ſe exponere: *Audiant hoc*, inquit, *qui ſine duce & præceptore vias vitæ ingredi non formidant. Ipſi ſunt in arte ſpirituali exiſtentes, & diſcipuli pariter & magiſtri. Non ſufficit hoc, etiam coaceruant diſcipulos ſibi, cæci duces cæcorum. Quàm multi ex hoc tramite periculoſiſſimè aberraſſe comperti ſunt. Nimirùm ignorantes aſtutias Satanæ, & cogitationes ipſius, factum eſt, vt qui ſpiritu cœperant, carne conſummarentur, abducti turpiter, lapſi damnabiliter.* Vnde hoc monitum colligit: *Videant proinde qui eiuſmodi ſunt, quomodo cautè ambulent, & de Sponſa exemplum ſumant, quæ non prius ad eum, quem deſiderabat, vlla moda valuit peruenire, quàm ſi occurrent quorum magiſterio vteretur ad cognoſcendum de Dilecto, certè ad diſcendum timorem Domini. Seductori dat manum, qui dare diſſimulat præceptori. Et qui dimittit oues in paſcua abſque cuſtode, paſtor non eſt ouium, ſed luporum.*

Bernard.

Vigiles, Moyſis & Aarō. Chald.

Huc facit verſio Chaldæi, qui iudaïzans per Vigiles Synagogæ, accipit Moſen & Aaronem. Sic enim habet: *Dixit Cœtus Iſraël: Inuenerunt me Moſes & Aaron, & Leuitæ obſeruantes cuſtodiam tabernaculi fœderis, qui circuibant per gyrum, & interrogaui eos de maieſtate gloriæ Domini, quæ ſublata fuerat à me. Reſpondit Moſes ſcriba, Princeps Iſrael, & ſic ait: Aſcendam ad cœlos excelſos & oraba coram Domino, ſi fortè placabitur ſuper peccata veſtra, & habitare faciat maieſtatem ſuam inter vos ſicut olim.*

Iſaias & Prophetæ.

Huc pertinet explicatio Aponij, qui per Vigiles accipit Iſaiam & Prophetas: hi enim tam clarè Chriſti Incarnationē Paſſionem & Reſurrectionem prædicũt & prædicant, vt lector in iis, & ex iis facilè Chriſtum inueniat. Et Philonis Carpathij, qui per Vigiles accipit Iuſtos, qui vigilanter legem & voluntatem Dei ſcrutantur & exequuntur: horum enim exempla, conſilia & monita nos ducunt ad Chriſtum; puta ad ſanctitatem & perfectionem.

Iuſti.

3. Gentilium Philoſophi.

Tertiò; Alij per Vigiles accipiunt Philoſophos, quos Gentiles de Deo & ſummo bono interrogabant: ſed nil niſi incertum & vanum audiebant: ita Iuſtus Orgelitan. qui Eccleſiam ita loquentem inducit: Diſputauerunt contra me ſæculi ſapientes, Idolorúmque cultores, multa inaniter perſcrutantes, pluréſque libros irritis laboribus conficientes, quibus dixi: cur incaſſum ſuperfluo cōnatu vexamini: *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* quandoquidem falſo nomine ſapientiæ gloriamini. Stultam fecit Deus ſapientiam veſtram, quia Chriſtum inuenire illic non valuiſtis.

Quartò, alij per Vigiles accipiunt Hæreticos, qui peruigilant, vt hæreſes ſuas ſpargant; ac circumeunt vrbes & regna, vt fideles ſeducant: hos cùm pertranſit fidelis, pergitque ad orthoxos Doctores inuenit Chriſtum, Chriſtique fidem, & veram Religionem. Ita Giſlerius. 4. *Hæretici.*

Quintò, Rupert. hæc attribuit B. Virgini quærenti Chriſtum vel in Ieruſalē perditum, inuentúmque in templo, vel iam mortuum & ſepultum: *Et ego quali mente*, inquit, *quærebam eum, quali deſiderio deſiderabam eum, ſciēs eſſe à mortuis reſurrecturum: Inde non inueni illum. Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem. Qui vigiles, vel quam cuſtodientes ciuitatem? Diſcipuli eius; quia ad hoc erant diſpoſiti, vt cuſtodirent, imò vt ædificarent ciuitatem veram Hieruſalem: de qua, vel ad quam ipſe dilectus per Eſaiam dicit, Super muros Hieruſalem conſtitui cuſtodes, totâ die & totâ nocte non tacebunt laudare nomen Domini: Iſti vigiles iam tunc vigilabant, quia lugentes & flentes ſomnum non capiebant: iſti vigiles me inuenerunt & mulieres, quæ totâ nocte vigilantes venerunt ad monumentum, quæ & emerant aromata, vt venientes vngerent eum, inuenerunt me bonum certatim afferendo nuntium, quòd reſurrexiſſet, & quòd vidiſſent eum. Et ego inquam: Num quem dilexit anima mea vidiſtis? Vidimus, aiunt, vidimus Dominum: Surrexit verè, & apparuit Simoni.* 5.

Rupert.

*Paululùm, cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea*, Hebr. *Quaſi modicum cùm tranſiui ab eis, quoadusque inueni quem diligit anima mea.* Sic & Septuag. S. Ambroſ. per interrogationem & admirationem legit: *Quàm modicum fuit cùm tranſij ab ipſis, donec inueni quem diligit anima mea!* q. d. Vehemens amor effecit, vt omnis labor, omne iter, omne tempus, quod inſumpſi ab interrogatione vigilum vſque ad inuentionem Sponſi mihi videretur modicum eſſe & exiguum: ſicut de Iacob dicitur, Geneſ. 29. 20. *Seruiuit Iacob pro Rachel ſeptem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* VERS. 4.

Hebr.

Ambroſ.

Gen. 29. 20.

Porrò Chaldæus refert hæc ad fabricam Tabernaculi Moſaïci: *Quaſi paululum*, inquit, *& modicum fuit, & reuerſus eſt Dominus ab ira furoris ſui, & præcepit Dominus Moſi Prophetæ, vt faceret tabernaculum fœderis, & arcam, & collocauit maieſtatem ſuam in medio eius.* Senſus literalis eſt; quem dedi verſ. 1. ſcilicet Eccleſiam, id eſt, Sanctum Petrum, S. Paulum, cæteróſque Apoſtolos, cùm pertranſiſſent Pontifices, Scribas

Chald.

bas & Principes Ieruſalem, vtpote fidem
Chriſti repellentes, iuiſſe ad gentes, ibi-
que Chriſtum inueniſſe in conuerſione
omnium gentium, quæ audientes præ-
dicationem Euangelij, illico illud, & in
illo Chriſtum amplexi ſunt.

*Tropologicè: Vigiles.* Tropologicè: Primò Anima à Vigili-
*1. Angeli.* bus, id eſt, ab Angelis erudita aſcendit
ad Creatorem, qui Angeli Deo ſunt pro-
ximi; vt ſi illos pertranſeas, illico repe-
rias Deum, vti docet S. Ambroſ. ſerm. 7.
in Pſal. 118. Idem Ambroſ. lib. de Iſaac
cap. 5. docet Angelos nonnulla ignora-
re, ideóque ab iis tranſeundum ad Deũ,
vt plenè illuminemur: *Anima*, inquit, *quæ*
Ambroſ. *Deum quærit etiam cuſtodes tranſit: ſunt enim
myſteria, quæ etiam Angeli concupiſcunt videre:
Vnde & Petrus ait: Nuntiata ſunt vobis per eos,
qui euangelizauerunt, Spiritu ſancto miſſo de
cælo, in quem concupiſcunt Angeli proſpicere.*
Sic & Nyſſen. hîc hom. 6. docet contem-
planti tranſeundos eſſe Angelos & crea-
turam vniuerſam, vt per fidem mentis
2. aciem figat in vno, ſummóque Deo. Se-
*Apoſtoli, Paſtores, & Doctores.* cundò Anima à vigilibus, id eſt, Apoſto-
lis, Paſtoribus, & Doctoribus erudita, il-
liſque obediens inuenit Chriſtum, ſed
ita vt illos pertranſeat, id eſt, in illis non
hæreat, nec in alio ſpẽ ſuam figat quàm
in Chriſto. Ita S. Gregor. 18. Moral. c. 27.
*Cùm redemptorem ſuum*, inquit, *Eccleſia quæ-*
Gregor. *reret, in antiquis prædicatoribus ſpem figere no-
luit, quæ dicit: Paululum cum pertranſiſſem eos,
inueni quem diligit anima mea. Illum quippe in-
uenire non poſſet, ſi iſtos tranſire noluiſſet.* Idem
S. Gregorius hoc loco: *Paululum*, inquit,
*vigiles tranſit & Dilectum inuenit anima, quia
dum Sanctos Doctores puros homines fuiſſe co-
gitat, ad diuinitatem mentẽ erigit, ibique ſpon-
ſum ſuum ſupra homines Patri æqualem cogno-*
Caſſiod. *ſcit, quem tunc inueniſſe ſe dicit, cùm ſanctis la-
boribus adiuta, in eius diuinitatis claritatem
oculum fidei, tanquam ſpeculum contemplando
aliquantulùm figit.* Sic & Caſſiodor. Beda,
Philo, & alij. Addit Caſſiodorus: *Pertran-
ſire*, ait, *Vigiles, eſt eorum dicta & doctrinam
diligenter perſcrutari.* Adiungit S. Anſel-
mus: *Paululum ideo dicit, quia ſine magno la-*
Anſelm. *bore cognitio Dei habetur: Ex quo enim Deus
percipit affectionem quærentis, ipſe ſeipſum offert
& ſponte ingerit.* Verum eſt tamen illud S.
Auguſt. in Pſalm. 103. concl. 2. *Quod diffi-*
Auguſt. *cilius quæritur, ſolet dulcius inueniri*: vti hîc
Sponſæ contigit, quæ proinde ſubiun-
git: *Tenui eum, nec dimittam.*

3. Tertiò, Iuſtus Orgelit. per Vigiles ac-
*Philoſophi.* cipiens Philoſophos ſic exponit: Cùm
pertranſiſſem ſapientes mundi, intelli-
gens eorum ſapientiam eſſe ſtultitiam,
(nam ſtultam fecit Deus eius ſapientiam
1. Corinth. 2.) perueni ad Chriſtum, qui
eſt Dei virtus & ſapientia.

Quartò, S. Ambroſius lib. de Iſaac & 4.
anima cap. 5. vrget τὸ *paululum*, q. d. Paulò
poſt tentationes & tribulationes, adeſt
Chriſtus roborans & conſolans: *Multi*,
ait, *in otio quærunt Chriſtum, & non inueniunt,* Ambroſ.
*& quærunt eum in perſecutionibus & citò inue-
niunt; Et ideo quaſi poſt tentationes, quia in pe-
riculis fidelium ſuorum adeſt. Quàm modicum,
inquit, cùm tranſiui ab eis, inueni eum, tenui
eum, & non dimiſi eum. Omnis enim, qui quærit
inuenit, & qui inuenerit, adhærere debet, ne poſ-
ſit amittere.*

Allegoricè S. Bernard. ſerm. 79. docet *Allegoricè.*
Chriſtum tranſiſſe in Reſurrectione,
pertranſiſſe in Aſcenſione, ac proinde
Sponſam per fidem vtrobique illum ſe-
qui debere, vt inueniat eum ſedentem
ad dexteram Dei: *Nunc*, inquit, *quoniam
iam reſurgendo tranſierat, & adiecerat pertran-* Bernard.
*ſire, vſque aſcendendo, meritò ſe etiam iſta non
tranſiſſe, ſed pertranſiſſe perhibuit: quæ hunc qui-
dem fide & deuotione ad cælos vſque ſecuta eſt.
Igitur credere Reſurrectionem tranſire eſt, cre-
dere etiam Aſcenſionem, pertranſiſſe.* Et paucis
interiectis: *Ergo quod ſibi deerat inſtructa ab
illis, quia ſcilicet qui reſurrexerat etiam aſcen-
diſſet, aſcendit & ipſa pariter, hoc eſt pertranſiit
& inuenit: Quidni inuenerit pertingens mente,
ubi ille corpore eſt?*

Denique vis inuenire Chriſtum? quæ-
re eum in præſepio humilitatis & pau-
pertatis, in cruce patientiæ & martyrij,
in vicis & caſtellis prædicationis & zeli
animarum, denique in ſinu B. Virginis,
id eſt, in puritate & inuocatione B. Vir-
ginis; ibi eum inuenies. Audi Philonem
Carpathium: *O quàm tenet illum, & (vt ita* Phil. Carp.
*dicam) cogit fidelium anima, dum beneplacita
illi & accepta facit. Delectatur enim Sponſus
quemadmodum Sponſa, iuſtorum vitâ, moribus,
ſocietate atque conſuetudine: tenetúrque operibus
virtutis, non manibus armatorum, non diuitum
pompis, non opulentorum iactantiâ, non elato-
rum faſtu, non gulæ, ſomni, luxuriæ, inuidiæve
morbo laborantium; ſed operibus miſericordiæ,
pietatis, continentiæ, humilitatis, temperantiæ,
beneuolentiæ, caſtitatis, & precibus rectorum;
tunc in domum matris noſtræ volens libentiſſi-
mè introducitur Sponſus.*

*Tenui eum, nec dimittam, donec introducam
illum in domum matris meæ, & in cubiculum
genitricis meæ.* Septuag. *donec introduxi eum* LXX.
*in domum matris meæ*, & εἰς ταμεῖον, id eſt, Ambroſ.
*in cellam* (S. Ambroſ. *in ſecretum*, Hebr. [illegible]
*el cheder*, id eſt, *in penetrale*, ſcilicet in peni-
tiſſima

*tiſſima* & intima domus) *eius, quæ concepit me.*

In cubiculo & cella ſeruantur chara & pretioſa quæque: ibi quoque Amantes ſecreta quæque dicunt & tranſigunt: vnde ibi conceptam & genitam ſe aſſerit Sponſa.q.d. Mox vt inueni Sponſum vnicè dilectum & tanto ſtudio quæſitum, apprehendi (hoc enim eſt Hebr. *achaztiu* eum,tenui, & ſtrinxi, nec dimittam, ſed introducam eum in cubiculum genitricis meæ, vt ibi eum quaſi rem pretioſiſſimam concludam, ne amplius à me recedat, ſed iugiter cum eo verſer,ore ad os colloquar,ſecreta tranſigam, totúmque amori eius ſacro me impendam, illóque fruar:in cubiculo enim eſt thalamus nuptialis. Ita Theodoret.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

*Domus matris Eccleſia eſt Synagoga.* AD literam ſignificat, vt dixi verſ.1. quòd Eccleſia Gentium, vbi Chriſtum per fidem & cultum recepit, nunquam illum ſit dimiſſura, ſed ſemper in eius fide & amore permanſura, donec eundem introducat in Synagogam,puta in cor & cubile Iudæorum (hæc enim eſt Mater Eccleſiæ Chriſtianorum)eámque ceu Sponſam Chriſto deſpondeat: in cubiculo enim degit Sponſus cum Sponſa.Ita S. Gregorius, Caſſiodorus, Philo, Alcuinus, Beda, Iuſtus,Aponius, Anſelmus, Honorius, Rupertus, S.Bernardus,& paſſim alij. Audi S Bernardum: *Qui ingreditur thalamum, Sponſus eſt. Magna* *Bernard.* *amoris potentia; Saluator indignabundus exierat de domo & hæreditate ſua, & nunc ad huius gratiam mitigatus inflectitur, ita vt redeat non modò ſaluator, ſed & Sponſus. Benedicta tu à Domino filia,qua & indignationem compeſcis & hæreditatem reſtituis. Benedicta tu matri tua, cuius beneficio auertitur ira,reuertitur ſalus, reuertitur qui dicat illi:ſalus tua ego ſum.Non ſufficit hoc, addat & dicat. Deſponſabo te mihi in fide,deſponſabo te mihi in iudicio & iuſtitia,deſponſabo te mihi in miſericordia & miſerationibus.Sed memento, quia quæ has conciliat amicitias,Sponſa eſt. Quomodo ergo Sponſum, & hunc Sponſum alteri cedit,ne dicam cupit. Non eſt ita. Cupit quidem illum matri filia bona,non tamen vt cedat illi, ſed vt communicet. Sufficit vnus duabus,niſi quod iam non erunt duæ, ſed vna in ipſo.Ipſe enim eſt pax noſtra,qui facit vtramque vnam, vt ſit vna Sponſa, & Sponſus vnus Ieſus,&c.*

*Et Eccleſia Romana.* Poteſt quoque per domum matris & cubiculum genitricis intelligi Romana Eccleſia, cui præſidet ſummus Pontifex,velut ſucceſſor Sancti Petri & Vicarius Chriſti, quæ proinde eſt Mater & matrix omnium Eccleſiarum, quæ ſcilicet cæteras omnes, vel primitus ad Chriſti fidem conuertit, vel conuerſas in ea lacte doctrinæ ſuę,quaſi mater,alit, fouet, ſeruat, firmat, & promouet.q.d. Sponſa id eſt,Eccleſia gentium:Non dimittam Chriſtum,Chriſtíque fidem, ſed eam cum Romano Pontifice & Eccleſia communicabo, illíque meam fidem ſubiiciam,& vniā,imò iuramento firmabo & adſtringam,quò fiet vt nunquam à Chriſti fide & cultu excidere, aut ſeparari queam,ſicut Romana Eccleſia ab ea excidere nequit. S.Petro enim, eiúſque ſucceſſoribus Romanis Pōtificibus promiſit Chriſtus: *Ego rogaui pro te* (Petre) *vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Lucæ cap.22.32. *Luc.22.32.*

*Symbolicè, Scriptura.* Symbolicè, per domum matris & cubiculum genitricis accipi poteſt S. Scriptura, quæ magna ex parte à matre Eccleſiæ, putà à Synagoga eſt accepta.q.d. Solidabo me, meóſque fideles, quin & Iudæos conuertam per S.Scripturam,introducendo eos in illorum dicta & ſenſa: hæc enim planè veræ fidei dogmata continent & legentibus exhibent. Ita Iuſtus Orgelit.Hinc Chaldęus more ſuo iudaïzans vertit: *Et populus domus Iſrael offerebat oblationes ſuas, & nauabant operam verbis in cænaculo domus doctrinæ Moſis magiſtri eorum, & in cubiculo Ioſue filij Nun miniſtri eius.* *Chald.*

*Anagogicè, eſt cælum.* Anagogicè ſenſus eſt q.d. Eccleſia & anima ſancta: Non dimittam meum Chriſtum, donec ipſe me introducat in cælum, quaſi in thalamum nuptialem, vt ibi vnus cum eo efficiar ſpiritus. Eccleſia enim cæleſtis Dei, Angelorum & Beatorum,eſt mater Eccleſiæ terreſtris, ſiue in terra militantis, vti docet Apoſt. Galat.4.26.*Illa*,inquit, *quæ ſurſum eſt Ieruſalem,libera eſt,quæ eſt mater noſtra*.Ita Theodoret.& Iuſtus Orgelit. *Galat. 4.26.*

Porrò non ait Sponſa, donec ipſe Sponſus me introducat in cælum, ſed donec ego introducam illum, ex confidētia amoris.q.d. Ita Sponſum per amorem mihi adſtringam & vniam, vt non tam ipſe, quàm ego eum introducam in cælum; tum quia amor audax eſt & imperioſus; Amans enim amore imperat amato licet digniori, eúmque ſibi æquat; imò ſubiicit. Amans enim obediens amico,

eo, eum vicissim ſibi obedientem efficit, ſicut Iacob Angelum, & in eo Deum ſibi obedire, ſeque benedicere coëgit, ideóque vocatus eſt Iſraël, id eſt, dominans Deo. Geneſ. 32. Hæc eſt vis amoris & obedientiæ. Vnde & de Ioſue c. 10. 12. iuſſu ſuo ſiſtente ſolem dicitur: *obediente Domino voci hominis*: tum quia anima ſancta eſt ſedes & vehiculum Christi in ſe manentis: quare eum vehit quocumque libet, adeóque in cælum, iuxta illud: *Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* 1. Corinth. 6. vlt.

Ioſue 10. 11.

1. Cor. 6.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

Tropologicè. Domus Genitricis, Mens.

TRopologicè Anima ſancta apprehendit Chriſtum fide & ſpe, tenet deuotione, ſtringit charitate, nec dimittit, ſed introducit eum in domum matris & cubiculum genitricis, id eſt, in mentem ſuam, quæ quaſi eſt mater, altrix, & nutrix omnium animæ virtutum, ſenſuum, & potentiarum, vt iugiter de eo cogitet & meditetur, cum eóque colloquatur & diſſuauietur. Ita Nyſſen. Philo, Tres Anonymi apud Theodor. & alij. Audi Nyſſenum: *Non dimittam amplius Deum anſa fidei apprehenſum, donec fuerit intra meum conclaue, quod conclaue eſt ipſum cor meum. Tunc verò id fit, quando redierit ad illum ſtatum, in quo fuit ab initio, quando fuit effectus ab ea, qua concepit.* Subiungit *eum à vero non aberraturum, qui matris nomine intelligat ſignificatam primam matrem noſtræ conſtitutionis, quæ ſanè haud alia eſt, quàm Deus ipſe.* Et Richardus de S. Victore, Gratiam docet eſſe piæ animæ matrem, quæ eam ſpiritaliter regenerat, ac in mente quaſi in domo habitat. Anima ergo ſancta dicit, Introducam Chriſtum in mentem meam, vt ipſe plenè & planè illam poſſideat, ac mens mea à ſeipſa deficiat, & tota in Chriſtum per amorem quaſi tranſeat: *Tenetur*, inquit Richardus, *Deus deuotione, deſiderio, importunitate, memoriâ, prece, fide, & expectatione exauditionis, nec dimittitur ſi ab intentione non ceſſet, nec vultus amplius in diuerſa mutentur. Tenet itaque Dilectum, quamuis aurora ſit, nec dimittit donec benedixerit ei. Luctata eſt cum ea totâ nocte, quâ dormiuit, ſed cor eius vigilauit, quia ſcilicet ab exteriori occupatione ceſſauit, & in quærendo dilectum laborauit; Etiam quamuis per noctem ad auroram peruenerit, non ceſſat à lucta, id eſt, ab orationis inſtantia, nec dimittit Dilectum, niſi benedictionem det, vt eat de virtute in virtutem & videat Deum Deorum in Sion, id eſt, in ſpeculatione per ſpeculum & in ænigmate: benedictionem hanc quærit & nominis mutationem, vt non iam Iacob, ſed Iſraël dici poſſit, nec opus ſit vt amplius vitia ſupplantet, ſed vt expugnatis vitiis puritate fruatur virtutum & Deum contempletur. Beati enim mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Hinc S. Anſelmus per cubiculum genitricis accipit fideles, qui mentem ſuam faciunt per ſanctitatem lectulum, in quo Chriſtus ſuauiter quieſcat. Huc accedit Hugo de S. Victore lib. 6. Expoſit. in Hierarchiam cæleſtem S. Dionyſij, qui ſic animam ſanctam cōpellat: *Ergo Deus intrabit ad te, vt tu ingrediaris ad ipſum: Tunc enim tu intras ad ipſum, quando ipſe ad te ingreditur. Quando amor illius cor tuum intrat & penetrat, & ad intimum cordis tui dilectio illius pertingit, tunc intras in teipſo, & tu quoque intras teipſum, vt ingrediaris ad ipſum: Neceſſe eſt autem, vt vſque ad thalamum perueniat & cubiculum ingrediatur, & vſque ad intima tua is penetret, ibique requieſcat. Quin & cubiculū genitoris forte non amat, niſi in cubiculum genitricis introducatur, vbi dilectio magis tenera eſt & blandimenta dulciora, vt nihil apud te durum & rigidum inueniat virilis truculentiæ, ſed totum liqueſcat & molleſcat igne dilectionis.* Aponius verò: *Cùm legem diuinam*, inquit, *mundo legeris corde, & quæ præcepit facienda docueris, exultantem Chriſtum in domum matris induces. Cùm autem eius mirabilia myſteria diſſerere fueris dignus, & cæco Iudæo & Gentili gratiæ donum, veram humani generis redemptionem annuntiando, Chriſtum renaſcentem in cubiculum genitricis introduces.*

Nyſſen.

Richard. Victorin.

Cubiculum Genitricis, Fideles.

Hugo de S. Victore.

Aponius.

Deniquè S. Bernardus ſerm. 83. docet Sponſum teneri charitate. Amor enim eſt conformitas, connubij contractus, & complexus Sponſi & Sponſæ: *Talis conformitas*, ait, *maritat animam Verbo, cùm cui videlicet ſimilis eſt per naturam, ſimilem nihilominus ipſi ſe exhibet per voluntatem, diligens ſicut dilecta eſt. Ergo ſi perfectè diligit, nupſit. Quid hac conformitate iucundius? quid optabilius charitate? quâ fit vt humano magiſterio non contenta, per temet, ô Anima, fiducialiter accedens ad Verbum, Verbo conſtanter inhæreas; Verbum familiariter percuncteris, conſultéſque de omni re, quantùm intellectu capax, tantùm audax deſiderio. Verè ſpiritualis, ſanctique connubij contractus eſt iſte. Parum dixi contractus; Complexus eſt. Complexus planè, vbi idem velle & nolle idem, vnum facit ſpiritum de duobus.*

Connubium Amoris.

Bernard.

Et paucis interiectis ſubiicit: *Amor ſibi abundat, Amor vbi venerit, cæteros in ſe omnes traducit, & captiuat affectus. Propterea quæ amat, amat, & aliud nouit nihil. Ipſe qui honorè meritò*

Amoris vis.

*meritò, meritò ſtupori & miraculo eſt, amari tamen plus amat. Sponſus & Sponſa ſunt: Quam quæris aliam ipſos inter Sponſos neceſſitudinem vel connexionem, præter amari & amare?* Et mox: *Exigit Deus timeri vt Dominum, honorari vt pater, vt Sponſus amari*, &c. *Ipſe* (Amor) *meritum, ipſe præmium ſibi eſt: amor præter ſe non requirit cauſam, non fructum fructus eius, vſus eius. Amo, quia amo, amo vt amem. Magna res amor, ſi tamen ad ſuum recurrat principium; ſi ſuæ origini redditus, ſi refuſus ſuo fonti, ſemper ex eo ſumat vnde iugiter fluat. Solus eſt amor ex omnibus animæ motibus, ſenſibus atque affectibus, in quo poteſt creatura, etſi non ex æquo reſpondere auctori, vel deſimili mutuam rependere vicem.*

Ex quibus omnibus demum concludit: *Eſto quod honor regis iudicium diligat, ſed* Bernard. *Sponſi amor, imò Sponſus amor ſolam amoris vicem requirit & fidem. Liceat proinde redamare dilectam, quidni amet Sponſa, & Sponſa amoris? Quidni ametur amor? Meritò cunctis renuncians affectionibus aliis, ſoli, & tota incumbit amori, quæ ipſi reſpondere amori habet in redhibendo amore. Nam & cùm ſe totam effuderit in amorem, quantum eſt hoc ad illius fontis perennæ profluuium?* Denique Richardus de S. Victore tract. de gradibus charitatis cap. 1. *Charitas*, inquit, *eſt vita fidei, ſpei robur, & omnium intima vis & medulla virtutum. Hæc vitam ordinat, affectus inflammat, actus informat, exceſſus corrigit, mores componit, valens ad omnia & omnibus præualens, quæ ipſam quoque omnipotētiam quodammodò reddit impotentem.* Exemplum dat Moſen, qui ex charitate orans pro populo adorante vitulum, ligauit quaſi manus Dei, vt diceret: *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra populum iſtum.* Exod. 32. & poſt nonnulla: *Sola quæ Deum tenere poſſit vis amoris eſt, quæ non ſolùm teneri ſe patitur, ſed quòd non teneatur piè conqueritur in Propheta: Quæſiui de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam, & non inueni.* Ezech. 22. Denique ita concludit: *In aduerſis fortis, ſed fortior in proſperis. Solus enim Chriſti amor eſt, qui ridentis & irridentis fortunæ purè blanditias ſpernit, & conſpuit, ſapore dulciori delectatus, cuius reſpectu omnis dulcedo amara eſt, omnis iucunditas mæror eſt; omne pulchrum fœdum, omne ſuaue moleſtum* Porrò Beda & S. Ambroſ. lib. de Iſaac cap. 5. hæc adaptant S. Magdalenæ, Chriſti poſt Reſurrectionem pedes tenenti.

*Charitas omnipotentem facit quaſi impotentem. Richard. Victorin.*

Exod. 32.

Idem Richard.

*Symbolicè.* Symbolicè, Philo Carpath. & Tres Anonymi apud Theodoret. cenſent mētem vocari domum matris, id eſt, Dei ſapientiæ, quæ omnium rerum eſt cauſa, & mater. Mens enim ſapientiæ capax eſt, quaſi domicilium Verbi ob ſimilitudinem: eadem eſt cubile, propter arcanos virtutum eius theſauros, quos velut imago in ſe reconditos ſeruat: Vnde Philo: *Per domum matris*, inquit, *cor cæleſtis ſapientiæ ipſius Verbi arbitror intelligi, & per cubiculum genitricis hoc ipſum cor. Nam domum quidem propter illud puto dictum, quod legitur: Inhabitabo in vobis & inambulabo. Per cubiculum verò (quoniam in cubiculo quæque optima collocantur & pretioſa) fides, ſpes, charitas, iuſtitia, fortitudo, temperantia, prudentia, patientia, virtus: hæc quidem non corporis, ſed animi ſunt ornamenta.* Philo.

Exempla huius ſententiæ ſunt, Dauid, dicens Pſalm. 72. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt.* S. Paulus, dicens Rom. 8. 35. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?* &c. *Certus ſum enim quia neque mors, neque vita,* &c. Præclarè S. Bernardus ſerm. 79. *Glutino, bonum eſt, ait Iſaias* cap. 41. *quid hoc tenacius glutino, quod nec aquis eluitur nec ventis diſſoluitur, nec ſcinditur gladiis? Denique aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem. Tenui eum nec dimittam. Et S. Patriarcha: Non te, inquit, dimittam, niſi benedixeris mihi. Ita iſta non vult eum dimittere, & fortè magis quàm Patriarcha id non vult, quia nec pro benedictione quidem. Siquidem ille benedictione acceptâ dimiſit eum, hæc autem non ſic. Nolo inquit benedictionem tuam, ſed te. Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Non dimittam te, nec ſi benedixeris mihi. Tenui, nec dimittam.* Subiicit deinde Chriſtum magis tenere animam ſanctam, quàm ab ea teneatur: *Nec minus forſitan ille teneri vult, cùm perhibeat dicens: Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. Quodque pollicens ait: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi. Quid hâc copulâ fortius, quæ vna duorum tam vehementi voluntate firmata eſt?* Subdit S. Bernardus Chriſti introductionem in domum afferre ſalutem, ingreſſum verò in cubiculum afferre peculiarem gratiam: *Sufficiebat*, inquit, *ad ſalutem ſi domum intraret: at ſecretum cubiculi ſignat gratiam. Hodie, ait, huic domui ſalus facta eſt. Quidni ſit domeſticis ſalus, Saluatore ingreſſo domum? Sed quæ in cubiculum meretur recipere, ſeorſum habet ſecretum ſuum ſibi. Salus domui ſit, thalamo deliciæ reconduntur.*

Pſalm. 72.

Rom. 8. 35

Bernard.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

BEata Virgo anxiè quærens Chriſtum perditum, cum inter Doctores in templo reperit, tenuit eum, nec dimiſit, donec introduceret eum in domum matris ſuæ, id eſt, in Iudæam permittens Chriſto orbánſque ſe eius dulciſſimâ præſentiâ, vt ipſe prædicando obiret vices & caſtella, omnéſque ſibi per fidem & gratiam copularet. Vnde & ipſa fuit cauſa primi miraculi Chriſti, ſcilicet conuerſionis aquæ in vinum ad nuptias in Cana Galileæ, propter quod multi Chriſto crediderunt, vt docet S. Ioannes cap. 2. 11. Eadem erit cauſa, cur Synagoga Iudæorum in fine mundi per Eliam conuertatur ad Chriſtum, perinde ac ipſa cauſa eſt, cur plerique peccatores pœniteant & conuertãtur ad Chriſtum, vti patet ex hiſtoriis & vitis Sanctorum. Denique ipſa à Chriſto introducta in cælum, eòdem animas ſibi deuotas introducit, vti docet S. Bernardus, S. Anſelm. S. German. S. Bonauent. & cæteri, qui de laudibus B. Virginis ſcripſerunt.

## VOX SPONSI.

Verſ. 5. *Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis neque vigilare faciatis dilectam donec ipſa velit.*

*Secunda Sponſa Ecſtaſis.*

HÆc verba hîc iterantur, iam enim audiuimus ea *cap. 2. verſ. 7.* quare videtur Sponſa iteratò hîc in ſomnum & eeſtaſin incidiſſe. Primò in eam incidit *cap. 2. verſ. 4.* dicens: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Amor enim vehemens parit ecſtaſin; imò ecſtaſis eſt ſublimiſſimus & perfectiſſimus amoris actus: *Eſt enim ecſtaſin faciens diuinus amor*, ait S. Dionyſ. de diuin. nom. Ab ecſtaſi hac videtur excitata Sponſa hoc cap. 3. verſ. 1. & 2. dicens: *Surgam & circuibo ciuitatem; per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea*; ſed partim ex labore & circuitu quærendi Spõſum, partim ex inuentione & præſentiâ Sponſi, de quo mox ſubdit: *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam*, rurſus ex vehementi amore & gaudio, quo perfundebatur, & quaſi liqueſcebat fruens Sponſo vnicè dilecto in eius ſinu corruens & indormiens, incidit in animi deliquium & ecſtaſin, à qua Sponſus vetat eam excitari; quia ipſe vt Sponſam amat ardentiſſimè, ſic viciſſim ab ea ſe amari, & amando teneri ardentiſſimè cupit. Multa enim in Dramate hoc, vti & in aliis ſubticentur, ſed ex adiunctis intelliguntur, & Interpreti ſupplenda ſunt. Dionyſ.

Parabolicè, ſignificat Eccleſiam primitiuam, id eſt, Apoſtolos poſt laborem & diſtractionem aliquot annorum, quos conuertendæ Iudææ impenderunt, recepiſſe ſe per aliquod tempus ad quietem orationis & otium contemplationis, vt vires mentis reſtaurarent, ac ſe ardentiùs ad nouos maioréſque labores, putà ad conuerſionem omnium gentium compararent. Ad hoc enim opus erat ingenti ſpiritu, quem orando excitare & à Deo poſtulare par erat. Vnde Chriſtus vetat eos ab hoc ſomno & quiete tam piâ excitari. Apoſtolos imitentur viri Apoſtolici, vt poſt labores actionis, ſubinde ad otium contemplationis ſe recipiant, vt vires animi reſtaurent, & nouos ardores euangelizandi concipiant. Parabolicè.

Cæterùm Verſum hunc explicui Cap. 2. verſ. 7. quare nil aliud hîc addendum occurrit.

Hîc finitur ſecunda Pars libri, ſiue ſecundus Actus huius Dramatis, ſequitur tertius.

TERTIA

# TERTIA PARS CANTICI,

*SIVE*

# TERTIVS ACTVS DRAMATIS.

*Sicut Actu ſecundo, qui fuit à cap. 2. verſ. 8. hucvſque, Salomon deſcripſit Eccleſiæ adoleſcentiam, ſiue incrementa & propagationem; ſic hoc Actu tertio qui hic incipit, & protenditur vſque ad cap. 5. verſ. 2. deſcribit eiuſdem virilem ætatem ſiue perfectionem, quâ ad ſummum quaſi faſtigium, ſuúmque culmen prouecta & exaltata eſt. In hoc carmine, ait Titelmannus, quod ad finem vſque capitis perdurat, Spiritus ſanctus loquitur, mirificéque commendat Eccleſiæ pulchritudinem ſub diuerſis comparationibus. Primùm quidem ſub ſimilitudine Mulieris ſpecioſæ, cum magna gloria ſurſum aſcendentis in magna odoramentorum fragrantia. Secundò ſub ſimilitudine pretioſi Lectuli Regis Salomonis, fortiſſimorum virorum ſemper muniti præſidio. Tertiò ſub comparatione pulcherrimi, aſpectûque iucundiſſimi ferculi, ſiue vehiculi Regij. Poſt quæ deinde ſpiritus idem filias Ieruſalem, puta fideles animas ad Sponſi debitum cultum concludendo exhortatur, dicens: Egredimini filiæ Sion, & videte regẽ Salomonem. Vide dicta in Prœmio c 3.*

## VOX SYNAGOGÆ primitus ad Chriſtum conuerſæ, de Eccleſia Gentium.

Verſ. 6. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?*

Syrus Arab. *QVÆ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum* (Syrus & Arabicus, *ex deſerto*) *ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?* puta Aromatarij ſiue apothecarij, qui aromata in puluerem redigit, commiſcet, componit &c.

Quoad ſpeciem Dramatis, introducitur hîc Sulamitis, ſiue Sponſa Salomonis ſtaturâ procera, decorè ac magnificè incedens, atque ex deſerto, id eſt, ex rure & agro ſuburbano aſcendens ad Sponſum Salomonem, reſidentem in Ieruſalem & Monte Sion, ibi enim erat templum & regia Salomonis, q. d. Quæ eſt iſta Virgo ruſticana, quæ euecta ad thalamum regium ita ſplendidè incedit? Hinc ipſa comparatur virgulæ fumi aromatum, qui rectà aſcendit in altum, & ſuauem expirat odorem. Quare illam videntes, illique obuiantes, decorum & magnificum eius inceſſum admirantes,

*Cornel. à Lapide, in Cant. Canticorum.*

inter ſe quærunt & exclamant: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit*, &c. q.d. Vndenam tantæ in deſerto deliciæ? Vnde tantus in ruſtica & alienigena puella decor & maieſtas? qui creſcit vt virgula fumi: quia quò magis in altum vapor fumi aromatum aſcendit, eò magis eorum fragrantia percipitur.

*Variæ Lectiones & verſiones.* Pro *virgulæ*, Hebr. eſt תימרות *temiroth* (quæ vox tantùm hic reperitur & Ioëlis 2. verſ. 30. vbi Noſter & Septuag. vertunt *vaporem*) id eſt, *palmæ*, ſed artificiales, vti ſunt ſimilitudinariæ & expictæ. Fumus enim rectà aſcendens ſimilis eſt palmæ, quæ ex variis ramis coaleſcens & compacta, arborum omnium eſt rectiſſima, denſiſſima & pulcherrima: ſupernè enim ramos circumquaque latè diffundit, iiſque quaſi comâ cingitur & coronatur. Simili enim modo fumus ex variis aromatibus exhalans coaleſcit, & in altum ſcandit rectiſſimè, denſiſſimè & pulcherrimè, ac ſupernè in varias partes quaſi ramos ſe ſecans, & in plures quaſi vaporum globos ſeſe agglomerans, iis quaſi comâ variegatâ ornatur & circumuoluitur. Vnde Rabbini & Pagnin. vertunt: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit ſicut columnæ fumi ſurſum aſcendentes ſicut palmæ.* Aquila apud Theodor. *ſicut ſimilitudo fu-*
*Theodor. Symmach.* *mi.* Symmach. *tanquam incenſi euaporatio.*
*LXX.* Septuag. ὡς στελέχη καπνοῦ, id eſt, *ſicut truncus* vel *ſtipes* aut *virgula fumi*. Mirum eſt ergo S. Ambroſ. Epiſt. 62. legere *ſicut vitis propago*. Noſter aptè vertit *virgula*, quia Hebræum *temiroth* eſt diminutiuum à תמר *thamar*, id eſt, palma; *temiroth* ergo eſt palmula, ſiue parua palma, aut virgula
*Syrus.* ſimilis palmulæ. Syrus, *ſicut incenſum fumi*,
*Arabic.* Arabicus, *quaſi thurificata ramis thuris.*

Rurſum pro *ex aromatibus* Noſter cum Simmach. legit מקטרת *micketoret*, id eſt, *ex incenſo*, ex ſuffimento, vel ſuffitu & thymiamate, quod fit ex aromatibus: iam aliis pũctis legunt מקטרת *mecuttereth*, id eſt, ſuffita, vel ſuffumigata. Sed eòdem redit ſenſus. Quocirca Septuag. vertunt: *Quæ*
*LXX.* *eſt iſta, quæ aſcendit è deſerto tanquam truncus fumi euaporans myrrham & thus, ex omnibus*
*Aquila.* *pulueribus unguentarij.* Aquila: *ſicut ſimilitudo fumi ex ſuffimento myrrhæ & thuris*, &c. S.
*Ambroſ.* Ambroſ. Epiſt. 62. *ſicut vitis propago fumo incenſa, adorificata myrrhâ, & thure ab omnibus pulueribus unguenti.*

Grammaticalis ergo corticis litteræ ſenſus eſt, q.d. Obuiantes Sponſæ, eámque admirantes dixerunt: quæ eſt iſta Sponſa procera & decora, tam magnificè per agrum incedens verſus Ieruſalem, ac ſuauiſſimum odorem expirans? quò enim magis incedendo aſcendit, eò procerior apparet, ac ſuauiorẽ myrrhæ, thuris, cæterorúmque aromatum exhalat odorem, adeóque perſimilis videtur virgulæ, ſiue columellis fumi, quæ inſtar palmæ rectà aſcendunt in altum, ac gratiſſimum myrrhæ, thuris & aromatum (ex quibus in puluerem redactis commixtæ & conflatæ ſunt) igne incenſorum halitum expirant, & obuiis quibuſque aſpirant.

Chaldæus de more hæc de Synagoga accipit typicè: Nam Synagoga typus fuit Eccleſiæ: *Quando*, inquit, *aſcenderunt* *Chald.*
*filij Iſraël de deſerto, & tranſierunt Iordanem cum Ioſue filio Nun, dixerunt populi terræ: Quæ eſt iſta gens electa, quæ aſcendit de deſerto ſuffumigata ab incenſo aromatum, & adiuta propter meritum Abrahæ, qui ſeruiuit & orauit coram Domino in Monte Moriah, & exterſa oleo unctionis propter iuſtitiam Iſaac, qui ligatus fuit in domo Sanctuarij, qui vocatus eſt mons thuris, & fiunt ei mirabilia propter miſericordiam Iacob, cum quo luctatus eſt vſque ad aſcenſum auroræ, & præualuit illi, & liberatus eſt ipſe, & duodecim tribus eius.*

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

PRimitiua Eccleſia ex Apoſtolis, cæteriſque Iudæis in Sion & Ieruſalem collecta, auditâ S. Cornelij per S. Petrum, ac Gentium per S. Paulum & Barnabam conuerſione admirans exclamat: *Quæ eſt iſta* noua & bella Eccleſia, ex deſerto gentiliſmi tenuiter & graciliter aſcendens ſicut virgula fumi, ſed ex continua fumi aſcenſione ſurſum agglomerans ſeſe in magnam creſcit amplitudinem, atque ſuauiſſimum virtutum expirat odorem? Spirat enim thura, id eſt, Chriſti Deitatem: credit enim Chriſtum eſſe Deum, illíque thura, id eſt, ſacrificia & diuinos offert honores: ac myrrham humanitatis & Paſſionis Chriſti. Credit enim Chriſtum Deum pro nobis aſſumpſiſſe humanam naturam, in eâque paſſum, crucifixum, mortuum & ſepultum: ac vniuerſum puluerem pigmentarium, id eſt, reliquam doctrinam Euangelicæ prædicationis exhalat, & quaquauerſum diffundit. Ita Philo Carpath. Iuſtus Orgelit. Theodoret. Aponius, Beda, & Anſelm. qui cenſent hæc eſſe verba fidelium primitiuæ Eccleſiæ, licèt Rupertus cenſeat hæc eſſe verba Sponſi Chriſti,

Caſſiodorus verò eſſe ſodalium Sponſi.
Audi Theodoretum: *Non immeritò anima*
Theodor. *pia ſimilis dicitur fumo ſuffimenti, quæ, vt Apo-*
*ſtolus ait, membra ſua conſtituit hoſtiam viuen-*
*tem, ſanctam, Deo placentem: dicitur autem re-*
*dolere myrrham, thus, ex vniuerſis pulueribus*
*pigmentarij: quia Chriſti humanitatem per myr-*
*rham deſignatam, & diuinitatem ſignificatam*
*per thus adorat, Sponſique tùm mortem credit,*
*tùm eſſentiam ſempiternam confitetur. Sicque ex*
*vniuerſis pulueribus pigmentarij, myrrham &*
*thus ipſius admirari Angelos ſanctos: quoniam*
*etſi ea habeat alias virtutes, ex diuina ſcriptura*
*tanquam ex pigmentarij officinâ depromptas,*
*in ipſa tamen excellit myrrha & thus, id eſt,*
*Sponſi Diuinitatis, & Humanitatis cognitio.*

*Thus Orationis, Myrrha Mortificationem notat.* Rurſum Eccleſia ſpirat thura, quia
orationi eſt dedita; & myrrham, quia
ſtudet mortificationi affectuum, vt ve-
terem Adam exuat, & nouum induat,
qui ſecundùm Deum creatus eſt in iu-
ſtitia & ſanctitate veritatis. Epheſ.4. 24.
ac vniuerſum puluerem pigmentarium,
*Puluis Pigmentarius, virtutes, Orationis & Mortificationis comites.* id eſt, humilitatem, obedientiam, eleë-
moſynam: cæteráſque virtutes, quæ co-
mites imò filiæ ſunt orationis & morti-
ficationis. Sicut enim aromata contrita
& in puluerem coutuſa igneum, quem
in ſe concludebant halitum exhalantes,
ſuauiorem expirant odorem: ſic & vir-
tutes per humilitatem quaſi comminu-
tæ & contritæ, ſuauiùs Deo & homini-
bus redolent. Ita S. Gregor. Beda, Apo-
nius & cæteri, ac S. Ambroſ. lib. de Iſaac
cap. 5.

Hic ſenſus liquet ex euentu, quem
hiſtoricè narrat S. Lucas Actor. 10. &
ſeq. vbi fideles Iudæi audientes Gen-
tium conuerſionem, admirantes excla-
Act.10. mauerunt: *Quia & in nationes gratia Spiritus*
*ſancti effuſa eſt. Ergo & gentibus dedit Deus pæ-*
*nitentiam ad vitam.* Item ex eo quod de
hac conuerſione Gentium prædixit Iſa-
Iſai.35.1. ias cap. 35. 1. *Lætabitur deſerta & inuia, &*
*exultabit ſolitudo & florebit. Germinans germi-*
*nabit, & exultabit lætabunda & laudans. Gloria*
*Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron: Ipſi*
*videbunt gloriam Domini, & decorem Dei*
*noſtri.*

Iſ.41.18. Et cap. 41.18. *Aperiam in ſupinis collibus*
*flumina, & in medio cãporum fontes, & terram*
*inuiam in riuos aquarum. Dabo in ſolitudine*
*cedrum, & ſpinam, & myrtum, & lignum oliuæ:*
*ponam in deſerto abietem, & vlmum, & buxum*
Iſ.43.19. *ſimul.* Et cap. 43. 19. *Ecce ego facio noua, &*
*nunc orientur, vtique cognoſcetis ea: ponam in*
*deſerto viam, & in inuio flumina, glorificabit*
*me beſtia agri, dracones & ſtruthiones: quia de-*
*di in deſerto aquas, flumina in inuio, vt darem*
*potum populo meo.* Vide ibi dicta. Hoc eſt
quod admiratur Apoſtolus, *quòd aliquan-*
*do*, inquit, *vos gentes in carne*, &c. *quia eratis*
*illo in tempore ſine Chriſto, alienati à conuerſa-*
*tione Iſraël, & hoſpites teſtamentorum, promiſ-*
*ſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mun-* Epheſ.2.12.
*do: nunc autem in Chriſto Ieſu vos, qui aliquan-*
*do eratis longe, facti eſtis propè in ſanguine Chri-*
*ſti.* Epheſ. 2. 12. imò cadentibus à fide Iu-
dæis, in Eccleſiam ſubrogatæ ſunt gen-
tes: Quod obſtupeſcẽs Apoſtolus excla-
mat: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ* Rom 11.33
*Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius,*
*& inueſtigabiles viæ eius!* Nota, conuerſio
Gentium fuit admirabilis reſpectu om- *Conuerſio gentium mira quadrupliciter.*
nium cauſarum, Primò materialis, quia
conuerſi fuêre homines ſuperbi, carna-
les, feri, barbari & inepti ad diſciplinam 1.
Chriſti. Secundò formalis, quia conuer- 2.
ſio & Sanctitas Chriſtiana conſiſtit in
mortificatione paſſionum, in humilitate,
in caſtitate, in patientia, in amore inimi-
corum, & ſimilibus, quæ naturæ corru-
ptæ repugnant. Tertiò efficientis, quia 3.
facta eſt ab Apoſtolis, qui erant piſcato-
res, pauperes, viles, rudes, illiterati, infa-
cundi, vti docet Apoſt. 1. Corinth. 1.
Quartò finalis; quia finem habet glo- 4.
riam, non terrenam, ſed cæleſtem: vnde
contra naturam quaſi in cęlum conſcen-
dere debet. Hinc

Dicit *aſcendit*, Primò, quia ſicut vapor *Aſcendit Eccleſia.*
fumi terreſtris, vel paluſtris radiis Solis 1.
excitatus de deſerto aſcendit in altum;
ſic è deſertâ gentilitate, radiis gratiæ
Chriſti excitatus aſcendit ſuauiſſimus
vapor & odor contritionis, orationis &
cæterarum virtutũ. Secundò, quia Chri-
ſtus aſcendens in cælum poſt ſe trahit 2.
Eccleſiam, vt mentem & cor transferat
ad ſuperna, ac per cæleſtem vitam ten-
dat ad cæleſtem gloriam. Vnde ait Apo-
ſtolus: *conſedere nos fecit in cæleſtibus in Chri-*
*ſto Ieſu.* Epheſ. 2. 6. Quocirca Eccleſia non Epheſ.2.6.
tantùm triumphans, ſed & militans vo-
catur cæleſtis, imò cælum, quia è cælo à
Deo vocatur ad vitam cæleſtem, ipſúm-
que cælum, iuxta illud Apocal. 21. 2.
*Vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam de-* Apoc 21.2.
*ſcendentem de cælo à Deo, paratam, ſicut Spon-*
*ſam ornatam viro ſuo.* Quâ de cauſâ cœtus
gentium hîc de deſerto idololatriæ, &
gentiliſmi aſcendere dicitur ad Eccle-
ſiam militantem Chriſti, vt pote voca-
tione altam, & doctrinâ, vitâque cæle-
ſtem. Tertiò, quia alludit ad aſcenſum
& iter Hebræorum ex deſerto Arabiæ, 3.
duce Moſe in Sion & Ieruſalem, præ-
viâ columnâ ignis & nubis: hic enim



*Cornel. à Lapide in Cant. Canticor.*

erat typus Eccleſiæ Gentium ex deſerto infidelitatis aſcenſuræ ad primitiuam Eccleſiam Apoſtolorum, & fidelium ex Iudæis conuerſorum in Ieruſalem & Iudæâ.

Senſus ergo eſt, quem patheticè exprimit Coſmas Hortolanus, q.d. primitiua Eccleſia, id eſt, primi fideles è Iudæis conuerſi, Paulo & Barnabâ, conuertentibus gentes ad Chriſtum, Actor. 13. Quid eſt, ô Paule & Barnaba, quod ego de deſerto gentium ſurgere video? quæ eſt iſta noua Sponſa, quam vos pronubi ex deſertis gentibus aſcitam, in Sponſi mei thalamum inducitis tantoperè ſuffumigatam, myrrhæ & thuris, omniúmque aromatum vnguentarij arte contritorum, ac commixtorum ſuffitum ſpirantem, vt qui ex ea exhalat vapor, virgulam primùm, deinde in altum ſe agglomerans altiſſimas palmas & columnas referre videatur? nimirum propter aſſiduas orationes & omnis generis pia opera, quæ ex fide & charitate, quâ ipſa tota ardet, cùm prodeant, velut ſuauiſſimi holocauſti nidores, vſque in Dei cōſpectum in cælum continenti caligine ſeſe attollunt, ac Sponſum meum vehementer oblectant. Quis vnquam crediſſet tantam gentium multitudinem olim Chriſti ignaram, à Republica Iſraëlitica alienam, teſtamentorum promiſſionis extraneam, omni ſpe & vel ipſo Deo carentem, nunc ciuitatis Dei iure eſſe donatam, quin & repudiatâ Synagogâ matre meâ, Chriſti Sponſi mei coniugio nóbilitatam? Admirabantùr olim, & ſtupebant planè gentes Chananææ, quum viderent maiores noſtros de deſerto Arabiæ aſcendere, & præcedente eos columnâ fumeâ, interdum & igneâ de nocte in ſuas inuadere poſſeſſiones. Iam nunc viciſſim miramur Iudæi, gentes è deſerto infidelitatis aſcendere, & fidei ac charitatis ſuæ caliginoſum, ſuauiſſiméque olentem fumum, inſtar palmarum & columnarum aromaticarum ſurſum ſpirantes, in regnum Euangelicum genti noſtræ hæreditarium irrumpere. Sed quas vobis Doctoribus, intelligo cohæredes mihi, & corporales, ac comparticipes ſuæ promiſſionis, à Deo electas, ciuitatem noſtram, omnéſque fortunas cum ipſis lubens communico. Quas video virgines animas fide, charitate, & conſummatâ iuſtitiâ mihi proximas, vobis paranymphis Chriſto meo

Pſalm. 44. deſponſas, & ad ipſum (vt Regium vatem memini prædicere) adductas eſſe, in communem thalamum lætabunda, & præ gaudio geſtiens admitto.

Symbolicè, tres Anonymi apud Theodoretum ſic explicant: *Quanam eſt iſta, qua ex habitu à perturbationibus remoto per virtutem & ſcientiam ad Deum ſublata conſcendit, velut ſurculus fumi, qui ab igne ſyluam depaſcēte leuis in aëra tollitur. Sic enim anima ſpiritu ſuccenſa, per actionem quidem carnis craſſitudinem, per contemplationem autem rerum ſpecias extenuans; probis tùm moribus, tùm ſermonibus leuis ad Deum fertur, nec terreno pondere deprimitur. Hac ratione myrrham & thus ex aromatibus, atque vniuerſo puluere pigmentarij redolens, ad cæleſtem Sponſum prouehitur.* Singula deinde ſingulis ita adaptant: *Virtute igitur quaſi myrrhâ, cùm carnis ſenſum mortificat, fragrat: ſcientiâ verò quaſi thure, tanquam veritatis notis, ſeipſam diuinam imaginem oſtendit. Ita rerum naturas pertranſiens, ſuauiter olet ad earúmque tendit auctorem: ex quibus inſtar pulueris earum rationes & modi excitantur ei, attenuante his veritatis ſemitis exploratricibus accurato ſermone, qui totum hoc tanquam in igne ſpiritus excoquit.*

Symbolicè. Tres patres.

*Et vniuerſi pulueris pigmentarij*, id eſt, omnium virtutum, quæ in ſingulis fidelibus reſplendent: *quia ſicut multa*, inquit Aponius, *ſuauiſſimi odoris aromata in vnum puluerem redacta, ad delicias regum à pigmentariis aromata præparantur; & dum ſunt multa in vnum corpus collecta, vna magni odoris virgula, vaporata ignibus redditur; ita vnanimitate multorum populorum confeſſio rectæ fidei & rationum vnum ſuauitatis odorem in conſpectu Dei reddere demonſtratur, velut pigmentarius rationalis, congregat ſenſus cæleſtia aromata.*

Aponius.

Quocirca Eccleſia omnibus ſe ſpectandam vel noſcendam exhibens, ſuo ſplendore omnes gentes ad ſe inuitauit & attraxit; hinc comparatur fumo aromatum odoratorum: Fumus enim aſcendens in omnium, qui oculos habent apertos, aſpectum incurrit: odor verò in nares eorum, qui cæci ſunt, vel oculos habent clauſos. Secundò, varietas hæc odoris, id eſt, famæ omnium virtutum, omnes ſibi conciliauit. Alius enim trahitur odore caſtitatis, alius humilitatis, alius charitatis, alius alterius virtutis. Audi Bedam: *Eccleſia aſcendit ſicut virgula fumi ex aromatibus*, &c. *quia vna ex multis perſonis fidelibus conſtruitur; quia diuerſis floridæ virtutibus quædam inſtar myrrhæ ampliùs mortificandis carnis voluptatibus inſiſtunt; quædam ad figuram thuris peculiariùs crebris orationibus vacant; alia aliis bonorum operum fructibus deſudant, vno tamen omnes igne ſpiritus inflammata, quaſi vna fumi virgu-*

*Cur Eccleſia odore Aromatum fumo comparata?*

Beda.

la

*la indiſcreto per omnia ſtudio, ac deuotione communi vita cæleſtis alta requirunt.*

Tertiò, S. Anſelmus per pigmentum accipit virtutes; per puluerem humilitatem: quia vt virtutes Deo & hominibus placeant, debent humilitate ornari, vt homo ſeipſum quaſi in puluerem redigat, ſéque nihil eſſe, nihílque poſſe reputet. Quartò, S. Gregor. hom. 12. in Ezech. & Caſſiodor. per puluerem & pulueriſationem aromatum accipiunt ſubtile examen operum, quia, inquit Caſſiodorus, ſanctorum actiones magnâ diſcretione conſiderandæ ſunt, & tanquam cribro ſubtiliſſimæ conſiderationis euentilandæ, ne quid fortè in illis durum reſideat.

*Eccleſia Gentium, palmes eſt, Chriſto viti inſertus.*

Porrò S. Ambroſ. pro *ſicut virgula fumi*, legit *ſicut vitis propago*, quod licèt ab Hebræo & Græco diſſonet, commodum tamen habet ſenſum. Eccleſia enim gentium quaſi palmes inſerta eſt viti, putà Chriſto, quia ab eo omnem fidem, gratiam, ſanctitatem, ſapientiam, ſpiritum haurit: ſicut palmes omnem ſuam vim & ſuccum haurit à vite. Rurſum etſi palmes aliquid è terra neceſſariò capit, illud tamen non ſugit vaſtum atque immundum, quale terrenum eſt, ſed per vitis radices extenuatum priùs atque purgatum, & in aliam quandam puriorem naturam antè conuerſum.

Sic Eccleſia omnem cibi, potus, veſtis, & rerum terrenarum vſum per gratiam Chriſti emundat, expolit, & perficit, vt ab iis non polluatur, ſed ſanctificetur, nec terreſtris, ſed cæleſtis euadat; quia omnibus iis vtitur non ad guſtum, ſed ad Dei gloriam, & ſuam aliorúmque ſalutem iuxta legem, & voluntatem Dei. Hoc eſt, quod ait Chriſtus: *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum; quia ſine me nihil poteſtis facere.* Ioann. 15. 4. Audi S. Ambroſium lib. de Iſaac cap. 5. *Quæ eſt iſta, quæ cùm antè in inferno derelinquebatur, nunc inhæret Dei Verbo; quæ per deſertum, nimirum per hunc terræ locum incultum ſentibus, & ſpinis noſtrorum obſitum delictorum, aſcendit ſicut vitis propago in ſuperiora ſe ſubrigens, velut fumus natus ex igne atque alta petens: tunc præterea bonis operibus fragrat: odor autem ille orationis piæ redolet ſuauitatem, quæ tanquam ſuaue piæ precationis fragrat vnguentum, quia de æternorum & inuiſibilium, non de corporalium petitione compoſitum eſt: præcipuè tamen myrrham redolet & thus, eo quòd peccatis mortua ſit & Deo viuat.*

(Margin: Ioan. 15. 4. — Ambroſ.)

## SECVNDVS SENSVS

### *De Chriſto & Anima tendente ad perfectionem.*

Angeli, inquit Nyſſen. Theodoret. S. Ambroſ. aliíque, & homines talem animam cernentes, quaſi admirantes dicunt: Quænam eſt iſta, quàm ſtrenua, quàm fortis, quæ cum deſcendere deberet, eo quòd ex Adæ terra compacta eſt, originíſque pondere per ima ſcelerum præcipitem ſe dedit, nunc vi nouâ planéque mirâ in virtutis ardua conſcendit? Aſcendit, inquam, de deſerto mundi, vbi ſolitudo eſt virtutis & ſanctitatis, vbi inter homines animales & craſſos, qui nil niſi terrena cogitant & ſapiunt, ac inter dracones, id eſt, dæmones periculosè degit & viuit, quos omnes prætergreſſa, ſola in altum perfectionis culmen animosè ſcandit: Perſimilis eſt virgulæ fumi ex myrrhæ, thuríſque aromate, igne aduſto exurgenti; nam mortificationis amarulentæ myrrha, & orationis thus traditum diuini amoris incendio, ſurſum fertur, & vt virga quædã directionis, igneo charitatis motu in Deum extenditur: Mortificatio enim carnis pondus, quod mentem degrauat, extenuat: oratio verò quæ ſponte ſuâ fertur ſurſum, eſt ſpiritualis leuitas, qua mens hiat in ſuperna: hiſce ergo duabus quaſi leuitatis alis anima vehitur ſurſum: *Et vniuerſi pulueris pigmentarij*: quia Deus velut ſcientiſſimus pigmentarius animam piam tentationibus, tribulationibus, morbis, perſecutionibus quaſi malleis conterit, humiliat, & quaſi in pulueres redigit, vt eius patientiam & virtutes probet, acuat & perficiat: hæc enim tot ærumnis quaſi attritæ, dum ab igne charitatis corripiuntur, & ſuauiùs fragrant, & rectiùs in Deum inſtar virgulæ fumi feruntur: penetrat enim eas tritas ignis faciliùs, & in ſubtiliorem quandam naturam concurrit: ſicut odorati paſtilli priuſquàm acerris vel thuribulis iniiciantur, ſolent conteri, ac in puluerem redacti prunis iniiciuntur, vt citiùs excitetur fumus, ocyúſque expiret ſuauis illa fragrantia, quæ naribus hauriatur. Ita S. Gregorius, Caſſiodorus, Beda, Philo, Ioannes Carmelita & cæteri. Audi S. Gregorium: *In deſerto anima ſancta viuit, dum regno exul*

*Deus vt Pigmentarius, Animam tentationibus, & tribulationibus conterit: & humiliat.*

Gregor. *inter beſtias, dæmones videlicèt, degit. Hic enim etſi non omnino à Sponſo deſeritur, tamen dum in carne eſt nondum ad certam eius viſionem admittitur, dum ab eo per exilia & tentationes peregrinatur; quia dum adhuc cum eo non regnat, deſeri ab eo ſibi videtur. Ob hoc ſemper laborat vt aſcendat, vt quem valde diligit magis ac magis ſentiat: quatenus quoniam perfectè eum in deſerto non tenet, vel ipſo eius deſiderio ſe reficiat, vt ſic in via roborata, quandoque ad hoc quod diu concupiuit perueniat.*

Subdit deinde poſt nonnulla: *Bene autem ſicut virgula fumi aſcendere dicuntur, quia* Idem. *& odorem bonæ famæ & ſubtilitatem mentis habere dicuntur.* Mox dat cauſam cur fumus hic ſit myrrhæ & thuris: *Myrrhâ quippe mortuorum corpora condiuntur ne putreſcant: thura verò accenduntur vt redoleant. Per myrrham ergo carnis Mortificatio deſignatur per thus verò Orationum munditia intelligitur. Sancta igitur anima dum carnem ſuam à putredine vitiorum mortificat, dum omnes mundi voluptates per continentiam abnegat, quaſi myrrham mortuo corpori adhibet, vt pòſt iudicium à corruptione æterna ſanum permaneat. Cùm verò ſe ad cæleſtia maiori deſiderio accendit, & à cordis cubiculo omnes ſuperfluas cogitationes ferventer abiicit, quaſi thuribulum cor ſuum coram Deo facit. In quo dum per dilectionem virtutes congregat, quaſi carbones in thuribulo coaptat, in quo ſeipſam mens in conſpectu Dei igne charitatis accendat. Dúmque feruentes & mundas orationes ad Deum emittit, quaſi fumum aromatum ex thuribulo educit, vt coram dilecto ſuaue redoleat, & proximos ad eius amorem conciret.*

Cur dicitur, pulueris pigmentarij, non pigmenti? Moraliter. Gregor.

Denique notat dici *puluerem pigmentarij*, non *Pigmentum*, cauſamque ſubiicit: *Pigmenta quippe facimus, quando virtutes congregamus in corde. Quando verò ipſas noſtras virtutes per ſingula quaque opera diligentius retractamus, ne quid in operibus noſtris incultum remaneat, ne inter virtutes vitium lateat; tunc proculdubio vnguenta virtutum quaſi in puluerem tundimus, vt eò mundiora ſint opera noſtra, quò ſubtiliùs ea ab omni ſubreptione vitiorum diſcernere non ceſſamus. Huiuſcemodi mentes dilecto ſuo delectabiles ſe per eius gratiam faciunt, & dum ab omni mundano ſtrepitu ſe diuidunt, locum in quo Sponſus requieſcat in ſeipſis componunt.* Igitur anima ſancta ſe ſe in holocauſtum offerens Deo per orationem quaſi thus, & per mortificationem quaſi myrrham, & per omnem pulverem pigmentarium, id eſt, per eleemoſynam & quamlibet aliam virtutem charitatis igne ſuccenſam, recta aſcendit ad Deum, illíque fragrantiſſimum thymiama exhalat in odorem ſuauitatis, quo oblectatur & paſcitur Deus.

Purrò deſertum primò notat mundum & mundanos, primò, quia, vt ait Richard. de S. Victor. Mūdus ſterilis eſt, & areſcit, nec fructum habet quia non nouit Chriſtum, nec Spiritum ſanctum poteſt accipere. Secundò, quia, vt idem addit, amatores eius deſerti ſunt, quia deſeruntur à Deo, & quia ipſum deſerunt Deum: Sícque per deſertum iſtud aſcendit pia anima, quatenus à malorum conſortio ſe ſegregat, & ad bonos dilectione tranſit, eóſque imitatur; quatenus inter deſertos à gratia, & inter deſcendentes proficit. Tertiò, quia, vt idem addit, quia ſeipſum (& ſui amatores) deſerit & in ſe deficit: quotidie enim cum tempore gaudia temporis tranſeunt, & quot dies, tot gaudia dierum prætereunt. Vnde cùm gaudia iſta anima perfecta contemnit, & ad ſupernum & verum gaudium tendit, per deſertum aſcendit. Hugo verò de S. Victore, Mundus, ait, eſt deſertum propter copiam malorum & inopiam bonorum. Rurſum cor prauum ait eſſe deſertum, quia culturam non habet & germinat noxia, & in eo beſtiæ habitant. Vnde S. Bernard. ſerm. 59. ex paruis: *Aſcendit*, inquit, *anima pœnitens per deſertum, terram* Bernard. *ſcilicet inuiam & inaquoſam, peccatorum ſuorum recordando.* Deſertum 1. eſt mundus.

Secundò, per deſertum Rupertus accipit vitam ſolitariam, Beda conuerſionem ſanctam, *quæ à mundi illecebris ſeparata, Dei tantùm legi ſcrutandæ, & cæleſtium præ-* Beda. *ceptorum ſit obſeruationi dedita, quæ eſuriens & ſitiens iuſtitiam mannâ ſolummodò verbi cæleſtis veſcatur, & fonte vitæ, qui de ſpiritali petra emanat, potetur, iuxta illud: Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. In terra deſerta, inuia & inaquoſa: ſic in ſancto apparui tibi.* Pſalm. 62. 2. qualis eſt vita Pſalm 62. Religioſorum. 2. eſt vita ſolitaria.

Tertiò, Hugo Victor. lib. 1. Erudit. 3. eſt Cor Theol. cap. 111. *Deſertum*, inquit, *eſt cor* pium. *bonum, quia longè eſt à ſtrepitu & tumultu, & non conculcatur frequentiâ terrenarum actionum & cogitationum, ſed virens permanens, & floridum, germina virtutum producit, & canit ibi turtur ſpiritus ſanctus; & non auditur vox hominis neque ad hominem pertinentis.*

Vnde S. Anſelmus notat Sponſam in lecto dormire, vt liquet ex verſ. præced. & ſimul dormiendo aſcendere, quia, inquit, vno eodémque tempore & ſoporatur & aſcendit, cùm ab exterioribus curis, deſideriíſque carnalibus anima ſe quantùm valet alienat, & bonæ operationis,

tionis,

Digitized by Google

tionis, ſeu cogitationis profectibus ad viſionem ſui conditoris appropiat. Ita ipſe: ſed veriùs eſt alium hîc eſſe Actum ſcenæ, quo Sponſa vigilans inducitur quaſi aſcendens, vti dixi.

*4. Eſt Humilitas Chriſtiana.* Quartò, Rupert. & S. Bernard. lib. ſententiarum, per deſertum accipiunt ſimplicitatem & humilitatem Chriſtianam, quia ipſa à multis deſeritur: *quia nullus ferè eſt imitator Chriſti, qui ſtudeat bonum iſtud operari.* Bernard. Rupert. *Per hoc deſertum neceſſe eſt vt aſcendamus ſicut virgula fumi ex aromatibus, cùm virtutum ſtudio & diſciplinâ excitati, proximos noſtros ad bene agendi ſimilitudinem incitamus.* Hæc illi.

*Anagogicè.* Anagogicè S. Ambroſius in Exodi caput 16. ſic legit, ſicque explicat: *Quæ eſt hæc, quæ aſcendit à deſerto ſicut vitis propago, fumo incenſa, odorificata myrrhâ & thure ab omnibus pulueribus vnguenti? Emole*, Ambroſ. inquit, *& tu fidem tuam, vt ſis ſicut illa anima, quæ Chriſti in ſe charitatem excitat, quam mirantur aſcendentem virtutes cælorum, quòd ſine offenſione aſcendat cum lætitia & iucunditate, ſicut vitis propago, & ſicut fumus ſe ad ſuperna ſubrigat, fragrans odorem reſurrectionis piæ, & ſuauitatem fidei. Pulchrè autem ſubtilitatem eius expreſſit pulueris comparatione & vnguenti* Exodi 30. *commemoratione; quia in Exodo ſubtile legimus ex multis compoſitum thymiama, illud verò eſt incenſum propheticum, quod eſt ſanctorum oratio, vt dirigatur in conſpectu Domini, ſicut & Dauid dicit: Dirigatur Oratio mea ſicut incen-* Pſalm. 140. *ſum in conſpectu tuo.* Pſalm. 140.

*Virgula fumi quid?* Quæres, quid ſymbolicè ſignificet virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, thuris, &c.

*Reſp. 1. Humilitas* Primò, Richard. de S. Victore per virgulam fumi accipit humilitatem, quę aſcendit, quia ſola ſui cultores exaltat. Sponſus ergo non virgæ, ſed virgulæ tenui aſſimilatur, vt velocitas aſcendendi notetur: *Virgulæ* enim, inquit, *quæ creſcen-* Richard. Victorin. *do groſſantur, non nimis in altum ducuntur: ſed virgulæ, quæ velociùs & ſurſum creſcunt, ſubtiliores & minores ſunt.* Huc facit quòd balſamum, qui eſt odoratiſſimus liquor & præſtantiſſimus (ſicut ex certa nobis relatione illorum conſtat, inquit Titelmannus, qui inſignem illum balſami hortum, vnicum in toto orbe apud Cayrum in Matharæa viderunt) non ex arboribus colligitur, ſed quaſi virgultis quibuſdam ſiue viminibus, ad eum ferè modum, quo apud nos illa creſcunt vimina in quibus vuæ creſcunt, quas ſancti Ioannis appellamus. In eodem quoque horto alia plurima aromata colliguntur potiùs ex herbis aut viminibus, quæ annuam requirunt culturam, quàm ex amplis latiſque arboribus.

Hæc omnia deſignant Deum per humilia & humiles magna & præſtantia operari, in operibus tum naturæ, tum potiùs gratiæ.

Secundò, Caſſiodorus Anima Sancta, 2. ait, vocatur virgula fumi, quia gracilis *Anima ſancta.* eſt & delicata, diſciplinis Spiritus ſancti attenuata, ſubtilis, non habens groſſitudinem carnalium deſideriorum. Sic & S. Gregor. Ergo anima pia recta eſſe debet & ſubtilis, vt in cælum ſeſe porrigat & extendat. *Sicut virgula recta eſt, & gracilis, in longum porrecta*, ait Hugo de S. Victore lib. 2. Erudit. Theolog. cap. 110. *Quia tantùm ſurſum tendit, recta eſſe debet; &* Hugo Victorin. *quia arcta eſt via, gracilis; & quia longa, porrecta. Item non eſt virgula ligni inſenſibilis & duri, ſed fumi, qui ſpeciem habet, ſubſtantiam non habet. Cùm enim cernitur, aliquid eſſe videtur; cùm manus apponitur, nihil inuenitur. Sic bonus quiſque hîc eſſe videtur per carnis ſpeciem, ſed hîc non eſt per dilectionem. Item fumus de igne aſcendit, quia deſiderium ex amore venit. Et qualis fumus? ex aromatibus myrrhæ: Pigmentarius eſt Chriſtus, pigmenta virtutes, myrrha mortificatio carnis, thus mentis deuotio; vniuerſus puluis pigmentarij, virtutum omnium multitudo.*

Tertiò S. Bernard. ſerm. 59. inter par- 3 uos, hæc accipit de aſcenſu animæ peccatricis per pœnitentiam: *Aſcendit*, inquit, *anima pænitens per deſertum, peccatorum ſuorum recordando. Aſcendit ſicut virgula, eadem peccata humiliter confitendo. Quæ confeſſio rectè fieri ſicut virgula fumi dicitur, quia per plures peccatorum ſpecies, tanquam fumus de thuribulo per plura foramina deriuatur. Et no-* Bernard. *tandum quòd, cùm fumus nunquã habeat ſplendorem, nonnunquam tamen habere poſſit odorem. Quod hic fumus confeſſionis odorem quendam pietatis habeat, innuitur ex his, quæ ſubiunguntur. Ex aromatibus myrrha, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij. Confeſſionem debet ſemper comitari myrrha & thus, id eſt, mortificatio carnis & oratio cordis: Alterum enim ſine altero aut parum aut nihil prodeſt. Nam qui carnem mortificat & orare diſſimulat, ſuperbus eſt.* Et paucis interiectis ſubiicit: *Et vniuerſi pulueris pigmentarij. Poſt recordationem & confeſſionem peccatorum, poſt mortificationem & orationem exhibendus eſt fructus eleëmoſynarum. Quæ benè* puluis *dicuntur, quia de terrena ſubſtantia fiunt,* Pigmentarius *verò, quia ſuauiſſimum odorem emittunt. Hinc eſt quod Cornelio benè agenti dictum eſt: Orationes tuæ & eleëmoſynæ tuæ aſcenderunt. Vel vniuerſi pulueris pigmentarij, ideo dicitur, quia non ſolùm magna,*

gna,

*gna, ſed etiam minima quæque peccata conterenda ſunt per confeſſionem, & diluenda per compunctionem.*

4. *Virgula fumi, Anima ad cœleſtia anhelans.* Quartò & aptiſſimè S. Gregorius, Iuſtus, Philo, Aponius, Beda & alij per virgulam fumi accipiunt animam ad cæleſtia anhelantem. Verba S. Gregorij in hunc locum ſuperiùs recitaui. Audi nunc eundem hom. 2 2. in Ezech. ſub finem: *Tranſcendamus per deſiderium omnia, vt mente colligamur in vnum: Non tam timore pœnarum, non memoriâ vitiorum, ſed amoris flammâ ſuccenſi, ardeamus in lacrymis cum odore virtutum.* Cauſam ſubdit: *Sancta quippe electorum Eccleſia, cùm ab hoc mundo in ſanctis precibus ardenti amore ſe erigit, per deſertum, quod deſerit, aſcendit: Qualiter verò aſcendat adiungit: ſicut virgula fumi ex aromatibus. Fumus de incenſo naſcitur, quod orationem deſignat: fumus excutere lachrymas ſolet. Itaque fumus ex aromatibus, compunctio orationis concepta ex virtutibus amoris: quæ tamen oratio fumi virgula dicitur; quia dum ſola cæleſtia poſtulat, ſic recta progreditur, vt ad terrena ac temporalia appetenda pro terreno ſtudio minimè reflectatur. Virgula autem & non virga nuncupatur, quia interdum in compunctionis ardore tantæ ſubtilitatis æſtuat vis amoris, vt hanc nec ipſe animus poſſit comprehendere, qui illuminatus meruit habere. Benè verò additur myrrhæ & thuris: Myrrha enim & thuris ſacrificium offerunt, qui & carnem mortificant, & redolentem in conſpectu Domini amoris ſui hoſtiam incendunt: myrrham: quia ſe cruciant, & cruciando à vitiis conſeruant: Thus verò, quia Dei viſionem diligunt, ad quam peruenire medullitus exardeſcunt, ſéque ipſos ei in ſanctis virtutibus exhibent.* Gregor.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

RVpertus cenſet hæc eſſe verba Chriſti, humilitatem B. Virginis admirantis & celebrantis. q. d. Tu dicis (ſicut Abraham) puluis ſum terræ, qualem ventus diſpergit, aura tollit; & ille dicit, non, ſed puluis pigmentarius, ſiue puluis pigmentarij, puluis myrrhæ & thuris; qualem pigmentarius Spiritus ſanctus conficit ex optimo thure, quod eſt ſuauitas mentis; & ex myrrhâ probatiſſimâ, quod eſt mortificatio ſiue incorruptio carnis. Tu dicis, fumus ego ſum teter coram diuinis oculis, qualis de camino ſiue de fumario deficiens aſcendit, aſcēdens deficit; & ille dicit, non, ſed fumus ex aromatibus myrrhæ & thuris, qualem decet aſcēdere de aureo thuribulo ante altare aureum, vſque ad os & olfactum Domini. Talis fumus, imò talis fumi virgula, tu ô beata Maria, ſuauem odorem ſpiraſti Altiſſimo, cæleſtibus diſciplinis erudita atque extenuata; Talis aſcendiſti per deſertum, id eſt, animam habens valde ſolitariam. Hæc penè ad verbum Rupertus. Porrò B. Virgo aſcendit ſicut virgula fumi myrrhæ, thuris & vniuerſi pulueris pigmentarij; quia quotidie per actus plurimos, habitibus ſuæ gratiæ & virtutum adæquatos (ipſa enim ex æquo cooperabatur gratiæ diuinæ, vt cùm haberet gratiæ gradus intenſos vt centum, eliciebat actus intenſos vt centum, itáque merebatur alios centum gradus, idque aſſiduè ſemper duplicando) mirificè creſcebat & proficiebat in mortificatione, in oratione, cæteríſque virtutibus, præſertim in humilitate, quam repræſentat puluis pigmentarij, ita vt in fine vitæ gratiâ & meritis longè ſuperarit omnes homines & Angelos, etiam Cherubinos & Seraphinos collectos & ſimul ſumptos, vti docet Franc. Suarez & alij.

Rurſum S. Hieronymus tom. 9. Epiſt. 10. ad Paulum & Euſtochium de Aſſumptione B. Virginis, hæc eiſdem adaptat: *Quæ profectò feſtiuitas*, ait, *ſicuti B. Maria incomparabilis eſt virginibus cæteris, ita incomparabilis eſt omnium ſanctorum feſtiuitatibus; & admiranda eſt etiam Angelicis virtutibus. Propter quod ex perſona ſupernorum ciuium, in eius Aſcenſione admirans Spiritus ſanctus ait in Canticis: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus? Et bene quaſi virgula fumi, quia gracilis & delicata, quia diuinis extenuata diſciplinis, & concremata intus in holocauſtum incendio pij amoris, & deſiderio charitatis. Vt virgula, inquit, fumi ex aromatibus, nimirum, quia multis repleta eſt virtutum odoribus, manans ex ea fragrabat ſuauiſſimus odor, etiam ſpiritibus Angelicis. Aſcendebat autem Dei genitrix de deſerto præſentis ſæculi, virga de radice Ieſſe olim exorta; ſed mirabantur electorum animæ præ gaudio quænam eſſet, quæ etiam meritorum virtutibus Angelorum vinceret dignitatem.* Hieron.

Aduerte hanc Epiſtolam non eſſe S. Hieronymi, nonnulli putant eſſe Sophronij; Baronius tom. 1. anno Chriſti 48. cap. 10. aſſerit neutrius eſſe, præſertim quia ſcripta videtur poſt tempora Neſtorij, & quia dubitat Auctor an B. Virgo tam corpore quàm anima in cælum ſit aſſumpta, cùm id ipſum certum ſit.

Denique omnia iam dicta præ omnibus attribue ſacratiſſimæ humanitati Chriſti:

Chriſti: hæc enim prima & primaria eſt Sponſa Verbi, vt dixi in Prœmio cap. 2.

---

Verſ. 7. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael.*

HEBR. *Ecce lectulus ipſius, qui eſt Salomonis*, (id eſt, ecce lectus Salomonis, vt vertit Noſter, Septuag. Chald. & cæteri: ad ſignificandam magnitudinem & excellentiam Salomonis, additur τὸ *ipſius qui eſt*) *circum quem ſexaginta robuſti ex robuſtis Iſrael.* Septuag. *Sexaginta potentes ex potentibus, Iſrael.* Vatabl. *Sexaginta heroës ex heroibus Iſraël.* Syrus vertit *gigantes*: hi enim fuêre fortiſſimi.

Lxx. Vatabl. Syrus.

Alludit ad ſtipatores Salomonis, qui eum tam incedentem, quàm domi vel in lecto quieſcentem cuſtodiebant, vti Pontificem & principes ſtipant cuſtodiúntque Heluetij: numerat eos ſexaginta, vel quia tot præcisè erant, vel quia hic numerus perfectus eſt, ait Honorius: conflatur enim ex Senario, qui ex tribus primis ſui principiis, ſcilicet ex vnitate, binario & ternario, ſiue ex duplici ternario conficitur, atque ex denario, qui primus eſt numerus compoſitus: primi enim nouem numeri ſingulis conſtant notis; v.g. 1. 2. 3. 4. &c. Vnde digiti appellantur: denarius verò, putà 10. componitur ex vnitate & cyphra 0: atq; denarius primus fons eſt cæterorum denariorum, putà 20. 30. 40. ac centenariorũ 100 200. 300. &c. ac millenariorum 1000. 2000. 3000. &c. Si enim decem duplices, triplices vel quadruplices efficies 20 30 40. ſin decem multiplices per decem efficies 100. 200. 300. ſi per centum efficies mille, bis mille, ter mille.

*Numerus ſexageſimus perfectus.*

Alludit rurſum ad 30. fortes Dauidis, qui recenſentur 2. Reg. 23. in fine, quos Salomon videtur duplicaſſe, vt eſſent 60. Vnde Ieroſolymæ iuxta Regiam, vel in ipſa Regia erat domus fortium. Vide Adrichom. in deſcript. Ieruſalem.

*Cuius hæc ſunt verba?*

Aben Ezra cenſet hæc eſſe verba Sponſi, qui arguat Sponſam ſolam incedentem, q.d. Ego Salomon Sponſus tuus incedo ſtipatus 60. fortibus, & tu audes ſola per deſertum incedere?

Luyſius Legion. ex aduerſo cenſet hæc eſſe verba Sponſæ, quæ admirantibus ſuum inceſſum reſpondeat, vt oculos à ſe in Sponſum ſecum in lectulo, id eſt, in lectica vectum conuertant, ciuſque magnificentiam & pompam 60. fortium admirentur.

Verùm Patres & Interpretes paſſim hæc, æquè ac illa verſus præcedentis accipiunt, vt dicta ab obuiantibus Sponſæ, eiúſque pulchritudinem & magnificentiam celebrantibus; aut certè vt Theodoret. & Nyſſen. hom. 6. ab amicis Sponſi, vt Sponſam in Sponſi amorem accendant. q.d. Tanta eſt tui pulchritudo, ô Sponſa, vt Sponſus tuus Salomon pro te lectulo cuſtodes adhibeat ſexaginta fortes, ne quis te ipſi eripiat, aut quoquomodo noceat vel affligat.

Chald. per lectulum accipiens templum Salomonis, & per fortes Iſraël Sacerdotes ſic Iudaicè vertit: *Quando ædificauit Salomon rex Iſraël domum Sanctuarij Domini in Ieruſalem, dixit Dominus in verbo ſuo: Quàm pulchra eſt domus ſanctuarij hæc, quæ ædificata eſt mihi per manus Regis Salomonis filij Dauid, & quàm pulchri ſunt Sacerdotes in tempore, quo extendunt manus ſuas, & ſtant in ſuggeſtu ſuo, & benedicunt populo domus Iſraël: & illa benedictio circundat eos, ſicut murus excelſus & fortis, & in ea præualent & proſperantur omnes fortes Iſraël.* Chald.

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

SAnctus Gregorius, Caſſiodorus, Beda, Theodoretus, Philo & alij ferè ad vnum omnes per lectulum Salomonis accipiunt Eccleſiam, præſertim Gentium, in qua velut in lectulo Chriſtus, qui eſt verus Salomon, id eſt, Rex pacificus, requieſcit. Verùm quia Eccleſia eſt Sponſa, Sponſa autem non eſt lectulus, ſed quieſcit in lecto, hinc magis appoſitè per lectulum accipias Vrbem primò Anthiochenam, deinde Romanam: Antiochiæ enim primò S. Petrus cathedram Pontificiam collocauit, ibíque reſedit per ſeptem annos; vnde ibi primò fideles cognominati ſunt Chriſtiani. Actor. 11. 26. Sed poſt ſeptem annos Cathedram Antiochiâ tranſtulit Romam, ibíque deinceps viuendo & moriendo firmiter collocauit, ac ſucceſſores ſibi conſtituit S. Clementem, S. Linum, S. Cletum &c. Senſus ergo eſt q.d. Lectulus, id eſt, locus, in quo reſidet & quieſcit Chriſtus, & Eccleſia, olim fuit Antiochia, deinde Roma: ibi enim reſedit S. Petrus Romanus Pontifex, & Chriſti Vicarius cum ſuis Sacerdotibus & clericis, ibíque moriendò Cathedram Pontificiam

*Lectulus Chriſti eſt Eccleſia Antiochena & Romana.*

ficiam

ficiam & Apoſtolicam ſtabiliuit, & firmiter collocauit. Quare Romana Eccleſia eſt mater, doctrix & nutrix cæterarum omnium Eccleſiarum toto orbe diffuſarum. Hac de cauſa Chriſtus ei ſexaginta fortes, id eſt, plurimos inſignes Paſtores, Doctores, & Sanctos eximios aſſignauit & aſſignat, qui eius illibatam fidem tueantur & propugnent, ne quis in Eccleſia error irrepat; ſicut primitiuæ Eccleſiæ Antiochenæ aſſignauit Apoſtolos alióſque Doctores, qui irrepentem errorem Iudaïzantium de ſeruandis legis Moſaïcæ cæremoniis, damnarunt & confutarunt. Actor 15. Romanæ verò Eccleſiæ primitùs dedit fortiſſimos Pontifices, Cardinales, Sacerdotes, & fideles, qui contra Neronem, Traianum, Decium, Diocletianum, &c. pro Chriſti fide fortiſſimè decertarunt per 300. annos, ac illius veritatem ſanguine ſuo & martyrio obſignarunt. Nam S. Petro, qui Pontificatum Romæ conſtituit, eiúſque ſucceſſoribus dixit & promiſit Chriſtus: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam.* Matth. 16.18. hinc mirabile robur Chriſtus dedit omnibus penè Romanis Pontificibus ad tuendā fidem & propugnandam Eccleſiam, vti liquet ex Hiſtor. Eccleſiaſticis & vitis Pontificū: quare hi vocantur meritò *fortiſſimi Iſraël*, quia ſicut Iacob fortiter luctans cum Angelo, illíque præualens ab eo vocatus eſt Iſraël, id eſt, dominans Deo. Geneſ. 32. verſ. 28. Sic quiſque Pontifex ſanctus roboratus à Chriſto dominatur tyrannis, inferno, & dæmonibus, ac ſubinde per ardentes preces & vota ipſi Deo, vt iure Iſraël vocari poſſit. Exēplo ſint tot Leones & Gregorij, virtute inuicti & ſanctitate eximij. Hinc aptè Roma dicitur quaſi ῥώμη, id eſt robur & fortitudo. Vnde & Roma olim dicta eſt Valentia, teſte Solino initio Polyhiſt. Hinc rurſum Deus Eccleſiam conſtituit Romæ, vt eſſet munitior; quia vrbs Romana, ſi ſitum ſpectes, eſt munitiſſima; vna enim ex parte duplici mari infero & ſupero, alterâ Apennino & Alpibus quaſi vallo penè inſuperabili munitur & cingitur. Tutiſſima ergo ſedes Eccleſiæ eſt Roma, vt in ea quaſi in lecto Chriſto tutante conquieſcat. Vide Boſium de ſignis Eccleſiæ. Sicut igitur verſ. 1. Ieruſalem & Eccleſiam Ieroſolymitanam vocauit lectulum, in quo quis ſecretò dormit, (hunc enim ſignificat Hebr. משכב *miſcab*) ſic hîc Antiochiam & Antiochenam Eccleſiam, ac Romanam inchoantem ac quaſi adhuc infantem, vocat מטה *mitta*, id eſt, lectum extenſum & expanſum (nam נטה *nata* eſt extendere, expandere) quia ſcilicet in ea ſedens Petrus fidem Chriſti & Eccleſiam per Aſiam, Cappadociam, Bithyniam, Pontum, &c. extendit. Eccleſiam verò Romanam iam ampliorem & magnificam, verſu ſequēti vocat ferculum. Vtramque autem ſtipant Sexaginta fortes. Antiochia ergo prima, deinde Roma, id eſt, Eccleſia Romana eſt lectulus, in quo requieſcit Chriſtus & Eccleſia vniuerſalis omnium gētium; quia in eius fide, doctrinâ, & regimine ſecurè obdormit. Et ſic exponendi ſunt Patres, vt S. Gregorius, Philo, S. Thomas, &c. cùm per lectulum accipiunt Eccleſiam, vt ſcilicet intelligant primam & fundamentalem, putà Antiochenam & Romanam, quam tutantur fortiſſimi tum Angeli, imò Archangeli eius cuſtodes, tum Pontifices, Prælati, & Doctores, tum ſancti cæleſtes & terreſtres. Nunc audi Caſſiodorum: *Lectulus Salomonis dicitur Eccleſia ſancta, quia in illa ſancti Dei ſopitis tumultibus vitioſis, amplexu veri pacifici delectantur. Sexaginta fortes ſunt Doctores, qui vel prædicando Eccleſiam muniūt, vel contemplando ad ſupernam beatitudinem peruenire deſiderant. Sexagenarius numerus ex ſenario & denario conſtat: Senarius verò perfectionem ſignificat operis; quia ſex diebus perfecit Deus opera ſua: Denarius verò remunerationem & præmium, quod in fine electis dabitur: vndè & hi qui in vineam venerunt, denarium accepiſſe dicuntur. Doctores autem iſti, qui Eccleſiam cuſtodiunt non modò fortes dicuntur, ſed ex fortiſſimis Iſraël, omnium videlicet in Chriſtum credentium, eúmque diligentiū, qui Iſraël, id eſt, videns Deum appellatur.*

Moraliter hîc nota in Pontificibus, Prælatis, & principibus maximè requiri fortitudinem, quâ primò ſuas paſſiones doment, ne vel metu, vel amore, vel auaritiâ à recto abduci ſe ſinant: Secundò, quâ infidelibus & impiis generosè reſiſtant, iuxta illud Eccleſiaſtici 7.6. *No- li quærere fieri iudex, niſi virtute* (virili animo & robore) *valeas irrumpere iniquitatem.* Tertiò, quâ errores & vitia populi ſeuerè caſtigent & euellant. Vndè hoc conſilium Iethro dedit Moyſi: *Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis Tribunos & Centuriones & Quinquagenarios & Decanos, qui iudicent populum omni tempore.*

Symbolicè, S. Ambroſ. lib. de Iſaac cap. 5.

*Sexaginta Fortes Eccleſiæ ſunt Paſtores, Doctores, & Sancti.*

Matth. 16.18

*Cur caput Eccleſiæ eſt Roma?*

Caſſiodor.

*Prælatorum virtus eſt fortitudo.*

Eccli. 7.6.

Exod. 18.21.

Symbolicè.

Digitized by Google

Lectulus, Chriſtus. cap. 5. per lectulum accipit Chriſtum: In Chriſto enim Eccleſia & anima ſancta conquieſcit, *eo quòd ei vera requies*, inquit
Ambroſ. S. Ambroſ. *in Chriſto debeatur: Lectus enim ſanctorum Chriſtus eſt, in quo vniuerſorum feſſa ſæcularibus prælijs corda requieſcunt.* Hinc
Apocal. 14 Apocal. 14. dicitur: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Et de S. Stephano dicitur
Act. 7. Act. 7. *Obdormiuit in Domino.* Et Pſal. 4. *In*
Pſalm. 4. *pace in idipſum* (id eſt in Domino, ait S. Auguſt.) *dormiam & requieſcam.* Philo verò Carpath. lectulum Chriſti intelligit ſepulchrum, quod cuſtodierunt fortes Iſraël, id eſt, milites cuſtodes ſepulchri.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

Lectulus Chriſti, Mens ſancta. Lectulus Chriſti eſt mens ſancta, quã proinde ambiunt & cuſtodiunt ſexaginta, id eſt, plurimi fortes, tum Angeli, vt Aponius; tum Doctores & ſuperiores, vt S. Gregorius, & Caſſiodorus: tum ſancti, vt Philo; ſancti, inquam, tam viuentes, quàm vitâ functi, id eſt, Beati in cælo: hi enim ſuis meritis, verbis & exemplis tutãtur nos: maximè verò lectus Chriſti, qui eſt Salomon, id eſt, Rex pacificus, ait Beda, eſt anima quieta ſegregata à mundi tumultibus, quæ edomitis paſſionum fluctibus tranquillitatem æternæ pacis imitatur. Sic & Philo Carpath. *Quæcumque*, inquit, *Sponſa cor*
Phil. Carp. *ſuum ſollicitudinibus mundi purgat ac vacuat, diuinoque amore replet, cubiculum Sponſo ſuo parat Chriſto Ieſu, & cum eo ab omni perturbatione rerum humanarum requieſcit.* Per ſexaginta fortes, intelligit Apoſtolos atque Martyres.

Audi S. Gregorium: *Salomon*, inquit,
Gregor. *id eſt pacificus, eſt Chriſtus, de quo ſcriptum eſt Epheſ. 2. Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum? Salomoni ergo lectulum facimus, quando à mundi ſollicitudinibus omninò ceſſamus, dum in ſolo deſiderio Chriſti libenter pauſamus, eique vt nobiſcum pauſet, cor ab omni terrena cupiditate mundamus. Denarius autem numerus ſi per ſenarium numerum multiplicetur, nimirum ſexaginta complentur. Per denarium itaque Decalogum legis accipimus: per ſenarium hoc totum tempus intelligimus; quod ſex diebus operatoris volui videmus. Per ſexaginta igitur fortes, omnes perfectos, qui fuerunt ante nos in Eccleſia intelligimus: qui dum decem præcepta legis, quò ſpiritaliùs, eò fortiùs in ſex diebus compleuerunt, quaſi ſexagenarium numerum compleuerunt. Hi lectulum Salomonis ambiunt: quia mentem ſanctam, in qua Chriſtus pauſat, verbis & exemplis muniunt, quibus ab aditu mentis venientes hoſtes repellunt.* Vide eundem S. Gregorium lib. 7. Moral. cap. 8.

Allegoricè, Lectulus Chriſti, ait Aponius, fuit crux; in illa enim ipſe moriens quieuit & obdormiuit, ac Sponſam, id eſt, animam ſanctam in eadem ſecum quietem capere, & velut in lectulo conquieſcere cupit, vt ipſi ſit ſimilis & coniux, id eſt, eiuſdem iugi ſocia: quis enim timeat crucem, cùm in ea ſocium ſecum cubantem, ſeque defendentem & confirmantem habeat Chriſtum? Crux ergo eſt lectulus, ob vnionem cum Chriſto, certámque confidentiam in eius ope & gratiâ defixam. Denique in cruce & crucis amore eſt Sanctorum requies: Fortes qui eam cuſtodiunt, ſunt Angeli: hi enim patientibus adſunt, vt eos corroborent, imò plura patiendi ſitim ſuggerant. Hinc ſunt ex fortiſſimis Iſraël, id eſt, ex primariis Angelis, quos Deus martyribus & tribulatis ſubmittit, vt ingentes eis vires, animoſque ad timores, quos Dæmon ingerit, & ad acerba quæque ſuperandum ſubminiſtrent, ſicut Tobiæ afflicto ſubmiſit Raphaelem, qui ait ſe eſſe vnum è ſeptem qui aſtant ante Dominum. Tobiæ 12. 15. Sic Eliſeus circumdatus ab exercitu Syrorum, vidit caſtra Angelorum venientium ad ſui tutelam. Vnde ait famulo ſuo Giezi timore perculſo: *Noli timere, plures enim nobiſcum ſunt quàm cùm illis.* 4. Reg. 6. 16. Sic Iacob timens Eſau cum armatis ſibi obuium vidit Caſtra Angelorum ſe propugnantium: vnde locum vocauit: *Mahanaim*, id eſt, Caſtra. Geneſ. 32. 2. Sic Angeli pro Moſe & Hebræis pugnauerunt contra Pharaonem & Ægyptios perſequentes, eóſque merſerunt in mari rubro: Vnde Moſes Hebræis trepidantibus ait: *Nolite timere: ſtate & videte magnalia Domini.* Exodi 14. 13 Hoc eſt quod canit Dauid Pſalm. 33. *Immittet* (Hebr. nachone, id eſt, *caſtrametatur*) *Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.*

Allegoricè. Lectus Chriſti fuit Crux.

4 Reg. 6. 16.

Exod. 14. 13

Pſalm. 33.

Tropologicè, lectulus, in quo anima placidè quieſcit eſt Oratio: ibi enim fruitur Sponſo ſuo, ac à ſe deficiens illi toto copulatur affectu; ibi viciſſim Chriſtus pacem, robur, gratiam, omniáque dona animæ immittit. Quocirca Dæmones omni conatu orantes interturbare, & ab oratione auocare conantur; ſed Angeli orantibus aſſiſtunt, qui vim dæmonum infringũt & orantes in oratione conſeruant, vti docet S. Nilus tract. de Oratione c. 44. & ſeq. ac cap. 69 & 75.

Tropologicè. Lectus animæ eſt Oratio.



Cornel. à Lapide in Cant. Canticorum.

Et charitas. Rurſum lectulus Chriſti eſt Charitas, quam defendunt fortes Iſrael, id eſt, virtutes omnes præſertim mortificatio, quę gladium admouet femori, id eſt, concupiſcentias carnis reſecat & iugulat. Rurſum ſexaginta fortes ſunt bonæ cogitationes, quas qui ſibi iugiter accerſit, omnes malas cogitationes arcet, ac charitatem propugnat. Ita tres Anonymi apud Theodoret. *Sexaginta fortes*, aiunt, *ſunt cogitationes efficaces; quæ diuinâ virtute* 3. Patres. *vndique tuentur animam ad Dei quietem præparatam, aduersùs fallacias ſpirituum improborum. Ratio enim quæ quinque ſenſibus præeſt ſimul cum ipſis ſenſibus accepta, ſenarium conficit numerum. At cùm diuina præcepta, quæ ſunt decem numero, is qui ſenſibus ratione imperat, perficit, numerum abſoluit ſexagenarium ex virtute viuens, vt dictum eſt. Ex fortiſſimis Iſraël hi ſunt omninò vera mentis Deum videntis notiones, ex quibus conſtant efficaces illæ cogitationes ad bonum peragendum.*

Porrò *non eſt mediocris animi fortitudo* ait S. Ambroſ. lib. 1. offic. cap. 39. *quæ inexpiabili prælio aduerſus omnia vitia decertat, inuicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior ad-* Ambroſ. *uersùs voluptates, dura aduersùs illecebras, quibus aurem deferre neſciat, nec (vt dicitur) aue dicat, pecuniam negligat, auaritiam fugiat tanquam labem quandam, quæ virtutem effeminet: Nihil enim tam contrarium fortitudini quàm lucro vinci*, &c. *nec tentetur cupiditatibus, nec frangatur metu; quia virtus ſibi conſtat, vt fortiter omnia perſequatur vitia tanquam virtutis venena.*

Et obedientia. Inſuper lectulus Chriſti eſt Obedientia & obediens anima, qualis præ omnibus fuit B. Virginis: Vnde Aponius: *Salomon*, inquit, *pacificus interpretatur: Iſraël, mente videns Deum. Et quis alius pacificus niſi Chri-* Aponius. *ſtus? Hic ſibi lectum fabricauit in Virgine Maria, quia etiam ſuper animam ſibi obedientem requieſcere comprobatur. Sexaginta verò Angelorum miniſteria demonſtrantur, de quibus dicitur: Tunc reliquit eum Diabolus, & ecce An-* Matth 4. *geli acceſſerunt & miniſtrabant ei; Quod per ſingulos ſenſus corporeos, viſus, auditus, odoratus guſtus, tactúſque quinquies duodecim (hoc eſt ſacrato ſexaginta numero) in ea glorioſa myſteria implentur. Fortiſſimi verò quòd dixit, oſtendit plus ſanctos poſſe quàm dæmones. Tenentes gladios: præceptum eos eiuſdem creatoris ſemper tenere edocuit. Ad bella doctiſſimos ait, quo per ſanctitatis bonum amplius Doctores poſſe dæmonum prauidere malorum inſidias ob cuſtodiam animarum, quàm illos nocendi artes excogitare, monſtraret. Ex fortiſſimis Iſraël, quòd oſtendit miniſteria iſta de illo exercitu eſſe, qui ſemper faciem Patris vident in cælis. Et quod ait: vnuſcuiuſque enſis ſuper femur, edocuit Angelos ſanctos contra ſingulos Principes vitiorum, qui ſupradictos obſident ſenſus, ſpiritualibus armis accinctos propter inſidias eorum nocturnas & occultas.* Ex quibus liquet Aponium per fortes Iſraël, qui animam cuſtodiunt, accipere ſanctos tum Angelos tum Doctores.

Symbolicè, lectulus Chriſti eſt Sacra Et S. Scriptura. Scriptura, ait Theodoretus in qua Deus cum anima myſticum init ſomnum: ibi enim, inquit, doctrinæ diuinæ ſemina ſuſcipiens concipit & parturit pia deſideria, quæ tandem parit & in opus confert: qui enim deuotè Sacram Scripturam legunt, ſentiunt ſibi per eam aſpirari Dei lucem, ſanctóſque impulſus, vt terrena faſtidiant & ad cæleſtia toto corde anhelent. Hunc lectum oppugnant Hæretici, ſed tutantur eum fortes Iſrael. putà Doctores ſcientiâ, & Sancti virtute præſtantes, qui gladio verbi Dei illos profligant.

Anagogicè Beda: Lectulus animæ, Et quies cæleſtis. ait, beatæ, eſt cæleſtis gloria & beatitudo; in qua feliciſſimè quieſcit & quieſcet in omnem æternitatē. Ita Nyſſenus hom. 6. & ex ea Pſellus ac Richard. de S. Victore, qui addit: *Fortiſſimi ex Iſraël, id eſt, ex his qui Deum mente contemplantur & quærunt, & quorum feruentiora fuerint deſide-* Richard. Victorin. *ria ſpiritalia, hunc lectulum ambiunt: Vehementibus enim deſideriis accenſi vndique circumeunt & aditum quærunt, vt quietem hanc deguſtent, & ad illam aliquatenùs intrent; hicque eſt eorum ambitus, & circa lectum hunc deſiderij curſus.* Pſellus verò: Sexaginta fortes Iſraël, inquit, ambiunt lectulum, id eſt, gloriam Chriſti, hoc eſt, ſancti quique, qui verè ex Iſraël ſunt, & videre valent Deum: Hi verò dicuntur Sexaginta, quia Iſraëliticus populus diuiditur in duodecim tribus & partes, Cùm enim vnicuique parti earum, quæ vnum faciunt Iſraël quinque aſſignentur fortes, quinque nimirum ſenſus armati ad prælium per mortificationem & temperantiam, tunc planè apparet eſſe Sexaginta fortiſſimos ex vno Iſraël.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

Lectulus, in quo Chriſtus Chriſtique Deitas Humanitatem ſibi deſponſans, nouem menſibus requieuit, eſt vterus B. Virginis: ita Aponius. Sic & ſinus B. Virginis, Chriſti fuit lectulus, in

quo

quo ipſe iam natus infans ſæpè quieuit, & placidè dormiuit, quem proinde ſtipabant ſexaginta fortes, id eſt, Angeli plurimi Chriſtum Deum ſuum odorantes & Mattem eius venerãtes, ac vtrumque contra Dæmonum, Herodis, Scribarum, &c. inſidias tutantes & cuſtodientes. Rupertus verò per 60. fortes accipit 60. Patriarchas & Duces, qui Iſraëlem ex qua nata eſt B. Virgo & Chriſtus, contra hoſtes quoſlibet propugnarẽt, quos ipſe ſigillatim enumerat.

Pſal.18.16. Huc facit illud Pſalm. 18.16. *Et ipſe tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo.* Et il-

Eccli.24.11. lud Eccleſiaſtici 24. 11. *In omnibus requiem quæſiui, & in hæreditate Domini morabor: tunc præcepit, & dixit mihi creator omnium, & qui creauit me requieuit in tabernaculo meo.*

---

Verſ. 8. *Omnes tenentes gladios & ad bella doctiſſimi, vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.*

O*MNES tenentes gladios & ad bella doctiſſimi, vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores* (Arabicus *horrores*) *nocturnas.* Septuaginta: *Omnes*

Lxx. *tenentes gladium, docti bellum, vir romphaa eius ſuper femur eius, à pauore in noctibus.* Legerunt אחזי *ocheze*, id eſt, *tenentes, apprehendentes*; iam aliis punctis legunt אחזי *achuze*, id eſt, *apprehenſi* gladio. q.d. Ita arctè & ſcitè tenent ſtringúntque gladium, vt ab eo apprehenſi videantur. Vnde Vatabl. *Qui*

Vatabl. *vniuerſi apti ſunt gladio & bello aſſuefacti, quiſque habens ad femur ſuum gladium ob metum, qui in noctibus oritur.* Porrò Chald. vertit, & paraphtaſticè ſic explicat de Sacerdotibus legis veteris: *Porrò Sacerdotes*

Chald. *& Leuitæ, & omnes tribus Iſraël vniuerſi apprehendunt verba legis, quæ comparantur gladio, & ponderant & agitant ea ſicut fortes docti in bello, & ſuper vnoquoque eorum ſignata eſt circumciſio in carne ipſorum, ſicut ſignata fuit in carne Abrahæ, & præualent & confortantur in ea ſicut fortis, qui accinctus eſt gladio ſuper femur ſuum, & ideo non timent à ſpiritibus nociuis & dæmonibus, qui ambulant in nocte.* Exaggerat fortitudinem ſexaginta fortium, qui ambiunt lectulum Salomonis dicendo, quòd ſint accincti gladiis, optiméque digladiari & præliari ſciant, vt pote longo bellandi vſu in armis exercitati. q.d. Vt Sponſus & Sponſa in lectulo ſecurè quieſcant, excubant circa eum continuè ſexaginta fortes bellatores gladiis armati, vt ad minimum hoſtium metum vel motum, imò ad quemlibet ſtrepitum, qui noctu facilè exoritur, eum vibrent & ſtringant. Gladius, quo Ange- *Gladius Angelorũ quis?*

li Eccleſiam tutantur eſt eorum mira vis & fortitudo. Vnde Aponius: *Edocuit*, ait, Aponius.

*Angelos ſanctos contra ſingulos principes vitiorum, qui ſupradictos obſident ſenſus, ſpiritualibus armis accinctos propter inſidias eorum nocturnas, & occultas.* Gladius, quo Apoſtoli Doctorum.

virique Apoſtolici, Pontifices & Doctores tutantur lectulum Chriſti, id eſt, Eccleſiam Romanam, eſt verbum Dei, vt ait Paulus Epheſ. 6. 13. *Viuus enim eſt ſermo* Epheſ.6.13.

*Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ*, &c. vt idem ait Hebr. 4. 12. Hoc ergo diſpellunt timores nocturnos, quos in nocte, id eſt, in tenebris infidelitatis, ignorantiæ & impietatis excitant Hæretici, rudéſque Chriſtiani & impij, qui maximè Epiſcopis & Prælatis Eccleſiæ inſidiantur: his enim deuictis facilè fideles cæteros ſuperant. Ita Caſſiod. Philo, Iuſtus & S. Gregorius lib. 10. mor. cap. 3. & 4. quem audi: *Nocturni*, ait, *timores ſunt inſidiæ tentationum occultæ. Enſis verò ſuper femur eſt cuſtodia vigilans carnis illecebram premens.* Gregor.

*Ne ergo occulta & repentina tentatio ſubrepat, neceſſe eſt, vt femur noſtrum ſuperpoſitus cuſtodiæ enſis premat. Sancti enim viri ſic de ſpe certi ſunt, vt tamen ſemper ſint de tentatione ſuſpecti, quippè quibus dicitur: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore; vt & de ſpe exultatio, & de ſuſpicione naſcatur tremor.*

Tropologicè: Gladius ſuper femur eſt mortificatio & continentia, ſiue pudicitia, quæ reſecat motus carnis & libidinis, quæ reſidet in lumbis inter femora: quocirca ſignificat Epiſcopos & paſtores vtrâque pollere debere. Vnde S. Ambroſ. lib. 10. in Lucam cap. 22. *Eſt gladius* *Tropologicè. Gladius ſuper femur eſt Mortificatio appetituum carnalium.*

*paſſionis*, ait, *vt exuas corpus, & immolatæ carnis exuuiis ematur tibi ſacra corona martyrij.* Et Ambroſ.

S. Gregorius: *Quid*, inquit, *per enſem niſi rigorem conuerſationis, & quid per femur niſi carnis appetitum accipimus? Electi ergo quique, qui iam ad perfectionem vitæ prouecti ſunt, ſemper enſem ſuper femur ſuum ferunt, quia rigore conuerſationis appetitum carnis aſſiduè frangunt, ne hoſtis, quem in nocte huius mundi timent, repentè veniens mollem aditum inueniat, & per voluptatis mollitiem eò faciliùs, quò voluptuoſiores inuenerit, ad grauiora peccata perducat.* Vide Gregor.

eundem 3. p. paſtor. cap. 33. Idem lib. 19. Moral. cap. 29. *Non dicitur*, inquit, *omnes habentes*, ſed *tenentes gladios*, *quia videlicet*

*verbum Dei non eſt mirabile ſolummodò ſcire, ſed facere: habet quippe, ſed non tenet gladium, qui diuinum quidem eloquium nouit, ſed ſecundùm illud viuere negligit; & doctus eſſe ad bella iam non valet, qui ſpiritalem, quem habet gladium, minimè exercet; nam reſiſtere tentationibus non ſufficit.* Denique S. Hieronymus tom. 3. Epiſt. 140. ad Principiam: *Iſtum,* inquit, *arbitror te locum optimè intelligere, & accinctam Chriſti gladio militare: Vt autem ſcias ſemper Virginitatem gladium habere pudicitiæ, per quem truncat opera carnis & ſuperat voluptates, gentilis quoque error Deas Virgines finxit armatas: Accinxit & Petrus lumbos ſuos, & lucernam habuit in manibus ſuis.* Vnde concludens de Chriſto hoc ſubiicit: *Gloriâ ergo & decore ſuo ſine ſpecie & pulchritudine diuinitatis ſuæ carnis opera mortificans, & natus ex Virgine futuris Virginibus Virginitatis princeps fuit.*

Idem. Hieron.

Inſuper gladius eſt oratio, qua fugantur timores nocturni, quos per tribulationes, ſcrupulos, angores, preſſuras fidelibus immittit dæmon. Vnde Ieremias Thren. 3. 19. *Conſurge*, ait, *lauda in nocte in principio vigiliarum; effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini.*

Et Oratio. Thren. 3. 19.

Tertiò, Gladius fidelium eſt amor Dei. Vnde Richard. de S. Victore: *Super femur*, ait, *delectationum, ſiue voluptatum carnalium habent gladium amoris propter timores nocturnos, id eſt, propter occultos peccandi lapſus, quia ſi non amant, propter cæcitatem & ignorantiam in multis delinquunt. Amor enim notitiam generat & peccata abſcindit, vt eum offendere caueas, quem amas.*

Gladius fidelium Amor Dei. Richard. Victorin.

Symbolicè, Pſellus per Gladium accipit ſignum crucis: hoc enim percellitur & fugatur diabolus, ſicut gladio fugantur hoſtes.

Symbolicè.

Denique Rupert. hæc applicans B. Virgini, per fortes Iſraël accipit Dauidem, Ioſue, Iudam Machabæum & cæteros Principes, qui Iſraëlem fortiſſimè defenderunt & propugnauerunt. Cauſam ſubdit, videlicet, *quia radicem ſiue arborem bonam, quod erat genus Abrahæ, ad quem primum beati ſeminis repromiſſio facta fuerat, diabolus per barbaricos gentium vel regum impiorum gladios excidere, atque extirpare volebat: vnde ſacra hiſtoria plenæ ſunt. Idcirco tempus belli tunc erat, idcirco materialibus gladiis tunc opus erat, vt defenſaretur genus Abrahæ, vt defenſaretur radix Ieſſe, defenſaretur, inquam, & propugnaretur genus & radix Dauid, donec tu Beata Virgo naſcereris, lectulus, vt iam dictum eſt, veri Salomonis.*

Rupert.

Moraliter notâ τὸ *ad bella doctiſſimi*: ſignificat enim Prælatos Eccleſiæ debere eſſe in ſapientiâ, prudentiâ, omnîque virtute, quâ cum Hæreticis, dæmonibus & vitiis confligimus, non tyrones, ſed exercitatos & perfectos. Vnde S. Cyprian. lib. 4. Epiſt. 2. ad Antonianum laudat S. Cornelium Pontificem, quod gradatim per ſingulos Ordinum gradus ad apicem Pontificatus conſcenderit. *Non* inquit, *ad Epiſcopatum ſubitò peruenit, ſed per omnia Eccleſiaſtica officia promotus, & in diuinis adminiſtrationibus Dominum ſæpè promeritus, ad Sacerdotij ſublime faſtigium cunctis religionis gradibus aſcendit.* Hac de cauſa Côcil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 11. ſancit vt clericis ordines per temporum interſtitia conferantur, *vt eò accuratiùs*, inquit, *quantum ſit huius diſciplinæ pondus poſſint edoceri; ac in vnoquoque munere iuxta præſcriptum Epiſcopi ſe exerceant, idque in ea, cui adſcripti erunt, Eccleſia, niſi fortè ex cauſa ſtudiorum abſint: atque ita de gradu in gradum aſcendant, vt in eis cum ætate vitæ meritum, & doctrina maior accreſcat, quod & bonorum morum exemplum, & aſſiduum in Eccleſia miniſterium, atque maior erga presbyteros & ſuperiores ordines reuerentia, & crebrior quàm antea corporis Chriſti communio maximè comprobabunt.*

Moraliter: Gradatim ſcandendum per Ordines. S. Cornelius Pontifex. Cyprian. Concil. Triden.

Quocircà S. Gregorius lib. 4. Epiſt. 53. grauiter hac de re admonet Childebertum Regem Francorum, & tranſſultus ſubiti vitium caſtigat: *Peruenit*, inquit, *ad nos obeuntibus Epiſcopis quoſdam ex laicis tonſurari, atque ad Epiſcopatum præcipiti ſaltu conſcendere. Et qui diſcipulus non fuit, inconſideratâ ambitione magiſter efficitur. Et quoniam quod poſſit docere non didicit, ſacerdotium tantummodo gerit in nomine, nam laicus in ſermone priſtino perſeuerat & opere: Quomodo ergo pro aliorum peccatis interceſſurus eſt, qui ſua primitùs non defleuit? Talis enim paſtor non munit gregem, ſed decipit, quia dum contradicente verecundiâ non poteſt aliis hoc, quod ipſe non facit ſuadere, quid eſt aliud, niſi vt plebs Dominica prædonibus depopulanda remaneat, & indè ſumat interitum, vnde ſalutifera protectionis magnum debuit habere ſubſidium?* Hoc autem quàm prauum ſit & peruerſum demonſtrat exemplo militari: *Certum námque eſt, non vos antè exercitui ducem præponere, niſi vobis labor, eiúſque fides probata conſtiterit, niſi eum anteacta vita virtus & ſolicitudo aptum eſſe demonſtrauerit. Si verò non aliis niſi huiuſmodi viris committitur gubernandus exercitus, qualis dux eſſe debeat animarum ex iſtius rei conſideratione, ſeu comparatione bene colligitur. Sed verecundum nobis eſt, & dicere pudet, quia ducatum ſibi Sacerdotes arripiunt; qui exordium religioſæ militiæ non viderunt.*

Gregor.

Verſ. 9. *Ferculum fecit ſibi rex Salomon de lignis Libani:*

Verſ. 10. *Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum: media charitate conſtrauit propter filias Ieruſalem.*

Chald.

CHALDÆVS per *ferculũ* accipit templũ Salomonis, quod fuit typus Eccleſiæ, ſic enim vertit: *Templum ſanctuarij ædificauit ſibi rex Salomõ de lignis cedrinis, & arceuthinis, & pinis quæ adducũtur de Libano: & operuit illud auro puriſſimo. Et poſtquam conſummauit illud, poſuit in medio eius arcam teſtimonij, quæ erat columna ſæculi, & in medio eius erant duæ tabulæ lapideæ, quas repoſuit ibi Moſes in Horeb, quæ erant pretioſiores argento purgato, & auro optimo, & extendit & obumbrauit ſuper eam velum hyacinthinum & purpureum.*

Pro *ferculum* Hebr. eſt אפריון *appirjon*, quod Septuag. voce conſonâ reddunt φορεῖον, à φέρειν, vel potiùs φορεῖν, id eſt, geſtare. Sic ferculum à ferendo dicitur: ferculum ergo eſt geſtamen, quo perſona aliqua aut à baiulis ſuccollantibus fertur & portatur, aut equis, muliſue vehitur. *Appirjon* Hebræi vertunt *torum*, ſiue *lectum genialem*, in quo Sponſus & Sponſæ commorantur: ita dici volunt à fœcunditate, quòd in eo proles generentur. פרה *para* enim eſt fructificare. Vndè *appirjon* eſt lectus fructificans. Hinc Codices Septuag. Vaticani & S. Ambroſ. lib. 3. de Virgin. legunt: *lectum fecit ſibi rex Salomon*, R. Dauid vertit, *Lectum quo deferuntur Sponſa*. R. Salomon, *thalamum honorificum*. Syrus *Thronum*. Arabicus *ædificium*. Quare hîc per lectum accipe lecti vehiculum, ſiue lecticam ait Luyſius Legion. Sanchez & alij, in qua puluinar molle inſtar lecti ſternitur, quæ & mollitiem habet lecti, & ſimul throni maieſtatem, ait Genebr. Hoc enim ſignificat φορεῖον id eſt, *ferculum*. Ferculum enim tria ſignificat. Primò, geſtatorium vehiculum, ſiue lecticam; ſecundò currum & thronum triumphalem, vti hîc accipiunt Nyſſen. Theodoret. Græcique cæteri. Tertiò, geſtamen ad pompam compoſitum. Tria hæc huic loco appoſita ſunt, ac ferculum hoc tria hæc, id eſt, trium horum officia in ſe complexum eſſe videtur. Porrò nonnulli, vt Sanchez & Giſlerius lectum, de quo verſ. 7. cenſent

Lxx. Ambroſ. R. Dauid. R. Salomon. Syrus. Arabic.

Ferculum triplex.

eſſe ferculum: meliùs alij lectum, in quo noctu cubat Sponſus, ſexaginta fortibus ſtipatus *propter timores nocturnos*, diſtinguunt à ferculo, quo per diem ad pompam vehebatur. Lectus enim ſpectat ad nocturnam quietem, ferculum ad diurnam pompam. Salomon igitur ſicut verſu præcedenti explicuit lectulum cubilis ſui domeſtici ad quietem nocturnam, ſic hîc explicat lecticam Regiam ſiue currum triumphalem, quo in die vehebatur per vrbem, ſuámque magnificentiam & gloriam populo oſtentabat.

Minùs rectè ergo Aben Ezra *Appirjon* interpretatur palatium magnificum, & alij (quibus fauet S. Gregorius, Rupertus, & Richardus de S. Victor.) ferculum, quo dapes menſæ inferuntur. Nam Hebr. *appirjon*, Græcè φορεῖον, Latinè ferculum propriè eſt geſtamen, quo pompa fieri ſolet. Vndè Suetonius in vita Cæſaris: *Pontico triumpho*, inquit, *inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum: Veni, vidi, vici*, Hoc eſt inter pompæ triumphalis geſtamina, quo nomine continentur idola, ſpolia hoſtium, coronæ, machinæ, & cætera, quæ in pompa triumphali ferri ſolent: ſicut Titus in triumpho de Ieruſalem & Iudæis deuictis, circumtulit candelabrum aureum, ſeptem aureis calamis diſtinctum, vti Romæ in Arcu Titi expreſſum cernimus. Et Liuius lib. 1. *Ipſe*, ait, *cùm verbis vir magnificus, tum factorum oſtentator haud minor, ſpolia ducis hoſtium cæſi ſuſpenſa fabricato ad id aptè ferculo gerens, in Capitolium aſcendit.* Hinc vocantur fercula Sacrorum, quibus Deorum ſimulachra vel Sanctorum imagines, ac præſertim S. Euchariſtia, magnificè geſtatur & circumfertur.

Sueton.

Liuius.

Pro *reclinatorium* Hebr. eſt רפידה *rephida*, quod Syrus, Vatabl. & alij vertunt *ſtratum* vel *pauimentum*. Meliùs Noſter *reclinatorium*; Et Septuag. ἀνάκλιτον, id eſt, *acclinatorium*, putà poſterior pars in lectica, vel curru, vbi dorſo ſuo acclinati Sponſus & Sponſa, decorè & placidè recumbunt.

Pro *aſcenſum* Hebr. eſt מרכב *merchab*, id eſt, *vehiculum*, ſella, quadriga. Septuag. & Noſter hîc, vertunt *aſcenſum*: ſed Leuit. 15. 9. vertunt *ſtragulum*; Habacuc 3. 7. *Equitatum*. Vndè primò Nonnulli, vt S. Gregor. Philo, Hortolanus per *mercab* ſiue aſcenſum accipiunt gradus, per quos ad ferculum, ſiue vehiculũ aſcenditur; atque per eos purpureos cenſent myſticè ſignificari paſſiones, & marty-

Aſcenſus hic, quid? Leuit. 15. 9. Habac. 3. 7.

tia, ſiue labores & ſanguinem, quibus ad æternam gloriam ſit aſcenſus. Secundò Genebrardus, Sanchez & alij accipiunt vehiculi integumentum, ſiue cælum, quod ſupra columnas argenteas aſcendit, ſiue extenſum eſt. Vnde Syrus & Arabicus vertunt, *integumentum*, vel *velamen purpura*. Sic Theocritus Idyllio 15. Arſinoës ferculum eiúſque velum deſcribens ait: *ſupráque tapetes purpurei*. Tertiò, propriè per *Aſcenſum* accipias ſellam ſiue ſedem, in quam aſcendebat & ſedebat Sponſus & Sponſa; hæc enim propriè vocatur *mercab*: & hæc ſolet eſſe purpurea: purpura enim mollis mollem præbet ſeſſionem; atque ipſa eſt veſtis, ſtratúmque regum & Principum. Senſus ergo Grammaticalis eſt, q.d. ferculum, id eſt, lecticam ſpecioſam, ſiue currum magnificum ad pompam ſibi & Sponſæ ſuæ fecit Salomon, cuius materia erant cedri Libani, latera ornabant columnæ argenteæ, reclinatorium erat ex auro, ſella ex purpura.

*Theocrit.*

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

*Ferculũ eſt Romana Eccleſia.*

Ferculum ſignificat Eccleſiam Romanam iam amplam & magnificam, cæteríſque Eccleſiis toto orbe ſparſis per Romanum Pontificem præſidentem, & inſtar Salomonis dominantem: ſicut enim verſ. 1. Eccleſiam in Ieruſalem & Iudæa concluſam, & quaſi dormientem vocauit *miſcab*, id eſt, *lectulum*, deinde verſ. 7. Eccleſiam Antiochiæ ex Iudæis & gentibus collectam, ac Romanam ſub S. Petro Romæ naſcentem, & in tenebris infidelitatis latentem vocauit *mitta*, id eſt, *lectum ſeſe extendentem* & expandentem in vicinas gentes, ſed noctu, id eſt, ſecretò & clanculùm, *propter timores nocturnos* Iudæorum & gentium eam perſequentium: Sic hîc Eccleſiam Romanam iam clarâ die quaſi lucentem & ſplendentem, imò præſidentem, ac de infidelitate & tyrannis triumphantem vocat *ferculum*, ob eius magnitudinem & magnificentiam, quã maximè adepta eſt ſub tempora Decij & Diocletiani per martyria, ſanctitatem, & miracula tot illuſtrium Pontificum, Cardinalium, & fidelium, vt S. Cornelij, Sixti, Vrbani, Marcelli, Laurentij, Sebaſtiani, Ceciliæ, Agnetis, &c. pérque conuerſionem tot Romanorum Senatorum & Principum, ac tandem ipſius Conſtantini Magni, qui primus Chriſtianus Imperator Romam totam reddidit Chriſtianam, atque in ea Baſilicas regias, quales ſunt Lateranenſis, S. Petri, S. Pauli, S. Laurentij, S. Crucis, &c. quaſi regia fercula exædificauit, quin & illi quaſi totum orbem ſubiecit, dum eum ſuo exemplo & iuſſu Chriſtianum effecit.

*Ferculum Euchariſtia.*

Ferculum etiam dici poteſt geſtamen magnificum, quo Romanus Pontifex in Feſto Corporis Chriſti baiulorum humeris vectus, ac omnibus Cardinalibus, Epiſcopis, Prælatis, totóque clero & populo ſtipatus, ſolenni ſupplicatione Sacram Euchariſtiam circũfert. Hic enim honor non tam Pontifici quàm Chriſto, cuius Pontifex eſt Vicarius, quémque in Euchariſtia circumfert, & populo venerandum adorandúmque proponit, tribuitur.

Hoc ergo ferculo depingitur magnificentia Eccleſiæ Romanæ, ſimul quoque voce ferculi innuitur, Cathedram Pontificiam & Eccleſiam Romanam nõ eſſe alligatam Vrbi Romæ, ſed mobilem eſſe, ac inſtar ferculi poſſe aliò transferri, vti ante ducentos annos tranſlata eſt Auenionem, ibíque hæſit per 60. annos, atque ſub finem mundi cùm Roma ad gentiliſmum reuertens expellet Pontificem, is tunc aliò ſedem cœtúmque fidelium ſuorum transferet, vti dixi in Apocalypſi cap. 18. Cathedra ergo & Eccleſia Romana eſt ferculum, in quo in ſuo Vicario Pontifice Romano reſidet Chriſtus: vndè factum dicitur ex cedris Libani, id eſt, firmiſſimum & incorruptibile: cedrus enim non ſentit cariem, & *cedrum commendat æternitas*, ait Plinius. Hinc cùm in Cathedra Conſtantinopolitana, Alexandrina, Antiochena ſederint Epiſcopi Hæretici, qui fidem & Eccleſiam corruperunt, vt Neſtorius, Eutyches, Petrus Gnaphæus, Macedonius, &c. in cathedra tamen Romana à Chriſto hucuſque per mille ſexcentos annos nullus ſedit Pontifex Hæreticus, Chriſto ita prouidente ad illibatam Eccleſiæ fidem.

*In Cathedra Romana nullus ſedit Hæreticus.*

*Columnæ ſunt Cardinales.*

Columnæ argenteæ notant Doctores & Prælatos, præſertim Cardinales, qui quaſi cardines & columnæ ſedem & Eccleſiam Romanam ſuffulciunt æquè ac ornant, dum candore ſapientiæ æquè ac puritate vitæ inſtar argenti effulgent, verbóque & exemplo per vrbem & orbem reſonant.

Reclinatorium aureum eſt fidelis, piúſque Romanorum populus auro, id eſt,

eſt, aureâ pietate & religione conſpicuus, in qua ſuauiter quieſcit & reclinat ſe Chriſtus. Mira enim eſt populi Romani ad pietatem & deuotionem propenſio. Ego ſanè nullam gentem magis ad religionis officia procliuem vidi. Vnde vix eſt dies per annum, in quo Romæ alicubi non agatur ſolemne feſtum alicuius ſancti cum amplis indulgentiis, ornamentis, muſicorum concentu, magnôque populi concurſu.

*Populi Romani pietas.*

*Aſcenſus purpureus ſunt Martyres.*

Aſcenſus, id eſt, ſtella purpurea, ait Iuſtus Orgelitan. eſt ingens & quaſi immenſa multitudo (numerat Bozius trecenta millia) Martyrum fortiſſimorum, qui Romæ pro fide & Eccleſia, à S. Petro vſque ad Conſtantinum, ſanguinem ſuum profuderunt, in qua iucundiſſimè in ſede ſociorum & filiorum ſuorum (Chriſtus enim eſt pater & princeps martyrum) recumbit Chriſtus. Vnde & B. Virgo Chriſti mater Romæ locum ſibi delegit inter Martyres, cùm ſub Liberio Pontifice Ioanni Patritio apparens iuſſit ſibi in Exquiliis Baſilicam, quæ hodie à magnificentia Sanctæ Mariæ Maioris nuncupatur, exædificari. In Exquiliis enim erat carnificina Martyrum. Vnde iuxta eas erat Vrſus pileatus, vbi plurimos Martyrum, vel occiſos, vel ſepultos in Martyrologio legimus, atque in huius rei memoriam ibidem Eccleſia in honorem S. Bibianæ olim ædificata, nūc ab Vrbano Octauo bellè reſtaurata viſitur: Si per aſcenſum malis accipere velum, ſiue cælum ferculi, vel currum triumphalem Chriſti, optimè hoc repræſentat Martyres, qui ſuo ſanguine Romam & Romanam Eccleſiam velant, obtegunt, & ornant, atque de tyrannis infidelibus triumphantes glorioſè in cælum aſcenderunt, indéque Eccleſiam Romanam tuentur & propugnant. Ita S. Gregor. Caſſiod. Nyſſen. Philo, Iuſtus, Aponius, Beda & cæteri, qui per ferculum accipiunt Eccleſiam, putà primariam ſiue Romanam, in qua velut in ferculo magnifico reſidet & triumphat Chriſtus & Eccleſia vniuerſalis, ceu Sponſa Chriſti. Audi S. Gregorium: *Ligna Libani imputribilia eſſe aſſeruntur: Ferculum ergo fecit ſibi rex Salomon de lignis Libani; quia ſecundùm præſcientiæ ſuæ gratiam, Chriſtus ſanctam Eccleſiam de ſanctis in æternum permanſuris conſtruxit. Columnas eius fecit argenteas, quia eidem Eccleſiæ Prædicatores dedit, qui & vt eam exemplis ſuſtentarent, magnâ iuſtitiæ rectitudine roborauit, & vt prædicationibus erudirent, nitore eloquij quaſi ſplendore argenti decorauit. Reclinatorium aureum fecit, quia dum in cordibus perfectorum reſplenduit, eis diuinitatis ſuæ potentiam per contemplationem oſtendit. In qua contemplatione dum eis pulchritudinem cæleſtium gaudiorum monſtrauit, quaſi reclinatorium ex auro eis compoſuit; quia locum in quo refocillantes requieſcant, appoſuit. Quod reclinatorium bene aureum eſſe dicitur, quia melior eſt ſapientia cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur, ei non poſſunt comparari.* Aſcenſum purpureum deinde ſic interpretatur: *Ad hoc reclinatorium multis laboribus peruenitur, multis tribulationibus aſcenditur, ita vt ſi neceſſe fuerit etiam ſanguis effundi permittatur. Ideo aſcenſus rectè purpureus eſſe dicitur. Dum enim ſancti quique Martyres propter vitam æternam corpora ſua ad ſupplicia tradiderunt, dum flagella, aculeos, ignes, gladios & alia innumerabilia tormenta patienter pertulerunt, nonne ad reclinatorium iſtud, ad beatam ſcilicet vitam per aſcenſum purpureum aſcenderunt?*

*Gregor.*

*Ferculum Deitatis eſt humanitas.*

Symbolicè, ferculum diuinitatis eſt humanitas Chriſti: hæc enim eſt quaſi lectica, in qua recumbit & quieſcit Deitas Verbi, ait Philo Carpath. vtriuſque verò ferculum eſt Sacra Euchariſtia, in qua tota Chriſti Deitas & Humanitas continetur, ac in ſupplicationibus circumfertur ad Chriſti gloriam, & fidelium deuotionem, vt Deo gratias agant, ac imminentia pericula propulſent, omnémque à Deo gratiam & benedictionem impetrent.

Ferculum hoc factum eſt de lignis Libani, id eſt, de puriſſimis ſanguinibus B. Virginis, omnis corruptionis expertibus. *Libanus* enim Hebraicè idem eſt quod *candor*, & candida puritas. Columnæ argenteæ ſunt Chriſti ſapientia, eloquentia, vis dicendi & prædicandi, inſtar argenti ſonora & efficax.

Reclinatorium aureum ſunt ſeptem dona Spiritus ſancti, quæ ſuper Chriſtum requieuiſſe docet Iſaias cap. 11. v. 1. ac viciſſim in iis quaſi reclinatus requieuit Chriſtus.

Aſcenſus purpureus eſt ſanguineus Chriſti ſudor, paſſio, mors, & martyrium. Ita Beda, qui per hoc ſignificari ait, quòd nullus Eccleſiam ingreditur, niſi ſacramentis Dominicæ paſſionis imbutus.

*Ferculum Chriſti fuit crux.*

Rurſum ferculum, id eſt, lectica, & quaſi currus triumphalis Chriſti fuit crux, ait Aponius; hæc enim facta fuit ex lignis Libani imputribilibus. Vnde etiamnum in ſuis reliquiis, quæ paſſim aſſeruantur, perdurat. In cruce enim

Chriſtus de peccato, morte, Diabolo, & inferno triumphauit, iuxta illud Apoſtoli Coloſſ. 2.14. *Delens quòd aduersùm nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter palàm triumphans illos in ſemetipſo.*

Coloſſ. 2.14.

Columnæ crucis fuêre humilitas & obedientia, iuxta illud; *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Philip. 2.

Philipp. 2.

Reclinatorium aureum fuit inuicta eius patientia & magnanimitas, cui incumbens omnes plagas, iniurias, dolores placidè tulit & ſuperauit. Aſcenſus purpureus fuit chlamys purpurea, quâ Iudæi eum quaſi Regem Iudæorum per ludibrium veſtiuerunt, aut potiùs ſanguinis totius effuſio, quæ totum eius corpus cruentauit & purpurauit, iuxta illud Iſaiæ 63. 1. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? Iſte formoſus in ſtola ſua,* &c. *Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Torcular calcaui ſolus.*

Iſai. 63. 1.

*Media charitate conſtrauit.* Hebr. *Medium eius incenſum charitate*, quia nimirum currus hic crucis Chriſti igneus eſt, & ardens charitate: nil enim niſi amorem in Deum & homines ſpirat, & eiaculatur: vnde hoc curru igneo ipſe quaſi verus Elias non tantùm ſe, ſed & electos ſuos vehit, imò rapit in cælum. Paulò aliter hæc cruci adaptat Aponius: Sic enim ait: *Ferculum crucis de lignis cedrinis factum, in cuius columnis argenteis verum, immaculatúmque à contagio peccati corpus candeſcit, & glorioſæ animæ auri rutilat fulgor, in qua vſque nunc Dei ſermo reclinatorium habere probatur, & corporeus regaliſque Deitatis coruſcat ſenſus.*

Aponius.

*Tropologicè. Columnæ argenteæ. Doctores.*

Tropologicè: Nyſſen. & alij per columnas argenteas accipiunt Doctores, nitore cæleſtis eloquij refulgentes: Per aſcenſum purpureum, Prælatos & Principes, horum enim decus eſt purpura; per reclinatorium aureum mentem cui omnes animæ vires innituntur & incumbunt. Caſſiodorus verò & S. Gregorius hîc, per reclinatorium aureum accipiunt cæleſtem gloriam, in qua æterna ſanctorum requies. Idem verò S. Gregorius hom. 15. in Ezech. accipit charitatem, in qua ſancti in hac vita conquieſcunt: *Cum columnis argenteis*, inquit, *eſt reclinatorium aureum, quia per hoc, quod à ſanctis prædicatoribus lucidè dicitur, mentes audientium fulgorem charitatis intimæ, in qua reclinentur, inueniunt: per hoc enim quod luculenter & apertè audiunt in illud, quod clareſcit in corde, requieſcunt.*

Gregor.

*Reclinatorium aureũ, Martyres.*

Denique Philo Carpath. per reclinatorium aureum accipit Martyres quibus quaſi incumbit Eccleſia; dicuntur aurei, quia igne Martyrij excocti. Ita ipſe: Alij aliter.

*Symbolicè.*

Hugo Vict.

Symbolicè Hugo de S. Victor. ex Miſcellan. 2. lib. 1. cap. 121. *Ferculum*, inquit, *eſt qualibet Sanctorum congregatio ad æternum conuiuium animas ferens. Columnæ argenteæ, qui fortiſſimè operis exemplo alios portant, & luce prædicationis illuminant. Reclinatorium aureum, æternæ felicitatis fulgor, in qua reclinatur & ab omni labore quieſcitur. Aſcenſus purpureus eſt, quia ad claritatem illius quietis, non niſi per tribulationem venitur.*

*Anagogicè.*

Anagogicè, ferculum hoc ſignificat Eccleſiam ſanctorum triumphantem in cælis, cuius fundamentales columnas, portas, menſuras & gemmas graphicè depingit S. Ioannes Apocal. 21. Hanc fecit Deus propter filias Ieruſalem, id eſt, Beatos tam Angelos, quàm homines: propter Angelos, vt eorum ruinas reſtauret: propter homines, quia pro eis paſſus & mortuus eſt Chriſtus.

## SECVNDVS SENSVS

### *De Chriſto & Anima Sancta.*

*Ferculum Chriſti eſt mens pia.*

2. Cor. 4. 10.

MEns pia, præſertim mortificationi ſtudens & crucem Chriſti ferens, eſt ferculum Chriſti iuxta illud: *Semper mortificationem Chriſti in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris.* 2. Corinth. 4. 10. Et: *Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto.* Galat. 6. 17. Et: *Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* 1. Corinth. cap. 6. 20. Hinc S. Ignatius Martyr vocatus eſt θεοφόρος & χριστοφόρος, id eſt, Deifer & Chriſtifer, itáque ipſe ſe vocat in titulo Epiſtolarum ſuarum. Secundò, Hugo de S. Victor. Erudit. Theolog. ex Miſcellaneorum lib. 1. cap. 60. *Ferculum Salomonis*, inquit, *cor exercitatum in ſtudio virtutis. Ferculum, ſapientiæ verbum, in de portatur ab ore ad aurem. Lectulus, meus contemplatiua: Ferculum hoc primum de lignis Libani eſſe debet per puritatem & incorruptionem veritatis, de argento in præceptis & promiſſis. In candore argenti munda conuerſatio, in ſonoritate dulcis promiſſio. Habet aurum per ſapientiam cæleſtem, quod non æruginat in æternitate, ſed rubet in charitate. Habet purpuram, quando prædicat paſſionem.*

Galat. 6. 17.

1. Cor. 6. 20.

*S. Ignatius Martyr.*

2.

*Cor exercitiũ in virtute.*

*Aſcenſum*

*Aſcenſum ad glorificationem. In medio charitas ſternitur propter filias Hieruſalem, quæ teneris & infirmis propoſita eſt ad obtinendam ſalutem. Quis tam tener, vt amare non poſſit? Nam ſi cætera non potes, amare tamen potes, vt ad ferculum Salomonis pertineas.*

3. Mens ze-lo. Tertiò, mens charitate, zelo animarũ, & ſpiritu Apoſtolico flagrans, & prædicans Chriſtum crucifixum, vocatur ferculum Chriſti: Chriſti enim nomen, fidem & cultum circumfert per omnes gentes. Vnde ferculum Chriſti fuit S. Paulus & Apoſtoli, inquit Theodoretus, Hortolanus, & Giſlerius, imò Chriſtus ipſe Actor. 9. 13. *Vas electionis*, inquit, *eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Iſraël:* fuit enim ipſe cedrus Libani alta & ſuperba, dum Iudæus exiſtens perſequebatur Eccleſiam; at verò inde ſuccisa & dolata, facta eſt incorruptibile ferculum & currus triumphalis Chriſti, iuxta id, quod ipſe ait 2. Corinth. 2. 14. *Deo autem gratias, qui ſemper triumphat*, (id eſt, triumphare facit) *nos, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco.* Columnæ argenteæ eius fuêre, ſapientia & efficacia prædicandi Chriſtum crucifixum, iuxta illud: *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum: Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis Iudæis atque Græcis Chriſtum, Dei virtutem & Dei ſapientiam.* 1. Corinth. 1. 23. Reclinatorium aureum fuit inuicta animi conſtantia, modeſtia, manſuetudo, cui incumbens omnes labores, difficultates, & aduerſa fortiter & placidè ſuſtinuit & ſuperauit.

Act. 9. 13. — 2. Corinth. 2. 14. — 1. Corinth. 1. 23.

Aſcenſus purpureus fuit continua eius paſſio, plagæ & ærumnæ, in quibus gloriabatur: *Mihi*, inquit, *abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt & ego mundo.* Galat. 6. 14.

Galat. 6. 14.

Lege totum caput 2. Corinth. 11. vbi ſuas plagas & paſſiones, velut trophæa & triumphos enumerat. *Media charitate conſtrauit:* quia nil niſi amoris ignes ſpirabat & eructabat, etiam in Iudæos ſibi infenſiſſimos. Vide Roman. 9. 1. Quocirca S. Chryſoſtomus hom. 22. ad Popul. ſub initium hæc Paulo dat Elogia: *Paulus terreſtris Angelus, cæleſtis homo, Spiritus ſancti receptaculum, zelo incomparabilis, charitate magnus, Eccleſiarum Dei curator ſollicitus, pietatis orator, imbecillium deductor, credentium pronubus, Iudæorum redargutio; ſagena omnium noſtrorum, poſt mortificationem doctor, & poſt mortem præco, qui nobis demonſtrat quomodo in cælos aſcendere oporteat.* Idem lib. 2. de Orat.

Chryſoſt.

*Paulus ille inſatiabilis Dei cultor, communis parens & progenitor ſeruorum Chriſti, ille cuſtos orbis terrarum, qui ex hominibus facit templa Chriſti.* Vide quæ de laudibus S. Pauli dixi prooemio in eius Epiſtolas, & in Idea S. Pauli, quam præfixi Actibus Apoſt.

Appoſitè Nyſſen. hom. 7. notat Deum variis modis eſſe in iuſtis, ſcilicet vt in loco, vt in domo, vt in ſolio, vt in ſcabello, vt in curru, & vt in equo frænum recipiente: hîc verò deſcribi in pia anima eſſe vt in lectica, materiâ, & opere præſtantiſſimâ, vtpote quæ iam haud ſibi viuat, ſed Deum deferat in ipſa viuentem, iuxta illud Apoſtoli: *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Gal. 2. 20. Galat. 2. 20.

Symbolicè primò, S. Ambroſ. lib. 3. de Virgin. poſt initium, ex Septuag. ſic legit, ſicque explicat: *Lectum fecit ſibi rex Salomon ex lignis Libani, columnas eius argenteas; adclinatorium aureum, dorſum eius gemmarum ſtratum. Quis eſt iſte*, inquit, *lectus niſi corporis noſtri ſpecies? Namque in gemmis aër ſpecie fulgoris oſtenditur; in auro ignis; aqua in argento; terra per lignum, ex quibus corpus humanum quatuor conſtat elementis, in quo noſtra recubat anima, ſi non aſpero montium, non humi arido expers quietis exſtat, ſed ſublimis à vitiis ligno fulta requieſcat.* Symbolicè. 1. Ambroſ.

Secundò, tres Anonymi apud Theodoretum per ferculum hoc accipiunt Doctores, quibus quaſi curru vehitur Chriſtus ad docendos & perficiendos homines: per columnas argenteas accipiunt eloquia Domini: per reclinatorium aureum mentis pacificæ tranquillitatem: per aſcenſum purpureum cæleſtem patriam, in qua Rex Chriſtus, quaſi Salomon pacificus omnes ſanctos efficit purpuratos, hoc eſt, Reges. Huc pertinet expoſitio Ruperti, qui per ferculum accipiens inſtrumentum, quo dapes inferuntur in menſam, per illud accipit S. Scripturam, quæ omnis generis epulas animæ ſubminiſtrat. 2.

Tertio, S. Anſelmus per ferculum accipit Iudices, qui ex cedris Libani ſunt, quia incorrupti; & columnæ argenteæ, quia fortiter verum iudicium reſonant; & reclinatorium aureum, quia radiant charitate & ſapientiâ; & aſcenſus purpureus, quia Chriſto in eis aſcendente parati ſunt ad quaſlibet perſecutiones. 3.

Tropologicè: primò, Noſter Sanchez per ferculum Chriſti accipit mortificationem, quâ omnis amor ſæculi reſecatur ab anima, vt fiat Sponſa Chriſti, eíque totum ſuum amorem reſignet: vnde in ea iucũdè requieſcit Chriſtus: Quocirca Tropologicè. 1.

S. Baſil.

S.Baſil. in regul. 6. inter fuſiores, abne-
gationem docer eſſe vitæ ſpiritalis baſin
& fundamentum; quia ipſa, inquit, eſt
Baſil. *ſumma rerum omnium vitæ ſuperioris oblinio,*
*atque à ſuis ipſius voluptatibus receſſio.* Colum-
næ eius duæ ſunt, odium ſui, & amor
Dei; reclinatorium eſt patienria; aſcen-
ſus purpureus eſt profectus in omni vir-
rure.

2. Secundò, Hugo Victor. lib. 1. Erudit.
Theol. cap. 60. & 61. rria fercula diſtin-
Hugo Vict. guit: *Ponamus*, inquit, *tria, id eſt, lectulum Sa-*
*lomonis, & ferculum Salomonis, & currum Pha-*
*raonis; & intelligamus per lectulum Salomonis*
*cor dulcedine contemplationis requieſcens: per*
*ferculum Salomonis cor in exercitatione bono-*
*rum operum ſe circumferens: per currum Pha-*
*raonis cor in cupiditate carnalium requieſcens.*

Tertiò, Richardus de S. Victore fer-
3. culum, quo inferuntur epulæ cum Ru-
perto accipiens, per illud intelligit ani-
mam ſanctam, quæ Chriſtum paſcit &
reficit: *Dum ille*, inquit, *bonis eius operibus,*
Richard. Victorin. *ſtudiis, ac deſideriis delectatur, ſicut ſcriptum*
*eſt: Populus meus ſaturauit me vocibus, impleuit*
*me odoribus. Reficit quoque membra eius exem-*
*plo, oratione, doctrinâ, conſilio, & colloquio.* Hoc
factum eſt de lignis Libani, id eſt, de ele-
ctis, qui creſcunt & fructificãt per Chri-
ſtum & in Chriſto, qui dicitur Libanus,
id eſt, candidatio, ob puritatem. Colum-
næ quatuor ſunt quatuor virtutes Car-
dinales, quæ animam fulciunt, ac coram
Deo & hominibus ſplendidam efficiunt
inſtar argenti. Reclinatorium eſt con-
ſcientia pura, in qua reclinat ſe & quie-
ſcit Chriſtus. Dicitur aurea, quia igne
tribulationis excocta. Aſcenſus purpu-
reus eſt deſiderium cæleſtium, quo mẽs
ad Deum Chriſtum, & Sanctos aſcendit.
Hæc Richardus fusè, quæ ego in pauca
contraxi.

4. Quartò, S.Bernard. tract. de gradibus
humil. poſt initium, pariter ferculum
dapum accipiens ait, hoc eſſe ferculum
charitatis: *Bonus verè dulcis cibus*, inquit,
*charitas, quæ feſſos alleuiat, debiles roborat, mæ-*
*ſtos lætificat*, &c. *quæ media in ferculo Salomo-*
Bernard. *nis conſiſtens diuerſarum odore virtutum, velut*
*diuerſi generis fragrantiâ pigmentorum eſurien-*
*tes reficit, iucundat reficientes. Ibi ſiquidem ap-*
*ponitur pax, patientia, benignitas, longanimitas,*
*gaudium in Spiritu ſancto, & ſi quæ ſunt alia*
*veritatis ſeu ſapientiæ generationes apponuntur*
*in illa. Habet & humilitas in eodem ferculo ſuas*
*epulas, panem ſcilicet doloris, & vinum compun-*
*ctionis, quas primò veritas incipientibus offert,*
*quibus vtique dicitur: ſurgite poſtquam ſederi-*
*tis, qui manducatis panem doloris. Habet ibidem*
*contemplatio ex adipe frumenti ſolidum cibum*
*ſapientiæ cum vino, quod lætificat cor hominis,*
*ad quæ veritas perfectos inuitat dicens: Comedi-*
*te amici mei, & bibite, & inebriamini chariſſi-*
*mi.* Cant. 5. 1.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

Ferculum Chriſti fuit vterus & vlnæ B. Virginis, in quibus ipſa geſtauit Chriſtum; item præſepium & cunæ exriterunt quaſi ferculum mobile & geſtatorium Chriſti. Columnæ fuêre duo brachia B. Virginis, quibus ſtringebat Chriſtum. Reclinatorium fuit eius ſinus & pectus, in quod ſe reclinabat Chriſtus: aſcẽſus purpureus fuêre mens eius, caput, & flauique & purpuraſcentes capilli, qui Chriſtum in ſinu quieſcentem cingebant, fouebant & velabant. Cætera, quæ de Eccleſia & anima ſancta dixi, potiori iure applica B. Virgini murato duntaxat nomine.

*Media charitate conſtrauit propter filias Ieruſalem. Propter filias* refer tum ad charitatem, quæ proximè præceſſit, tum ad totum ferculum. Rurſum *τὸ media* non eſt ablatiuus ſingularis pertinens ad *τὸ charitate* vti cenſuêre S. Gregorius, S. Bernardus, & Caſſiodorus, ſed eſt accuſatiuus pluralis ſignificans ea, quæ erant media ſiue intermedia ferculi: Hebr. enim eſt חוכו *tocho*, id eſt, *medium eius ſtratum*, vel *incenſum*, aut *combuſtum dilectione: eius*, ſcilicet tam ferculi, quàm aſcenſus purpurei, id eſt, ſedis ſiue rhroni. q. d. Thronus ferculi, in quo ſedebat Sponſus circundatus erat purpurâ, ſed in medio vbi erat locus Sponſi, conſtratus erat lapidibus ignitis charitatem repræſentantibus, aut certè *medium eius*, id eſt, medium pauimentum ferculi ſtratum erat gemmis ardentibus.

Pro *conſtrauit* Hebr. eſt רָצוּף *ratſuph*, id eſt, ſtratum, vel ardens amore: nam רָצַף *ratſap* componitur ex צָרַף *tſaraph*, id eſt, ardere (vnde *Seraphim* vocãtur ſummi Angeli, quia amore Dei ardent) & רָפַץ *raphats*, id eſt, ſterni, vnde *ratſaph* ſignificat ſterni ad ardẽdum vel comburendum: hinc רֶצֶף *retſeph* eſt pruna, ſiue carbo ignitus: רִצְפָה *ritſpa* eſt carbo accenſus ſuper pauimento, indéque ipſũ pauimentum ſtratum lapide, v. g. Pario
vel marmoreo. Quocirca Septuag. hîc Lxx.
& 2. Paral. 7. verſ. 3. & Eſther 1. 7. vertunt λιθόστρωτον,

λιθόστρωτον,id eſt,*lapide* ſectili, opere vario & teſſellato *ſtratum*,vnde vertunt hîc:*Intimum eius lapidibus teſſellatis conſtratum.*
Ambroſ. S. Ambroſ. lib. 3. de Virgin. *Dorſum eius*
V.Editio. *gemmarum ſtratum*.Quinta editio: *Medium eius calculis compoſuit.* Quare

Primò ex Hebræo ſic vertas: *Medium*
*Varia verſio.* *eius conſtrauit lapidibus amoris*,putà gemmis
1. ardentibus, quales ſunt pyropi & carbunculi, qui ſymbolum ſunt amoris & charitatis Sponſi & Sponſæ æquè, ac filiarum Ieruſalem. Vnde Vatabl. vertit:
Vatabl. *Intimum eius ſtratum,vel tectum amore.*Syrus:
Syrus. *Medium eius ſtratũ amore præ filijs Ieruſalem.*
Arabic. Arabicus : *Et intrinſecum eius incruſtatum gemmis,& id amore filiarum Ieruſalem.*

2. Secundò, quia Hebræi carent caſibus,quo fit,vt idem nomen quolibet caſu verti poſſit;Hinc ex Hebræo ſic trãſ-
Hebr. feras:*Et medium tenet ipſe incenſus amore*,q.d. *Medium ferculi tenet ardens amore*,putà Spõſus,hoc eſt, Chriſtus. Vnde Gloſſa Hebræorum in illud Geneſ.2. *Et germinare fecit Dominus de terra*, ſic habet: *In medio thalami Meſſias filius Dauid, qui eſt diligens*
Geneſ. 2. *filios Iſraël, ſicut dictum eſt, Cant.3. Medium charitate conſtrauit propter filias Ieruſalem.* Cor enim Chriſti erat quaſi fornax ardentiſſima charitatis: Vnde ipſe magis noſtri amore, quàm dolore aſſus & toſtus fuit in cruce;atque in cruce, quaſi in ferculo in medio manuum, pedum, & lateris, quinque plagis per clauos & lanceam transfixus & cruentatus, velut quinque purpureis & ardentibus pyropis conſtratus, ac de peccato & morte triumphans reſplenduit: Quare veriùs quàm Cæſar in eo dicere potuit *Veni, vidi,vici*,non terrore, ſed amore:mors interfecit amorem (Chriſtum) ſed amor (Chriſtus) moriens vicit & interfecit mortem. Vnde dicebat S. Franciſcus: *Da Domine, vt amore amoris tui moriar, qui*
S. Franciſc. *amore amoris mei dignatus es mori.*

Tertiò, Sottomaior vertit in datiuo:
3. Sottomaior. *Medium eius ſtratum amori*,id eſt, *media pars ferculi ſtrata erat amori vel charitati*, id eſt, Sponſæ ſummè charæ & dilectæ media pars thalami bellè adornata erat, vel dicata,& quaſi conſecrata.In medio enim ferculi velut loco honoratiſſimo, gemmis vel aulæis ſtrato ſedebat Sponſa, iuxta illud Virgilij:

Virgil. --- *Aulæis iam ſe Regina ſuperbis*
*Aurea compoſuit ſponda,mediámque locauit.*

Conſtat enim ex Suida & Varrone olim Sponſas nouiter nuptas, ne erubeſcerent noctu lecticâ vehi ſolitas in domum Sponſi: quare honoris causâ medio lecticæ ſedebant, ita vt latus dextrum ſtiparet Sponſus, ſiniſtrum quiſpiam propinquus vel pronubus.

Quartò, alij cum Septuag. vertunt in 4.
accuſatiuo: *Medium eius gemmis conſtrauit ad amorem à filiabus Ieruſalem*, ſupple, ſibi conciliandum: hæ enim gaudent gemmis & curru gemmato. Sic exponi poteſt verſio Septuag. *interius*, vel *intimum eius lapidibus* (gemmis) *ſtratum,dilectionem à filiabus Ieruſalem*, ſupple, conciliat vel extorquet. Aut ſic: *In medio eius poſuit amorem vel charitatem*,hoc eſt,effigiem amoris vel charitatis, vt ſignificaret totum hoc ferculum à Chriſto compoſitum eſſe ex amore, ſiue cauſâ amoris,vt charitatem ſuam omnibus manifeſtaret. Putant ergo nonnulli in medio huius ferculi poſitam fuiſſe ſtatuam, vel imaginem charitatis.

Sic Gentiles animales depingebant *Cupidinis*
Cupidinem in ſuis thalamis. Vnde Pau- *effigies.*
ſanias initio Corinthiorum aſſerit Cupidinis imaginem in curru depictam: In cuius media baſi,ait, imago amoris Dei (Cupidinis) emergebat, aſſiſtentibus vtrinque Nereidibus. Alcibiades quoque in ſuo clypeo aureo & eburneo geſtabat Cupidinem inciſum, qui fulmen incuruaret & inflecteret, quo ſignificabat amorem quoque Ioui dominari, eîque iras & fulmen extorquere.

Quintò,Noſter optimè vertit in abla- 5.
tiuo: *media eius charitate conſtrauit.* Cum enim in Hebræo nulla hîc exprimatur materia, quâ medium ferculi ſternatur, niſi charitas, vtique charitate illud conſtratum ſit,oportet.

Quæres,quis Vulgatæ verſionis: *Media charitate conſtrauit*,ſit ſenſus?

Primò, Noſter Sanchez charitatem *Senſus 1.*
accipit pro rebus charis & amabilibus, *Charitas ſumitur pro re*
putà pro gemmis, quæ animos intuen- *charâ &*
tium pelliciunt ad ſui amorem. q.d. Me- *pretioſâ.*
dium ferculi ſtratum erat gemmis pretioſiſſimis & chariſſimis. Vnde Septuag. vertunt λιθόστρωτον, id eſt, *Lapidibus teſſel-*
*latis conſtratum*. S. Ambroſ. *Gemmatum ſtra-* Ambroſ.
*tum*. Quinta editio: *è calculis compoſitum.* V.Editio.
Sic cap.5. 16. vbi vulgatus habet: *totus deſiderabilis*. Hebr.eſt: *totus eſt deſiderium*, & ſic omninò vertunt Septuag. Sic S.Ioannes Epiſt.1.c.2. ait:quicquid eſt in mundo,eſſe concupiſcentiam carnis vel oculorum,id eſt,eſſe à carne,vel oculis concupiſcibile. Hebræi enim ſæpe ſumunt abſtracta pro concretis; & potentiam, habitum vel actum pro eius obiecto.

Secundò, alij per charitatẽ accipiunt 2.
effigiem

Digitized by Google

*Charitas ſumitur pro effigie ſeu ſtatuâ Charitatis.* effigiem charitatis, q.d. Salomon in medio huius ferculi collocauit ſtatuã charitatis, quaſi reginam ſacri huius connubij, quæ Chriſtum cum Eccleſia ſummo & indiſſolubili amoris vinculo copulauit, quo Tropologicè ſignificatur, ait Sanchez, charitatem virtutum omnium reginam, tanquam cor in corpore, quo cætera membra viuunt ac vigent, in medio tanquam in ſuo Regno conſediſſe; à qua virtutes omnes, quas abnegatio mortificatióque inueniunt, atque expoliunt, vitam habent & pulchritudinem. Hæc amabilem facit eſſe thalamum, hæc ſua ſecum affert naturalia ornamenta, virtutes ſcilicet alias, quæ tanquam aſſeclæ & adminiſtræ ab eius latere nunquam diſcedunt, imò hæc vna reliquarum virtutum partes obit. Quod optimè docuit Auguſt. in Tract. de laudibus charitatis tom. 9. Additque, Salomonẽ virũ ſapientiſſimum hieroglyphicũ hoc ferculum faciendum curaſſe, quo filiæ Ieruſalem in nuptiis vterentur, vt in hanc ſancti connubij formam intentæ, acribus, amoris & fidei ſymbolis excitatæ, viros ſuos colerent & diligerent. Idque ſignificari illo, quod ſequitur: *propter filias Ieruſalem.*

3. *Charitas pro Sponſo.* Tertiò, alij per charitatem accipiunt Sponſum, putà Chriſtum, qui dicatur charitas, quia eſt ſummè amans & amabilis, q.d. In ferculo hoc nuptiali medius conſidebat Chriſtus velut Sponſus vnicè diligens Sponſam Eccleſiam adeò, vt ipſiſſima charitas eſſe videatur. Et ſanè ſi per ferculum accipias præſepium vel crucem, in eius medio non erat niſi Chriſtus noſtri amore incarnatus, vagiens & crucifixus.

4. *Planè: Charitas pro ſymbolo, vel Emblemate Charitatis.* Quartò, ſimpliciter & planè per charitatem accipias imaginem, nomen, vel ſymbolum, aut emblema aliquod charitatis, vti ſunt carbunculi, columbæ, turtures, flammæ, q.d. Medium huius ferculi ſolium, aut certè pauimentum ſtratum erat effigie columbarum, vel carbunculorum, vel ignis & flammarum, quæ ſunt inſignia charitatis; ac fortè ipſa charitatis imago & nomen in ipſo pauimento inciſa erant, ſicut in Rationali Pontificis intextum erat *Vrim & Tummim*, id eſt, *doctrina & veritas.* Exodi 28. vt ſignificaretur, totum hunc tam ſplendidi ferculi ornatum non aliò ſpectare, quàm ad oſtendendum amorem, quo Sponſus proſequitur Sponſam & filias Ieruſalem, Sponſæ aſſeclas vel ſocias, vt eas viciſſim ad illam magis redamandam & colendam alliceret, vt meritò ferculum hoc amoris & charitatis, imò ipſa charitas nuncupari poſſit: Vnde multi vertunt: *Et medium eius ardebat amore*, vel *erat ardor amoris*, vel *ignitum erat charitate.*

Videtur ergo vel ſedes, vel pauimentum huius ferculi, vel vtrumque ſtratum fuiſſe imagine charitatis, aut rebus ignitis vel ignis ſpeciem referentibus, vti ſunt prunæ, flammæ, carbunculi, &c. Ignis enim ſymbolum eſt charitatis & ardoris, iuxta illud cap. 8. 7. *Lampades eius lampades ignis atque flammarum.* Hinc & Spiritus ſanctus in Pentecoſte ſpecie ignis & linguarum ignearum in Apoſtolos deſcendit. Actor. 2. Vide ibi dicta. *Cant. 8. 7.*

*Charitatis effigies.* Porrò pingitur Charitas hoc ſchemate: Virgo facie roſeâ, ſed ardenti cyclade coccineâ amicta, alis inſtructa, in capite geſtat coronam auream carbunculis diſtinctam & effulgurantem: digitus ornatur annulo, pyropis radiante; vnâ manu geſtat cor rubicundum flammas vibrans, alterâ arcum & ſagittas ignitas; hæc eſt imago, hoc emblema charitatis: & fortè ſic expicta fuit in medio huius ferculi. Hæc de ſenſu Grammaticali corticis; nunc ad ſenſum parabolicum & genuinum ſub eo contentum tranſeamus.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

SAlomon, id eſt, Chriſtus, ferculum, id eſt, Romanam ſedem & Eccleſiam merâ charitate conſtrauit, primò, quia tanta in illam exuberant Chriſti beneficia, vt omnia dilectione & charitate conſtrata eſſe videantur: In ea enim ſedet Chriſti Vicarius, qui habet plenitudinem poteſtatis Eccleſiaſticæ in omnes Eccleſias & fideles, ac proinde peccatorum omnium remiſſionem, Indulgentias, & gratias ampliſſimas concedere poteſt, & concedit præſertim Eccleſiæ Romanæ. In ea eſt aſſiſtentia Chriſti & Spiritus ſancti, vt in fide & in religione errare nequeat. In eam maiora è cælo chariſmata depluit. In ea Baſilicæ & Eccleſiæ plenæ ſunt reliquiis SS. Pôtificum, Sacerdotum, Virginum, adeóque tota penè vrbs Romana madet ſanguine Martyrum. Vnde Chriſtus apparens S. Brigidæ (vt habet eius vita) iuſſit eam è Suecia proficiſci Romam; ibi enim faciliorem eſſe viam in cælum: Paruit & profecta eſt, indéque in cælum abiit. *Amor Chriſti in Eccleſiam Romanam.*

Secundò,

2. Secundò, quia Chriſtus mentibus Pontificum & fidelium Eccleſiæ Romanæ illuſtrem charitatem indidit, & etiamnum indit *propter filias Ieruſalem*, vt ſcilicet animæ fideles & deuotæ, velut ciues cælo adſcripti hac charitate Romanæ Eccleſiæ illectæ eam ament, colant, ſequantur, ac per eam ceu ferculum à terreſtri Ieruſalem ad cæleſtem ſubuehantur: non enim eſt ſalus illi, qui eſt extra Eccleſiam, cuius caput eſt Eccleſia Romana. Vnus S. Gregorius Magnus, vt cæteros prætercam, tantæ charitatis fuit, vt omnes orphanos, monachos, pauperes Romæ aleret, ac plurimos per totam Italiam, imò & vltra Italiam, in ipsâque Palæſtina degentes. In Iubilæo omnes è toto orbe Romam conuolantes (qui ad plura centena millia numerantur) per triduum Romanorum impenſis aluntur, & liberaliter vt hoſpites tractantur.

*1. Gregorij magni Charitas.*

Rurſum profuſa populi Romani charitas patet tot Xenodochiis, Orphanotrophiis, Hoſpitalibus, cæteríſque locis piis, quibus abundat Roma; vt omittam quotidianas fidelium eleemoſynas, quibus ſuſtentantur omnes Ordines Mendicantes, Monachæ plurimæ, pueri, puellæ, pauperéſque innumeri. Omitto dotem, quæ quotannis permultis virginibus ad nubendum datur, Eccleſiarum fabricas & ornamenta, ſodalitiorum impenſas, &c. quæ ſanè mihi, aliiſque tenuitatem Romani populi conſiderantibus ſæpe admirationem mouerunt, vt non tam hominum, quàm Dei Romanæ Eccleſiæ benedicentis, hæc opera propria eſſe videantur. Extant libri hac de re excuſi, quibus idipſum clarè demonſtratur, ac præſertim liber cuius titulus: *Theſauri Romæ abſconditi*, item libelli de Iubilæis Romanis conſcripti. Ita Caſſiodor. S. Gregor. Aponius, Beda, & alij per hæc ſignificari aiunt Chriſtum, cùm pro nobis paſſus & crucifixus eſt, conſtrauiſſe Eccleſiam charitate; quia in illa amorem ſui & rerum diuinarum accendit. Hæc ſunt tapetia charitatis, ait Aponius, quæ media humanæ naturæ, & maieſtatis conſternunt, propter ſanctarum animarum ſalutem, & gaudia filiarum ſupernæ Ieruſalem. Hæc eſt vtique conſtrata charitas, quæ omnia ſuſtinet ſecundùm Apoſtolum, quæ calcata nunquam cedit, ſed alliſos erigit ſuæ humilitatis exemplo.

*Populi Romani Charitas.*

Symbolicè ferculum diuinitatis, Chriſti eſt humanitas: vtriuſque ferculum eſt crux æquè ac Euchariſtia: hæc tria enim charitate conſtrata ſunt, iuxta illud: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Ioan. 3. 16. Et illud: *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, vt viuamus per eum.* 1. Ioan. 4. verſ. 9. Cauſam dat v. 16. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Et illud Chriſti: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur?* Lucæ 12. 49. Et illud: *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo.* Ioan. 6. 56. Euchariſtia enim repræſentat, imò reipſa exhibet nobis manducandam totam Deitatem, & humanitatem Chriſti, amore noſtri in cruce aſſam & toſtam: Quare Euchariſtia mera eſt Chriſti charitas & amor, quo ad ſe rapit filias Ieruſalem, id eſt, animas deuotè communicantes: Euchariſtiæ autem ſacrificium & ſacramentum maximè celebratur & iteratur Romæ, vtpote vbi plura ſunt ſacerdotum millia, nec pauciora Religioſorum & monachorum, à quibus ex inſtituto frequentatur ſacra ſynaxis. Atque hæc eſt Romanæ charitatis, quam paulò ante commendaui, ſcatebra & cauſa; imò ordo & poteſtas Sacerdotalis conſecrandi Sacram Euchariſtiam deriuatur à Romano Pontifice, velut à capite Hierarchiæ Eccleſiaſticæ. Ab ipſo enim creantur Epiſcopi, qui ordinant Sacerdotes per totum orbem. Hac de cauſa cùm Pontifex Romam egreditur, alióque proficiſcitur ſemper cum eo defertur Sacramentum Euchariſtiæ, atque olim Epiſcopis Romam venientibus, illud ipſum obuiam mittere ſolebat in ſignum mutuæ communionis, fidei & charitatis, vti liquet ex Epiſt S. Irenæi ad Victorem Papam, quam recitat Euſeb. lib. 5. Hiſtor. c. 24. ex qua colligit Baron. anno Chriſti 198. tom. 2. quòd Romanus Pontifex ad omnes Coëpiſcopos Catholicæ communicationis olim mittere ſoleret Euchariſtiam, ſed qui eâ indigni ab ipſo iudicati eſſẽt, ab omnibus vitarentur quaſi excommunicati, vtpote qui non communicarent cum Romanæ Eccleſiæ Pontifice. Chriſtus ergo in cruce æquè ac in Euchariſtia, eſt quaſi diuinũ & immenſum charitatis ſimulachrum, vt proinde veriùs quàm Salomon vocetur *Iedidia*, id eſt, *Amabilis Domino*, 2. Reg. 12. 25 atque eandem piè cõmunicantibus afflat, & aſpirat. Vnde S. Chryſoſt. hom. 61 ad popul.

*Symbolicè.*

Ioan. 3. 16.

1. Ioan. 4. 9.

v. 16.

Luc. 12. 44.

Ioan. 6. 56.

*Euchariſtia prait Pontificem proficiſcentem.*

2 Reg 12 25.

*Cornel. à Lapide in Cant. Canticor.*

[Chryſoſt.] *Tanquam leones*, inquit, *ignem ſpirantes ab illa menſa recedamus, facti diabolo terribiles, & caput noſtrum mente reuoluentes, & charitatem, quam nobis exhibuit.* Huius rei typus erat arca teſtamenti, cuius opereulum erat propitiatorium aureum ſignificãs Chriſtum, qui eſt propitiatio pro peccatis totius mundi. Arca ergo erat inſtar ferculi huius, in cuius medio erat manna; quod erat figura Euchariſtiæ. Vnde Chaldæus [Chald.] vertit: *Et inter Cherubim, quæ erant ſuper propitiatorium reſidebat maieſtas Domini, qui habitare facit nomen ſuum in Ieruſalem, magis quàm in omnibus vrbibus terræ Iſraël.*

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

ANima mortificata & Apoſtolico ſpiritu prædicans Chriſtum, eſt ferculum Chriſti; ac proinde medium, vel vt Septuag. *intimum* eius, putà cor & mẽs charitate conſtratum eſt: Ardeat enim amore Dei & zelo animarum oportet, qui eas Chriſto lucrifacere ſatagit. Talis erat S. Paulus, qui ait: *Charitas Chriſti vrget nos*, &c. *Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt & qui viuunt iam non ſibi viuant, ſed ei pro quo ipſis mortuus eſt & reſurrexit.* [2. Corinth. 5. 14.] 2. Corinth. 5. 14. Et: *Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia?* &c. [Rom 8.] Rom. 8. Et: *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* [Rom 9 3.] Rom. 9. 3. Audi S. Chryſoſtomũ hom. 32. in Epiſt. ad Roman. in Morali: [Chryſoſt.] *Cor Chriſti erat cor Pauli, tabuláque Spiritus ſancti, atque charitatis volumen*, &c. *quod Chriſtum adeò diligere meruit, vt illum nemo alius ita dilexerit; quod mortem & gehennam contempſit; quod ex lachrymis illis fraternis conterebatur.* Vide eundem in homiliis octo, quas in laudem S. Pauli conſcripſit, ac præſertim in 2. (extant ſub finem tom. 3.) atque in ſermone proximè ſequenti, qui eſt in Commemoratione S. Pauli de charitate, vbi inter cætera explicans illud [1 Corint 9. Chryſoſt.] 1. Corinth. 9. *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos*, exclamat: *Vidiſtine quaſo animam terrena ſuperantem? omnem enim prorſus hominem Deo exhibere cupiebat, & omnes quantùm ad ipſum ſpectabat exhibuit. Quaſi enim vniuerſum mundum ipſe genuiſſet, ſic perturbabatur, ſic curabat, ſic omnes in regnum Dei feſtinabat inducere docendo, orando*, &c. *erigere labentes, ſtantes firmare, humi iacentes attollere, ſanare contritos, torpentes oleo exhortationis animare, inimicis intonare terribile, hoſtes minaciter intueri, more optimi cuiuſdam Ducis, & Medici artis ſuæ inſtrumenta geſtantis.* Mox cauſam ſubiicit: *Cùm enim celſus conſiſteret in omnium arce virtutum, omnem tamen flammam præcipuo charitatis ardore vincebat: Vt enim miſſum in ignem ferrum, totum profectò ignis efficitur; ſic Paulus charitate ſuccenſus, totus factus eſt charitas:* [*S. Paulus totus erat charitas.*] *qui quaſi communis totius mundi eſſet pater, ita amore hominum ipſos eorum imitabatur parentes, imò cunctos non carnales modò, verùm etiam ſpiritales patres ſolicitudine ac pietate ſuperabat, & pecunias & verba, & animam pro his, quos diligebat impendens.*

Prædicatores ergo, qui inſtar Pauli, [*S. Dominicus prædicabat è libro charitatis.*] Chriſti fidem & amorem fidelibus imprimere ſatagunt, ardeant charitate Pauli, ſic eâdem alios incendent. Ita S. Dominicus fundator Ordinis Prædicatorum, & S. Pauli Aſſecla, cùm ſolum S. Matthæi Euangelium per Prouincias concionaturus deferret ſecum, omnéſque amore Dei inflammaret, rogatus, è quo libro tam ſuauia & ardentia concionis eloquia depromeret, Reſpondit: *E libro charitatis: huic vni & vos ſtudete, ac ſimili ardore omnes ſuccendetis.* Verum enim eſt illud:

*Ardeat Orator ſi vult incendere plebem.*

Moraliter: charitas omnes virtutes [*Charitas virtutibus omnibus coronatur.*] perficit, ſibíque ſubſternit & rite ordinat, ac omnia vitia proſternit: Vnde ſine charitate nulla virtus prodeſt ad ſalutem, iuxta illud 1. Corinth. 13. 4. *Charitas patiens eſt, benigna eſt, charitas non æmulatur,* [1. Corinth. 13. 4.] *non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* Ita S. Anſelmus. Vnde & Nyſſen. hîc hom. 7. docet charitatem ornari & coronari omnibus virtutibus, quarum pauimentum ait eſſe Virginitatem: hanc enim virtutũm puritate, quaſi radiis quibuſdam gemmarum ſplendeſcere.

Porrò Richardus de S. Victore per [*Media, ſunt Opera indifferentia.*] *media*, intelligens opera indifferentia, quæ ſunt inter virtutem & vitium media, vti edere, bibere, ſtudere, ambulare, &c. *Iſta*, ait, *debent eſſe conſtrata charitate, vt* [Richard. Victorin.] *in charitate fiant & bonâ intentione: Et vt cum charitate fraternâ ita fiant, vt infirmi in his non ſcandalizentur, vel infirmentur, ſed ita ſtrata ſint, id eſt, tantâ æqualitate & diſcretione facta, vt incedat anima in his omnibus ſine querela, & opportunè nouerit illa exercere, & iterum intermittere.*

Rurſum S. Gregorius ex Caſſiodoro τὸ *media* adiectiuè, quaſi epithetum charitatis accipiens, cenſet illam mediam dici,

Digitized by Google

dici, quia illa mediante filiæ Ieruſalem, id eſt, imperfectiores animæ ad Sponſi beatitudinem peruenient, ſi charitatem indefeſsè obſeruent, etiamſi eis deſit reclinatorium aureum contemplationis, & aſcenſus purpureus martyrij, & columnæ argenteæ prædicationis. Rationem dat Rupertus, qui per ferculum accipiens Sacram Scripturam: *Media*, inquit, *charitate conſtrauit*, id eſt, in medio ſcripturarum principatum charitatis poſuit, quia ex ea pendent cætera omnia, iuxta illud Chriſti: *In his duobus mandatis* (diligendi Deum & proximum) *vniuerſa* Matth. 22. *lex pendet & prophetæ*. Matth. 22. Cauſam Charitas bonũ alienum facit ſuum. Rupert. ſubdit, quòd charitatis alienum bonum faciat ſuum & proprium; v. g. inquit: *Non ſunt carne virgines, ſed bonum virginitatis in te, ô beata Maria, diligendo ſuum faciunt. Non alia præter te genuit regem Salomonem, regem tam magnum, tam magnificum: ſed illa, diligendo in te hoc tam grande priuilegium, regis eiuſdem matres fiunt. Item non ſunt Martyres, neque ſufficiũt inter fortes præliari, & pro amore regis Salomonis fundere ſanguinem ſuum: ſed Martyres diligunt, & diligendo illos, gloriam eorum ſuam faciunt. Amplius dicam: Non ſunt Dij, ſed diligendo Deum, dij, vel filij Dei ſunt, ſicut ſcriptum eſt; Ego dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes.*

Denique S. Bernardus de gradib. humilit. ſub initium, ferculum hoc epularum ſpiritualium, putà charitatis & virtutum accipiens, mediam charitatem interpretatur, quæ mediis, hoc eſt, non incipientibus nec perfectis, ſed proficientibus, qui in medio amborum poſiti ſunt conuenit: *Media*, inquit, *charitate conſtra-* Bernard. *uit propter filias Ieruſalem, propter imperfectas videlicet animas; quæ dum adhuc illum ſolidum cibum minus capere poſſunt, lacte interim charitatis pro pane, oleo, pro vino nutriendæ ſunt. Quæ rectè media deſcribitur: quia eius ſuauitas nec incipientibus præſto eſt, prohibente timore; nec perfectis ſatis eſt, pro abundantiori contemplationis dulcedine. Hi adhuc à noxiis carnalium delectationum humoribus timoris amariſſimâ potione purgandi, nondum lactis dulcedinem experiuntur: Illi iam auulſi à lacte, epulari ab introitu gloriæ glorioſiùs delectantur: ſolis mediis, id eſt, proficientibus; ita iam melleas quaſdam ſorbitiunculas charitatis expertis, vt illis interim pro ſui teneritudine contenti ſint. Primus ergo cibus eſt humilitatis, purgatorius cum amaritudine: ſecundus charitatis, conſolatorius cum dulcedine: tertius contemplationis, ſolidus cum for-* Idem. *titudine*. Et nonnullis interiectis, patheticè ſubiicit: *Quis me inuitabit ad illud, vel medium ac dulce charitatis conuiuium, vbi iuſti epulantur in conſpectu Dei & delectantur in lætitia, vt iam non loquens in amaritudine animæ meæ dicam Deo, noli me condemnare, ſed epulando in azymis ſinceritatis & veritatis lætus eantem in viis Domini: Quoniam magna eſt gloria Domini?* Verùm hæc ingenioſa magis & pia quàm ſolida & genuina ſunt: ferculum enim hoc non eſt epularum, ſed eſt ſedes, vel currus magnificus Sponſi & Sponſæ: atque τὸ *media* non ſitum, ſedémque ſignificat, vti dixi; poteſt tamen charitas denominari *media* hoc ſenſu, quòd in medio ferculi ſit poſita & conſtrata.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

BEatæ Virginis vterus & ſinus fuit ferculum auguſtiſſimum, ferens & baiulans Verbum incarnatum, vti ſuperiùs dixi; ideóque media charitate conſtratum propter filias Ieruſalem; quia Chriſtus, qui eſt ipſa charitas, maximam gratiam & charitatem B. Virgini aſpirauit, vt ipſa filiabus Ieruſalem, id eſt, animabus deuotis ad illam in quauis difficultate recurrentibus opem ferret: quare ipſa eſt mediatrix Dei & hominum, vti docet S. Bernard. ſerm. 2. de Aſſumpt. B. Virginis: *Ipſa*, inquit, *mediatrix* Bernard. *noſtra, ipſa eſt, per quam ſuſcepimus miſericordiam tuam Deus, ipſa per quam & nos Dominum Ieſum in domos noſtras excipimus*. Quocirca magno pietatis ſenſu Eccleſia quotidie eam inuocat: *Salue Regina mater miſericordiæ*, &c. *Ad te clamamus exules filij Euæ. Ad te ſuſpiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle. Eia ergo Aduocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte. Et Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende. O clemens, ô pia, ô dulcis virgo Maria.*

Audi S. Bernardum ſerm. 1. de Aſſumpt. *Dubitare quis poteſt, omnino in affe-* Bernard. *ctum charitatis tranſiiſſe Mariæ viſcera, in quibus ipſa, quæ ex Deo eſt, charitas nouem menſibus corporaliter requieuit?* Et paulò poſt: *Nec in terris locus dignior vteri virginalis templo, in quo filium Dei Maria ſuſcepit; nec in cælis regali ſolio, in quo Mariam hodie Mariæ filius ſublimauit.*

Hinc ex Hebræo verti poteſt: *Et medium tenet ipſe incenſus amore*, q. d. Chriſtus, qui totus eſt amor & ardor, medium vteri & cordis B. Virginis occupat, in eóque quaſi in throno & ſolio regali conſidet, ſuámque charitatem diffundit.

Rurſum B. Virgo præſepium ſtrauit charitate, cùm Chriſtum qui eſt ipſa charitas recèns natum in eo quaſi ſtrato collocauit: Quare præſepium fuit quaſi tabernaculum charitatis: Sicut enim Gentiles finxerunt Cupidinem Deum amoris, quaſi puerum alatum, gerentem arcum & ſagittas; ſic verè pingas charitatem quaſi puerum alatum, iacentem in præſepio, flammas ardoris ſpargentem: Chriſtus enim in cunis eſt Hieroglyficum & Illicium amoris: Ibi enim magnus Dominus & laudabilis nimis, factus eſt puer paruulus & amabilis nimis: Quid enim blandius blandiente omnibus paruulo de Bethleem, vti Chriſtum vocabat S. Franciſcus ex ſuauiſſimis amoris deliciis. Porrò fideles & Eccleſiæ omnes, ſed maximè Romana deuota eſt B. Virgini: Vnde ſola Roma magnificas Baſilicas & templa in B. Virginis honorem ad ſexaginta tria (quot ſalutationes Angelicæ recitantur in Corona, ſiue Roſario B. Virginis) exædificauit, illáque ſtudioſè frequentat & deuotè colit: Quare vti magna eſt eius in B. Virginem pietas; ſic viciſſim ingens in eam eſt B. Virginis liberalitas ac charitatis & gratiarum effuſio.

*Dominus Cupido.*

---

Verſ. 11. *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.*

EGREDIMINI *& videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate,* (Syrus & Arabic. *in corona*) *quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius & in die lætitiæ cordis eius.* Solebant enim matres coronare filios, cùm fierent Sponſi in nuptiis. Vnde Clytemneſtra vxor Agamemnonis apud Euripidem in Iphigenia in Aulide, Achilli obiicit, filiam à ſe coronatam eſſe ad nuptias: *Fruſtrà quidem*, inquit, *veruntamen quaſi tibi nuptura eſſet filia, illam adduxi: vbi priùs illam coronaſſem.* Philo quoque de antiquitatibus Biblicis, filiam Iephte à Patre ex voto morti deuotam; ita virginitatem ſuam deplorantem inducit: *O mater*, Inquit, *mea in vanum peperiſti vnigenitam tuam, quoniam factus eſt infernus thalamus meus: confectio omnis olei, quod praeparaſti mihi, effundetur: & alba, quam nenit mater mea, tinea comedet eam, & corona, quam intexuit nutrix mea, in tempore marceſcet.*

*Sponſi olim coronabantur.*

*Exempla.*

*Philo Iud.*

S. Chryſoſtom. etiam hom. 9. in 1. ad Timoth. in Moral. docet, filios in nuptiis coronari ſolitos; cauſámque addit, vt oſtendatur illorum animus omnis carnis illecebris altior, atque ſuperior: Corona enim illa candorem indicat, & puritatem animi, qui nunquam libidini ſuccubuit: *Idcirco quippe*, inquit, *coronæ imponuntur capiti, vt victoriæ ſigna ſint, quòd ſcilicet antea, libidini fuerint impenetrabiles. Ita demum cubiculum ingrediuntur, quia ſcilicet à voluptate ſuperati non ſunt. Quod ſi libidine ſuperatus quiſquam ſeipſum ſcortis addixerit, cuius iam rei gratiâ coronatus incedat, qui tam fœda libidini colla ſubdiderit?*

*Cur?*

*Chryſoſt.*

Eſt vox Sponſæ, quæ euocat filias Sion, vt è domibus ſuis egrediantur ad ſpectandum Sponſum, qui ferculo charitate conſtrato propter eaſdem filias Sion, ſiue Ieruſalem magnificè vectus, ac diademate à matre in die nuptiarum coronatus exultans, & triumphans incedebat, vt nouus Rex & Sponſus. Sponſi enim, æquè ac Reges, coronâ vel floreâ, vel frondeâ, vel aureâ, vel gemmeâ redimiri ſolebant, vti docet Tertull. lib. de Corona militis, Briſſonius de ritu nuptiarum, Alexander ab Alexandro lib. 2. Genialium cap. 5. & Carolus Paſchalius lib. 1. de Coronis cap. 16. Vnde Claudianus in nuptiis Honorij Imper. ſic canit;

*Tu feſtas Hymenæe faces, tu Gratia flores*
*Elige, tu geminas Concordia necte coronas.*

*Claudian.*

Et Tertull. de corona militis: *Coronant*, ait, *& nuptiæ Sponſos.* Alexander Magnus inceſſit coronatus, cùm ipſe Sponſus vnius, centum Macedonas cum totidem Perſidibus legitimo matrimonio copulauit, teſte Plutarcho lib. de Fortuna Alexandri. Idem Paſchalius cap. 17. ex Plutarcho & aliis docet, coronas has Sponſorum contexi ſolitas ex aſparago & ſiſymbrio, è verbenis, ex abiete, & pino, illáſque fuiſſe indices ac teſtes Lubentiæ, hilaritatis, lætitiæ & gratulationis: denique moris fuiſſe, vt noua nupta ianuam viri lanâ coronaret, iuxta illud Prouerb. 31. 13. *Quæſiuit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum.* Coronas haſce nuptiales fuiſſe inſignes, excelſas, & quaſi turritas, indicat illud Lucani lib. 2. de bello:

*Tertullian.*

*Prouerb. 31. 13.*

*Turritáque premens frontē matrona coronâ.*

*Lucan.*

Talis vtique fuit corona, qua Alexander Magnus Sponſam ſuam Roxanen coronauit, vti indicat opus Ælij apud Lucianum.

Porrò Sponſa inuitat filias Sion ad hoc

hoc Sponſi ſui ſpectaculum eo fine, vt eas in illius admirationem, amorem, & cultum rapiat: Vnde eum Salomonem, id eſt, pacificum nuncupat, eo quòd ipſe pacem, id eſt, tranquillitatem, gaudium, opes, honores, ſalutem, felicitatem & omne bonum (hoc enim Hebr. ſignificat pax) illis ipſis ſit allaturus.

*Diadema quid?*

Diadema olim fuit primum inſigne Regum, nec aliud erat quàm faſcia alba & tenuis cingens caput: *διαδεῖν* enim eſt obligare, circumligare: inde *διάδημα* eſt obligaculum, redimiculum: poſtea creſcente Regum potentiâ, opibus, & ſplendore, faſcia in coronam auream & gemmatam commutata eſt. *Diadema*, inquit Cælius Rhodig. lib. 24. cap. 6. *Erat faſcia candida, quæ Regum capitibus obligabatur.* Quod inſigne Regium inuenit primus auctore Plinio, Liber pater. Coronam lauream faſciâ præligatam, quùm quidam Cæſaris ſtatuæ impoſuiſſet, Tribuni Pl. detrahi coronæ faſciam, & duci in vincula hominem iuſſerunt. Alexandrum Magnum legimus quandoque ſibi diadema detraxiſſe, vulneri obligando, quod in fronte acceperat Lyſimachus. Quam rem portendiſſe illi regnum ferunt, quod & mox ſit conſecutus. Tradit Ammianus Marcellinus inuidiæ Pōpeio datum ab obtrectatoribus, quòd faſciâ obligatum crus circumferret vlceris causâ, veluti nouarum rerum affectationis præſagium id foret. In gente Turcarum reliquias etiamnum antiqui moris ſeruari palàm eſt.

Rhodigin.

*Regia dignitatis inſigne. Exempla.*

Porrò Chaldæus Iudaicè hæc referens ad ipſum Salomonem, ſic Paraphraſticè interpretatur: *Quando venit Salomon Rex, vt faceret dedicationem domus ſanctuarij, præco egreſſus eſt in fortitudine, & ſic ait: Egredimini & videte habitatores Prouinciarum terræ Iſraël, & populus Sion diadema, & coronam, quâ coronauerunt populus Iſraël Regem Salomonem in die dedicationis domus ſanctuarij; & lætatus eſt in lætitia ſolemnitatis tabernaculorum, quam fecit Salomon Rex in tempore illo quatuordecim diebus.*

Chald.

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

*Quintuplex Diadema Chriſti.*

1. QVintuplici Diademate ſiue Coronâ Chriſtus Eccleſiæ Rex, & Sponſus redimitus eſt, primò ſtolâ humanæ naturæ, cùm eâ ceu coronâ Deitatem ſuam veſtiuit in Incarnatione: Nam ſtola apud Syros Regius habitus & Regium Diadema cenſebatur, teſte Alexandro ab Alex. lib. 1. Genial. cap. 28. Alludit Salomon ad Epithalamiũ Chriſti & Eccleſiæ à Dauide patre ſuo conſcriptum, Pſalm. 18. vbi ipſe Chriſtum Sponſum comparans Soli: *In Sole*, inquit, *poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo.* Sol enim cùm oritur in aurora, radiis ſuis in vaporibus nocturnis, & nube interiacente reflexis, ſpeciem capitis coronati exhibet: Vnde bellè coronatus decorè procedit, quaſi Sponſus de thalamo ſuo. Rurſum ſæpè ſub ſole eſt ea aggeſtio vaporum & diſpoſitio nubium, vt ſol per eas tralucens, halonem, id eſt coronam efficiat, qua ipſe cingatur, ornetur, & coronetur: ſic pariter Verbum æternum carnem aſſumens, per illam radios diuinitatis ſuæ euibrans, illâ quaſi nube tralucente & coruſcante, velut halone & coronâ bellè redimitus & coronatus proceſſit: Chriſtus enim in Incarnatione deſpondit ſibi Humanam naturam, quam aſſumpſit inſeparabili vnionis cõiugio, ita, vt in æternum illi adhæſurus, nec eam vnquam relicturus ſit; atque per carnem, quam aſſumpſit, conſequenter ſibi deſpondit, & vniuit totam humanam naturam, totámque Eccleſiam: hoc enim fine carnem aſſumpſit, & carnis diademate redimitus inceſſit.

Pſalm. 18.6. *Corona Solis.*

Porrò hac humanitatis ſtolâ & coronâ à matre, putà à B. Virgine veſtitus & coronatus eſt; quia ipſa è puriſſimis ſuis ſanguinibus obumbrante Spiritu ſancto, corpus Chriſti in vtero ſuo efformauit. Adde, quòd Chriſtus per B. Virginem, velut Dauidis regis filiam & hæredem, regnum & coronam regiam Iſraël, quaſi hæreditariâ ſucceſſione conſecutus videatur. Vnde huc alludẽs Angelus Chriſti incarnationis Paranymphus, B. Virgini inter cætera de eo ait: *Et dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.* Lucæ 1. 32. Dauidi enim hoc regnũ Meſſiæ, ſiuè Chriſti ex Dauide naſcituri, promiſerat dicens: *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Pſal. 131.4. ita per Diadema humanam naturam, quam in incarnatione Chriſtus aſſumpſit, hoc loco accipiunt S. Gregor. Beda, Alcuinus, Honorius, Caſſiodor. Philo & S. Athanaſ. in Synopſi, ac S. Ambroſius de inſtit. Virg. cap. 16. qui ſic ait: *Beatus Mariæ vterus, qui tantum Dominum coronauit, quando formauit; coronauit eum quando generauit: quia etſi eum ſine aliqua operatione ſui formauerit, quia Spiritus Sanctus ſuperuenit in Virginem: vnde & ipſe in Pſalmo*

Luc. 1. 32.

Pſal. 131.4.

Ambroſ.

*Cornel. à Lapide in Cant. Canticor.*



Digitized by Google

Pſalm. 138. *ait; Imperatum meum viderunt oculi tui, tamen lignipſo, quod ad omnium ſalutem cum concepit & peperit, coronam capitis eius æternæ pietatis impoſuit, vt per fidem credentium fieret omnis viri caput Christus.* Audi S. Gregorium: Grego. *Mater Chriſti beata Maria eſſe creditur, quæ coronauit eum diademate, quia humanitatem noſtram ex ea ipſe aſſumpſit, ſicut in Euangelio recitatur, & hoc die deſponſationis eius, & in die lætitiæ cordis eius factum eſſe dicitur: quia quando vnigenitus filius Dei diuinitatem ſuam humanitati noſtræ copulare voluit, quando per bonam voluntatem ſuam tempore opportuno Eccleſiam Sponſam ſuam ſibi aſſumere placuit: tunc cum charitatis exultatione carnem noſtram ex matre virgine ſuſcipere voluit: In qua cum doloribus pro tempore viuens, de redemptione noſtra vehementer exultauit.* Obiicit deinde S. Gregorius, ſimúlque reſpondet: *Sed cùm diadema pro gloria aſſumatur; in humanitatis autem ſuſceptione, non gloria Verbi Dei, ſed humilitas eſſe cognoſcitur; quomodo humanitate noſtrâ quaſi diademate coronatus fuiſſe dicitur? Sed cùm ipſa eius incarnatio verè gloria noſtra fuerit, quia membra eius ſumus propter communionem corporis, diadema membrorum benè capitis, ſcriptura prædixit. Hic itaque quia à Sponſa laudatur, & ipſe viciſſim Sponſam laudare dignatur.* Hoc eſt quod 600. annis antè præuidens Iſaias, ſpiritu exultans cecinit cap. 61. 10. Iſai. 61. 10. *Gaudens gaudebo in Domino, quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento circumdedit me, quaſi Sponſum decoratum coronâ, & quaſi Sponſam ornatam monilibus ſuis.* Vide ibi dicta.

*Dies deſponſationis fuit dies incarnationis.* Dies ergo incarnationis fuit dies deſponſationis & lætitiæ, tam Chriſti, quàm hominum & Angelorum: Gauiſus enim Chriſtus de ſua humanitate tam nobili, ſanctâ & perfectâ, quòd per eam homines reconciliaturus eſſet Deo. Vnde Angeli exultantes tunc cecinerunt: Luc. 2. *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Lucæ 2. Hoc eſt, quod præcinuit Sophon. cap. 3. 14. *Lauda filia Sion, iubila Iſraël, & lætare & exulta in* Sophon. 3. 14. *omni corde filia Ieruſalem: Abſtulit Dominus iudicium tuum, auertit inimicos tuos: Rex Iſraël Dominus in medio tui, non timebis malum vltrà. In die illa dicetur Ieruſalem: Noli timere Sion, non diſſoluantur manus tuæ. Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipſe ſaluabit; gaudebit ſuper te in lætitia, ſilebit in dilectione tua, & exultabit ſuper te in laude.* Septuag. *Et lætabitur in te in delectatione quaſi in die ſolemni.* LXX. Vide ibi dicta. In Cantico enim hoc prima Verbi Sponſa eſt humanitas ab eo aſſumpta, cuius coniugiũ hîc celebratur.

2. Secundò, ſicut Chriſtus primo anno & die Incarnationis ſuæ, coronatus eſt diademate humanitatis ſuæ die 25. Martij, ita pariter 34. & vltimo vitæ ſuæ anno, redeunte eadem die 25. Martij coronatus eſt coronâ ſpineâ à matre (veriùs nouercâ) ſuâ Synagogâ, putà à Iudæis Chriſtum crucifigentibus. *Eadem die Chriſtus incarnatus & mortuus eſt.* Eadem enim die paſſum & mortuum eſſe Chriſtum, quâ incarnatus eſt, putà 25. Martij, docet S. Auguſt. lib. 4. de Trinit. cap. 4. Epiphan. hæreſi 78. & 79. Franc. Suarez, & alij permulti: In morte enim Chriſtus ſoluens pretium redemptionis noſtræ Eccleſiam, id eſt, nos fideles in actu quaſi perfectos ſibi coëmit, deſpondit & copulauit: vnde quaſi Sponſus tunc coronatus eſt coronâ, ſed ſpineâ, quia patiens & pro ſpinis peccatorum noſtrorum ſatisfaciens. Vnde Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 95. Iſidor. Peluſiota. *Quia*, inquit, *execratione illius, quâ terra poſt mandatum à nobis violatum mulctata eſt, ſeges ſpinea erat; Dominus autem, vt omnem in ſeipſo morbum curaret, aduenerat, idcirco ſpineâ coronâ vt victor redimitus eſt; quemadmodum ſcilicet clari ac celebres victores faciunt, qui hoc ipſum telum aut inſtrumentum, cuius ope victoriam conſecuti ſunt, in triumphum geſtant. Confidite, inquit Dominus, ego vici mundum.* Chriſtus ergo hac coronâ ſpineâ quaſi triumphali, velut rex Iudæorum, id eſt, confitentium & laudantium Deum, redimitus & diadematus de paſſione, cruce, morte, peccato, dæmone, & inferno triumphauit. Hac de causâ Chriſtiani olim nolebant coronari roſis, quia Chriſtus coronatus erat ſpinis, vti docet Tertul. lib. de corona militis; Et Clemens Alexand. lib. 2. Pædag. cap. 5. Clem. Alex. *A ratione*, inquit, *alienum eſt, vt qui audierimus Dominum ſpinis fuiſſe coronatum, ipſi venerabili Domini paſſioni per ludum inſultantes, habeamus capita redimita floribus.*

*Godefridus Bullonius.* Quocirca Godefridus Bullonius, qui poſt receptam terram ſanctam primus è Chriſtianis creatus eſt Ieroſolymorum Rex; noluit coronari coronâ aureâ dicens, *nolle coronari aura in illa vrbe in qua Chriſtus coronatus eſt ſpinis*, vti refert VVilhelmus Tyrius de bello Sacro, & Paulus Æmilius lib. 4. de rebus Francorum ſub finem. Ita diadema hoc de ſpinea Chriſti corona exponunt Theodor. Caſſiodor. Aponius, Anſelm. Philo, Iuſtus Orgel. Bernard. & alij. Audi Theodoretum: Theodoret. *Matrem*, inquit, *appellat Iudæam quantum pertinet ad Chriſti humanitatem, quæ charitatis coronam illi inuita impoſuit; ſpinis enim illum contemptus causâ coronauit, ipſe verò per ſpinas ſuſcepit diadema charitatis: frontem enim ignominiam*

*niam pertulit, atque vltrò ad mortis cruciatus acceßit: quamobrem deſponſationis diem illam vocauit, & diem lætitiæ cordis eius. Tunc quippè nuptiarum communio facta eſt*, ſcilicet in cœna vltima, quādo paulò ante Paſſionem nuptiale conuiuium, putà Euchariſtiam inſtituit, vti ſubiicit Theodor. Porrò S. Athanaſ. tract. de paſſione & cruce, docet Chriſtum duabus de cauſis ſpinis coronatum, Primò, vt maledictum illud terræ ſueret & auferret: *Maledicta terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Geneſ. 3. 17. Secundò, vt noſtrarum ſpinarum, id eſt, curarum & ſollicitudinum aculeos in ſe ſuſciperet: *Ipſe enim*, inquit, *in doloribus & curis erat, vt nos doloribus careremus, &c. ac pro ſpinis lignum vitæ daret.* Audi S. Bernardum ſerm. 1. de Epiphania: *Egredimini virtutes Angelicæ; incolæ ciuitatis ſupernæ. Ecce rex veſter, ſed in corona noſtra, in diademate quo coronauit eum mater ſua. Sed his delicijs vſque modò caruiſtis, hanc hactenus dulcedinem nō guſtaſtis. Habetis ſublimitatem eius, ſed humilitatem eius non vidiſtis. Egredimini igitur & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua, &c. in corona paupertatis, in corona miſeriæ. Siquidem coronatus eſt & à Nouerca coronâ ſpineâ, coronâ miſeriæ, coronandus à familia ſua coronâ iuſtitiæ: quando exibunt Angeli, & tollent de regno eius omnia ſcandala, quando veniet ad iudicium cum ſenioribus populi ſui: cùm pugnabit pro eo orbis terræ aduerſus inſenſatos. Coronat eum & pater coronâ gloriæ, ſicut Pſalmiſta ait: Gloriâ & honore coronaſti eum.* Pſalm. 8.

Duas ob cauſas Chriſtus Spinis coronatus.

Geneſ. 3. 17.

Athanaſ.

Bernard.

3. Tertia corona Chriſti fuit gloriæ, cùm die tertio à morte ad vitam in corpore glorioſo reſurrexit, & die 40. ad cælos aſcendit, ac ad dexteram Dei patris in throno gloriæ, quaſi victor mortis, de eâque triumphans diuino lumine diadematus conſedit, iuxta illud: *Gloria & honore coronaſti eum.* Pſalm. 8. 5. & Hebr. 2. 6. & ſeq. *Vidimus*, ait, *Ieſum per paßionem gloriâ & honore coronatū.* Dies enim paſchæ, ſiue Reſurrectionis, æquè ac Aſcenſionis, fuit dies lætitiæ & deſponſationis Chriſti, quo ſcilicet Chriſtus iam non mortalis & moriturus, vt antè, ſed immortalis & glorioſus in perpetuum Eccleſiam tum præſentem, tum futuram ſibi deſpondit, & ſimilem ei Reſurrectionis gloriam ſpopondit, iuxta illud Pſalm. 92. 1. *Dominus regnauit, decorem induit.* Cauſam finalem dat Tertull. lib. de corona militis ſub finem: *Vt*, ait (tu ô Chriſtiane) *illam Chriſti coronam æmuleris, quæ poſtea ei obuenit, quia & fauos poſt fella guſtauit, nec antè Rex gloriæ à cæleſtibus ſalutatus eſt, quàm rex Iudæorum præſcriptus in crucem: minoratus primò à Patre modicum quid citra Angelos, & ita gloriâ & honore coronatus.*

Pſalm. 8. 5. Hebr. 2. 6.

Pſalm. 92. 1.

Tertul.

Quarta corona fuit Dominij & Regni, quâ coronatus eſt in die Pentecoſtes, cum miſſo Spiritu ſancto in Apoſtolos, per eos multa Iudæorum millia conuertit, ſibíque ſubiecit ac paulò pòſt per eoſdem Gentes omnes ſuæ fidei & obedientiæ ſubiugauit. Tunc enim Eccleſiam tam è gentibus, quàm è Iudæis collectam, quaſi per verba de præſenti ſibi deſpondit & coniugio copulauit. Sicut enim Deus in Sina dando legem Moſi, & Hebræis in Pentecoſte Synagogam ſibi deſpondit; ſic & Chriſtus in Sion dando legem nouam, eámque promulgando in Pentecoſte per Apoſtolos, Eccleſiam ſibi deſpondit. Hoc eſt, quod ait Ierem. 2. 2. *Recordatus ſum tui miſerans adoleſcentiam tuam, & charitatem deſponſationis tuæ, quando ſecuta es me in deſerto*: Sponſa autem eſt ornamentum & corona Sponſi. Nam, vt ait Sapiens: *Mulier* (Sponſa) *diligens, corona eſt viro ſuo.* Prouerb. 12. 4. Eccleſia ergo, quæ eſt Sponſa Chriſti, eiuſdem eſt corona, ſicut fideles & ſancti ſunt corona Eccleſiæ, iuxta illud Iſaiæ cap. 49. 18. *His omnibus velut ornamento veſtieris, & circumdabis eos tibi, quaſi Sponſa.* Et cap. 61. 10. *quaſi Sponſum decoratum corona.* & cap. 62. 3. *Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis vltrà derelicta, ſed vocaberis, voluntas mea in ea, quia complacuit Domino in te, &c. Et gaudebit Sponſus ſuper Sponſa, & gaudebit ſuper te Deus tuus.* Hinc S. Paulus Theſſalonicenſes à ſe conuerſos vocat ſuam coronam 1. Epiſt. 2. 19. *Vos enim eſtis corona noſtra & gaudium.* Et Philip. cap. 4. verſ. 1. *Fratres mei chariſsimi & deſideratiſsimi, gaudium meum & corona mea, ſic ſtate in Domino.* Sic S. Ambroſ. ſerm. 15. in Pſalm. 115. ait omnes ſanctos, omnéſque eorum virtutes & coronas eſſe coronam Chriſti: *Quæ eſt*, inquit, *corona, qua coronatur Chriſtus, niſi corona gloriæ? Ioſeph coronam habuit caſtitatis, Paulus iuſtitiæ, Petrus fidei, ſingularum virtutum coronæ ſunt: ſolus Chriſtus habet coronam gloriæ, qua eum Eccleſia coronauit. In hac corona omnes coronæ ſunt; quia gloria non portio vnius coronæ, ſed præmium omnium coronarum eſt.* Sic & Aponius ac Nyſſen. hom. 7. Quot ergo bona opera facis ex gratia Chriſti, tot Chriſti capiti & coronæ roſas innectis: Sicuti quot ſalutationes Angelicas recitas B. Virgini, tot eius vertici roſas implectis, vt fiat Roſarium & Corona Virginis. 4

Ierem. 2. 2.

Prou. 12. 4.

Iſai. 49. 18.

Et 61. 10.

Et 62. 3.

1. Theſſal. 2. 19

Philipp. 4. 1.

Ambroſ.

Porrò hæc corona tam triumphalis eſt, quàm ſponſalitia & Regalis. Nam Chriſtus armis eloquentiæ & gratię ſuæ, per Apoſtolos omnes gentes ſibi ſubiecit. Vnde eum S. Ioannes comparat equiti, & equo albo, Apocal. 6. 2. Apocal. 6. 2. *Et ecce, inquit, equus albus, & qui ſedebat ſuper illum habebat arcum, & data eſt ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret*, omnes gentes ſagittis amoris configendo, ſibíque ſubiiciendo. Et cap. Et 14. 14. 14. 14. *Et vidi, & ecce nubem candidam, & ſuper nubem ſedentem ſimilem filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam.*

5. Quinta corona Chriſti ſponſalitia, æquè ac triumphalis erit beatorum in cælo. Ipſe enim in die iudicij reprobos hoſtes ſuos deturbans in tartara, fideles & electos ſuos ducet ad cælum, ibíque perpetuo nuptialis amoris coniugio in æterna gloria eis copulabitur, eíſque ceu coronâ gloriæ coronabitur, iuxta Apocal. 19. 8. illud Apocal. 19. 8. *Alleluia, quoniam regnauit Dominus Deus noſter omnipotens. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe, & datum eſt illi, vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido. Byſſinum enim iuſtificationes ſunt Sanctorum. Et dixit mihi, ſcribe: Beati qui ad*
v. 12. *cœnam nuptiarum agni vocati ſunt.* Et verſ. 12.
v. 16. *In capite eius diademata multa.* Et v. 16. *Habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum; Rex regum & dominus dominantium.*

*Coronæ Chriſti ſunt Romæ.* Porrò hæ omnes coronæ Chriſti ſunt in eius ferculo, putà in Eccleſia Romana
1. Prima quidem, quia Eccleſia Romana maximè prædicat & celebrat myſterium Incarnationis Chriſti, illúdque cõtra omnes hæreſes Neſtorij, Eutychetis, Apollinaris, Monothelitarum, &c. acerrimè defendit, vt patet ex Epiſtola aurea S. Leonis hac de re conſcripta ad Conc. Chalcedonenſe. Hinc & Romæ in Baſilica S. Mariæ maioris præſepium, in quo reclinatus, ac faſciis, quaſi diademate, coronatus eſt Chriſtus, reconditum eſt: quin & ædem, in qua B. Virgo nuncium incarnationis accepit, ac Verbum caro factum eſt, Angeli ex Nazareth tranſtulerunt Lauretum non longè à Roma ſitum.

2. Secunda, quia S. Helena è Ieruſalem S. Crucem, clauos & ſpinas coronæ ſpineæ Chriſti Romam tranſtulit, ac in Baſilica S. Crucis, quæ inde *in Ieruſalem* cognominata eſt, tranſtulit: vbi ego cominùs illa intuitus & veneratus ſum, ac quotannis ex alto eminùs populo oſtenduntur, & veneranda proponuntur.

Tertia, quia Romana Eccleſia Reſurrectionis fidem conſtanter prædicat, ac 3.
contra quoſlibet ſectarios propugnat, vti S. Gregorius fecit, qui Eutychium Patriarcham Conſtantinop. Reſurrectionem negantem coram Imperatore conuicit & conuertit: ac multa Martyrum millia Romæ reſurrectionem non loquendo, ſed ob eius ſpem moriendo, reipſa conſtanter confeſſi, & profeſſi ſunt.

Quarta & quinta, quia omnes gentes 4.
fideles, ſicut Corona ſunt Chriſti, ſic & 5.
Corona ſunt Romanæ Eccleſiæ: tum quia ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris, S. Petro & Romano Pontifici ſubditis, ab eóque miſſis ſunt conuerſæ; tum quia ipſi ſunt ſubiectæ, ab eâque in fide & moribus inſtruuntur, & diriguntur ad Ieruſalem cæleſtem, putà ad æternam felicitatem & gloriam. Hac de cauſa Roman. Pontifex triplici coronâ redimitur, vt plenum Chriſti in omnes gentes Regnum, quod ipſe quaſi vicarius Chriſti adminiſtrat, repræſentet, nimirum, hoc eſt regnum Sacerdotale, & Sacerdotium regale, vt ait S. Petrus Epiſt. 1. cap. 2. 9. Vide ibi dicta, Vide & Carolum Paſchalium lib. 9. de Coronis cap. vltimo.

Tropologicè, S. Ambroſ. lib. de Iſaac & anima cap. 5. per diadema accipit charitatem, quâ Chriſtum coronauit, id eſt, vndique cinxit & repleuit mater Chriſti, putà ipſa charitas: *Angeli*, inquit, *canunt Epithalamium, perductâ ſponſâ vſque ad Sponſi requiem nuptialem, & vocant cæteras cæleſtes poteſtates, vel animas, vt videant charitatem, quam circa filias Ieruſalem habet Chriſtus. Vnde & meruit coronari à matre filius charitatis, iuxta illud Apoſtoli: Deus nos eripuit de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij charitatis ſuæ. Charitatis itaque filius, & ipſe charitas eſt, non ex accidentibus habens charitatem, ſed habens ſemper ſuâ ſubſtantiâ, ſicut & regnum, de quo dicit: Ego in hoc natus ſum: ideóque dicunt: Egredimini, id eſt, exite de ſollicitudinibus & cogitationibus ſæculi, exite de anguſtiis corporalibus, exite de vanitatibus mundi, & videte quam Rex pacificus in die ſponſalium ſuorum habeat charitatem, quàm glorioſus ſit, quia corporibus reſurrectionem dedit, & animas ſibi iunxit: Hæc magni eſt corona certaminis: Hoc præclarum munus ſponſalium Chriſti, ſanguis eius & paſſio eius. Quis enim plus potuit dare, qui ſibi etiam non pepercit?* Sic & Theodor. ac Nyſſen. hom. 7. qui ait: *hanc coronam dilectio contexuit.*

Tropologicè. Ambroſ. Nyſſen.

SECVN

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima fideli.*

EGreditur anima fidelis, vt Chriſtum in carne humilitatis coronâ, & in cruce ſpineo patientiæ diademate coronatum admiretur, colat, & imitetur, ab eôque diſcat ſpineam mortificationis, vel ſponte ſuſceptæ, vel aliunde illatæ coronam non refugere, ſed optare, in eâque gloriari; quia hiſce ſpinis configitur noxia voluptas, & concupiſcentia ex Adæ peccato nobis innata; dolor enim ſpinarum extinguit amorem & concupiſcentiam epularum. Chriſtus, inquit ille, ſanguinem ſuum pro te fudit: iure ergo ſanguinem tuum poſcit. Pij ergo gaudent ſpinis, dicentes: *gloriamur in tri-*
Rom 5.3. *bulationibus*. Rom. 5. 3. Impij verò gaudent
Sap 2. 8. roſis dicentes: *Coronemus nos roſis*. Sapien. 2. 8. Vnde S. Petrus Epiſt. 1. cap. 4. v. 14.
1 Petr 4. 14. *Si exprobramini*, ait, *in nomine Chriſti, beati eritis, quoniam quod eſt honoris, gloriæ & virtutis Dei, & qui eſt eius ſpiritus ſuper vos requieſcit*. Et Chriſtus: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*. Matth. 5. Talis fuit *Moſes*,
Matth. 5. *qui negauit, ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperiũ Chri-*
Hebr. 11. 24. *ſti: aſpiciebat enim in remunerationem*. Hebr. 11. 24. Pudeat, ait S. Bernard. ſerm. 5. in
Bernard. feſto omnium Sanctorum, *ſub ſpinato capite membrum fieri delicatum, quod omnis ei interim purpura non tam honoris ſit, quàm irriſionis.*

*Corona ſpinea parit gaudium. Cur?* Porrò ſpinæ hæ ſunt corona gaudij & lætitiæ, quia illud pariunt tum in hac vita, tum in futura. Vnde S. Iacobus initio
Iacob. 1. Epiſtolæ: *Omne gaudium*, inquit, *exiſtimate fratres cùm in varias tẽtationes incideritis*, &c.
*Exempla: S. Catharina Senenſis.* Quocirca S. Catharina Senenſis duabus ſibi coronis à Chriſto oblatis, vnâ ſpineâ, alterâ aureâ, ac optione datâ, vt eligeret vtram vellet; ſed ſciret alteram poſt mortem ſibi dandam, illicò ſpineam elegit, vt poſt mortem auream in cælo acciperet, illámque tanta vi capiti infixit, vt graues per multos dies capitis dolores ſenſerit.

Quot ergo iniurias, morbos, inedias, ærumnas, dolores amore Chriſti patimur, tot capiti noſtro coronæ Chriſti ſpinas innectimus. Vnde Angelus B. Lydvvinæ (vt habet eius vita apud Surium) quæ per 30. annos & amplius *B. Lyvvina.* grauiſſimis capitis & corporis morbis afflicta fuerat, ſub finem vitæ apparens, ei nunciauit coronam eius ſpineam penè eſſe perfectam, modicum quid duntaxat reſtare: quare pararet ſe ad id patiendum: illo peracto perfectam fore patientiæ coronam, ideóque mox coronam gloriæ illi imponendam in cælo. Vt dixit, ita factum eſt.

Quocirca Richard. de S. Victor. hîc cap. 13. vrgens, *τὸ egredimini*, docet tribulatos & tentatos debere aſpicere coronam Chriſti ſpineam: ſicut enim hæc peperit Chriſto coronam gloriæ, ſic & ipſis paritura eſt: *Iudæa*, inquit, *quando* Richard. Victorin.
*Chriſto intulit martyrium, fabricauit illi coronam & gloriam*, &c. (ſic & qui nos affligunt, ſunt fabri coronæ noſtræ, ideóque amandi, non odiendi) *O filia Sion cùm aduerſa patimini, egredimini ab imperfectione veſtra, & impatientia, vt leniter feratis illata vobis mala: Videte Regem veſtrum pro vobis paſſum, & per paſſionem gloria & honore coronatum: lætitiam regis veſtri conſiderate. Hoc exemplum vobis proponite.* Hæc Richardus.

Rurſum Anima pia Chriſtum in Euchariſtia diademate, id eſt, ſpeciebus panis quaſi faſciâ candidâ velatum & coronatum intuetur, ſuſcipit, ſibíque vnit & quaſi deſpondet. In Euchariſtia enim celebratur Chriſti & animæ nuptiale conuiuium, ait Theod. & Aponius.

Tropologicè, filiæ Sion, id eſt, ſpeculæ, putà animæ deuotæ crebrò in oratione mente contemplantur Chriſtum natum, paſſum, & ſpinis coronatum velut Sponſum animæ ſuæ, itáque mirificè in eius amore accenduntur; quare priùs illas egredi oportet de imaginatione & amore rerum carnalium & mundanarum: *Egredimini*, ait S. Bernard. ſerm. 2. de Epiphan. *de ſenſu carnis ad intellectum*
*mentis, de ſeruitute carnalis concupiſcentiæ ad li-* Bernard.
*bertatem ſpiritualis intelligentiæ: Egredimini de terra veſtra & de cognatione veſtra.*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

BEata Virgo quaſi mater coronauit Chriſtum diademate, ſiue ſtolâ, & faſciâ candidiſſimâ humanitatis, quæ vulnera noſtra obligauit patiens in cruce, vti paulò antè dixi. Vnde ad eum in præſepio reclinatum intuendum, ſuſpicien-

ſpiciendum, & adorandum B. Virgo inuitat filias Sion, id eſt, omnes Angelos & homines. Audi Rupertum: *Quod*, inquit, *eſt diadema iſtud? Clariſſima Prophetica veritatis auctoritas, cuius quot ſunt præconia, tot gemmarum eſt Chriſti diadema; in die deſponſationis illius, quo de vtero Mariæ tanquam Sponſus proceſſit de thalamo ſuo; & in die lætitiæ cordis eius, quo ſpineâ coronatus coronâ laborem conſummauit, & ſubſequenti lætificatus Reſurrectionis triumpho. Et in die lætitiæ illius, & in die deſponſationis illius in illo diademate videndus, & ex illo eſt diademate, quantus ſit, agnoſcendus.*

Rupert.

Vnde S. Auguſt. lib. 4. confeſſ. cap. 12. *Proceſſit*, inquit, *ad nos primum in virginalem vterum, vbi ei nupſit humana creatura caro mortalis nec ſemper mortalis, & inde velut Sponſus procedens de thalamo ſuo exultauit vt gigas ad currendam viam. Non enim tardauit, ſed cucurrit clamans dictis, factis, morte, vitâ, deſcenſu, aſcenſu, clamans vt redeamus ad eum, & diſceſſit ab oculis vt redeamus ad cor, & inueniamus eum.*

Auguſt.

Addit Hugo de S. Victore Miſcellaneorum 2. lib. 1. cap. 49. B. Virginem coronaſſe Chriſtum coronâ iuſtitiæ, quę conſiſtit in ordinatione & adæquatione quatuor animi paſſionum, putà amoris & timoris, gaudij & triſtitiæ; qui enim has quatuor habet ordinatas, hic iuſtus, id eſt, compoſitus eſt; qui inordinatas, iniuſtus: Chriſtus autem eas ordinatiſſimas aſſumpſit ex carne puriſſima B. Virginis, in qua ſummè erant ordinatæ & compoſitæ: ipſa enim caruit omni concupiſcentiâ & perturbatione: *Pueri enim vt plurimum matrizant* ac matris potiùs, quàm patris indolem & mores induunt, vti ex Galeno, Ariſtotele, Auicennâ, Alberto Magno & aliis docet Tiraquellus lib. 2. Connub. num. 73. Huc facit illud de Chriſto prædictum Pſalm. 44. 5. *Specie tua & pulchritudine tua intende, proſperè procede & regna propter veritatem & manſuetudinem & iuſtitiam.* Psalm. 44. 5. Audi Hugonem: *Coronauit eum* (Chriſtum) *nouerca pater & mater. Nouerca Synagoga, Mater virgo, Pater eius Deus. Nouerca coronauit eum coronâ ſpineâ & miſeriæ, mater coronâ iuſtitiæ, pater coronâ gloriæ. Spinea corona materialiter punxit eum exteriùs, ſpiritualiter interiùs, non pro ſuis, ſed pro noſtris criminibus, vt nos pro ſpinis noſtris ei non dedignemur compungi. Matris corona quatuor pretioſis lapidibus eum ornauit. Iſti ſunt principales quatuor animi affectiones, gaudium, amor, triſtitia, timor. Iſtæ affectiones, ſicut dicit B. Auguſtinus, ordinatæ, iuſtitia ſunt; inordinatæ, iniuſtitia: Quia itaque ſibi ordinatas eas Salomon noſter aſſumpſit de Virgine; ipſa prædicta corona iuſtitiæ eum coronauit. Vt autem ad plenariam cognitionem tertij diadematis, quo eum Deus pater gloriâ & honore coronauit peruenire poſſitis, Egredimini à vitiis, videte fide & operatione & imitatione eum coronatum coronâ, quâ coronauit eum mater ſua, vt ordinatas eius exemplo prædictas affectiones habeatis ipſo præſtante. Qui*, &c.

Hugo.

CAPVT

# CAPVT QVARTVM.

## SYNOPSIS.

*Sponſus laudatus à Sponſa laudes in eam regerit, illámque viciſſim dilaudat ab ornamentis non externis & aſcititiis (vti faciunt puellæ Pſaltriæ cap. 7.) ſed internis & à natura gratiâque inſitis, ſcilicet ab oculis columbinis, capillis caprinis, dentibus ouinis, labiis coccineis, genis puniceis, collo turrito, vberibus capreæ. Deinde verſ. 8. de Libano illam euocat in Ieruſalem ad coronam, eo quòd eius amore ſit vulneratus, tum ob dotes iam recenſitas, tum ob vbera pulchriora vino, linguam ſtillantem mel, ac veſtes olentes thus. Denique verſ. 10. illam comparat horto concluſo, malis punicis, cypro, nardo, croco, cinnamomo, myrrhâ & aloë referto; atque verſ. 15. eam aſſimilat puteo aquarum viuentium.*

*Hiſce omnibus, velut Emblematibus parabolicè repræſentat Eccleſiæ è gentibus collectæ, & ad culmen euectæ decorem, ſanctitatem, & perfectionem vſque ad cap. 5. verſ. 2. vbi de eiuſdem iam ſeneſcentis, rugis, næuis, & maculis agit.*

*Rurſum hiſce omnibus depingit perfectionem & pulchritudinem Humanitatis Chriſti, quam Verbum ſibi deſpondit, cùm hypoſtaticè eam ſibi vniuit. Hæc ergo primaria eſt Verbi Sponſa, cuius membra & dotes hîc celebrantur, vti dixi in Proœmio cap. 2. quod initio Capitis hoc loco ſemel notaſſe ſufficiat, ne in ſingulis verſibus ſit repetendum.*

Vers. 1. QVAM pulchra es amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſecus latet. Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad.

2 Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas.

3 Sicut vitta coccinea, labia tua: & eloquium tuum, dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, abſque eo quod intrinſecus latet.

4 Sicut turris Dauid collũ tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

5 Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in liliis,

6 Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ, vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.

7 Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.

8 Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.

9 Vulneraſti cor meum ſoror mea Sponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.

10 Quàm pulchræ ſunt mammæ tuæ, ſoror mea Sponſa! pulchriorá ſunt verba tua vino, & odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.



Digitized by Google

11 Fauus diſtillans labia tua Sponſa, mel & lac ſub lingua tua:& odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.

12 Hortus conclusus ſoror mea Sponſa,hortus conclusus, fons ſignatus.

13 Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus.Cypri cum nardo,

14 Nardus & crocus, fiſtula & cinnamomum cum vniuerſis lignis Libani, myrrha & aloë cum omnibus primis vnguentis.

15 Fons hortorum: puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.

16 Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.

---

## VOX SPONSI.

Verſ. 1. *Quam pulchra es amica mea quàm pulchra es! Oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſecùs latet.*

VERS. 1. Syrus Arab.

SYRUS & Arabic. *Ecce pulchra es*, &c. Pulchritudinem Sponſæ admirans Sponſus, eam per partes deſcribit, ac incipit ab oculis, quos columbæ perſimiles aſſerit, putà bellos, lucidos, limpidos, innocentes, ſimplices, placidos, amabiles, &c. vti expoſui cap. 1. verſ. 15. Hîc enim id repetit, idcirco quod in fine capitis præcedentis Sponſa oculos adoleſcentularum ſuarum non in ſe, ſed in Sponſum, Sponſíque diadema, putà humanitatem ab eo aſſumptā, & coronam ſpineam intendere iuſſerat: qua re quàm oculis eſſet ſincera & fida oſtenderat, vt meritò oculi eius nouum laudum exordium mererentur.

Oculi Sponſæ laudantur.

*Abſque eo quòd intrinſecus latet.* Hebr. מבעד לצמתך *mibbaad letſammatech*, quod Rabbini, Genebrardus, Pagninus, Clarius & alij vertunt: *intra cincinnos tuos*. Marinus: *intra crinem tuum*. Vatabl. *extra comam tuam*, ſcilicet promicantes: q.d. pulchriores apparent oculi tui, dum paſſis capillis vti Spōſa incedis; ſic enim intra crines & cincinnos tuos profluentes, pulchrius emicant & reſplendent oculi tui.

Varia verſiones.

Meliùs R. Iona & alij vertunt: *Oculi tui columbæ* (id eſt ſimiles ſunt colūbis adeò, vt ipſiſſimæ columbæ eſſe videantur) *intra velamen ſuum*. Solebant enim Virgines iam viro traditæ caput velo obnubere, indéque nuptæ dicebantur, vt ſignificarent, ſe ſubditas viro, vti docet Apoſtol. 1. Corinth. 9. verſ. 7. & 10. Hoc velum vocabatur *flammeum nuptiale*, eo quòd aſſiduè illo vtebatur Flaminica, id eſt Flaminis vxor, ait Feſtus. Vnde Martialis lib. 12. 38.

Flammei etymon.

*Præluxêre faces, velarunt flammea vultus.*

Martial.

Hebraicè vocatur צמה *tſamma*, id eſt, conſtrictorium, ſiue vitta, aut velum caput conſtringens. Vnde Symmach. hîc v. 3. & Septuag. Iſaiæ 47. 2. vertunt *velum*, vel *operimentum*.

Senſus ergo eſt, q.d. Non ſolùm oculi tui, ô Sponſa, pulchri ſunt ex nitore columbino, ſed etiam ab eo, *quod intrinſecus latet*, hoc eſt, ex eo, quod oculi lateant ſub velo, ſiue flammeo nuptiali: indè enim quaſi berylli, vel adamantes emicare videntur, atque obuios quaſi ex inſidiis incautos adoriri, eóſque vulnerare: lumina enim oculorum ita intus recondita, & circumuelata ingens habent decus, ac quaſi ex arcano quodam lucis radios ex ſe, tanquam tela quædam iacere, & vibrare videntur, vti fuſiùs dixi Iſaiæ 47. 2.

Adde Hebr. צמת *tſammat* non tam velum, quàm velatum, id eſt, rem ob pulchritudinem, vel reuerentiam velo dignam, obtectámque ſignificare. Id liquet ex eo, quòd noſter hîc, & verſ. 3. & c. 6. 6. conſtanter vertat: *quod intrinſecus latet*: *Tſammat* ergo ſignificat rem latentem & ſub velo reconditam: Et ex Septuag. Syro & Arabico, qui *tſammat* vertunt: *taciturnitatem*, ſiue *ſilentium*, id eſt, rem latentem & præ ſui decore & maieſtate ſilendam & tacendam. Simili Catachreſi campi ſilere dicuntur, cùm nondum germinant; & flores ſilentes, qui necdum ſe aperiunt, ſed ſuo calyce clauſi latent; & Luna ſilens, id eſt latens, iuxta illud Virgil. 2. Æneid.

*---- Tacita per amica ſilentia luna.*

Virgil.

Igitur *τὸ abſque eo quod intrinſecus latet* idem eſt ac ſi dicat abſque interna decoris gratia, quæ in oculis abſcondita latet, q.d. Oculi tui, ô Sponſa, non tantùm ſimiles ſunt oculis columbinis, eo quòd venuſti ſint, lucidi, ſimplices, pudici, verecundi, amabiles, ſed inſuper eximiam in ſe latentem gratiam & pulchritudinem continent, quæ per pupillam & angulos,

gulos, velut per velum tenuirer & obſcurè pellucet & emicat, ideóque oculos intuentium non implet, ſed ad penitius id, quod latet, inſpiciendum allicit & rapit: Sicut in pyropis & gemmis nonnullis, tenuis quædam nubecula decora & ſplendida in fundo larens, per extimam ſuperficiem pellucet, quæ oculos intuentium mirè oblectar, ac quia non ſatiat, ad vlterius intuendum inuitat, quia ſub ea quid ratum & pretioſum celari videtur.

*Vis oculi feminei.* Mira enim in oculis hominum, præſertim fœminarum ineſt latens gratia & venuſtas, quæ intuentes in ſui amorem & admirationem rapit. Sicut enim tota pulchritudo feminæ eſt quaſi collecta in facie, ſic tota pulchritudo faciei in oculis quaſi videtur: Quocirca verſ. 9. Sponſus ait Sponſæ: *Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum.* Sophronius in Prato ſpirit. cap. 60. narrat Sanctimonialem *Exempla: Sanctimonialis eiuſdem.* quandam ab adoleſcente adamatam, cùm eam ille vbique proſequeretur, rogaſſe quid illi tantoperè in ſe placeret; cúmque adoleſcens reſponderet, oculos; illi enim, inquit, ſeduxerunt me; mox illa cultro effodir ſibi oculos, ne ampliùs ipſi eſſent ſcandalo: q.d. Accipe quod adamaſti, & me proſequi deſine: Compunctus ille animum vitámque in melius commutauit. Sabellicus lib. 4.
*S. Lucia.* Exempl. cap. 8. ſcribit S. Luciam oculos ſibi erutos tyranno ſe perſequenti miſiſſe, velut virginitaris ſuæ obſides & tutores. Putant nonnulli, hanc Luciam eſſe celebrem illam Syracuſanam Martyrem, ideóque illam pingi cum oculis in patina exhibitis; ſed alia fuiſſe videtur. Narrauit mihi Prælatus quidam in primis probus & ſapiens, ſe à matrona quadam caſtâ & graui æquè ac prudente monitum, vt ſibi ſubditos Sacerdotes & Confeſſarios aſpectu & colloquio mulierum cohiberet: quia, inquit, in oculis fœminarum ineſt occulta quædam gratia & amoris illicium, quod viros etiam ſanctos neſcientes illicit & quaſi demenrat. Addebátque: Non eſt vir tam religioſus & ſanctus, cui ego non perſuaſero quicquid voluero, ſi per quadrantem horæ cum illo colloquar, illéque oculos meos fixè intueatur. Tanta gratia & vis occulta illiciens later in oculo femineo. Quocirca ſapienter monet Eccleſ. cap. 25.28. *Ne reſpicias in mulieris ſpeciem & nan concupiſcas mulierem in ſpecie.* Et cap. 26.21. *Sicut ſol oriens mundo in altiſſimis Dei, ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus ſuæ.* Er cap. 36.24. *Species mulieris exhilarat faciem viri ſui, & ſuper omnem concupiſcentiam hominis ſuperducit deſiderium.*

*Eccli. 25.28.*
*Et 26.21.*
*Et 36.24.*

*Ratio à priori.* Ratio à priori eſt, quòd oculi ſint hominis lumina, vicina cerebro, in ipſum deſinentia; quare ipſam hominis animam mentémque quaſi occupant & poſſident, vt anima in oculis reſidere, & per oculos omne ſuum decus tranſmittere & oſtendere videatur. Hinc in Embryone cor primò format cerebrum, deinde oculos, vti docent Ariſtot. Medici & Anatomici.

Idem Ariſtot. lib. 2. de Gener. animalium cap. 5. docet ad generationem maximè concurrere oculos, quaſi in iis ſit tota anima & totus homo: *Sedes enim oculorum,* inquit, *maximè omnium locorum* *Ariſtot.* *capitis ſeminalis eſt: quod patet, cùm ſola ipſa per coitum venereum manifeſtè immutetur, & vſu immodico rei venereæ oculi apertè langueant, & ſubſideant: Cauſa eſt, quod natura genitura ſimilis cerebra eſt.*

Audi Plinium lib. 11. c. 37. qui in oculis omnes affectus motuſq; animi reſidere, & elucere aſſerit: *Neque vlla,* inquit, *ex* *Plin.* *parte maiora animi indicia cunctis animalibus, ſed hoc maximè, id eſt, moderationis, clementia, miſericordia, odij, amoris, triſtitiæ, lætitia.* Vnde colligit: *Profectò in oculis animus inhabitat* *In oculis animus habitat.* *Ardent, intenduntur, humectant, conniuent. Hinc illa miſericordiæ lachrymæ. Hos cùm oſculamur, animum ipſum videmur attingere.* Et mox: *Animo videmus, animo cernimus: oculi autem ceu vaſa quadam viſibilem eius partem accipiunt, atque tranſmittunt. Sic magna cogitatio obcæcat abducta intus viſu: Sic in morbo comitiali aperti nihil cernunt, animo caligante.* Idem lib. 8. cap. 16. docet Leonum vim & robur eſſe in oculis, ideóque ſi quis à Leone inuadatur, vnicum eſſe remedium, vt in oculos eius pallium, aut quid ſimile iniiciat: velaris enim oculis ipſius ferociam ſubſidere, vt capi, vinciri & occidi ſe ſinat: *Vix credibili modo,* inquit, *Plin.* *torpeſcente tantâ illâ feritate, quamuis leui iniectu operto capite, ita vt deuinciatur non repugnans: videlicet omnis vis conſtat in oculis.*

Quia ergo tota vis, gratia, & decor animæ tam naturalis, quàm ſupernaturalis in oculis Sponſæ abſcondita latebat, & renuiter dumtaxat per pupillas emicabat, hinc ait Sponſus: *Quàm pulchra es amica, quàm pulchra? Oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſecus latet* Quinta editio: *Ex multitudine pulchritudinis tua.* Septuag. *Extra ſilentium tuum.* q. d. Pulchritudo tua me, omnéſque intuentes rapit *V. Editio.*

in tui admirationem, vt quaſi obſtupeſcens fari nequeam, ſed ſilere cogar, ſilénſque tuum decorem intueri & admirari: Plura enim ſuperſunt, quæ in te laudari poſſint, ſed eorum magnitudo ſilentio magis commendatur. In oculis enim tuis video latere mentem ſapientem, virgineam, amore cæleſti ardentem, omni gratiâ & virtute cumulatam, Angelicam, & diuinam. Vnde Philo
Phil.Carp. Carpath. vertit: *Præter ea, quæ de te ſilentur, vel quæ intrinſecus latent.*

Nonnulli ſic exponunt, q.d. Gratia in oculis tuis latens & abſcondita tanta eſt, vt ipſa te ſilente ſilentium abrumpere, imò ſilentio ſuo loqui videatur, ac omnibus tuam modeſtiam, verecundiam, omnémque pulchritudinem eloqui & eructare. S. Ambroſ. verò lib. de inſtit. Virgin. cap. 1. cenſet hîc in virgine commendari taciturnitatem: hæc enim ornat, augétque oculorum modeſtiam & verecundiam, quam prodit & perdit loquacitas, quæ meretricium aliquid ſonat potiùs, quàm pudicum. Vnde Noſter Sanchez putat hîc celebrari oculos Sponſæ à naturali ipſorum modeſtiâ, quia nimirum liberi non ſunt, aut vagi, quales eſſe ſolent curioſi & petulantes oculi, ſed demiſſi & ſemiclauſi, quales habent verecundæ & pudicæ, quos pætos appellat Porphyrio apud Horatium Satyr. 1.

Hæc de ſenſu grammatico corticis literæ, iam ad medullarem accedamus.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

Qvid oculi columbini Eccleſiæ ſignificent expoſui cap. 1. verſ. 15. nunc exponendum *τὸ abſque eo quod intrinſecùs latet.* Dico ergo per illud ſignificari interiorem gratiam & venuſtatem in mente latentem, quæ tenuiter per corpus & opera exteriora tralucet, & emicat. Vnde primò, candor, verecundia, caſtitas, modeſtia, amabilitas exterior, quæ per oculos columbinos notatur, in Eccleſia & cœtu fidelium manat ab interiori candore, verecundiâ, caſtitate, modeſtiâ, amabilitate, quæ longè maior & pulchrior eſt exteriore: Quocirca S. Gregor. ſic explicat: *Valde*
Gregor. *honeſtum eſt quicquid in exterioribus operatur, quòd ſimpliciter inter homines conuerſatur, quòd ea, quæ videt, temporaliter concupiſcere dedignatur, & ſi quid tamen in hoc mundo placet, poſt concupiſcentias ſuas ire deteſtatur; ſed vehementer pulchrius & honeſtius eſt, quòd cordis deſiderium illibatum retinere conatur, quod æternæ beatitudinis claritatem in mente retinet, erecta contemplatur, quòd in his, quæ interiùs videt, ſuauiter requieſcit, & mundatur.* Similia habet Nyſſen. hom. 7. & Philo Carpath. qui iuxta Septuag. Syrum & Arab. legens, *præter ſilentium vel taciturnitatem tuam*, idipſum ſic explicat: *Nam præter columbinam innocentiam & ſinceritatem, alia quoque pulchritudo & ſpecies quædam interior ex taciturnitate huic Sponſæ ineſſe ſignificatur: Sæpe* Phil.Carp
*multi piorum ore quidem tacent, corde verò clamant: Vnde Moyſi tacenti dictum eſt: Quid ad me clamas?* Sic Apoſtolus ſæpe mentem internam, eiúſque virtutes & ſanctitatem vocat interiorem hominem, exteriorem verò vocat corpus, & externa corporis opera. Quin & Lucianus Dialogo *Imagines*, appoſitè eos, qui externam corporis pulchritudinem ſectantur neglectâ internâ animæ, comparat templis Ægyptiorum, quæ exteriùs videbantur magnifica; ingredientibus autem intrò Deum non alium, quàm ſimiam, felem, canem, vel hircum exhibebant. Denique: *quod interius latet*, eſt gratia quæ in mente latet, eámque mirè exornat, adeò vt illam in oculis Dei ſpecioſam & gratioſam efficiat, indéque nuncupatur gratia: Gratia autem hæc fide, ſpe, charitate, cæteriſque virtutibus decoratur, atque aliis donis, & modis in variis variè ornatur, & expolitur.

*Externa ſola corporis pulchritudo Templis Ægyptiorum comparata.*

Secundò, Sponſa oculis columbinis intuetur Sponſum Chriſtum, diademate humanitatis & coronæ ſpineæ coronatum, ſed maius & pulchrius eſt quod *interius latet*, putà interior fides mentis; acies & contemplatio, quæ ſub humanitate latentem intuetur diuinitatem, eámque credit ac toto corde amat, colit & adorat. Hinc tres Anonymi apud Theodor. cum Septuag. legentes: *extra taciturnitatem tuam*, ſic exponunt q.d. Anima ex creaturis contemplans Creatorem, magis eum veneratur tacito ſilentio cogitans illum, illiúſque attributa ab homine comprehendi non poſſe: *Columbæ*, inquiunt, *dicuntur oculi piæ animæ;* 3. Patres.
*quia per ipſas omnia, quæ creata ſunt, refert ad laudem creatoris. Sic autem oculi ſpirituales ſunt, præter ipſius animæ de Deo taciturnitatem; hæc enim magis eſt ſpiritualis; nam in ſpiritu ſancto id, quod omnem cognitionem ſuperat, cognoſcit de Deo, nempe quod nequeat comprehēdi.*

Huc accedit S. Ambroſius lib. de inſtit. Virgin. cap. 1. *Oculi tui columbæ*, inquit, extra

Ambroſ. *extra taciturnitatem tuam, eò quòd tota ſpiritalis & ſimplex, ſicut columba (in cuius ſpecie viſus eſt à Ioanne deſcendere Spiritus ſanctus) ſpiritalia videat, & nouerit ea, quæ viderit, tacere myſteria. Non enim mediocris virtus, tacere: Eſt enim & tempus tacendi, ſicut tempus* Isaiæ 50. iuxta Sept. *loquendi, ſicut & ſcriptum eſt: Dominus dat mihi linguam eruditionis, vt ſciam quando oporteat dicere ſermonem. Virginitatis itaque dos quædam eſt verecundia, quæ commendatur ſilentio.*

*Prophetæ Oculi Eccleſiæ, vnde videntes dicti.* Porrò hæc omnia quibuſuis fidelibus conueniunt, ſed maximè Prophetis, qui quaſi oculi Eccleſiæ præuident & præmonent futura, ideóque *Videntes* nuncupantur; ac Epiſcopis, ait Hortolanus, Paſtoribus & Prælatis, qui pariter ſunt oculi, id eſt, ſpeculatores & inſpectores Eccleſiæ, vt quaſi paſtores illam à lupis tueantur, ac de pabulo cæteriſque neceſſariis & vtilibus illi proſpiciant.

## SECVNDVS SENSVS

### *De Chriſto & Anima Sancta.*

Columbarum oculi ſunt admodùm lucidi, & innato quodam ſplendore perſpicui: ſunt etiam ſimplices, qui non toruè aut malitioſè; ſed ſincerè in res obiectas intendunt. His oculi animæ perfectæ ſunt ſimiles, nam & ſapientiâ lucent, quâ rerum temporalium vilitatem agnoſcant; & amabili ſinceritate donati ſunt, quâ eiſdem rebus tanquam abiectis non hæreant; ſed per eas ad Deum, in quo quaſi in propria manſione conquieſcunt, tranſeant.

Oculi columbini ergo notant rectitudinem operis & operationis: *τὸ quod interius latet*, notat rectitudinem intentionis: hæc enim interior eſt & mentalis, cùm opus ſit exterius & corporale. Rurſum ſi per oculos columbinos accipias rectitudinem intentionis, vti dixi cap. 1. 15. per *τὸ quod latet interius* accipe charitatem purámque Dei amorem, qui eſt quaſi anima rectæ intentionis, illam ſpiritualiter animans & viuificans, ac velut deificans: ſi enim v.g. des pauperi eleëmoſynam ex intentione miſericordiæ, niſi interius eidem iungas intentionem charitatis, quòd ſcilicet velis illam dare ex puro Dei amore, opus eleëmoſynæ magno decore, magnâ gratiâ & merito deſtituitur. Quocirca S. Auguſt. ſerm. de Auguſtin. laudibus charitatis: *Ille*, ait, *tenet & quod latet, & quod patet in diuinis ſermonibus, qui charitatem tenet in moribus.* Huius rei ſymbolum ſunt oculi columbini, per quos tralucet internus in comparem amor. Vndè Græcè περιστερὰ, id eſt, columba *Columba, περιστερὰ vnde dicta?* dicta eſt ἀπὸ τοῦ περισσῶς ἐρᾶν, id eſt, quòd nimis amori indulgeat, vti docet Apollidorus lib. de Diis, & Lexicographi. Nam vt ait Ariſtot. lib. 6. de hiſtor. anim. cap. 4. Ariſtot. *columbæ pariunt decies in anno, nonnullæ etiam vndecies: Ægyptiæ verò & duodecies. Coëunt intra annum columbæ, quippe quæ ſemeſtres noſſe incipiant venerem: palumbes & turtures etiam trimeſtres coire, fœtificaréque aliqui referunt, argumento, quòd larga eorum copia eſt.* Sicut ergo columba non niſi comparem ſuum amat, illíque totum amorem impendit. Sic anima ſancta vni intendit Deo, illíque totum ſuum amorem reſignat & tradit: nil enim aliud cupit, quàm vni Deo ſummè placere; atque hic eſt præſtantiſſimus omnium virtutum actus, nec altiùs mens humana aſſurgere poteſt. Ita Iuſtus Orgel. & Aponius, qui per oculos columbæ accipiens prælatos: hi, inquit, exinde glorioſiores ſunt, quòd quicquid agunt intrinſecùs, Deo exhibent, laudem hominum fugientes & inanem gloriam, ideóque additur *abſque eo quod intrinſecùs latet.*

Rurſum *τὸ quod intrinſecùs latet* notat meditationem & cõtemplationem, quæ eò in Anima ſancta maior eſt & pulchrior, Deóque gratior, quò magis velo ſenſuũ tegitur & obducitur. Quo enim quis magis claudit oculos, aures, linguam, &c. eò altiùs ad Deum mentem orando, & contemplãdo ſuſtollit, illámque intimè cum Deo vnit: vnde ab eo mira lumina & ſenſa, ac quælibet chariſmata haurit, quæ ſenſatè explicans Richard. de S. Victore: *Illa enim*, inquit, *quæ* *Fructus contemplationis.* *cum Chriſto ſecretè in cubili cordis verſas, quis foris exponere queat? illam confabulationem mu-* Richard. Victorin. *tuam, auſum loquendi ad eum, conſolationem ab eo acceptam ſiue reuelationem, vnitatem animorum, concordiam voluptatum, amorem mutuum, zelum iuſtitiæ & animarum, deſiderium viſionis & fruitionis Dei, peregrinationis tædium, diſſoluendi cupiditatem quis foris intelligat, vel exprimat verbis? Nunc aperitur animæ talis ſenſus, vt intelligat ſcripturas, nunc de occultis ſiue dubiis inſtruitur; nunc ita vnitur Deo, vt vnus ſpiritus efficiatur cum eo; nunc ita abſorbetur à ſpiritu, vt in carne commorari ſe non recolat; Non aliqua arcana diuina aſpirationis cognoſcit, quæ prius non agnoſcebat.* Subiicit deinde id quod ſummum & præſtantiſſimum eſt: *Nunc autem ita iungitur Deo, & ſanctum ſibi Deum ſentit, & omnem voluntatem ſuam ita in Deum transfert, vt Dei voluntatem, vel intelli-*

*gat, vel ad ſuam hanc inflectat. Ex ea enim puritate cordis, qua Dei voluntati in omnibus concordat, etiam hanc intelligit, eámque ad ſuum placitum flectere digna ſit. Nunc ita Deum per amorem ſibi iungit & attrahit, vt quaſi ſolum hunc habere ſe credat; Nunc in eum ita dilatatur & tranſit, vt in eo per charitatem omnem hominem comprehendat, omnéſque lumine, quo illuſtratur, videat, & omnibus (quia vnâ & ſimili charitate) compatiatur & condeſcendat.*

Huc facit verſio Chaldæi, qui per oculos columbæ accipien Moſen, Prophetas & Doctores, quos Deus internè illuminat, ſic vertit: *Et in illo die obtulit rex*
Chald. *Salomon mille holocauſta ſuper altare, & ſuſcepta eſt cum beneplacito oblatio eius coram Domino, irruit vox de cælo & ſic ait: Quàm pulcher es cœtus Iſraël, & quàm pulchri ſunt principes Congregationis, & ſapientes habitatores in Concilio, quia ipſi ſemper illuminant populum domus Iſraël, & ſimiles ſunt pullis filiis columbæ.*

Anagogicè S. Gregor. lib. 9. moral. cap. 6. per τὸ *quod interiùs latet*, accipit præmium cæleſtis gloriæ, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. 1. Corinth. 2. 9. *Eius oculi,*
1. Cor. 2. 9. inquit, *columbarum vocantur, quia magnâ luce irradiant, quia magnorum ſignorum miraculis coruſcant. At illud de internis miraculum eſt mirabilius, quod videri non poteſt, de quo ſubditur: Abſque eo quod intrinſecus latet. Magna quippe gloria eſt aperti operis, ſed longè incomparabilis occultæ retributionis.*

Hoc eſt, quod ait Apoſt. *Vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo: cùm Chriſtus ap-*
Coloſſ. 3. 3. *paruerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* Coloſ. 3. verſ. 3. Vide ibi dicta. Empedocles rogatus, *cur viueret?* Reſpondit,

*------ Vt aſtra*

*Aſpiciam; cælum ſubtrahe, nullus ero.*

Fidelis dicat: Viuo, vt cælum obtineam, in eôque Deum videam, & videndo omne bonum in eo poſſideam.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

RVpertus per ſeptem dotes columbæ accipiens ſeptem dona Spiritus ſancti infuſa B. Virgini, per τὸ *quod intrinſecùs latet* accipit interna & ineffabilia lumina ac chariſmata eidem collata, quæ ſolus Deus videt. Si enim Paulus,
Rupert. inquit, *dixit raptum ſe fuiſſe in paradiſum, ſiue vſque ad tertium cælum ita, vt neſciat ſiue in corpore ſiue extra corpus raptus fuerit, & audiſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui: quantò magis tu regina cælorum perſæpè cæleſtibus interfuiſti, quippe quam & circumſteterunt obſtetricum vice gloriam Deo concinentes Angeli, & inter hæc didiciſti, vel aſſecuta es aliquid quod latet & latere non debet?* Igitur ſentit Ru- *An B. Virgo viderit Dei eſſentiam.*
pertus B. Virginem raptam eſſe in tertium cælum, & vidiſſe arcana myſteria, quæ non licet homini loqui, perfectiùs & excellentiùs, quàm Paulus. Quocirca B. Virginem ſubinde vidiſſe diuinam filij ſui eſſentiam, vti vident Beati in cælo, præſertim in die Incarnationis, Natiuitatis & Reſurrectionis Chriſti, multi probabiliter opinantur, vti S. Antoninus, Dionyſ. Carthuſ. Gerſon, Caſſalius, Medina, & alij, quos citat & ſequitur Franc. Suarez 3. p. q. 87. art. 4. diſp. 19. ſect. 4. & Gabriel Vaſquez 1. p. diſput. 55. & 56. vbi hanc Dei viſionem ſoli B. Virgini concedit, cæteris omnibus Sanctis in hac vita, etiam S. Paulo & Moſi adimit.

Rurſum τὸ *quod intrinſecùs latet*, fuit interna & ineffabilis B. Virginis humilitas, virginitas, charitas, quæ externo modeſtiæ, ſimplicitatis & paupertatis velo tecta, acriùs coram Deo effulgurabat. Hoc enim Verbum ex ſede Patris ad ſe attraxit, vt in ſe, & ex ſe caro fieret.

---

*Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de Monte Galaad.* Verſ. 1.

SVMIT comparationem à capris more Bucolico, quia Sponſus hîc inducitur vt paſtor Sponſa vt paſtrix. Iam ſponſam mirè exornat cæſaries ſiue capilli, in iiſque tria ſpectantur; Primò, longitudo ſimul & multitudo, ſiue copia & denſitas; ſecundò, nitor & compoſitio, vt ſcilicet decorè ſint pexi & diſcriminati; tertiò, color vt ſint flaui vel fului, ideóque ſplendidi, aureíque coloris. Vnde Virgil. lib. 4. de Didône: *Capilli Heroum flaui.*

*--- Nondum illi flauum Proſerpina crinem,* Virgil.
*Abſtulerat.*

Et Catullus in Epithal. Iuliæ: *Aureas quatiunt comas.* Ita Meſſalina vxor Claudij Catull.
Imperatoris, cùm procos alliceret nigris capillis ſuis, per fucum flauos ſuperinducebat, teſte Iuuenal. Satyr. 6. Hinc & Horatius lib. 1. Carm. Ode 5. *Cui flauam* Horat.
*religas comam* Et Virgil. 8. Æneid.

*Aurea cæſaries ollis, atque aurea veſtis.* Virgil.

Ouid. 15. Metam.

*Electro ſimiles faciunt, auróque capillos.* Ouid.

Claudianus lib. 3. de raptu Proſerp.

*--- Ful*

Digitized by Google

Claudian. ----*Fuluoque nitet coma gratior auro.*
Martial. Martialis:
---*Quæ crine vicit Betici gregis vellus.*

Betis enim fluuius in Hiſpania capris & ouibus fuluum dat colorem, vti res ipſa loquitur. Homerus priſcis illis Heroïbus, Menelao, Spartano, Meleagro,& Achilli flauam, ſiue auream cæſariem aſſignat. Antoninus Verus Imperator, ait Capitolin. dicitur *tantam habuiſſe curam flaueſcentium capillorum, vt capiti auri ramenta aſpergeret, quò magis coma illuminata flaueſceret.* Medici tradunt eos, qui flauo ſunt capillo valde bono eſſe temperamento. Hinc ſicut Dauid & Salomon; ſic & Chriſtus ſubflauo fuit capillo, inquit Nicephorus libro 1. capite vltimo.

Capitol.

Galaad Mõs fertilis. Tales erant capilli caprarum in Galaad. Galaad enim mons eſt pinguis & fertilis, imò reſinæ, ſtactes & aromatum ferax: quare ibi paſcentes capreæ denſos, nitidos, & flauos, vel fuluos villos induebant, præſertim quia ex affrictu arborum, ſtillantem ex eis reſinam & liquorem flauum ac pinguem, caprarum vellera imbibebant. Argumẽto eſt, quòd 1.Reg.19.16.Michol, vt Dauidem, cuius coma erat rufa, emẽtito eius ſimulachro tegeret, & à cæde quærentium liberaret; ſimulachrum pilis caprarum quaſi rufis veſtiuit. Tonſiles quoque fuiſſe, ideóque pexos & nitidos caprarum pilos, liquet; nam ex eis detonſis facta ſunt ſaga, id eſt, operimenta tabernaculi, iuxta illud Exodi 36.14. *Saga vndecim de pilis caprarum, ad operiendum tectum tabernaculi.* Ita Luyſius Legion. Sanchez & alij. Vnde pro *quæ aſcenderunt*, Hebr. eſt שֶׁגָּלְשׁוּ *ſchegaleſcu*, quod R.Dauid vertit: *quæ defricuerunt*, vel *deterſerunt*, aut *depilarunt* ſe inter arbuſta ſyluæ, & effectæ ſunt pulchræ. Marinus & Alij: *quæ glabra, polita, leues & terſa ſunt*, nõ ſtrigoſæ; quales ſunt capreæ vel oues bene paſtæ; Vnde à גָּלַשׁ *galaſch* per Metatheſin deriuant שֶׁלֶג *ſceleg*, id eſt nix, quòd nix cùm in terrã decidit, polita ſit, leuis & terſa. S.Hier.c.6. 3. vertit: *quæ apparuerunt*. Septuag. *quæ reuelatæ ſunt*. R.Iona, *quæ manicauerunt*, id eſt, mane apparuerunt; nam cùm mõtis Galaad culmina primo ſolis ſplendore illuſtrentur, collucent tunc caprarum pili nitidi, & ex aromate allito flaueſcentes. Tigurina: *quæ glabrum depaſcendo reddiderunt montem Galaad.* Vatabl. *Quæ aſpiciunt in monte Galaad*, id eſt, quæ proponunt ſe ſpectandas, vel ſpectantur, aut cernuntur. q.d. Capillus te ornat, vt grex capra-

Exod.36.14.
Hebr.
R.Dauid.
Marinus.
Hieronym.
R.Ionah.
Tigur.
Vatabl.

rum adornat montem Galaad; à quo ſi deſcenderint, videtur mons glaber, ac ſi eſſet decaluatus. τὸ ergo *aſcenderunt*, non certũ ſcandendi ſitum; tam enim oues paſcentes in monte deſcendunt, quàm aſcendunt; ſed exiſtentiam dumtaxat, & præſentiam ſignificat, idemque eſt, quod *extiterunt*, vel *apparuerunt*. R. Abraham: *quæ prominent & ſpectantur.* Maluit tamen dicere *aſcenderunt*, quia capræ ſolent paſcendo ſcandere montes vſque ad cacumen, ibíque degere & commorari, ídque aceruatim & ordinatè. Delrio *aſcenderunt* exponit *receſſerũt*. Sic enim Hebr. עָלָה id eſt, *aſcendit*, noſter vertit *receſſit*. 2.Reg.2.27.&.4.Reg.12.18.

R Abrah.
Capræ paſcendo aſcẽdunt.
Delrio.

Alludit ad Iacob, qui fugiens Laban ſocerum ſuum cum capris & pecoribus, æquè ac Rachele & Liâ vxoribus, corúmque filiis montem hunc conſcendit; ibíque fœdus pangens cum Laban, in eiuſque teſtimonium congerens aceruum lapidum, idcirco eum vocauit *Galaad*, id eſt, *aceruum teſtimonij*, dicens: *Tumulus iſte erit teſtis inter me & te hodie.* Geneſ. 31. 48. Vnde Chald. vertit: *Et etiam reliqui filij congregationis tuæ, & populus terræ ſunt iuſti; ſicut filij Iacob, qui collegerunt lapides, & fecerunt aceruum in Monte Galaad.*

Geneſ. 31. 48.
Chald.

Tales quoque fuiſſe capillos Sponſæ, ſcilicet longos, ſiue promiſſos, denſos, nitidos, lucentes, ordinatos, pexos, compoſitos, ac flauos vel fuluos, liquet ex cap.7.5. vbi comparantur regiæ purpuræ: Et ex verſ.9. huius capitis, vbi ait Sponſus Sponſæ: *Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.*

Cant.4.9.

Adde capillos ſponſæ præciſè & immediatè hîc non comparari capillis caprarum, ſed ipſi gregi caprarum, mediante tamen grege comparantur eius capillis, quia grex non niſi capillatus apparet. q. d. Sicut capreæ gregatim, turmatímque paſcentes in Galaad, deorſum aſpicientibus longum quoddam vellerum, villorúmque capillitium repræſentant, illúdque perpulchrum & ſplendidum; tum quia ſolis repercuſſu fuluum videtur & aureum; tum quia capreæ bene paſtæ ex herbis pretioſis Galaad, ac aquis crebrò lotæ nitent & fulgent, ſic quoque Sponſæ coma longa eſt & promiſſa, æquè ac nitida & fulgida.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

*Capilli Eccleſiæ quinam?*

CApilli Eccleſiæ ſunt infirmi, ſimplices, rudes, pauperes, & abiectæ ſortis fideles, putà minuta & plurima plebs Chriſtiana: hi enim ornant Eccleſiam, primo, ſuâ multitudine & denſitate: ſecundò, ſuo nitore, æqualitate, connexione & ordine: tertiò, ſuo colore: quia per fidem, ſpem & charitatem flaui ſunt & fului, id eſt, ignei aureique quaſi coloris & decoris. Vnde de primis Chriſtianis dicitur: *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna.* Actor. 4. Ita Iuſtus Orgelitan. & Philo Carpath.

*Act. 4.*

Audi S. Gregorium: *Capilli Sponſæ ſicut grex caprarum eſſe dicitur; quia populi Eccleſiæ, dum præcepta legis ruminantes cæleſtia fide contemplantur, munda ſunt animalia & in altis paſcuntur. Galaad autem aceruus teſtimonij interpretatur. Quid autem per aceruum teſtimonij, niſi multitudinem Martyrum intelligimus? Qui dum fidem Chriſti inſuperabiliter tenuerunt, eos teſtimoniũ veritati etiam per mortem ſuam perhibuiſſe ſcimus. Grex itaque iſte caprarum de mõte Galaad aſcendit, quia populus Eccleſiæ eò magis fide ſe ad æterna ſuſpendit, quò fortiùs ſanctos Martyres eidem fidei teſtimonium perhibuiſſe ſciuit.* Eadem penè ad verbum habet Philo: quare ex S. Gregorio cuius ſtylum redolent, in Philonem tranſcripta videntur. Addit Nyſſen. hom. 7. capillis notari verecundiam & pudicitiam fidelium: capilli enim feminæ pro velamẽto pudoris à natura dati ſunt. Porrò capræ, quia olidæ, notant iuſtos ex Gentibus idololatris conuerſos, ait Eucherius de Spirit. formulis cap. 5. ſicut enim capræ aquis, ſic gentes baptiſmo & pœnitentia eluuntur & niteſcunt.

*Gregor.*

*Capillis verecundia & pudicitia exprimuntur.*

Aponius verò per capillos accipit diuites, ſed pios & religioſos. *Qui*, inquit, *delicatis tegminibus contecti auro gemmiſque reſplendent, fragrantiſſimis pulueribus aromatum ſparguntur, delibuti vnguento, ſeruulorum miniſterio ſtipati, lumine rectæ fidei ſuæ & miſericordia decorati, totum Eccleſiæ corpus exornant. Hi enim, propter quod in rebus corporalibus iocundantur, & Apoſtolicam Philoſophiam grauitate ſequi non poſſunt, caprarum gregibus comparantur.*

*Aponius.*

Ex aduerſo Gregor. Nyſſen. hom. 7. Iuſtus Orgelitan. & Anſelm. hîc, ac S. Ambroſ. Paulinus & Encherius mox citandi per capillos accipiunt viros perfectioni ſtudentes, quales ſunt Religioſi. Id quoque aptum eſt, quia Religioſi humilitatem & paupertatem profitentur, ac externâ ſpecie & habitu mundanis exiles videntur, viles, & abiecti, dicuntque cum Pſalte: *Elegi abiectus eſſe in domo Dei magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Pſalm. 83. 11. omnem enim mundi gloriam, opes & pompam calcant, mentémque defigunt in cælo. Cauſam aliam potiorem iam ſubiungo.

*Capilli Religioſi.*

*Pſal. 83. 11.*

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

*Capilli belli ſunt ſanctæ cogitationes.*

CAſſiodorus Beda, Richard. de S. Vi-
ctore, Rupert. & tres Anonymi a-
pud Theod. multique interpretes per 1.
capillos pulchros accipiunt ſanctas co-
gitationes. Primò, quia ſicut illi à capi-
te, putà à vaporibus, fumiſque calidis è
capite aſcendentibus: ſic hæ à corde,
quod inſtar capitis eſt, & à cordis calo-
re, id eſt, amore & affectu promanant,
aiunt tres Anonymi apud Theodor. Se-
cundò quia eædem cor & mentem or- 2.
nant non ſecùs, ac capilli caput, arborem
frondes, & ſolem radij, qui ab eo ori-
untur. Tertiò capilli illi flaui, & fului, au- 3.
rei, igneíque ſunt: ſic cogitationes hæ
cæleſtes immiſſæ à Spiritu Sancto, igne
charitatis mentem inflammant: cogita-
tiones enim mentis excitant ſimiles ſibi
affectus in appetitu: Vnde quales ſunt
hominis cogitationes crebrò recurren-
tes, tales ſunt pariter eius amores & affe-
ctus; hoc enim quiſque amat, quod ſæ-
pe cogitat, mentéque reuoluit. Quartò, 4.
ſicut capilli hi multi, denſi, pexi, or-
dinati & compoſiti ſunt; ſic & ſanctæ
cogitationes: nam à ſpiritu rectè ordi-
nantur, denſantur & componuntur: quia
in Deum & Chriſtum diriguntur & or-
dinantur. Quintò, Capilli hi ſunt capra- 5.
rum, quæ aſcendunt de Galaad: ſic co-
gitationes ſanctæ ſunt piorum, qui aſcẽ-
ſiones in corde ſuo diſponunt, ac de vir-
tute eunt in virtutem donec videant
Deum Deorum in Sion, vt ait Pſaltes.
Pſal. 83. Ideóque quotidie altiùs in cæ-
lum ad Deum conſcendunt. Ita Caſſio-
dorus. Galaad, id eſt, aceruus teſtimonij
notat S. Scripturam, ait Iuſtus Orgelit.
ac dicta, facta, & ſcripta SS. Prophetarũ
& Apoſtolorum, ait Philo Carpath. ipſi-
úſque Chriſti; hiſce enim aluntur & ac-
cenduntur Sanctæ cogitationes. Quocir-
ca multi, per Galaad, intelligunt Chri-
ſtum, vtpote in quem omnia Sanctorum
tam veteris, quàm noui teſtamenti ora-
cula

cula & teſtimonia conſpirant. Chriſtus enim ſuâ doctrinâ, exemplo, inſpiratione, & gratiâ producit in qualibet animâ ſancta haſce ſanctas de ſe cogitationes, ac per eas ſimilitudinem & characterem ſui ipſius in anima efformat, & quaſi ſigillo impreſſo exprimit, iuxta illud c. 8.

Cant. 8.

*Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum.* Audi S. Paulinum Epiſt. 4. ad Seuerum: *In hiſce ſacram imaginis ſuæ percuſſit monetam, imprimens cordibus & linguis eorum veritatis ſuæ verbum, eoſdémque ipſos ſtatuens nummularios, vt ſecundùm ſuam formam probabiles Domino cuderent nummos, & abolitâ de nobis figurâ Cæſaris, viuum regis æterni numiſma ſignarent, vt ſpiritu redemptionis inſcripti, ceruice iam iugo liberâ, & ſalutis titulo præmunitâ fronte caneremus: ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.*

Paulin.

Hæ igitur cogitationes, quæ Chriſtum olent, & à Chriſti vulneribus tinctæ, & quaſi à Chriſti corde prognatæ ſunt, Chriſti ideam in Anima ſancta imprimunt, ideóque illam ipſi ſimillimã & gratiſſimam efficiunt. Talis ergo anima, ait Richard. Victor. teſtimonium habet, quod in ea Chriſtus maneat, quia ab illo aſcenſum harum cogitationum & meditationum habet.

Rurſum in Galaad naſcebatur reſina, & pharmaca efficacia ad quoſlibet morbos corporis curandos: Sic à Chriſto promanat reſina pœnitentiæ & gratiæ, quæ omnes animi plagas & ægritudines ſanat, iuxta illud Ierem. 8. 22. *Nunquid reſina non eſt in Galaad? aut medicus non eſt ibi? quare igitur obducta non eſt cicatrix filiæ populi mei?* Vnde Theodor. per capillos intelligit pœnitentes. Chaldæus verò Ieremiæ locum ita vertit: *Deſiderabam doctrinam Eliæ Prophetæ, qui fuit de Galaad, cuius verba erant medicina.* Elias enim datus fuit à Deo Galaaditis, vt eorum idololatriã, rapinas, cædes, aliáque ſcelera corrigeret, vti & fecit per ſe & ſuos diſcipulos, quos quaſi Religioſos inſtituit, paſsímque eorum cœtus & Collegia propagauit; qui proinde in Scriptura vocantur filij Prophetarum, Eliæ ſcilicet, & Eliſei. Elias ergo primus videtur Monachorum inſtitutor tum alibi, tum in Monte Carmelo, vbi frequentiùs degebat. Vnde ab eo Religioſi Carmelitæ nomen acceperunt, ſeséque Eliæ diſcipulos & ſequaces profitentur. Inſuper ſicut lanæ caprarum inter frutices Galaad paſcentium elegantiores apparent, eo quòd herbis & frondibus implexæ, cum ipſis vnum quid conflare videantur: ſic cogitationes hæ coniunctæ dictis, factiſque Chriſti, Apoſtolorum, & Prophetarum pulchriores apparent, quia illis commiſtæ, cum iis quaſi in vnum coaleſcere videntur.

Ierem. 8. 22.

Chald.

Elias auctor Religioſorũ.

Hinc multi per capillos accipiũt viros ſanctos perfectionis ſtudioſos, ac contemplationi deditos. Nyſſen. hom. 7. Iuſtus, S. Anſelm. Rupert. hic ac S. Ambr. mox citandus & S. Paulin. Epiſt. 4. ad Seuerum: *Studeamus*, inquit, *illis adornari capillis, quos Deus numerabiles habet; ſicut & ipſe dicit: ſed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt. Cuius verò ille capitis capillos magis numerare dignetur, quàm eius, cuius ipſe verticis caput eſt? De quo dicitur: Caput eius vt aurum Paz. quo nomine probabiliùs aliquod & purius aurum ſignificari puto, ſicut illud de terra Euilath, Hoc enim aurum forma ſanctorum eſt, qui in capite corporis vt lumina micant, & ſunt aurum ignitum Deo.* Et poſt nonnulla: *Summâ igitur ope euitamur ita nos comparare, vt diuini capitis (quod nobis per gratiam Dei Chriſtus eſt) crines & aurum eſſe mereamur: Ex ipſo enim capite pullulat illa cæſaries, de qua ſcriptum eſt: Capillatura eius vt greges caprarum.*

Capilli ſunt contemplatiui.

Paulin.

Religioſi ergo ſunt capilli, qui caput Eccleſiæ ornant, tegunt, & muniunt: hos enim figurabant Nazaræi priſci, quorum religio erat comam alere & vinum non bibere. Numer. 6. 9. Vnde Nazian. Oratione 10. in laudem S. Baſilij, Religioſos vocat Nazaræos, æquè ac S. Thomas 2. 2. q. 86. art. 6. Audi Origenem hom. 6. in Leuit. *Nazaræi non abſcindunt capillum, quia iuſti quicquid faciunt, proſperabuntur, & folia eorum non decident. Hinc & diſcipulorum Domini etiam capilli capitis numerati eſſe dicuntur, hoc eſt, omnes actus, omnes ſermones, omnes cogitationes eorum ſeruantur apud Deum, quia iuſta, quia ſancta ſunt.* Nazaræus igitur, id eſt, Religioſus alat comam capitis, id eſt, mentem non habeat nudam, ſed diuinis cogitationibus & ſcientiã comptam; Sicut enim capilli è capite oriuntur, ſic cogitationes ſanctæ è mente ſanctâ germinant, quibus homo ſanctior efficitur: haſce autem fouent & nutriunt Religioſi, quorum opus eſt non niſi cæleſtia cogitare, loqui, & operari. Hiſce competit illud Thren. 4. 7. *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Sapphiro pulchriores.* Vide ibi dicta. Talis fuit Samſon hominum fortiſſimus, cuius fortitudo conſiſtebat in capillis ſui Nazaræatus: *Ferrum*, ait ipſe ſuæ Dalilæ, *nunquam aſcendit ſuper caput meum, quia Nazaræus, id eſt, conſecratus Deo ſum ab vtero matris meæ: ſi raſum fuerit caput meũ, recedet à me fortitudo mea & deficiam, eróque ſicut cæteri hominum.* Iudic. 16. 17.

Et Religioſi. Cur?

Origen.

Thren. 4. 7.

Iudic. 16. 17.

Analogia. 1. Rurſum capilli notant dotes Religioſorum, id eſt, humilitatem. Capilli enim ſunt viles & exiles: Sic Religio eſt ſtatus & profeſſio humilitatis; quò quis ergo humilior eſt, eò & religioſior. Secundò,
2. ſicut capræ villoſæ ſcandunt ſumma montium cacumina: ſic Religioſi eſt conſcendere cæleſtia, & cum Deipara in montana virtutum aſſiduè conſcendere. Ita Eucherius de ſpiritali form. cap. 5. Sicut capræ, inquit, in alto paſtum quærunt, ſic ſancti in ſupernis paſtum deſiderant, iuxta illud: *Noſtra conuerſatio in cælis eſt*. Philipp. 3. Sic & S. Ambroſ. cuius verba mox recitabo. Tertiò,
Philipp. 3. ſicut capilli denſi, nexi & compoſiti ſunt: Sic in Religione ſumma debet eſſe Religioſorum vnio, ſubordinatio, & compoſitio. Quartò, ſicut capilli intimè
4. inhærent capiti, ſic Religioſi Chriſto.
5. Quintò, ſicut capilli ſinguli tenues ſunt & infirmi, ſed iuncti & plexi funiculum efficiunt fortiſſimum: Sic Religioſi ſinguli per ſe inualidi ſunt, ſed amoris vnione coniuncti aciem efficiunt inuictam & robuſtiſſimam, iuxta illud: *Funiculus triplex difficile rumpitur*. Eccleſ. 4.
Eccli. 4. 12. 6. Sextò, ſicut capilli inſenſiles ſunt, quia vitâ & ſenſu carent, ait Nyſſen. hom. 7. ſic & Religioſi, qui mortificauerunt ſuos affectus, ac velut mundo mortui, terrenis negotiis non implicantur, ait Theodoret. quaſi inſenſiles videntur, ideóque quaſi non ſentiunt iniurias, calumnias, afflictiones & ærumnas huius vitæ, quia in terris quaſi defuncti viuunt in cælis, iuxta illud Coloſ. 3. *mortui eſtis,*
Coloſſ. 3. *& vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Talis fuit Elias, qui ſeparatus à turba, in Monte Galaad vitam agebat cæleſtem, ibique Religioſorum examina, quæ inſtar capillorum ex vno capite deriuabantur, & cacumen Galaad montis occupabant, illúdque velut inuoluta in tes comæ ornabant, inſtituit; ideóque terribilis erat regi Achab, Iezabeli, & Pſeudoprophetis. 3. Reg. 18. & ſeq. Vnde Rupertus: Et rectè, inquit, dicuntur appáruiſſe, quia Inſtitutor illorum Elias, ſic repentè introducitur, vt anteà nuſquam Scriptura meminerit, quis, vel vnde fuerit progenitus. Audi S. Ambroſium pleraque ex iam dictis eleganter & acutè perſtringentem ſer. 16. in Pſalm. 118. ſic enim legit: *Capillamentum tuum vt grex caprarum, quæ reuelata ſunt à Monte Galaad,* ſicque explicat: *Vides quòd in altis grex iſte paſcitur, audax in monte. Itaque vbi aliis præcipitia, ibi capris nullum periculum: vbi aliis periculum, ibi gregis huius alimentum, ibi cibus dulcior, ibi fructus electior; ſpectantur à paſtoribus ſuis dumoſâ de rupe pendentes, vbi luporum incurſus eſſe non poſſunt, vbi fœcundæ arbores fructum integrum ſubminiſtrant. Cernere licet vberi lacte diſtentas, ſuper teneram ſobolem maternâ pietate ſolicitas. Ideo elegit eas Spiritus ſanctus,* Ambroſ.
*quibus cœtum venerabilis Eccleſiæ compararet. Et vt myſticè audias: Capillamentum, verbi eſt altitudo, & eminentia quædam iuſtarum animarum, quoniam ſenſus ſapientis in capite eius.* Cauſam illicò ſubiicit: *In altitudine enim cogitationis humanæ certum eſt eſſe ſapientiam; & quemadmodum tondentur capræ, vt ſuperflua deponant; ita etiam tonſarum animarum gregem, hoc eſt, multarum animarum virtutes habet ſancta Eccleſia, in quo grege nihil poſſis inſenſibile reperire, nihil ſuperfluum; quoniam fides ſapientes fecit, ſpiritalis autem gratia ab omni ſuperfluorum labe mundauit. Meritò igitur reuelata ſunt animæ iuſtorum, & reuelata à monte Galaad, hoc eſt, à tranſmigratione teſtimonij, et quòd à Synagoga ad Eccleſiam teſtimonium cæleſte migrauit. In hoc itaque monte naſcitur thymiama, reſina, & cæteri odores, quos negotiatores illi Iſmaëlitæ, vt habes in primo libro teſtamenti veteris, deferebant. Hos odores habet Eccleſia, quos mercatores ex gentibus congregati fide & deuotione vexerunt.*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

Beatæ Virginis capilli, id eſt, cogitatus omnes pulchri erant, ſancti, rectè connexi & ordinati, quia in caput, id eſt, in Chriſtum dirigebantur. Rurſum, ſicut Elias fugiens Iezabelem abiit in ſolitudinem & montem Galaad, iuxta illud Hebr. 11. 37. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus nō erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ.* Sic B. Virgo magnas ob Chriſtum perſecutiones, afflictiones & ærumnas paſſa eſt, ac longum in cogitationibus ſuis, præſcia futura paſſionis filij ſui, pertulit martyrium, inquit Rupertus; ac Iudæorum turbas fugiens, ſola quaſi turtur cum Deo & Chriſto ſuo degebat in Galaad, id eſt, in aceruo teſtimonij, quem ſibi ex S. Scriptura & Prophetarum de Chriſto oraculis collegerat. Vnde ex monte hoc aſſiduè cælum & cæleſtia ſpectabat. Hebr. 11. 37.

Denique

*Fulua B. Virginis capilli.* Niceephor.

Denique Nicephorus B. Virgini fla-
nos pulchróſque tribuit capillos : ſic
enim ait lib.2.Hiſtor.cap. 23. *Colore fuit
triticum referente, capillo flauo, oculis acribus,
ſubflauas & tanquam oleæ colore pupillas in eis
habens*; ac mox : *In rebus eius omnibus multa
diuinitùs inerat gratia.* Idem lib.1.cap.40.
formam Chriſti depingens, illam matri
perſimilem fuiſſe tradit: *Egregio*, ait, *viui-
doque vultu fuit. Corporis ſtatura ad palmos
prorſus ſeptem. Cæſariem habuit ſubflauam*, &c.
*ex oculis ſubflaueſcentibus mirifica prominebat
gratia: Acres iĳ erant, & naſus longior : barbæ ca-
pillus flauus, nec admodùm demiſſus; Capitis
porrò capillos tulit prolixiores. Nouacula enim
in caput eius non aſcendit, neque manus aliqua
hominis præterquam matris, in tenera duntaxat
ætate eius. Perſimilis denique per omnia fuit di-
uinæ & immaculatæ ſuæ genitrici.*

---

Verſ. 2. *Dentes tui ſicut greges tonſa-
rum, quæ aſcenderunt de lauacro, om-
nes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt
inter eas.*

DENTES *tui ſicut greges tonſarum*
Vatabl. (Vatabl. *ſicut grex concinnè tonſarum*,
ſcilicet ouium) *quæ aſcenderunt de
lauacro. Omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non
eſt inter eas.* Vatabl. *Vniuerſa gemellos pa-
Hebr. riunt, nec eſt inter eos effœta.* Hebr.eſt in ſin-
Agath. gulari: *ſicut grex tonſarum*; vnde Agathius
in vulgata legendum cenſet, *ſicut gregis
tonſarum.* Sicque ex Hebræo verti poteſt:
ſicque vulgatam exponunt per Antipto-
ſin Hortolanus & Titelm. qui cenſent
hîc comparari dentes Sponſæ dentibus
gregis ouium tonſarum, quòd ſicut oues
recèns tonſæ & lotæ ob frigus maiorem
habent appetitum, atque acutiores den-
tes habere videntur quibus ardentiùs
herbas carpunt deuorántque præſer-
tim, quia non tantùm ſe, ſed & fœtus
gemellos, quos pepererunt alere, iiſque
lac ſuum præbere debent : ſic quoque
Sponſa ſtomachum dentéſque habeat
acutos & validos ad manducandum,
quo ſignificatur eam corpore eſſe ſa-
nam & robuſtam, valentémque ad ge-
mellos, id eſt, plures proles generan-
dum, eóſque lacte doctrinæ ſuæ nutrien-
dum. Eſt metalepſis: ex validis enim dẽ-
tibus intelligitur validus ſtomachus &
appetitus, ex hoc valida natura, ex hac
validæ vires ad filios gignendum, alen-
dúmque. Hic ſenſus valde videtur pla-
nus & appoſitus, optiméque connectit
τὸ *omnes gemellis fœtibus* cum dentibus
Sponſæ, quòd ſcilicet, tam acuti & vali-
di ſint in paſcendo, vt tam Sponſam,
quàm eius gemellos fœtus manducan-
do ſuſteutent, & robuſtos reddant, quod
optimè conuenit Prædicatoribus, qui
per dentes hîc repræſentantur. Hoc er-
go ſenſu accipienda videtur Vulgata;
vel per antiptoſin, vt τὸ *ſicut greges* acci-
piatur pro *ſicut gregum*; vel potiùs vt ſub-
audiatur τὸ *habeat*, q.d. Dentes tui tales
ſunt, ô Sponſa, ſicut, vel quales habent
greges tonſarum, greges ouium intelli-
ge, vel vt S.Ambroſ. ſerm.6. in Pſal.118.
caprarum, harũ enim dentes acuti ſunt,
& in ſuo genere belli, non belliſſimi.
Porrò dentium meminit: tum quia den-
tium nitor, ordo & pulchritudo multùm
facit ad elegantiam perſonæ; tum quia
vt ait Nyſſen.hom.7.per dentium deco-
rem innuitur ſuauis oris riſus : per hunc
enim diductis labiis dentium decor ape-
ritur & oſtenditur. Denique viris den- *Dentes habemus 32.*
tes ſunt numero 32. è quibus primi qua-
tuor tomici, totidemque eis vicini cani-
ni; acuti cibum ſecant, & bonum à malo
ſecernunt; medij, ſiue maxillares cibum
conficiunt; vltimi ſiue molares eundem
molunt & planè comminuunt. Ita Pli-
nius lib.7.cap.16.qui & addit: *Dentes flam- Plin.*
*mis inuicti, cauantur tabe pituitæ. Aliqui vice
dentium, continuo oſſe gignuntur.*

Verùm quia Codices omnes Vulga-
tæ, æquè ac Septuag. legunt in nomina-
tiuo plurali: *ſicut greges tonſarum*, ac paſſim
alij explicant in nominatiuo, ego quo-
que ſimilem explicationem ſubtexam.
Dentes ergo Sponſæ comparantur gre- *Dentes Sponſæ ſimiles gregi.*
gibus ouium tonſarum in copia, ordine,
æqualitate, candore, integritate, conne-
xione, quia ſcilicet multi ſunt, ordinati,
æquales, candidi, integri, & connexi, ſi-
cut greges ouium tonſarum: tonſæ enim
ob frigus ſeſe vniunt & conſtipant, vt
totus grex vnum quid, ídque exiguum
eſſe videatur. Nam primò, τὸ *ſicut greges*, 1.
notat copiam & ordinem dentium: ſicut
enim in grege multæ ſunt oues, illæque
ordinatæ; ſic in ore multi ſunt dentes,
putà 32 iique rectè diſpoſiti & ordinati.
Sicut ergo eſt grex ouium, ſic eſt & grex
dentium. Secundò, τὸ *tonſarum* notat den- 2.
tium æqualitatem & conſtipationem:
oues enim tonſæ villos non habent ex-
cedentes, ſed æquè detonſos; ſic dens
vnus non eſt longior altero, ſed omnes
pares ſunt & quaſi ad libellam ſecti. Rur-
ſum oues tonſæ ob frigus ſeſe denſant;
ſic & dentes denſi ſunt & conſtipati.
Tertiò,

Digitized by Google

3\. Tertiò, τὸ *quæ aſcenderunt de lauacro* notat
4\. dentium nitorem & candorem. Quartò, τὸ *omnes gemellis fœtibus* notat eorum integritatem & plenitudinem, de quo mox plura.

*Quæ aſcenderunt de lauacro.* Solent enim oues dum tonſæ ſunt lauari, tum vt niteant magis, tum vt ſudor, vapores & ſordes cuti adhærentes eluantur, ne ſcabiem aut ſcabrum quid generent: illotus enim ſudor corpori adhæreſcens ſcabiem gignit. Ita Columella de re ruſtica lib 7. cap. 4. Simili modo Sponſæ dentes ſæpè eluit, ideóque eos habet magis terſos & nitidos, non ſordidos, immundos, vel ſcabros. Rurſum ſicut oues lotæ frigent, ideóque in vnum coëunt ſeſéque conſtipant, vt mutuo calore foueantur: ſic quoque dentes Sponſæ frequentes ſunt, denſi & conſtipati, non rari, non caui, nec inter eos quid eſt ſpatij vacui.

Pro *gemellis fœtibus* Hebr. eſt מַתְאִימוֹת *matimoth*, quod Aben Ezra vertit paſſiuè *gemellæ*, q.d. ſicut oues gemellæ, putà eodem partu genitæ, ſibi mutuò ſimiles & æquales ſunt; ſic & dentes Sponſæ. Verùm *matimoth* eſt participium, ſed actiuum Coniugationis Hiphil, ideóque actiuè vertendum *gemellizantes*, id eſt, *gemellos fœtus edentes*, vti vertit Noſter, & Septuag. Porrò peiùs R. Salomon legit מת מה *methomoth*; vertítque *integra & impollutæ*: nam legendum eſt *matimoth*, id eſt *geminantes fœtus*.

*Quid differt orba à ſterili?* Pro *ſterilis* Hebr. eſt שַׁכֻּלָה *ſcaccula*, id eſt, *orba*, quæ ſcilicet ſuo fœtu priuata eſt, quę ſcilicet prolem, quam habuit, per mortem vel rapinam amiſit: ſterilis verò eſt infœcunda, quæ prolem non peperit.

*R. Salomõ.* Perperam R. Salomon vertit, *Et macula non eſt in eis.* Sic mandibula dicitur ſterilis, quæ dentem non producit; orba verò, quæ dentem, quem produxit, amiſit, ſiue is putridus vel marcidus ſponte exciderit, ſiue vi excuſſus ſit.

*Chald.* Porro Chald. vertit: *Quàm pulchri ſunt Sacerdotes & Leuitæ, qui offerũt oblationes tuas, & comedunt carnes ſanctificatas, & decimas, & primitias, & mundi ſunt ab omni violentia & rapina, ſicut erant mundi greges ouium Iacob in tempore, quo tondebantur, & aſcendebant de torrente Iaboc, in quibus non erat violentia & rapina, & omnes ſimiles erant ad inuicem, & pariebant gemellos in omni tempore: & ſterilis & orbata non erat in eis.*

*Dentes gemelli qui?* Quæres, quid ad dentium Sponſæ laudem facit, quòd omnes hæ oues tonſæ ſunt *gemellis fœtibus*, & *ſterilis non eſt in eis?*

Aliqui id non referunt ad dentium, *Reſp. 1.*
ſed ad ouium laudem, q.d. Oues, quibus dentes Sponſæ comparo, accipio non quaſlibet, ſed integras & fœcundas, quæ ſcilicet gemellos pariunt.

Verùm alij paſſim id ad dentes referunt, idque variè: primò, aliqui pertinere cenſent ad dentes maiores & molares, qui biſulci & quaſi gemini eſſe videntur. Alij ad dentes primores, qui licèt acuti, mandibulæ tamen biſulcis & quaſi geminis radicibus infixi ſunt, ſicque explicant, q.d. Sicut oues fœcundæ ſunt gemelliperæ & geminos gignunt agnos, ſic mandibula tua, ô Sponſa, dentes profert, qui in ſe gemelli videntur, aut certè biſulcas & quaſi geminas habent radices.

Secundò, Giſlerius cenſet hac comparatione dumtaxat æqualitatem dentium ſignificari, quòd ſcilicet dentes ſibi ſimiles ſunt, & planè æquales inſtar agnorum gemellorum, qui & ſibi inuicem pares ſunt, & ſimul ſpatium vacuum, quod eſt inter pedes matrum, ſuo corpore implent & æquant, vt grex ouium totus quaquauerſùm conſtipatus ſit & adæquatus, ſupernè quidẽ ouium, infernè verò agnorum corporibus. 2.

Tertiò, Sanchez cenſet dentes primores, quia diductis labiis apparent, ideóque latiores videntur cæteris, cenſeri quaſi matres; laterales verò & finales, quia minùs apparent, ideóque minùs videntur lati, cenſeri quaſi agnos, q.d. Sicut matrem comitantur agni gemelli, vnus enim ad latus matrem comitatur, alter eam ſequitur à tergo; ſic primoribus dentibus, quæ quaſi matres videntur, ad latus adnati ſunt laterales, qui quaſi agni matrem comitantur, ac à tergo ſequuntur molares, qui quòd minùs appareãt, minores (licèt reuera maiores ſint) videntur, ideóque agnis matrem ſequentibus comparantur. 3.

Quartò, & magis appoſitè duplex eſt ordo dentium. Alij enim ſunt ſuperiores, alij inferiores; ac ſuperior quiſque inferiori ſibi ſubdito ita æquè reſpondet & incumbit, vt quaſi gemellus cum eo fœtus ex eadem mandibulæ radice, quaſi matrice prognatus videatur; hi ergo dentes vocantur *matimot*; id eſt, gemellizantes, id eſt, gemellos fœtus imitantes: iiſque perſimiles. Pari modo dentes primores primoribus, eiſque vicini canini caninis, æquè ac medij mediis, atque vltimi vltimis, putà molares molaribus vtrinque ſibi oppoſitis ex æquo reſpondent 4.

ſpondent adeò, vt planè æquales gemelli eſſe videantur. *Et ſterilis non eſt in eis.* q.d. Non eſt in matrice dentium, putà in mandibula, locus, qui non dentiat, id eſt, dentem ſuum producat. Hebr. *Non eſt orbus in eis.* q.d. Non eſt locus mandibulus, qui ſuum dentem, quem primitùs produxerit, perdiderit, illòque ſit orbatus. Eſt Metaphora Poëtica. Similibus enim vtuntur Poëtæ etiam Græci & Latini, præſertim Bucolici, vt Theocritus & Virgilius.

5. *Plani.* Quintò, & planiſſimè dentes Sponſæ comparantur non gregibus; ſed dentibus gregum ſiue ouium tonſarum, quæ gemellos nutriunt fœtus, quia dentes illarum, vt initio dixi, videtur cæteris acutiores & validiores, vtpotè quibus & famem ſuam, quam ob frigus tonſionis maiorem ſentiunt, ſatiare, ac inſuper gemellos fœtus, quos genuerunt, ſuſtentare & lactare debent, q. d. Sponſa valida adeò validos habet dentes, vt iis cibum carpere & digerere poſſit, non tantùm ſibi, ſed & ſuis gemellis fœtibus ſufficientem. Hæc de cortice litteræ: nunc de ſenſu medullæ.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

*Dentes ſunt Doctores.* Dentes tum cibum digerunt, tum vocem & ſermonem diſtinguunt, & articulant *concenta quodam excipientes ictum linguæ*, ait Plinius lib. 7. cap. 16. Quare repræſentant Doctores Eccleſiæ & Magiſtros fidelium, qui eos in fide & pietate inſtruunt. Hi enim primò, velut
1. dentes doctrinam Chriſti quaſi cibum diuidunt & maſticant, vt eandem in ſtomachũ Eccleſiæ traiiciant. Prima enim cibi concoctio fit in ore per dentes, éſtque ipſa maſticatio, quæ facit, vt ſecunda concoctio, quæ in ventre & ſtomacho fit, ſit facilis. Quocirca Medici, velut ſanitati pervtile ſuadent, vt cibus non deglutiatur per bolos deuorando, vti faciunt Lupi, ſed priùs benè maſticetur, & comminuatur ore, itáque digeſtus traiiciatur in ſtomachum. Hinc dentes vltimi molares vocantur, eo quòd cibum inſtar Lapidum molarium molant & conterant, & quaſi in farinam redigant. Vnde S. Auguſt. lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 6. docet per dentes notari ſanctos homines & perfectos; *quorum*, inquit, *vita & moribus, Chriſti Eccleſia de quibuſlibet ſuperſtitionibus præcidit eos, qui ad ſe veniunt, & imitatione bonorum quodammodò ſibi incorporat; qui boni, fideles, & veri ſerui Dei deponentes onera ſæculi, tanquam grex tonſarum, ad ſanctum Baptiſmi lauacrum venerunt, atque inde aſcendentes conceptione ſancti Spiritus fructum dant geminæ charitatis, Dei, & proximi.* Auguſt.

2. Secundò, ſicut matres vel nutrices eſcam ſolidiorem dentibus præmandunt, extenuant & liquidam efficiunt, itáque in os infantis dentibus carentis ingerunt: Ita Doctores ſolidiora fidei myſteria ita explicando reſoluunt, ac plana & liquida reddunt, vt rudes & pueri ea capere & intelligere queant.
3. Tertiò, ſicut dentes ea, quæ dura ſunt, emolliunt; quæ acerba, dulcorant; quæ faſtidioſa, temperant & concinnant, vt lactea & ſuauia eſſe videantur: Sic Prædicatores & Magiſtri virtutum illa, quæ in Chriſtianiſmo aſpera & horrida ſunt, ſuâ blandiloquentiâ extenuando & honeſtando, iucũda & grata efficiunt. Quid aſperius cruce, mortificatione, & martyrio? & tamen magiſtri fidelium hæc ſuis dentibus quaſi maſticando, eadem fidelibus ſuauia & deſiderabilia reddunt.
4. Quartò, hi non ſunt canini, nec lupini, nec etiam leonini, qui cibis, quos mandunt, intolerabilem fœtorem & nauſeam afflant, teſte Ariſtot. lib. 8. de hiſtor. animalium cap. 28. ſed ouini & agnini, putà ſimiles gregibus ouium tonſarum & lotarum, quia illarum ad inſtar, non tantùm ſpurcitiem & maculam omnem, ſed & lanam ſuperfluam omnem à ſe tondendo, id eſt, mortificando reſecuerunt, hoc eſt, gulam, libidinem, auaritiam, & ſtudium omne rerum terrenarum à ſeſe abiecerunt, ac quaſi pœnitentiâ loti, candidi & mundi cæleſtem nitorem præ ſe ferunt, eúmque diſcipulis ſuis inhalant & aſpirant. Vnde Theodor. Dentes tui, id eſt, Doctores tui, inquit, ô Eccleſia, adeò puri & ab omni ſuperflua diſputatione, atque iocis, & ſcurrilitate, & mendacio, verborúmque obſcœnitate mundi atque integri ſunt, vt iis videantur ſimiles, qui recèns ſalutari baptiſmate digni ſunt habiti, ſimiles gregibus tonſarum quæ aſcenderunt de lauacro.

Hinc ſicut oues tonſæ abluendæ ſunt aquâ marinâ, vel pluuiali cui ſal ſit inditum, vti vult Columella lib. 7. cap. 4. ſic Doctores mollitiem omnem à ſe ſale aſperitatis, crebræque pœnitentiæ & mortificationis defricent, ac vitam auſteram agant, quæ fidelibus ſit exemplum

plum vitæ continentis,ſanctæ & aſperæ.
5. Quintò, dentes ſunt animalium arma,
quibus mordendo ſe ſuóſque tuentur,
ac hoſtes laceſſunt prædámque prehen-
dunt, ideóque duri ſunt fortes, &
oſſei. Vnde Ariſtot. lib. 4. de partibus
animal.. cap. 11. *Mordendi, ait, ſecandique*
Ariſt. *officium dentis eſt.* Hinc & animalia pu-
gnacia, vel exertos habent dentes, vt
apri; vel ſerratos & pectinatim conſti-
patos, vt Leones, pantheræ, canes; vel
certè natura ſuperiores dentes in cor-
nua commutat, vti facit bobus, bubalis
arietibus,hircis. Quocirca animalia cor-
*Cornuta animalia ſuperiori dētium ordine carent.* nuta carent ſuperiore dentium ordine,
quia horum materiam Deus in cornua,
quæ validiora ſunt arma, transfudit, vt
docet Ariſtot. lib. 2. de hiſtor. animal.
cap. 1. Sic pariter prædicator dentibus
ſuis mordeat hæreticos, vſurarios, cæ-
teróſque improbos; nec vllum licèt po-
tentem vereatur, ſed ei, cùm opus eſt,
inſtar apri dentes oſtendat: M. Curtius
*M.Curtius cum dentibus natus unde Dentatus dictus.* cum dentibus natus eſt, ideóque Denta-
tus cognominatus eſt, ait Plinius lib. 7.
cap.16. ita dentatus ſit Concionator, cùm
vitia inſectatur. Sextò. dentes omnes in-
6. hærent capiti, ab eôque omne ſuum
robur accipiunt; ſic Doctores inhærent
Chriſto, ab eóque omnem ſuam docen-
di dicendique vim hauriunt. Hinc den-
tes, ſi è maxilla luxentur, vel corrum-
pantur & putreſcant, non tantùm ſe,
ſed & vicinos inficiunt, perduntque;
imò ſuum fœtorem & putredinem cibo
affricant: ſic pariter Doctores, ſi à Chri-
ſto, Chriſtique doctrinâ & lege diſce-
dant, incidunt in errores & malos mo-
res, quibus ſe & diſcipulos inficiunt
7. & corrumpunt. Septimò, triplex eſt
dentium ſeries: primores enim acuti
ſunt, medij lati, vltimi latiores: primo-
res cibum ſecant, ideóque tomici à
Græcis vocantur, ait Celſus lib. 8.cap.1.
medij comminuunt, vltimi molunt &
quaſi in tenuiſſimam farinam vertunt;
Vnde & molares nuncupantur: Sic Do-
ctores nonnulli doctrinam ſacram ex-
plicando incidunt, alij magis eam ex-
planando comminuunt, tertij eam pla-
nè quaſi conterendo commolunt.

8. Octauò, animalia, quæ denſos & con-
*Animalia quæ conſtipatos ſiue denſos habent dentes, diu viuunt.* ſtipatos habent dentes longæua ſunt,
diuque viuunt; quæ verò raros & laxos
breuis ſunt æui & vitæ, vt docet Ariſtot.
in Problem. ſect. 10. num. 47. qui & cau-
ſam addit, quòd dentes rari indicium
ſint denſum eſſe os capitis, ideòque *Ce-*
*rebrum*, inquit ipſe, *inualidum eſt, quia mi-*
*nus ſit reſpirationibus opportunum, itáque celeri-*
*ter putret, vt quod ſuâ naturâ humidum ſit. Nã* Ariſtot.
*& cætera, quæ non mouentur neque exhalant, fa-*
*cilè corrumpuntur.* Dentes ergo denſi vel
rari, ſymbolum & cauſa ſunt longi vel
breuis æui & vitæ: Sic vbi multi ſunt
Prædicatores, rectè inter ſe in eadem
fide & charitate connexi & conſtipati,
ibi viuit, vigétque fides, pietáſque Chri-
ſtiana: vbi verò pauci ſunt, nec inter ſe
ſatis connexi, ſed in doctrina & mori-
bus diſcordes ac ſibi inuicem aduerſi,
ibi certa imminet Religionis ruina &
interitus.

Nonò, & maximè, ſicut oues validæ 9.
geminos pariunt fœtus, ac ad eos alen-
dum validos habent dentes, quibus va-
lidè herbam incidant, carpant, & maſti-
cent, quæ ſufficiat non tantùm ipſis, ſed
& gemellis ipſorum fœtibus nutriendis,
ſic Prædicatores egregij validâ pollent
dicendi docendique vi, quâ gemellos,
id eſt, plures ſpiritales filios Deo pro-
creare, lactare, & robuſtos efficere va-
leant: quare in eis nullus eſt ſterilis, ſed
omnes fœcundi & fertiles.

Porrò per dentes ſignificari Docto-
res & Prædicatores, docent Caſſiodor.
S. Gregor. Beda, Iuſtus, Aponius, Phi-
lo, Anſelmus, ac S. Auguſt. lib. 2. de do-
ctrina cap. 6.

Audi S. Gregorium: *Dentes bene ſancti*
*Prædicatores vocantur, quia dum ſanctam Scri-*
*pturam exponendo minoribus fratribus eluci-*
*dant, quaſi panem paruulis, tanquam matres fi-*
*liis, commaſticant, quò infirmi ad fortiora con-*
*ualeſcant. Hi nimirum benè ſicut grex tonſarum,* Gregor.
*quæ aſcenderunt de lauacro eſſe dicuntur, quia*
*dum ſe à peccatis omnibus in Baptiſmo ablutos*
*eſſe recordantur, libenter onera mundi depo-*
*nunt, vt ad cæleſtia conſequenda & prædican-*
*da quo liberiùs, eò faciliùs gradiantur. De qui-*
*bus ſubditur: Omnes gemellis fœtibus, & ſteri-*
*lis non eſt inter illos. Gemellos fœtus omnes ſan-*
*cti prædicatores habent; quia dum in duobus*
*præceptis charitatis cæteros homines ſuperemi-*
*nent, geminam dilectionem prædicant, & in ea*
*duos populos Iudaïcum & gentilem gignere non*
*ceſſant. Inter quos nullus eſt ſterilis quia profe-*
*ctò prædicator non eſt dicendus, ſi filios ſpiritales*
*gignere contemnit.* Huc accedit Gregor.
Nyſſen. hom. 7. qui notat in dentibus
hiſce myſticis, id eſt, in Prædicatoribus
requiri primò, vt ſint tonſi, hoc eſt, nu-
dati pondere terreno. Secundò vt laua-
cro conſcientiæ ſint puri & nitidi. Ter-
tiò, vt ſemper per profectum aſcendant.
Quartò, vt in nullo genere virtutis &
exercitio ſint ſteriles, ſed in quolibet
fœcundi

fœcundi & fertiles, gemellos verò, quos parere ij debent, dicit eſſe animæ impatibilitatem, & vitæ corporalis honeſtatem. Hæc Nyſſen. Porrò per gemellos fœtus, Charitatem Dei & Proximi accipiunt S. Auguſtin. Beda, Caſſiodor. S. Gregor. S. Auguſtin. in Pſalm. 3. vtrumque enim auditoribus ingenerare debent boni Prædicatores. Secundò, Theodoretus accipit Cõtemplationem & Actionem: nam ſi illa præcedit, hæc alacrior & robuſtior illius veſtigiis inſiſtit. Tertiò, alij appoſitè per gemellum partum accipiunt Exemplum vitæ & Doctrinam verbi. Prædicator enim alios parit filios Chriſto per Sanctitatem vitę, alios per vim dicendi. Ita S. Auguſt. in Pſal. 3. Tres Anonymi apud Theod. ac S. Bernard. ſerm 63. inter paruos: Præcedit, inquit, Exemplum, Doctrina ſequitur eius germanus frater, ſicut agnus gemellus vnus comitatur vel præcurrit matrem, alter eandem ſequitur.

*Gemelli fœtus.*
1. *Charitas Dei & proximi.*
2. *Actio & contemplatio.*
3. *Exemplum, & Doctrina.*

Quartò, Richard. de S. Victor. per dentes accipiens diſcretionem, geminum eius fœtum ſiue fructum aſſignat, quòd per eam homo tam aduerſo, quàm proſpero ſtatu benè vti nouit, & ex vtroque proficit; item quòd & intùs cogitationes regat, & foris opus prudenter diſponat.

4. *Proſperitas & Aduerſitas.*

*Moraliter.* Moraliter notent hîc Prædicatores, ſe gemellos debere parere Chriſto, nec eſſe ſteriles; quare non ſtudeant elegantiæ, ſed ſpiritui & affectui excitando, vt planctum moueant, non plauſum, ne audiant maledictionem à Deo Ioachim regi intentatam. Ierem. 22. 30. *Scribe virum iſtum ſterilem, virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur.* Rurſum ſicut dentes primi, qui tomici dicuntur, vtile à noxio reſecant; ſic reſecet & Concionator, vt ſciat quid hoc illôque loco & tempore, coràm talibus dicere, vel tacere expediat, quod Apoſtolus vocat ὀρθοτομεῖν, id eſt, rectè ſcindere, vel ſecare verbum veritatis: *Sollicitè,* inquit, *cura teipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, rectè tradentem* (Græcè ὀρθοτομοῦντα) *verbum veritatis.* 2. Timoth. 2. vide ibi dicta.

*Ierem. 22. 30.*
*2. Tim. 2.*

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

*Dentes animæ ſũt Meditatio & Cõſideratio.*

DEntes animæ ſanctæ ſunt meditatio, conſideratio, & conſultatio, qua rem, quam agere deſtinat, priùs maturè conſiderat, maſticat, ruminat, & circumſpicit; tum ne quid in ea mali vel periculi lateat; tum vt modos eam prudenter & feliciter exequendi, ac remoras auertendi excogitet. Rurſum, ſicut Prædicator, per concionem populo perſuadet ſtudium virtutis: ſic anima ſibi ipſi perſuadet ſtudium rei arduæ per meditationem. Meditatio ergo eſt quaſi priuata concio. Meditans igitur imitetur concionatorem, vt, quod hic agit apud populum, hoc ipſe agat apud voluntatem ſuam, ſcilicet proponat ei illas rationes & motiua, quibus ſcit illam permotum iri ad rem, quam ipſi perſuadere vult, capeſſendam, eſto in ſe moleſta ſit, difficilis & ardua, vti eſt mortificatio & martyrium. Iam meditationi & conſiderationi facile eſt nouem analogias dentium, quas in primo ſenſu aſſignaui, mutato nomine Doctoris in nomen piæ meditationis, accommodare: ac, præſertim quòd ipſa inſtar dentium rem quaſi incidendo comminuat & explanet, vt quicquid in ea eſt boni vel mali cernatur. Ad hæc quòd ſicut dentes capiti inhærent; ſic meditatio & conſultatio Chriſto, Chriſtíque inuocatione, ope & gratiâ nitatur oportet. Rurſum, ſicut dentes in ſe ſunt puri, candidi, omníſque ſordis expertes; ſic conſultatio omni ſiniſtro affectu & paſſione carere debet, ſolúmque rectæ rationis dictamen, Deíque lumen intueri. Iuſuper ſicut dentes è molli gingiua prodeuntes, oſſei, duríque euadunt, vt nec igne comburi queant; ſic conſultatio prudens rem è tenui debilíque principio ad tantam molem tantúmque robur perducit, vt nullâ vi ſuperari queat; quin & gemellos fœtus, id eſt, pulcherrimos, maximóſque fructus producat. Nihil enim in ea eſt ſterile, ac nulla cogitatio fructus expers. Ita tres Anonymi apud Theodor. Nyſſen. hom. 7. & S. Ambroſ. ſerm. 16. in Pſalm. 118. Huc accedit Richard. de S. Victor. qui per dentes accipit diſcretionem ſpirituum: *Cognoſcenda eſt,* inquit, *diſcretio ſpirituum; dum enim omnia deuota anima diiudicat & diſcutit, quaſi quibuſdam dentibus diſcretionis ea conterit, & comminuit. Hi ſunt dentes Sponſæ, qui aſſimilantur gregibus tonſarum ouium: detonſiones ſunt innocuæ cogitationes exteriora abſcindentes, ſcilicet amorem terrenorum & deſiderium habendi prudentiam ſæculi. Porrò dum diſcretio poſt innocentiam & mundanorum abiectionem, atque propriæ voluntatis mortificationem per cõpunctionis gratiam mundatur, atque ad ſpiritalem intelligentiam & diſcuſſionem eruditur, de lauacro aſcendere meritò*

*Richard. Victorin.*

*perhibetur.* Geminum deinde diſcretionis fœtum, ſiue fructum aſſignat, quem paulò antè retuli.

Quocirca aptè S. Bernardus ſerm. 63. inter paruos, per dentes accipir Religioſos: hi enim vacant orationi & meditationi, ac conſequenter prædicationi: quò enim quis per meditationem ardentiùs amorem virtutis & odium vitij in mente imbibit, eò efficaciùs illud ipſum per os & dentes ad populum eloquitur, illíque perſuadet. Quare Religioſi orationi & meditationi dediri, euadunt optimi & efficaciſſimi Concionatores, vti experientia docet. Audi S. Bernardũ, qui primò tredecim dotes denrium ita

*Dentes ſunt Religioſi ob 13. analogias.* Bernard.

recenſet: *Dentes candidi ſunt & fortes, carnem non habent, carent corio; nihil intra ſe pati poſſunt, non eſt dolor ſicut dolor eorum, clauſi ſunt labiis, ne videantur; indecens eſt cùm videntur, niſi ridendo; toti corpori maſticant cibum; nullum indè ſaporem habent; non facilè conſumuntur; per ordinem poſiti ſunt; ſuperiores alij & alij inferiores; & cùm inferiores moueantur, ſuperiores nunquam.* Ac deinde primas quinque ex ordine ita Religioſis & monachis accommodat: *Quid enim illis candidius, qui totius immunditias ſpurcitia euitantes, cogitationum, ſicut actionum peccata deplorant? Quid fortius illis, quibus tribulatio pro ſolatio, contumelia pro gloria, inopia pro abundantia ducitur? Iſti carnem non habent, quia in carne carnem obliti audiunt ab Apoſtolo: Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu. Corio carent: quia nitorem & diſtentionem mundanarum ſolicitudinum non habontes, in pace in idipſum dormiunt & requieſcunt. Nihil morari intra ſe patiuntur, quia nec modicum quidem offendiculum tolerabile reputant, aut intra ſe, aut in conſcientiis ſingulorum.* Deinde mox ſequentes quinque dentium analogias proſequens, eaſdem ita Religioſis adaptat: *Non eſt dolor ſicut dolor eorum; quia nihil tam horrendum & horribile eſt, ſicut murmur & diſſenſio in congregatione. Clauſi ſunt labiis ne videantur; ſic & nos materialibus vallis circumcingimur, ne ſaecularium oculis & acceſſui pateamus. Indecens eſt ſi appareant, niſi interdum fortè ad riſum: quia nihil turpius, quàm monachus per vrbes & caſtella diſcurrens, niſi cùm illa cogit, quæ operit multitudinem peccatorum. Charitas enim riſus eſt, quia hilaris eſt. Læta quidem, non tamen diſſoluta. Toti corpori maſticant cibum dentes; quia ipſi pro toto Eccleſiæ corpore, videlicet tam viuis, quàm mortuis, orare ſunt conſtituti. Nullum inde ſaporem habere debent: nullam ſibi gloriam aſſignare, ſed dicere cum Propheta: Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Non facilè conſumuntur, quia quantò annoſiores tantò feruentiores, & eò rapidiùs currunt, quò viciniùs appropinquant ad palmam.* Denique tres vlrimas dentium proprierares ad ordinem & ſitum eorum ſpectantes, ſic iiſdem aſſignat: *Per ordinem poſiti ſunt: Vbi enim aliquid ordinatum eſt, ſi hic non eſt, vbi cibus & potus, vigilare & dormire, laborare & quieſcere, ambulare & ſedere, & cætera omnia in numero & menſura & pondere conſtituuntur; Superiores & inferiores ſunt; quia inter nos prælati & ſubditi ſunt, & ſic ſuperiores inferioribus iunguntur, vt inferiores à ſuperioribus non diſcordent. Cùm autem moueantur inferiores, ſuperiores nunquam moueri debent; quia etſi ſubditi quandoque turbentur, Prælatorum eſt in mente compoſitâ perdurare. Sicut grex tonſarum, inquit: quia bene monachi tonſis ouibus comparantur: quia reuera tonſi ſunt, quibus nec corda nec corpora, nec aliquid mundanum in proprietate relictum eſt. Quæ aſcenderunt de lauacro. Lauacrum baptiſmus eſt, de quo aſcendit, qui ad celſitudinem vitæ perfectioris intendit. Deſcendit autem, qui ſe vitæ mancipat inhoneſtæ. Omnes gemellis fœtibus: quia & verbo pariunt & exemplo.*

Idem.

## TERTIVS SENSVS

### *De Chriſto & B. Virgine.*

CVncta hæc iam dicta præ omnibus conueniunt B. Virgini, quæ candidiſſimos habuir dentes, quia innocentiæ fuit magiſtra, ait Ruperrus. Ipſa enim Doctrix fuit Apoſtolorum, cærerorúmque fidelium, ideóque aſſiduè meditationi vacabar: mente ergo concipiebat duos fœrus gemellos, ſcilicet diuinitatem & humanitatem filij ſui, cuius operationes & myſteria quæ audiebat & oculis cernebat, perpetuò mente reuoluebar & ruminabat iuxta illud: *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.* Luc. 2. 19.

*B. Virgo Doctrix Apoſtolorum.*

Luc. 2. 19.

Rurſum B. Virgo vitam egit religioſiſſimam in ſumma caſtitate, pauperrare & obedientiâ. Nam ipſa mortalium prima virginitatem ſuam Deo dicauit, itáque prima virginitatis vexillum extulit, quod deinde cæteræ virgines ſecutæ ſunr, vti docet S. Auguſtinus lib. de Virgin. cap. 4. & S. Bernardus ſerm. in illud Apocal. 12. *Signum magnum.* Iam pauperratem eius, & præſepe, & duo pulli columbarum & cætera multa demonſtrant. Obedientia verò ipſum coniugiũ, quod eam viro ſubiiciebat, cùm eſſer ipſa & ſanctitate & ſapientiâ tantò ſuperior, nec marito ad prolem, vt pote ex Spiritu

*B. Virgo prima Virginitatis vexillum extulit.*

ſancto

Digitized by Google

ſancto concipiendam indigeret, ſed tantum ad exercitium obedientiæ. Quocirca ipſa omnes Religioſos Ordines, putà Carthuſianos, Præmonſtratenſes, Ciſtercienſes, Dominicanos, Franciſcanos ac Societatem Ieſu inſtituit, vti ex annalibus ſingulorum docet Noſter Hieron. Platus lib. 1. de bono ſtatus Relig. cap. 34. ideóque Religioſorum omnium, velut ſuarum prolium ipſa eſt Tutelaris & patrona, vti plurimis exemplis declarauit. Quocirca B. Virgo gemellos edidit fœtus, quia ſuo exemplo & verbo docuit ſeruare tam præcepta, quàm conſilia Euangelica. Ita Rupertus.

---

Verſ. 3. *Sicut vitta coccinea labia tua: & eloquium tuum dulce.*

HEBR. נאוה *naue*, id eſt, *pulchrū.* Septuag. *Sicut funiculus coccineus* (S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 18. *reſticula coccinea.* Aquila *e cocco*) *labia tua, & eloquium tuum decorum.* Hebr. חוט *chut* & filum, & funiculum, & vittam ſignificat. Vnde Vatabl. vertit: *Labia tua ſimilia ſunt filo coccineo.* Per vittam ergò ſimul intellige filum, quod vittam inferiùs circa collum ſtringit, illíque aſtringit.

Vatabl.

Recto naturæ ordine à laude oculorum ad laudem capillorum, inde dentium, mox oris & labiorum deſcendit.

Vittæ comparat os & labia Sponſæ, vt indicet illa non nimis prominere & extare, ſed modicâ & decenti rotunditate arcuata, quaſi filo vel funiculo coccineo, id eſt, rubeo circinatâ, vt decore dentes claudant. Hæc enim tria ſunt, quæ labia commendant: primùm, ſitus, ſi non ſint oblonga, craſſa, extantia, aut hiantia, ſed gracilia, rotunda & ſibi inuicem decore compacta inſtar vittæ: ſecundò, color, ſi non ſint nigra, vel lutea, aut pallida, ſed coccinea, id eſt, vermiculantia & ſanguineo quodam rubore cũ dignitate ſuffuſa, qualia à poëtis vocantur purpurea & roſea: hæc enim virginalem pudorem & decorem repræſentant: tertiò, clauſura, ſi inſtar vittæ, ne diffluat, funiculo colligata ſint & conſtricta, ne quo hiatu dentes pateant.

*Tria labiorum ornamenta.*

Notat ſilentium ſimul & gratiam in loquendo, q.d. Sponſa labia habet clauſa, & ſilentij eſt amans, at vbi labia aperit, mirâ id facit gratiâ: quare ſiue labia claudat, ſiue aperiat, illa exhibet pulcherrima: *&*, id eſt, idcirco, *eloquium* eius *eſt dulce*, Hebr. *decorum*, quia miram in dicendo habet venuſtatem, ordinem, diſcretionem, gratiam, vt ſemper ſeruet τὸ πρέπον, quod Cicero, imò S. Auguſt. tantoperè in Oratore commendat. Hoc enim ſermoni & venuſtatem, & pondus, & dignitatem, maieſtatémque conciliat.

Alludit ad funiculum coccineum, quem Rahab hoſpita, recipiens exploratores à Ioſue ſubmiſſos in Vrbem Iericho, ex feneſtra ſuſpendit, vt eo ſigno Hebræi vaſtantes Vrbem, domum eius illæſam ſeruarent. Ioſue 2.18. Ita Theodor. Philo, & Iuſtus. Vnde R. Salomon cenſet labia Sponſæ comparari funiculo coccineo, vt eo ſignificetur illa eſſe fidelia in promiſſis, vt id, quod promittit, certò præſtet, ſicut ſecuritatem, quam Rahab & exploratores ſibi reciprocè promiſerunt, eámque filo coccineo ſignificarunt, vtrinque exactè ſeruauerunt.

*Alluſio ad funiculum coccineum Raab.*

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

PEr labia æquè ac per dentes (vtriſq; enim formatur vox & ſermo) *Vitta eſt Prædicator.*
notantur Doctores & Prædicatores Eccle- 1.
ſiæ; inquit Caſſiod S. Gregor. Beda, Aponius, Iuſtus, Philo Carpath. & Anſelm. quorum ſermo debet eſſe inſtar vittæ: primò, vt ſit tenuis, planus & facilis, non verborum elegantiâ, fuco & pompâ ſuffartus.
Secundò, colligatus, connexus, & 2.
conſtrictus, vt non temerè quicquid in buccam venerit, effutiat, quod Deum vel proximum offendat, ſed tantùm dicat, quæ antea prudenter mente quaſi Deo grata, & hominibus vtilia hîc & nunc fore, præmeditatus eſt, rectóque ordine diſpoſuit & connexuit; quæ verò
tacenda ſunt, ſubticeat. Tertiò, ſicut vit- 3.
ta concinna eſt & elegans, & affabrè contexta: Sic ſermo Concionatoris aptã habeat texturam, concinnus ſit, ſuauis, & gratus, vt mulceat, teneátque auditores, nec diſcedere permittat, ait Theodor. ſed inſtar retis & vittæ reticulatæ homines, ceu piſces ad ſe trahat, ac è mari concupiſcentiæ auulſos Chriſto ad-
ſtringat. Quartò, labiorum ſermo ſimilis 4.
ſit vittæ coccineæ, quæ ſanguinei eſt coloris, hoc eſt, tinctus ſit ſanguine Chriſti, quem Concionator quotidie in Miſſæ ſacrificio haurit, vt cum Paulo non ſe, ſed Chriſtum crucifixum prædicet. Ita Theodoret. Nyſſen. S. Thom. Caſſio-



V 2 dor.

dor. Beda, Anſelmus, & S. Ambroſius in Pſal. 117. ſerm. 18. verſ. 4. qui ait: Ambroſ. *Sicut reſticula coccinea labia tua, quia in cocco ſpecies ignis, & crucis dominica ſanguis irrutilat: Coccinea labia Domini, qua paſſionem propriam loquebantur.*

Audi Theodoretum, qui cenſens alludi ad funiculum Raab, vt dixi, ſic ait: Theodor. *Signum hoc Sponſus in ore Sponſa, tanquam in feneſtra collocatum intuetur dicens: ſicut funiculus coccineus labia tua; ac ſi dicat: Duxit colorem ex ſanguine meo os tuum, & verba profert veritatis, quibus tanquam funiculo quodam capiuntur auditores, & vinciuntur: nam eloquium tuum eos demulcet & retinet, nec diſcedere permittit, ſed labiis tuis cogit inſeruire.*

Huc accedit Aponius, qui Prædicatores vittæ coccineæ aſſimilari cenſet, quia inquit, *quod prædicant teſtimonio Martyrum confirmant*, vt qui legi, quæ ſibi obedientibus vitam æternam repromittit, non credit, teſtimonio Martyrum, qui pro ea ſanguinem fudêre, credat; ſicque eo quaſi vittâ incredulos conſtringunt.

Rurſum, ſermo ſit inſtar vittæ coccineæ, id eſt, rubeat, imò ardeat charitate, vt non niſi Dei & proximi amorem ſpiret & exhalet, vt quicquid loquitur ore, ex corde charitatis prodeat. Ita S. Gregor. Caſſiod. Beda. Audi S. Gregorium: Gregor. *Coccus eſt charitas.* *Iidem prædicatores labia Eccleſia dicuntur, quia nimirum per eos populis præcepta vita loquitur, qui benè ſicut vitta dicuntur, quia dum fluxas cogitationes in cordibus hominum ſuis prædicationibus reſtringunt, quaſi ſparſos crines, ne immoderatè diffluant, reprimunt. Sed quid eſt, quòd non tantùm vita, ſed coccinea comparantur, niſi quia per coccum flamma charitatis intelligitur, quâ illi ardent & per alios accenduntur? Per quos eloquium Sancta Eccleſia dulcoratur: quia dum, qua dicunt, faciunt, prædicationes ſuas hominibus quaſi ſapidas eſcas apponunt.*

*Diſcordes vnire, vnum è primis Concionatoris muneribus.* Quocirca Prædicator diſſidentes & diſcordes inter ſe & cum Deo mutuo amore vnire, & inſtar vittæ conſtringere ſatagat. Hoc enim vnum eſt è primis Prædicatoris officiis: Ita Nyſſen. hom. 7. qui cum Septuag. legens, *funiculus coccineus labia tua*, ſic explicat: Nyſſen. *Funiculo ſignificatur concordia & charitas, vt ea tota in funiculo ſit vna & eadem catena ex diuerſis filis contexta: per coccinum autem ad ſanguinem Chriſti, per quem redempti ſumus reſpicitur; quatenus illa confeſſionem habeat in ore eius, qui nos ſuo ſanguine redemit.*

Rurſum tres Anonymi apud Theodor. funiculo cenſent notari menſuram ſermonis: hunc enim ſuâ prudentiæ mēſurâ metiendum eſſe, ſicut funiculo rerum longitudinem dimetimur, quod ſi fiat, eloquium erit dulce & decorum. Ex aduerſo Pſellus funiculo, id eſt, ſilentio os claudendum aſſerit: *Per funiculum*, inquit, *ſilentij dotem accipe: per eloquium verò decorum diuinam prædicationem, ac ſi dicatur:* Pſellus. *Tu gratiâ taciturnitatis ſic excellis, vt nihil ſuperfluum, nihil abſurdum excidat è labiis tuis: ſi quid enim aliquando vis loqui, qua ad fidei promulgationem doctrinámque pertinent, loqueris.*

*Et eloquium tuum dulce*: *Meritò*, ait Richard. de S. Victore, *deuota anima dulce eſt eloquium & delectat, gratum eſt & ædificat, quia procedit ex charitate, & profluit ex fonte gratiæ, Guſtat enim quoniam ſuauis eſt Dominus: vnde dulcedinem, quam experitur, refundit, & plenitudinem, quâ fruitur, eructat; quia repletum eſt cor ſpiritualibus deliciis, eructat foris verbum bonum dulcedinis, conſolationis, inſtructionis, admonitionis. Cordis promptuaria plena ſunt his diuitiis, eructantia ex hoc dono gratiæ in illud: ex hac meditatione ſpirituali in illam.*

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

Labia animę ſanctæ ſunt inſtar vittæ coccineæ, cùm ardentem ad Deum *Vitta eſt oratio.* effundunt orationem. Vitta ergo cocci- 1.
nea eſt oratio: Primò, quia inſtar cocci rubet & ardet, tum ſanguine Chriſti, per cuius merita exaudiri ſe poſtulat; tum amore & deſiderio rei, quam petit, conſequendæ: Oratio enim ex intimo corde, cordiſque affectu manare debet, ac ex corde in os & labia erumpere.

Secundò, ſicut vitta caput tegit, ornat, 2.
& ſtringit; ſic oratio mentem ornat & protegit, eámque & à cogitationibus terrenis reſtringit, ac Deo & Chriſto aſtringit, vt orans per labia videatur quaſi oſculari Deum, eúmque ſtringere, ac quaſi ligare & cogere, vt præſtet id, quod ipſe poſtulat. Deus enim paſcitur & oblectatur deuotione, humilitate, amore, & efficaci ardore orantium, gaudétque ſtringi quaſi & cogi. *Vis hac illi* Tertull.
*grata eſt*, ait Tertul. de Orat. Vnde ipſi eorum eloquium eſt dulce, gratum, atque pulchrum.

Tertiò, ſicut vitta coccinea ſub collo 3.
aſtringitur funiculo coccineo; ſic oratio aſtringitur charitate, vt nil petat, niſi quod charitas Dei, vel animæ propriæ, aut proximorum poſtulat. Charitas enim eſt quaſi funiculus conſtringens & vniens ſibi, tum cæteras omnes virtutes, tū cæteros homines, ipsúmque Deum.

Hinc

Hinc Chald. vertit: *Et labia Sacerdatis magni deprecabantur in oratione in die propitiationis coram Domino, & verba eius auertebant peccata Iſraël, quæ ſimilia erant vittæ coccineæ, & dealbabant ea, ſicut lanam mundam.* Chald.

Labia ergo animæ ſanctæ, quæ Sponſa eſt Chriſti, ſiue cum Deo, ſiue cum proximis ſermocinantis, ſint coccinea, id eſt, rubea & corallina, putà charitate plena, vt non tam ipſi, quàm amor in eis, ipſáque charitas per os earum loqui videatur.

## TERTIVS SENSVS

### *De Chriſto & B. Virgine.*

Rupert. IN *labiis tuis*, ait Rupert. *confeſſio & pulchritudo eſt, in labiis tuis ſanctitas & magnificentia eſt. Illa Deo fuit muta, tu autem magnificaſti Dominum mente ardentiſſimâ, voce ſuauiſſimâ; & hæc eſt vitta coccinea, quia charitas eſt ignea, quâ bene cum eo ligata ſic Deo adhæſiſti, vt vnus cum eo ſpiritus ſis. Hinc eloquium tuum dulce, quia videlicet ex abundantia cordis os loquitur, & dulcedinem, quæ abundat interiùs ſapit ſermo, qui redundat exteriùs.*

Deinde funiculum Raab myſticè explicans, & B. Virgini adaptans iſta ſubiungit: *Ecce Raab meretrix dulcis eloquij* Idem. *tui vittam coccineam ſiue funiculum coccineum, in feneſtra ſua ligauit, ſignum ſuæ fidei, quòd nuncios Ioſue ſiue Ieſu ſuſceperit, atque ſaluauerit; dum Eccleſia quondam peccatrix & idololatria meretricia ſordida, dulce eloquium tuum, quo magnificauit anima tua Dominum, pignus ſuæ ſalutis iugiter perſonat, & omnem doctrinam Euangelicam, in qua ipſos Apoſtolos tua ſine dubia labia confirmauerunt, integrâ ſemper fide prædicat. Et de omni quidem anima quæcumque diuerſa ſentientes ad vnitatem ſuæ prædicatione conſtringit, vt idipſum dicant omnes, & hoc agit in charitate & fide non fictâ; verum eſt dicere, quia labia eius ſicut vitta coccinea: ſed in iſta gratia cæteris omnibus es incomparabilis poſt me dilectum tuum, cui ſpecialiter Spiritus in Pſalmo dicit: diffuſa eſt gratia in labiis tuis.*

Labia Deiparæ qualia? Nicephor. Denique labia B. Virginis ita ex S. Epiphanio depingit Nicephor. lib. 2. Hiſtor. cap. 23. *Labia florida & verborum ſuauitate plena.* Et paulò antè: *Erat omnibus in rebus honeſta, grauis, pauca admodùm, eáque neceſſaria loquens, ad audiendum facilis & perquàm affabilis, honorem ſuum & venerationem omnibus exhibens,* &c. *decenti dicendi libertate aduerſus homines omnes vſa eſt: ſine riſu, ſine perturbatione, & ſine ira maximè.*

*Cornel. à Lapide in Cant. Canticor.*

*Sicut fragmen mali punici; ita genæ tuæ abſque eo, quod intrinſecùs latet.* Verſ. 3.

PRo *fragmen* Hebr. eſt פלח *pelach*, id eſt diuiſio, pars, fruſtum, fragmen. Quare minùs rectè Aben Ezra (& antiqua Rabbinorum interpretatio Hiſpanica, ait Sanchez) non fragmen, ſed florem mali punici, qui ſummè rubet, & pulcherrimus ruboris cyclus videtur, interpretatur: quia ipſe pro *pelach*, legit פרח *perach*, id eſt, flos.

Malum punicum eſt Granatum. Dicitur Punicum, quòd à Pœnis, id eſt, Carthagine ſit allatum. Granatum, à granorum, quibus refertum eſt, multitudine; vel quod in Regno Granatenſi abundet. Vnde Plinius lib. 13. cap. 19. *Circa Carthaginem*, ait, *Punicum malum cognomine ſibi vendicat* (Africa,) *Aliqui Granatum appellant.* Modum quo malogranata rubicunda fiant, tradit Caſſius Dion, lib. 10. cap. 33. Malum Punicum vnde dicatur. Plin.

Pro *gena* Hebr. eſt רקה *racka*, quod Luyſius, Vatabl. Genebr. & alij vertunt, *tempora*, eo, quod delicata ſint & tenuia. Radix enim רקק *racac* ſignificat *attenuari*. Verùm meliùs Noſter, Septuag. Symmach. & alij vertunt *genæ*; hæ enim molles ſunt, tenues & delicatæ. Hæ primò rotundæ ſunt; ſecundò tument, tertiò rubent.

*Sicut fragmen mali Punici* Septuag. ὡς λέπυρον, id eſt, *ſicut cortex mali Punici*. Et ſic legunt nonnulli Codices Vulgatæ, vt Complut. ſicque omnes legunt cap. 6. 6. Vnde liquet genas non tã granis, quàm cortici mali Punici comparari. Dicit tamen fragmen; tum quia pars vna mali Punici rubet, alia verò viret: genæ autem rubent dumtaxat, non virent: Tum quia fragmen præter colorem, odorem quoque ſuauem granorum intùs latentium exhalat, ait Rupert. Tum quia pro *genæ*, Hebr. & Septuag. habent, *gena* in ſingulari; vna autem gena non niſi fragmini, id eſt, dimidio pomi punici comparari poteſt; aut potiùs fragmen vocatur ipſe cortex, quia à pulpa diuiſus & quaſi diffractus eſt; ſic fragmen nucum eſt ipſe earum cortex: hic enim frangendus eſt, vt nucleus ſub eo latens carpi comedíque poſſit. Simili modo Iob 41. 15. in Hebræo פלח תחתית *pelach tachtit*, id eſt, *fragmen inferius* vocatur lapis molaris inferior, qui meta dicitur, eo quod à Fragmen eſt cortex: Cur



Digitized by Google

lapide ſuperiori, qui catillus dicitur, ſit diuiſus, & quaſi diffractus. Quocirca Philo Carpath. hoc loco legit: *Sicut mali corium malum tuum, propter id quod in te latet.*

Phil. Carp.

Hinc *genæ* Græcè dicuntur μῆλα, id eſt, *poma*, quòd pomis Punicis ſint ſimiles, ait Nyſſen. quia mali orbiculati inſtar exuberant, ait Pollux.

*Abſque eo quod intrinſecus latet.* Maior enim eſt pudor & pudicitia interna, quã inde prodiens rubor & pudor genarum externus. Simile de oculis dixit verſ. 1. Vide ibi dicta. Sicut enim oculorum, ſic & genarum decor, vigórque manat à corde & à mente.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

*Genæ purpureæ notant virgines.*

GEnæ inſtar fragminis mali Punici purpureæ notant pudorem, caſtitatem, & Virginitatem Eccleſiæ, tum literalem, qualis eſt in Virginibus, tum myſticam, quæ conſiſtit in illibata caſtâque fide, ſpe, & charitate, qualis eſt in omnibus fidelibus, vti mox dicam ex S. Auguſtino: Virgines enim Eccleſiæ decus & decorem repræſentant, ſicut genæ decorem faciei, totiúſque hominis. Quocirca Virginitas & cælibatus in primitiua Eccleſia mirè floruit, quia Apoſtoli eam impensè fidelibus commendabant, imò pro ea tuenda martyrium ſubière S. Petrus, S. Paulus, S. Ioannes, S. Matthæus, S. Clemens plurimíque alij Eccleſiæ primores, vti alibi dixi. Hinc & Patres penè omnes integris libris elogia Virginitatis ampliſſimè ſcripsêre, vt S. Baſilius, S. Ambroſius, S. Auguſtinus, S. Hieronymus, S. Athanaſius, Tertullianus, S. Cyprianus, S. Chryſoſtomus, S. Gregorius Nazianz. Genæ ergo purpureæ ſimiles malo Punico, ſignificant verecundiam Virginum: hæc enim illarum eſt purpura. Illis enim nullus honeſtior eſt color, quàm qui à pudore naſcitur. Ita Nazianzenus Orat. aduersùs mulieres ſe ornantes: *Vnicus*, inquit, *calor in muliere amabilis eſt, nimirum rubor ille, quem pudor gignit.* Et Orat. 11. de laudibus Gorgoniæ: *Vnus*, inquit, *ille rubor placebat, quem pudor afferet; vnus candor, quem parit abſtinentia; nam pigmenta & fucos & viuas tabulas* (has quidem laruas appellat, quia fucata femina laruata eſt) *ſcenicis & triuialibus relinquebat, quibúſque probrum ac dedecus eſt erubeſcere.* Idem ſignificauit Salomon aliâ ſimilitudine turturis cap. 1. v. 10. dicens: *Pulchra ſunt genæ tuæ ſicut turturis.* Vide ibi dicta: Chriſtianæ enim fidei & Eccleſiæ, mirè ſemper cordi & curæ fuit caſtitas & Virginitas; nam qui caſtitatem ſeruat, ſeruat & fidem; qui autem à caſtitate deficit, facilè perdit & fidem. Hinc illa examina Virginum in Thebaide, Ægypto, Syriâ, Româ, Africâ, Græciâ, de quibus Palladius, Theodor. Caſſianus, Sophronius & Baron. in hiſtor. Eccleſ. Audi S. Cyprianum de habitu Virginum: *flos eſt ille Eccleſiaſtici germinis, decus, atque ornamentum gratiæ ſpiritalis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum, atque incorruptum; Dei imago reſpondens ad ſanctimoniam Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Eccleſiæ matris glorioſa fœcunditas, quantóque plus copioſa virginitas numero ſuo addit, gaudium matris augeſcit.* S. Auguſt. de S. Virgin. initio: *Chriſtus*, ait, *Virginis filius, virginum Sponſus, virginali vtero corporaliter natus, virginali connubio ſpiritaliter coniugatus. Cùm ipſa igitur vniuerſa Eccleſia virgo ſit deſponſata vni viro Chriſto, ſicut dicit Apoſtolus; Quanto digna ſunt honore membra eius, quæ hoc cuſtodiunt etiam in ipſa carne, quod tota cuſtodit in fide, quæ imitatur matrem viri & Domini ſui? Nam Eccleſia quoque & virgo & mater eſt. Cuius enim integritati conſulimus, ſi virgo non eſt? aut cuius prolem alloquimur, ſi mater non eſt? Maria corporaliter caput huius corporis peperit, Eccleſia ſpiritaliter mẽbra illius capitis parit. In vtraque virginitas fœcunditatem non impedit, in vtraque fœcunditas virginitatem non adimit. Proinde cum Eccleſia vniuerſa ſit ſancta & corpore & ſpiritu, nec tamen vniuerſa ſit corpore virgo ſed ſpiritu, quanto ſanctior eſt in his membris vbi virgo eſt & corpore & ſpiritu?*

*Caſtitas cuſtos fidei.*

Elogia virginum. Cyprian.

Auguſtin.

Idem lib. 2. de Ciuit. cap. 26. docet Romanos Virginem Deam, putà Veſtam ſuppliciter adoraſſe. S. Baſil. de Laude Virgin. hæc ei aſſignat Encomia: *Virgo, Chriſti vas animatum. Virgo, Caſtitatis imago, Virginitas ſupra naturæ legem, Virginitas hominem Deo ſimillimum facit; Virginitas vitam noſtram de corruptione ad gloriam colligit.*

Baſil.

Nazian.

Audi Nazianzenum in carmine de Laude Virginit. vbi ſparſim hæc ei dat elogia:

Nazianzen.

*Virginitatis amor mentes ad ſidera tollit.*
*Virginitas res eſt omni mirabilis æuo.*
*Virginitas magni pars inclyta Chriſti.*
*Virginitas* (Danielis) *fuluos poſuit ſopire leones.*
*Virginitas decoratur coniuge Chriſto.*
*Prima Trias Virgo.*
*Angelus alter.*

Idem

Idem in præceptis ad Virgin. Virgo inter homines eſt id, quod

*Margaris in Saxis, atque inter ſidera cæli*
*Lucifer, in Syluis frondoſæ ramus oliuæ,*
*Lilium in herboſis campis, auibuſq; columba.*

Idem in Carm. de Beatitud.

*Felix virgineus chorus eſt, qui carne repulſa,*
*Non procul à ſummo Numine purus abeſt.*

Porrò pudor hic Virginum exterior in genis prodit ex pudicitia & puritate interiori, quæ latet in anima. & hoc ſignificat: *eo abſque eo quod intrinſecus latet.* Pro quo Septuag. vertunt: *Extra taciturnitatem tui* vel *tuam.* Alij: *intra velum tuum.*

L x x.

Vnde vertunt: *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ intra velum tuum.* Symmach. *tecte operimento.* Nam Virgines, vti pudorem ſuum tueantur, velo genas & faciem obtegunt. Vnde velum hoc Virginitatis murum & vallum vocat Tertull. lib. de velandis Virginibus cap. 15. *Veſte virginitas, inquit, confugit ad velamen capitis, quaſi ad galeam, quaſi ad clypeum, qui bonum ſuum protegat aduerſus ictus tentationum, aduerſus iacula ſcandalorum, aduerſus ſuſpiciones, & ſuſurros, & æmulationem, ipſum quoque liuorem.* Et cap. 16. *Indue,* ait, *armaturam pudoris; circumduc vallum verecundiæ, murum ſexui tuo ſtrue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.* Hinc & Eccleſ. cap. 26. 19. *Gratia ſuper gratiam,* inquit, *mulier ſancta & pudorata.* Rurſum virginibus loco veli & valli ſunt clauſtra monaſteriorum, quæ ſi exactè ſeruentur, eas ab omni tentatione & periculo caſtitatis immunes præſtant, vt ſemotæ ab hominibus inſtar Angelorum, cum Deo & Chriſto Sponſo ſuo aſſiduè conuerſentur in omni quiete, ſanctitate & gaudio, vt videantur degere in Paradiſo. In clauſtro ergo abſcondita latet, ſed Deo & Angelis patet Virginum pietas, ſanctitas, oratio, charitas, virtus & vita cæleſtis: Sicut ſub fragmine, id eſt, cortice mali punici latet abſcondita granorum eius vinoſa ſuauitas, & copioſa denſitas. Denique B. Virginem genas velaſſe docet Nicephor. lib. 2. Hiſtor. cap. 23. vbi ex S. Epiphanio ita veſtes B. Virginis deſcribit: *Veſtimentis coloris natiui contenta fuit, id quod etiam nunc ſanctum capitis eius velamen oſtendit; & vt paucis dicam, in rebus eius omnibus multa diuinitùs inerat gratia.* Ita de verecundia, virginitate & cælibatu hunc locum exponunt, Iuſtus Orgelit. *Illi,* ait, *in facie Eccleſiæ decorem efficiunt, qui comitante verecundiâ caſtitatem obſeruant.* Et Aponius, qui virgines comparat Chriſto, qui c. 2. vocatur *malum*; idque, vt ipſe interpretatur, Punicum: *Quaſi malum Punicum,* inquit, *inter ſyluas, ſic Dilectus meus inter filios. Quæ arbor profert ex ſe pomum & viſione pulcherrimum, & ſapore dulciſſimum, & ſatis commodam languentibus medicinam; quia qui pro hominum ſalute per virginē mundo oſtenſus eſt, integritatis ac caſtimoniæ flores toto orbe ſparſit. Cuius pulchritudinis partem, id eſt, fragmen, virginitatem & continentiam oſtendit habere, in quibus Eccleſiæ facies intacti ſanguinis conſeruati pulcherrima demonſtratur.* Et Philo Carpath. *Per malum Punicum,* inquit, *ipſa Eccleſia & fidelis anima deſignatur: quia vt in illo multa ſuauiora grana, ſic & in Eccleſia ſinu multi fideles populi in vnitate fidei continentur: dumque multi ex his diuinæ ſeruitiæ ſeſe cæteris valentiùs aſtringunt, ac dedunt ita, vt omnia mundana contemnant, ac fugiant, voluntates ſuas abnegent, & vitia ſua omnino purgent ac lauent, ſeque depriment, cæteros extollant, dum ſuis exemplis multos Deo alunt ac parant: hi veluti mala punica tam rubra, plenaque guſtûs ſuauis, ſeſe proximis in ſalutiferum cibum aperiunt ac potum. Plura autem atque maiora ſunt, quæ in his latent quàm quæ fidelium oculis exponuntur, ob idque dixit: Præter id quod intus latet.*

Symmach.

*Velum, vallum virginitatis.*

Tertull.

Eccli. 26. 19.

Niceph.

Iuſt. Orgel.

Aponius.

Philo Carp.

Porrò quod Septuag. vertunt *extra taciturnitatem tuæ,* vel *tuam;* Theodoretus, Nyſſenus, & Pſellus cenſent commendari ſilentium, quod ſummè virgines decet: *Geminam,* inquit Pſellus hic, *protulit laudem pulchritudinis: genis enim nullus eius à purpureo modeſtiæ decore collaudatis, animæ quoque commendat pulchritudinem, vt taceam inquiens ſilentij decus animæ tuæ.* Vide dicta verſ. 1.

Pſell.

Secundò, per genas ſimiles fragmini mali Punici Caſſiod. S. Gregor. Philo & Beda accipiunt patientes & Martyres; hi enim ſuo ſanguine rubricantur inſtar corticis mali Punici, ſed fracto malo interior granorum candor apparet, quia poſt mortem miraculis coruſcant. Adde multas Virgines virginitatem ſanguine ſuo purpuraſſe. Sic & S. Ambroſius lib. 3. Hexam. verſ. 13. quem audi: *Citò florent mala granata, & fructum afferre non poſſunt, niſi congruis peritorum remediis excolantur: pleruumque ſuccus vaneſcit interior; & ſuris ſpecies eius pulchra prætenditur. Quæ non immeritò comparatur Eccleſia, vt habes in Cantico dictū; Vt cortex mali punici genæ tuæ. Et infrà: floruit vitis, floruerunt mala granata: Eccleſia enim bonum fidei fulgorem confeſſioniſque prætendit, tot Martyrum ſanguine ſpecioſa; & quod amplius eſt, Chriſti cruore dotata, ſimul plurimos ... fructus vſu ſimul pomi ſub vna ... ſeruans, & virtutum negotia multa ...*

*Genæ purpureæ ſunt Martyres.*

Ambroſ.

*Turris Dauid, quid?*



Digitized by Google

*Sapiens enim ſpiritu celat negotia.* Vrget Beda (Beda.) *rò ſicut fragmen:quia*, inquit, *quo ampliùs illam* (Eccleſiam) *frangi contigerit, eo clariùs quot virtutum grana vnius fidei tegmine complectatur, refertur. Integro quippe adhuc malo grana videri nequeunt, ſed eodem fracto, quàm ſint innumera clareſcunt.* (Martyres multiplicat perſecutio.) Verum eſt illud Prudentis:

(Prudent.)

*Martyrum ſemper numerus ſub omni*
*Grandine creuit.*

Et illud Tertull. in fine Apologetici: *Crudelitas veſtra, illecebra eſt magis ſectæ, plures efficimur, quoties metimur à vobis: ſemen eſt ſanguis Chriſtianorum.* (Tertullian.) Nam, vt docet S. Cyprian. lib. 4. Epiſt. 3: *Martyres præſtant magiſteria morum; Confeſſores initia virtutum.* (Cyprian.) Hinc S. Auguſt. explicans illud Pſal. 67. *Principes Iuda duces eorum*, hoc eſt, Martyres, inquit, Iuda enim eſt confeſſio: *Martyres namque in Eccleſiis ſummum locum tenent, atque apice ſanctæ dignitatis excellunt.* (Auguſtin.)

(Genæ ſunt prædicatores.) Tertiò, Caſſiodorus & Beda per genas accipiunt Prædicatores: quia dum, inquiunt, paſſionem Chriſti annunciant, quaſi ruborem exteriùs exhibent: cùm autem demonſtrant quanta vtilitas noſtræ redemptionis inde prouenerit; & quòd homo per paſſionem Chriſti non ſolùm iuſtificari à peccatis, ſed etiam diuinum conſortium adipiſci meruerit, quaſi candidum eſt, quod intrinſecùs latet. Malum quippe punicũ cùm frangitur, exteriùs rubor, interiùs autem candor apparet: & quoniam iſti venerabiliter agũt memoriã paſſionis Chriſti, nec erubeſcunt crucem eius, iuxta conſilium illud Apoſtoli: *Noli erubeſcere crucem Chriſti, neque me vinctum eius;* (2.Tim. 1.8.) pro rubore enim verecundiæ, qui ex proprio ſanguine in genis perfunditur, ipſi perfuſi ſunt rubore Redemptoris ſui. Hæc illi. Sic & S. Gregorius. Huc accedit verſio Chald. *Et rex*, inquit, *qui erat Princeps eorum, plenus erat præceptis ſicut malogranatum, exceptis Præpoſitis & Principibus, qui accedunt ad Regem, qui ſunt iuſti, in quibus non eſt quicquam mali.* (Chald.)

Porrò; cur Sacerdotes & Prædicatores vocantur genæ Eccleſiæ, cauſam dat S. Gregorius, 13. Mor. cap. 11. dicens: *Facies quippe S. Eccleſiæ ſunt qui in locis Regiminis poſiti apparent primi, vt ex eorum ſpecie ſit honor populi, etiamſi quid in corpore lateat deforme.* (Gregor.) Vnde colligit quàm turpe ſit, ſi ipſi ſuis prauis moribus Eccleſiam dehoneſtent, quàmque peccent, qui illis detrahunt & infamiam afflant. Sacerdotum ergo honor & decor, perinde ac dedecus & inhonoratio, totius Eccleſiæ eſt decus vel dedecus.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

PEr genas ſimiles fragmini mali Punici primò ſignificatur verecundia, (Genæ notãt 1. Pudorem.) continentia, temperantia, grauitas & auſteritas animæ ſanctæ. Primò, quia, vt ait Nyſſen. hom. 7. ſicut cortex mali punici conſeruat & nutrit dulcedinem fructus, qui in ipſo continetur: Sic continens, auſtera & aſpera vita cuſtos eſt bonorum temperantiæ. Sic & tres Anonymi apud Theodor. quos audi: *Cortici mali Punici ſimiles ſunt genæ tuæ, vt ſeueritatis amantes atque ab omni diſſolutione remota, quando etiam non taces: Licet in congreſſibus mutuiſque ſermonibus iucunditas ineſſe ſoleat: tu tamen propter tuam in illis temperantiam, quod profuſum ac diſſolutum eſt, reprimis.* (3. Patres.)

Secundò, S. Anſelmus accipit ſanctos, qui perſecutiones patiuntur; (2. Patientiam.) quia inquit, inſtar talis fragminis, quod exteriùs rubrum eſt, interiùs vero cãdidum, exteriùs triti ſunt multis perſecutionibus, & ſunt viles mundo, interiùs verò cogniti inueniuntur candidi. Per verba illa: *abſque eo quod intrinſecus latet*, intentio commendatur, quæ longè pulchrior eſt. Hæc Anſelmus.

Huc accedit Richard. de S. Victore, qui per genarum ruborem accipit animam, quæ erubeſcere non recuſat pro Chriſto, ſed libenter pro eo opprobria, ignominias, pauperiem, dolores & labores ſuffert; quia hæc omnia tantùm fragmen ſunt, exigua portio, ſi cum opprobriis & doloribus Chriſti comparentur. Chriſtus ergo fuit integrum malum Punicum, quia totus in pœna rubuit, nec vnquam fuit dolor ſicut dolor eius. Tales ergo, iuxta ſanctionem Chriſti, percutienti vnam maxillam intrepidè porrigunt alteram. Matth. 5. 39. Illuſtre exemplum eſt in S. Sothere nobili Virgine & Martyre, (Exemplum S. Sotheræ.) quam mirè celebrat S. Ambroſ. lib. 3. de Virgin. *Sotheris*, inquit, *perſecutionis ætate, ſeruilibus quoque contumeliis ad faſtigium paſſionis euecta, etiam vultum ipſum; qui inter cruciatus totius corporis liber eſſe conſueuit iniuriæ, & ſpectare potiùs tormenta, quàm perpeti, carnifici dedit: tam fortis & patiens, vt cùm teneras pœnæ offerret genas, priùs carnifex cædendo deficeret, quàm Martyr iniuriæ cederet. Non vultum inflexit, non ora conuertit; non gemitum, non lacrymam dedit:* (Ambroſ.)

*dedit: Denique cùm cætera pœnarum genera viciſſet, gladium, quem quærebat, inuenit.*

Et exhort. ad Virg. *At nan Satheris vultus ſui curam gerebat, quæ cùm eſſet decora facie valde, & nobilis virga maiorum proſapiâ, conſulatus & præfecturas parentum ſacrâ poſthabuit fide, & immolare iuſſa non acquieuit. Quam perſecutor immanis palmis cædi præcepit, vt tenera virgo dolori cederet aut pudori. At illa vbi audiuit hanc vocem, vultum aperuit, ſoli inuelata atque intecta martyrio & volens iniuria occurrit vultum offerens, vt ibi martyrij fieret ſacrificium, vbi ſolet eſſe tentamentum pudoris. Gaudebat enim diſpendio pulchritudinis, periculum integritatis auferri. Sed illi potuerunt quidem vultum eius vulnerum vibicibus exarare; faciem tamen virtutis eius, & gratiam decoris interni nequaquam exarare potuerunt.*

3. *Pudorem de peccatis.* Tertiò, idem Richard. per genas rubras accipit erubeſcentiam de peccatis, quæ tegitur cortice humilitatis, non integro, ſed fragmine; quia etſi pœnitens eam celare conetur, per rimas tamen & fragmina ſe prodit, & foras erumpit.

4. *Eleemoſynam ſecretam.* Denique S. Chryſoſt. hom. 8 ex variis in Matth. locis, putat hîc notari eleemoſynam ſecretò faciendam: *Huius*, inquit, *fidelis operis eleemoſynæ, ſub religioſæ taciturnitatis ſilentio, Salomon Eccleſiam collaudans, olim proteſtatus eſt dicens: ſpecioſæ ſunt genæ tuæ ſicut turturis, propter taciturnitatem tuam, hanc ſcilicet taciturnitatem, de qua ait Dominus: neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.* Malogranatum enim proprium eſt ſymbolum charitatis, cuius cortex repræſentat beneficentiam externam, pulpa granorum amorem internum. De quo inferiùs plura. Chryſoſt.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

APonius per duas genas cenſet notari duas Marias, quæ fuêre Principes Virginum. Prior eſt Maria ſoror Moſi in veteri teſtamento, altera eſt B. Virgo in nouo, quæ primę cœperunt, inquit, Sponſæ Eccleſiæ genas mirandas efficere, integritatem ſeruando, atque Beata Virgo velut cortex nobiliſſimum fructum, putà Chriſtum intra ſe continuit. Virginitas enim eius non fuit ſterilis, ſed fœcunda, vti initio ex S. Auguſt. dixi.

Pleniùs Rupertus: *fragmen mali punici*, inquit, *& rubet, & ampliùs quàm integrum malum redolet. Sic tu & ſingulariter verecunda es, & multis per bonam opinionem in bono exemplo proficies. Quid autem eſt dicere: abſque eo quod intrinſecùs latet, niſi ac ſi diceret, & illud, quod intùs in conſcientia latet, amplius laudabile eſt? O verè laudabilis verecundia, vbi & intùs conſcientia munda, & foris facies verecunda eſt. Nam vbi eſt aliquid, quo mens erubeſcat, non adeò laudabile eſt, ſi conſpectam faciem rubor perfundat. Igitur tua verecundia quid eſt, niſi religioſitas ſumma? Et hæc virtus ſine dubio malo Punico debuit aſſimilari, quia gratioſa eſt intuentium oculis, & interdum ſuo ſilentio non minus ædificat, quàm ſermo prædicationis* Rupert. Addit Rupertus id repræſentatum fuiſſe in veſte Pontificis, in qua mala punica mixta erant tintinnabulis. Exodi 28. *Malum* quippe *Punicum in medio tintinnabulorum, religioſum atque operoſum eſt ſilentium, maximè ſexus feminei in ſocietate fidei vel doctrinæ prædicatorum, qualis tu præcipuè fuiſti virgo virginum in adiutorio, vel etiam regimine prædicantium Apoſtolorum, cuius etſi verba non leguntur, vel audiuntur, vbi prædicauerunt: opera tamen vel merita non ignorantur, non minora, imò maiora tinnitu prædicatorum.* Rupert.

---

Verſ. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*

SEPTVAGINTA: *Omnia iacula potentium.* Moris enim erat olim, vt principes ex turribus clypeos & arma ſuſpenderent, tum ad ornatum, tum ad fortitudinem. Salomon eadem depoſuit in domo ſaltus Libani. 3. Reg. 10. 16. Id planè teſtatur Ezechiel c. 27. vbi de Præſidiariis Tyri agens: *Perſæ*, inquit, *& Lydij & Libyes erant in exercitu tuo, viri bellatores tui, clypeum & galeam ſuſpenderunt in te pro ornatu tuo. Filij Aradij cum exercitu tuo erant ſuper muros tuos in circuitu tuo; ſed & Pigmæi, qui erant in turribus tuis, pharetras ſuas ſuſpenderunt in muris tuis per gyrum.* Idem fecêre Gentiles, vti liquet ex illo Virgil. Æneid. 1. *Clypei & arma è turribus olim ſuſpenſa.* Ezechiel. 27. 10.

*Aut Capyn, aut celſis in puppibus arma Caiti.* Virgil.

Et lib. 10.

*Pacem orare manu, prætendere puppibus arma.*

vbi idipſum docet Seruius.

Turris Dauid, vel eſt arx Sion, vt vult Rupert. quam Dauid Iebuſæis eripuit, regníque caput conſtituit; vel potiùs altior, pulchrior & fortior illa Turris, *Turris Dauid, quid?*

quam

quam Dauid ædificauit iuxta arcem Siō, vt illam à parte Mello, ſiue Tyropæi, æquè ac ſubiectam illi Vrbem Ieruſalem communiret, vti ſatis indicatur 2. Reg. 5.9. Vnde Adrichom.in deſcript.Ieruſalem num. 170. Turris Dauid, inquit, munita & excelſa valde, quæ in duarum voraginum angulo, in præruptæ rupis colle, ex quadris lapidibus ferro & plumbo indiſſolubiliter compactis, à Dauide rege conſtructa erat, cuius ſingularis fortitudo, & egregia pulchritudo ad commendationem Sponſæ Chriſti, quæ eſt Eccleſia, producitur à Salomone, cùm dicitur: *Sicut turris Dauid collum tuum.* Eandem deinde Adrichom. in imagine Ieruſalem oculis ſpectandam exhibet iuxta portam piſcium vnâ ex parte, & ex altera iuxta ſepulchrum Dauidis & Regum Iuda. Sic & Brocard. cap. 7. num. 43. Vilhelmus Tyrius lib. 9. belli ſacri cap. 3. quin & illius meminiſſe videtur Eſdras lib. 2. cap. 3. 25. vbi eam vocat turrim, quæ eminet de domo regis excelſam. Addit Genebr. hanc eſſe turrim, de qua ait Michæas cap. 4. 8. *Turris* Mich. 4. 8. *gregis nebuloſa filia Sion*; ſed quænam ſit illa, ibidem dixi.

Huic ergo turri comparat collum Sponſæ, quia illius ad inſtar erat procerum, rotundum, robuſtum & validum. Fortè etiam turris hæc colli ſpeciem referebat; nam arci Sion ſuberat, ceu collum capiti; ciuitati verò Ieruſalem, quæ filia Sion dicitur, eminebat, ceu collum cæteris membris ſibi ſubiectis: Vnde S. Ambroſius in Pſal. 118. Octon. 4 verſ. 1.

Ambroſ. *Condidit turrim illam Dauid, & ſuper murorum ædificauit excelſa, vt ſubſidio pariter & decori ſit: ſubſidio, quia hoſtem præuidet & expellit: decori, quia non ſolùm inter humilia, ſed etiam inter excelſa ſupereminet.* Quare minùs præcisè R. Salomon, Luyſius, Sottomaior, Delrio, & alij per collum accipiunt totam corporis Sponſæ ſtaturam erectam. q. d. Sicut turris Dauid præſtat cæteris turribus; ſic tu, ô Sponſa, cæteras feminas procerâ & pulchrâ ſtaturâ tranſcendis.

Talpiíoth quid? Reſp. 1. Pro *cum propugnaculis* Hebr. eſt לְתַלְפִּיּוֹת *letalpiíoth*, quod varij variè vertunt. Primò, Septuag. & eos ſecutus Syrus, & Arabicus nomen Hebræum quaſi proprium loci retinentes, vertunt, *in Talpioth*. Septuag. ſequitur S. Ambroſ. in Pſal. 118. ſerm. 4.

2. Secundò, R. Salomon & Aben Ezra *talpiíoth* deriuantes ab אָלַף *alaph*, quod in Piel ſignificat docere, vertunt, *doctrinam & monumenta*, eo quòd turris illa, ceu pharus nauigantibus portum, viam tranſeuntibus in Vrbem oſtenderet. Hinc Tigur. vertit, *ad vſum dirigendi homines*: ſic Tigur. enim Eccleſia indicat fidelibus iter in cælum, vti explicat Vatabl. aut quòd inſigni opere artéque conſtructa, doceret modum turris arcíſque conſtruendæ, eiúſque ideam & formam intuentibus exhiberet; aut quòd in ea eſſent monumenta eorum, qui heroïcum quid perpetraſſent, vti teſtatur Philo legatione ad Caium.

Tertiò, Marinus in Lexico *talpiíoth* 3. deriuat à תֵּל *tel* & פִּיּוֹת *piyoth*, id eſt; *cumulus* vel *aceruus orum*, quod eſt plurale ab os oris. Significat ergo ædificia maxima ex lapidibus exciſis eo modo fabrefacta, quod vulgò Italicè dicitur, *fatti à diamanti*, id eſt, figura adamantina, quæ eſt, vt lapides quadrentur eo modo, vt in aciē & conum deſinant, itáque ictibus tormentorum non pateant, ſed eos lateraliter eludant & reſpuant, qualia ſunt fundamentum Palatij S. Marci Venetiis, & Palatium Card. Eſtenſis Ferrariæ.

Quartò, alij apud Pagninum *talpiíoth* 4. interpretantur lapides turris, exciſos ad ſimilitudinem oris.

Quintò, Quinquarboreus *talpioth* di- 5. ctum putat, quaſi לִתְלוֹת פִּיּוֹת *lithloth piíoth*, id ad, *ad ſuſpendēdum ora*, id eſt, acies gladiorum, putà ipſos gladios, quaſi fuerint in turri eminentes vnci, ex quibus penderent gladij, iuxta id, quod ſequitur: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Atque hæe etiam propugnacula, vt vertit Noſter, nuncupari poſſunt.

Sextò, & optimè, Noſter vertit *cum* 6. *propugnaculis*, Nam & Aquila vertit εἰς ἐπάλξεις, id eſt *in propugnacula, pinnas*, ſeu *faſtigia* Et Symmach. vertit εἰς ὕψη, id eſt, *in altitudines* ait Theod. Pinnæ enim turrim muniunt, ac oris formam exhibent. Genuinè. Alij apud Pagnin. *talpioth*, deriuant à תֵּל *tel* id eſt forte, eleuatum, altum & פִּיּוֹת *piíoth*, id eſt orum; quod rectè conuenit pinnis, inter quas medij hiatus, vel fiſſuræ quaſi ora interiacent. Alij per ora intelligunt duas voragines, inter quas ſita erat turris Dauid, vti dixi ex Adrichomio. Accedit Nyſſen. hom. 7. qui Hebr. *talpioth*, quod retinent Septuag, interpretatur *propugnacula*, ſiue hæc pinnæ fuerint, ſiue muri, ſiue quid aliud.

Pro *mille clypei*, vt habent Hebr. S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 4. legit *mille oſtia*, ſed videtur mendoſum habuiſſe codicem, ac legiſſe θύρας, id eſt, *oſtia*, cùm Septuag.

Septuag. legant θυρεοὺς, id eſt, *ſcuta*, quæ ſic dicta ſunt, quòd lata ſint & ſimilia oſtiis.

*Clypeus bellicæ fortitudinis inſigne.*

Porrò clypeus inſigne eſt bellicæ fortitudinis: Vnde clypeo Agamemnonis, teſte Pauſaniâ, inſculptus erat leo cum hoc lemma

*Terror hic eſt hominum, quique hunc gerit, eſt Agammenon.*

Pro *armatura* Hebr. eſt שלטי *ſcilte*, quod alibi Noſter & alij vertunt, *peltam* vel *ſcutum*. Vnde & Germanicè *ſcilt* idem eſt quod ſcutum. Quia tamen hîc præceſſit clypeus, meliùs vertit Noſter *armatura*. Nam & Septuag. vertunt βολίδας, id eſt, iacula, vel miſſilia: hiſce enim milites שלטו

*Sultani vnde dicti?*

*ſcaletu*, id eſt, dominantur hoſtibus. Syrus verò vertit: *Omnes principes potentes*. A שלט *ſchalat* enim, id eſt *dominari* dicti ſunt *Sultani*, id eſt principes latè dominantes.

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

SAlomon cap. 1. verſ. 10. collnm Sponſæ comparauit monilibus. Vnde ibi per collum notauit obedientiam Eccleſiæ; hîc verò collum comparat turri Dauid ſpecioſæ æquè ac munitæ. Quocirca hîc per collum, inquit Titelman. notat Eccleſiæ inuictum robur, fortitudinem & conſtantiam, quâ & tyrannis & hæreticis, & perſecutoribus omnibus fortiſſimè reſtitit, imò omnes ſuperauit & ſubiugault. Robur enim boum, equorum & animalium conſiſtit in ceruice & collo.

*Collum roboris & audaciæ ſymbolum.*

Collum ergo ſymbolum eſt roboris, item confidentiæ, animoſitatis & audaciæ, vnde illud Pſal. 29. *Dominus concidet ceruices peccatorum*. Et illud Iſaiæ 3. *filiæ Sion ambulauerunt extento collo*. Et illud Horatij Epiſt. 13.

*Pſalm. 29.*
*Iſai. 3.*
*Horat.*

*Indomitâ ceruice feros.*

*Cicero.*

Et illud Ciceronis de Nat. Deorum *Impoſuiſti in ceruicibus noſtris ſempiternum dominium*. Ita Philo Carpath. & ex eo Delrio: Collnm, inqtiit, Eccleſiæ eſt columna fidei, quæ Eccleſiam Chriſto capiti coniungit; hæc ſimilis eſt turri Dauid, ex qua pendent plurimi clypei, & arma, quæ illam ornant & decorant, vti collum ornant torques & monilia. Hinc Apoſtolus 1. Timoth. 3. Eccleſiam vocat columnam & firmamentum veritatis: columna enim ſimilis eſt turri, imò ſubinde reuera eſt turris, quales Romæ ſunt columnæ Traiani & Antonini Imperatorum, hæ enim tam latæ ſunt, vt ſex viri vix brachiis eas amplecti valeant, atque interiùs concauæ ſunt, adeóque amplæ, vt per cochleam & gradus, velut in turri, ab imo in ſummum ſcandatur.

*Collum ſunt Pontifices Cur?*

Ruſum, per collum & turrim notantur Præſules, Doctores, Pontifices, (qui vocantur Epiſcopi, id eſt, ſpeculatores è turribus) qui ſemper in bello ſunt pro defenſione S. Eccleſiæ pugnantes, ait Caſſiodorus, ac præſertim Pontifex Romanus Chriſti Vicarius, quia ſicut collum medium eſt inter caput & membra, illa capiti connectens; atque ſicut caput per collum ſpiritus & vitam in membra influit, cibúmque in ſtomachum traiicit: Sic Pontifex medius quaſi eſt inter Chriſtum & cæteros fideles, ac Chriſtus, ceu caput, per Pontificem ceu collum, ſuam doctrinam, regimen, robur & ſpiritum in fideles deriuat, illos Chriſto connectens. Hoc eſt, quod Chriſtus S. Petro eiúſque ſucceſſoribus promiſit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſùs eam: Et tibi dabo claues regni cælorum*. Matth. 16. 18. Et: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides, tua & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*. Lucæ 22. 32. Hinc & S. Paulus S. Petrum, Iacobum, & Ioannem velut Apoſtolos & Præſules, vocat columnas Eccleſiæ. Galat. 2. 9. In iis ergo eſt *talpioth*, id eſt, vera doctrina, monumenta priſcæ fidei, ſummæ poteſtatis ſublimitas, & ſuſpenſio orum, quia ab iis fideles cæteri pendent, & hianti quaſi ore cibum animæ ſpiritalem expectant. Inuicta ergo fides Eccleſiæ nititur inuictâ fide S. Petri, & Succeſſorum eius Rom. Pontificum, qui proinde ſemper illibati in orthodoxa fide à Chriſto hucuſque perſtiterunt, atque omnes hæreſes Arrij, Macedonij, Eutychetis, Pelagij, Priſcilliani, Estheri, Caluini, &c. damnarunt & profligarunts quin & tam erectâ ceruice reſtiterunt Neroni, Decio, Diocletiano, cæteríſque tyrannis, vt eam ſibi recidi maluerint, quàm fidem Chriſti non prædicare, ſed perdere aut prodere. Vnde primi Pontifices à S. Petro vſque ad S. Sylueſtrum, per trecentos annos penè omnes fuêre Martyres. Quocirca Noſter Alcazar in Alluſionibus ad Apocalypſin lib. 3. vbi totum hoc caput 4. Cant. explicat de laudibus Eccleſiæ Romanæ antiquæ, per turrim, clypeos, & propugnacula, cenſet denotari Martyrum victoriam, & miniſtrorum Euangelij admirabilem in perſecutionibus ſanctitatem. Audi S. Gregorium qui hæc de prædicatoribus

*Mat. 16. 18.*
*Luc. 22. 32.*

catoribus accipit : Nam & Pontifices præcones ſunt Euangelij, illúdque vel per ſe, vel per ſacerdotes à ſe ordinatos & miſſos, vbique prædicant & propagant : *Benè ſicut turris Dauid collum ſanctæ Eccleſia dicitur, quia ſancti Prædicatores procul venientes hoſtes ſanctæ Eccleſiæ ſpeculantur, & fortiter reſiſtunt, ſi quid in Eccleſia lædere conantur, & liberè terrena deſpicientes, cæleſtia contemplantur. Collum ergo propter hoſtium ſpeculationem, turris verò dicuntur propter fortitudinem, & propter excelſam cæleſtium gaudiorum contemplationem.* Deinde cætera ita ex ordine proſequitur : *Quæ turris rectè Dauid eſſe dicitur : quia Dauid, manu fortis, interpretatur, per quod Chriſtus ſignificatur, cuius eſt quicquid forte & excelſum operatur. De qua ſubditur : Quæ ædificata eſt cum propugnaculis : Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Cum propugnaculis turris Dauid ædificata dicitur, quia ſancti prædicatores contrà aduerſarios homines, ſi neceſſe ſit, miraculis armantur. Contra vitia autem ſe clypeis muniunt, quia ne ſpiritalibus hoſtibus ſuccumbant, virtutibus ſeſe defendunt. In quibus omnis armatura fortium pendet : quia quiſquis hoſtium cuneis fortiter reſiſtere vult, in eis exempla videt, quibus armatus, hoſtes ſtrenuè valet ſuperare. Mille autem hic pro perfectione ponitur; quia in millenario numero omnes numeri perfecti complentur.* Sedes ergo Apoſtolica eſt quaſi pharus Eccleſiæ, vt ex ea nauigantes in hoc vitæ pelago veram Eccleſiam, quæ ſuos fideles ad Deum & felicitatem ducit, agnoſcant : propugnacula eius, item clypei & omnium armorum panoplia, ſunt diuinæ Scripturæ, ait Theodoret. Caſſiodor. Beda & alij. Item Traditiones Apoſtolorum & ſucceſſorum, Decreta Conciliorum, Patrum teſtimonia & exempla, conſenſus omnium ſæculorum, doctrinæ puritas & ſtabilitas, cæteráque argumenta, quæ Bellarminus & alij pro auctoritate Pontificis & notis Eccleſiæ aſſerunt.

*Gregor.* (margin, beside "Eccleſia dicitur")

Nonnulli per mille clypeos accipiunt multorum Angelorũ præſidium & tutelam, qui Pontificem & Eccleſiam tuentur. Item omnia diuinæ defenſionis præſidia, ait Caſſiodor. Item ſanctorum exempla. Inſuper crucem Chriſti, ait Aponius. Quare ſicut collum inhæret capiti, ab eóque omne ſuum robur haurit; ſic Prælatus & Pontifex inhæreat Chriſto, illíque familiaris ſit per orationem, vt ab eo prudentiam & vires docendi, regendíque hauriat. Nam vt ait Paulus Hebr. 5. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum.* Et Moſes Deuter. 5. 5. *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo, vt annunciarem vobis verba eius, timuiſtis enim ignem, & non aſcendiſtis in montem.* Quocirca Moſes in dubiis adibat tabernaculum, & Deum conſulebat, & ab eo, quid agendum eſſet, edocebatur.

*Hebr. 5. 1.* (margin) — *Deuter. 5. 5.* (margin)

Audi S. Gregorium 2. parte Paſtor. cap. 5. *Sit Rector ſingulis compaſſione proximus, præ cunctis contemplatione ſuſpenſus : vt & per pietatis viſcera in ſe infirmitatem cæterorum transferat, & per ſpeculationis altitudinem ſemetipſum quoque inuiſibilia appetendo tranſcendat, ne aut alta petens proximorum infirma deſpiciat, aut infirmis proximorum congruens appetere alta derelinquat.* Et cap. 6. *Sit rector bene agentibus per humilitatem ſocius, contra delinquentium vitia per zelum iuſtitiæ erectus, vt & bonis in nullo ſe præferat, & cùm prauorum culpa exigit, poteſtatem protinùs ſui prioratus agnoſcat; quatenùs & honore ſuppreſſo æqualem ſe ſubditis benè viuentibus deputet, & erga peruerſos iura rectitudinis exercere non formidet.* Ita per collum & turrim Dauid Præſules & Doctores Eccleſiæ intelligunt Caſſiodor. S. Gregorius Nyſſen. Philo, Pſellus, Beda, Aponius, Anſelmus, & Richard. de S. Victore. Hinc & Chald. vertit : *Et princeps Scholæ, qui erat magiſter tuus fortis in iuſtitia, & magiſter operum bonorum, ſicut Dauid Rex Iſraël, & per verbum oris eius ædificatum eſt ſæculum & in doctrina legis, in qua laborabat, confidebat populus domus Iſraël, & vincebat in bello, quaſi eſſent tenentes manibus ſuis omnia genera armorum fortium.*

*Gregor.* (margin) — *Chald.* (margin)

Porrò Nyſſenus exemplum dat S. Paulum : *Tale collum*, inquit, *erat Paulus, qui portauit quidem nomen Domini, factus Domino vas electionis, & ei à Deo accuratè adaptatum fuit caput, vt & quæcumque diceret, non ampliùs eſſet ipſe loquens, ſed caput eius loqueretur, prout indicauit Corinthiis, Chriſtum eſſe, qui in ſe loquebatur, & qui Spiritu verbum dirigebat veritatis. Ita diuinis illis eloquiis omnino dulces ſiebant fauces, vt qui per ſe totum nutriret corpus diuinis illis documentis.*

*Nyſſen.* (margin)

Symbolicè Iuſtus Orgelitan. & S. Gregorius, homil. 15. in Ezech. per turrim Dauid accipiunt S. Scripturam, ex qua petitur armorum panoplia ad debellandos omnes errores & prauos mores.

SECVN

Digitized by Google

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

Collum animæ eſt Oratio. COllum myſticum animæ Sanctæ eſt Oratio. ita Theod. & tres Anonymi apud Theodoretum, idque appoſitè.
1. Primò, quia ſicut collum erigitur in altum, ſic Oratio mentem à terra ſuſtollit ad Deum in cælum. In ea ergo eſt *talpioth*, id eſt ſuſpenſio oris & mentis, ſiue animi ſublimitas & eleuatio in Deum.

2. Secundò, ſicut per collum ſpiritus attrahitur ad interiora refrigeranda & roboranda, ſic per orationem attrahimus ſpiritum Dei, qui æſtus concupiſcentiæ refrigerat, mentémque animat & corroborat. Vnde Pſaltes: *Os meum* Pſalm 118 v. 131. *aperui & attraxi ſpiritum* Pſalm. 118.

3. Tertiò, ſicut turris Vrbem communit, ſic Oratio animam: & ſicut turris ſuis vallatur propugnaculis, clypeis & armis tam defenſiuis, quàm offenſiuis: ſic orationis propugnacula ſunt virtutes, quæ illam tuentur & hoſti vulnus infligunt, quales ſunt conſtantia & fortitudo: clypei verò ſunt, quæ hoſtis iacula illæsè excipiunt & repellunt, qualis eſt humilitas & patientia. Denique in ea omnis eſt armatura fortium, id eſt, omne armorum genus, putà omnis gratiarum & remediorum ſpecies, quas Deus orantibus ſuggerit, vt iis roborati & fortes effecti, hoſtes quoſlibet non tantùm repellant, ſed & propellant ac debellent. Quocirca Caſſianus, Climacus, Oratio contra tentationes efficaciſſimum remedium. Sophronius, & alij contra omnes tentationes carnis, mundi & dæmonum efficaciſſimum remedium eſſe orationem, vnanimiter & conſtanter docent. Vis exempla? accipe. Ex hac orationis turri Eſther contra Aſſueri potentiam & edictum: Ex hac, Iudith contra Aſſyriorum ducem Holophernem, & ex hac innumeri alij; ex hac tandem Chriſtus ad durum mortis certamen armatus proceſſit.

*Hac muniti* Machabæi numero pauci, glorioſas de innumeris hoſtium copiis victorias reportarunt, quam cùm non dicuntur præmiſiſſe, grauem ab hoſtibus plagam accepère, primùm lib. 1. cap. 6. ab Antiocho Eupatore: iterum ibidem cap. 8. vbi Iudas Machabæus extinctus fuit. Ita Sanchez.

Collum eſt Conſtantia. Secundò, S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 4. v. 1. per collum turritum accipit Animæ ſanctæ conſtantiam & celſitudinem: *Erecta*, inquit, *ad Deum ceruix, & iugo Chriſti habilis, quæ nullâ in terrarum illecebras inflexione curuetur, ſicut Chriſti regalis eſt turris, cui iugum ſuum Nabuchodonoſor* Ambroſ. *non poſſit imponere: condidit enim turrim illam Dauid ille manu fortis, & ſupra murorum ædificauit excelſa, vt ſubſidio pariter & decori ſit: ſubſidio, quia hoſtem præuidet & repellit; decori, quia non ſolùm inter humilia, ſed etiam inter excelſa ſupereminet. Ita tamen ſubſidio vel decori, ſi habeat in ſe verbi dogmata, velut quadam phalerarum monilia, habeat etiam iacula potentium prophetarum, quæ aduersùs omnem extollentem ſe altitudinem lacertis quibuſdam fidei diriguntur.* Huc accedit Theodoretus, qui per collum turritum accipit mentem, vel rationem, quæ excelſa & cæleſtia contemplatur, cuius clypei & panoplia ſunt Prophetæ & Apoſtoli. Et clariùs Tres Anonymi apud Theodoretum: *Sicut turris*, inquiunt, *Dauid eſt interior mentis tuæ, tum in actione, tum in con-* 3. Patres. *templatione maximè præſtantis ratio, quæ per virtutem diuinis mandatis ædificata eſt ſuper propugnacula, id eſt, ſuper aduerſarij tentationes: tollitur autem per ſcientiam in altitudinem contemplationis. Dauid enim ſignificat manu ſtrenuus, & acer viſu. Id verò quod dictum: Quæ ædificata eſt in* Talpioth; *Aquila quidem vertit: Super propugnacula. Symmachus autem in altitudine: Quapropter ſignificatur Sponſa rationem actione quidem hoſtis conſilia ſuperare: contemplatione verò tolli ad vera cognitionis ſublimitatem.*

Tertiò, Ioannes Carmelita per col- *Collum eſt charitas.* lum & turrim accipit charitatem. Nam primò, inquit, ſicut collum excelſum 1. eſt, ſic charitas omnium virtutum celſiſſima eſt & in Deum erectiſſima. Secundò, ſicut collum ſuſtinet caput, illúd- 2. que membris connectit; ita charitas Chriſtum animæ vnit & vincit, adeò vt Chriſtus cæterarum virtutum nexibus, niſi vnius charitatis vinculo animæ non alligetur. Tertiò, ſicut collum habet ar- 3. teriam, per quam ſpiritus in viſcera admittitur & influit; ſic charitas habet gratiam per quam ſpiritum ex cælo haurit & attrahit. Quartò, ſicut collũ habet 4. fauces quibus cibus traiicitur in ſtomachum: ſic charitas myſticas pandit fauces. Nam ſemper eſurit nullúmque laboris genus detrectat, ſed ardua quæque, velut ignis vehemens iniecta ligna conſumit. Quintò, collum humeris emi- 5. net, iiſque onera baiulat; ſic charitas latos habet humeros, quibus mores difficiles proximorum, iniurias, perſecutiones, tribulationes, omniáque huius vitæ onera

lapide ſuperiori, qui catillus dicitur, ſit diuiſus, & quaſi diffractus. Quocirca Philo Carpath. hoc loco legit: *Sicut mali corium malum tuum propter id quod in te latet.*

Phil. Carp.

Hinc *genæ* Græcè dicuntur μῆλα, id eſt, *poma*, quòd pomis Punicis ſint ſimiles, ait Nyſſen. quia mali orbiculati inſtar exuberant, ait Pollux.

*Abſque eo quod intrinſecus latet.* Maior enim eſt pudor & pudicitia interna, quã inde prodiens rubor & pudor genarum externus. Simile de oculis dixit verſ. 1. Vide ibi dicta. Sicut enim oculorum, ſic & genarum decor, vigórque manat à corde & à mente.

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & eccleſia.*

*Genæ purpureæ notant virgines.*

GEnæ inſtar fragminis mali Punici purpureæ notant pudorem, caſtitatem, & Virginitatem Eccleſiæ, tum literalem, qualis eſt in Virginibus, tum myſticam, quæ conſiſtit in illibata caſtâque fide, ſpe, & charitate, qualis eſt in omnibus fidelibus, vti mox dicam ex S. Auguſtino: Virgines enim Eccleſiæ decus & decorem repræſentant, ſicut genæ decorem faciei, totiúſque hominis. Quocirca Virginitas & cælibatus in primitiua Eccleſia mirè floruit, quia Apoſtoli eam impensè fidelibus commendabant, imò pro ea tuenda martyrium ſubière S. Petrus, S. Paulus, S. Ioannes, S. Matthæus, S. Clemens plurimique alij Eccleſiæ primores, vti alibi dixi. Hinc & Patres penè omnes integris libris elogia Virginitatis ampliſſimè ſcripsêre, vt S. Baſilius, S. Ambroſius, S. Auguſtinus, S. Hieronymus, S. Athanaſius, Tertullianus, S. Cyprianus, S. Chryſoſtomus, S. Gregorius Nazianz. Genæ ergo purpureæ ſimiles malo Punico, ſignificant verecundiam Virginum: hæc enim illarum eſt purpura. Illis enim nullus honeſtior eſt color, quàm qui à pudore naſcitur. Ita Nazianzenus Orat. aduersùs mulieres ſe ornantes: *Vnicus*, inquit, *color in muliere amabilis eſt, nimirum rubor ille, quem pudor gignit.* Et Orat. 11. de laudibus Gorgoniæ: *Vnus*, inquit, *ille rubor placebat, quem pudor afferit; vnus candor, quem parit abſtinentia; nam pigmenta & fucos & viuas tabulas* (has quidem laruas appellat, quia fucata femina laruata eſt) *ſcenicis & triuialibus relinquebat, quibúſque probrum ac dedecus eſt erubeſcere.* Idem ſignificauit Salomon aliâ ſimilitudine turturis cap. 1. v. 10. dicens: *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis.* Vide ibi dicta: Chriſtianæ enim fidei & Eccleſiæ, mire ſemper cordi & curæ fuit caſtitas & Virginitas; nam qui caſtitatem ſeruat, ſeruat & fidem; qui autem à caſtitate deficit, facilè perdit & fidem. Hinc illa examina Virginum in Thebaide, Ægypto, Syriâ, Româ, Africâ, Græciâ, de quibus Palladius, Theodor. Caſſianus, Sophronius & Baron. in hiſtor. Eccleſ. Audi S. Cyprianum de habitu Virginum: *flos eſt ille Eccleſiaſtici germinis, decus, atque ornamentum gratiæ ſpiritalis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum, atque incorruptum, Dei imago reſpondens ad ſanctimoniam Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Eccleſiæ matris glorioſa fœcunditas, quantóque plus copioſa virginitas numero ſuo addit, gaudium matris augeſcit.* S. Auguſt. de S. Virgin. initio: *Chriſtus*, ait, *Virginis filius, virginum Sponſus, virginali vtero corporaliter natus, virginali connubio ſpiritaliter coniugatus. Cùm ipſa igitur vniuerſa Eccleſia virgo ſit deſponſata vni viro Chriſto, ſicut dicit Apoſtolus; Quanto digna ſunt honore membra eius, quæ hoc cuſtodiunt etiam in ipſa carne, quod tota cuſtodit in fide, quæ imitatur matrem viri & Domini ſui? Nam Eccleſia quoque & virgo & mater eſt. Cuius enim integritati conſulimus, ſi virgo non eſt? aut cuius prolem alloquimur, ſi mater non eſt? Maria corporaliter caput huius corporis peperit, Eccleſia ſpiritaliter mēbra illius capitis parit. In vtraque virginitas fœcunditatem non impedit, in vtraque fœcunditas virginitatem non adimit. Proinde cum Eccleſia vniuerſa ſit ſancta & corpore & ſpiritu, nec tamen vniuerſa ſit corpore virgo ſed ſpiritu, quanto ſanctior eſt in his membris vbi virgo eſt & corpore & ſpiritu?*

*Caſtitas cuſtos fidei.*

*Elogia virginum.*

Cyprian.

Auguſtin.

Nazian.

Idem lib. 2. de Ciuit. cap. 26. docet Romanos Virginem Deam, putà Veſtam suppliciter adoraſſe. S. Baſil. de Laude Virgin. hæc ei aſſignat Encomia: *Virgo, Chriſti vas animatum. Virgo, Caſtitatis imago, Virginitas ſupra naturæ legem, Virginitas hominem Deo ſimillimum facit; Virginitas vitam noſtram de corruptione ad gloriam colligit.*

Baſil.

Audi Nazianzenum in carmine de Laude Virginit. vbi ſparſim hæc ei dat elogia:

*Virginitatis amor mentes ad ſidera tollit.*
*Virginitas res eſt omni mirabilis æuo.*
*Virginitas magni pars inclyta Chriſti.*
*Virginitas* (Danielis) *fuluos potuit ſopire*
*leones.*
*Virginitas decoratur coniuge Chriſto.*
*Prima Trias Virgo.*
*Virgo eſt Angelus alter.*

Nazianzen.

Idem

Idem in præceptis ad Virgin. Virgo inter homines eſt id, quod

*Margaris in Saxis, atque inter ſidera cæli*
*Lucifer, in Syluis frondoſæ ramus oliuæ,*
*Lilium in herboſis campis, auibuſq; columba.*

Idem in Carm. de Beatitud.

*Felix virgineus chorus eſt, qui carne repulſa,*
*Non procul à ſummo Numine purus abeſt.*

Porrò pudor hic Virginum exterior in genis prodit ex pudicitia & puritate interiori, quæ latet in anima, & hoc ſignificat *eo abſque eo quod intrinſecus latet.* Pro quo Septuag. vertunt: *Extra taciturnitatem tui* vel *tuam.* Alij: *intra velum tuum.* ⟨LXX.⟩ Vnde vertunt: *Sicut fragmen mali punici, ſic gena tua intra velum tuum.* Symmach. *tecta operimento.* Nam Virgines, vt pudorem ſuum tueantur, velo genas & faciem obtegunt. Vnde velum hoc Virginitatis murum & vallum vocat Tertull. lib. de velandis Virginibus cap. 15. *Veſte virginitas, inquit, confugit ad velamen capitis, quaſi ad galeam, quaſi ad clypeum, qui bonum ſuum protegat aduerſus ictus tentationum, aduerſus iacula ſcandalorum, aduerſus ſuſpiciones, & ſuſurros, & æmulationem, ipſum quoque liuorem.* Et cap. 16. *Indue, ait, armaturam pudoris; circumduc vallum verecundiæ, murum ſexui tuo ſtrue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.* Hinc & Eccleſ. cap. 26. 19. *Gratia ſuper gratiam, inquit, mulier ſancta & pudorata.* Rurſum virginibus loco veli & valli ſunt clauſtra monaſteriorum, quæ ſi exactè ſeruentur, eas ab omni tentatione & periculo caſtitatis immunes præſtant, vt ſemotæ ab hominibus inſtar Angelorum, cum Deo & Chriſto Sponſo ſuo aſſiduè conuerſentur in omni quiete, ſanctitate & gaudio, vt videantur degere in Paradiſo. In clauſtro ergo abſcondita latet, ſed Deo & Angelis patet Virginum pietas, ſanctitas, oratio, charitas, virtus & vita cæleſtis: Sicut ſub fragmine, id eſt, cortice mali punici latet abſcondita granorum eius vinoſa ſuauitas, & copioſa denſitas. Denique B. Virginem genas velaſſe docet Nicephor. lib. 2. Hiſtor. cap. 23. vbi ex S. Epiphanio ita veſtes B. Virginis deſcribit: *Veſtimentis coloris natiui contenta fuit, id quod etiamnum ſanctum capitis eius velamen oſtendit; & vt paucis dicam, in rebus eius omnibus multa diuinitus inerat gratia.* Ita de verecundia, virginitate & cælibatu hunc locum exponunt, Iuſtus Orgelit. *Illi*, ait, *in facie Eccleſiæ decorem efficiunt, qui comitante verecundia caſtitatem obſeruant.* Et Aponius, qui virgines comparat Chriſto, qui etiam vocatur *malum*; idque, vt ipſe interpretatur, Punicum: *Quaſi malum Punicum, inquit, inter ſyluas, ſic Dilectus meus inter filios. Quæ arbor profert ex ſe pomum & viſione pulcherrimum, & ſapore dulciſſimum, & ſatis commodam languentibus medicinam; quia qui pro hominum ſalute per virginē mundo oſtenſus eſt, integritatis ac continentiæ flores tota orbe ſparſit. Cuius pulchritudinis partem, id eſt, fragmen, virginitatem & continentiam oſtendit habere, in quibus Eccleſiæ facies intacti ſanguinis conſeruati pulcherrima demonſtratur.* Et Philo Carpath. *Per malum Punicum*, inquit, *ipſa Eccleſia & fidelis anima deſignatur; quia vt in illo multa ſuauiora grana, ſic & in Eccleſia ſunt multi fideles populi in vnitate fidei continentur: dumque multi ex his diuinæ ſeruitiæ ſeſe cæteris valentius aſtringunt, ac dedunt ita, vt omnia mundana contemnant, ac fugiant, voluptates ſuas abnegent, & vitia ſua omnino purgent ac lauent, ſéque deprimant, cæteros extollant, dum ſuis exemplis multos Deo alunt ac parant: hi veluti mala punica iam matura plenéque guſtui ſuauia, ſeſe proximis in ſalubrem cibum aperiunt ac potum. Plura autem atque maiora ſunt, quæ in his latent quàm quæ fidelium oculis exponuntur, ob idque dixit: Præter id quod intus latet.*

Porrò quod Septuag. vertunt: *extra taciturnitatem tuæ*, vel *tuam*; Theodoretus, Nyſſenus, & Pſellus cenſent commendari ſilentium, quod ſummè virgines decet: *Geminam*, inquit Pſellus hîc, *protulit laudem pulchritudinis; genis enim vultus eius à purpureo modeſtiæ decore collaudatis, animæ quoque commendat pulchritudinem, vt taceam inquiens ſilentij decus animæ tuæ.* Vide dicta verſ. 1.

Secundò, per genas ſimiles fragmini mali Punici Caſſiod. S. Gregor. Philo & Beda accipiunt patientes & Martyres; hi enim ſuo ſanguine rubricantur inſtar corticis mali Punici, ſed fracto malo interior granorum candor apparet, quia poſt mortem miraculis coruſcant. Adde multas Virgines virginitatem ſanguine ſuo purpuraſſe. Sic & S. Ambroſius lib. 3. Hexam. verſ. 13. quem audi: *Sic florent mala granata, & fructum afferre non poſſunt, niſi congruis peritorum remediis excolantur: plerumque ſuccus vaneſcit interior; & foris ſpecies eius pulchra prætenditur. Quæ non immeritò comparatur Eccleſia, vt habes in Canticis dictum; Vt cortex mali punici gena tua. Et infrà: floruit vitis, floruerunt mala granata: Eccleſia enim bonum fidei fulgorem confeſſioniſque prætendit, tot Martyrum ſanguine ſpecioſa; & quod amplius eſt, Chriſti cruore dotata, ſimul plurimos intra ſe fructus vſu iſtius pomi ſub vna munitione conſeruans, & virtutum negotia multa complectens.*

Margin notes: LXX. — Symmach. — *Velum, vallum virginitatis.* — Tertull. — Eccli. 26. 19. — Nicephor. — Iuſt. Orgel. — Aponius. — Philo Carp. — Pſell. — *Genæ purpureæ ſunt Martyres.* — Ambroſ.

*Sapiens enim ſpiritu celat negotia.* Vrget Beda *τὸ ſicut fragmen: quia*, inquit, *quo ampliùs illam* (Eccleſiam) *frangi contigerit, eo clariùs quot virtutum grana vnius fidei tegmine complectatur, refertur. Integro quippe adhuc malo grana videri nequeunt, ſed eodem fracto, quàm ſint innumera clareſcunt.* Verum eſt illud Prudentis:

*Beda.* *Martyres multiplicat perſecutio.*

*Prudent.*

*Martyrum ſemper numerus ſub omni*
*Grandine creuit.*

Et illud Tertull. in fine Apologetici: *Crudelitas veſtra, illecebra eſt magis ſectæ: plures efficimur, quoties metimur à vobis: ſemen eſt ſanguis Chriſtianorum.* Nam, vt docet S. Cyprian. lib. 4. Epiſt. 3. *Martyres præſtant magiſteria morum; Confeſſores initia virtutum.* Hinc S. Auguſt. explicans illud Pſal. 67. *Principes Iuda duces eorum*, hoc eſt, Martyres, inquit, Iuda enim eſt confeſſio: *Martyres namque in Eccleſiis ſummum locum tenent, atque apice ſanctæ dignitatis excellunt.*

*Tertullian.* *Cyprian.* *Auguſtin.*

*Genæ ſunt prædicatores.*

Tertiò, Caſſiodorus & Beda per genas accipiunt Prædicatores: quia dum, inquiunt, paſſionem Chriſti annunciant, quaſi ruborem exteriùs exhibent: cùm autem demonſtrant quanta vtilitas noſtræ redemptionis inde prouenerit, & quòd homo per paſſionem Chriſti non ſolùm iuſtificari à peccatis, ſed etiam diuinum conſortium adipiſci meruerit, quaſi candidum eſt, quod intrinſecùs latet. Malum quippe punicũ cùm frangitur, exteriùs rubor, interiùs autem candor apparet: & quoniam iſti venerabiliter agũt memoriã paſſionis Chriſti, nec erubeſcunt crucem eius, iuxta conſilium illud Apoſtoli: *Noli erubeſcere crucem Chriſti, neque me vinctum eius*; prò rubore enim verecundiæ, qui ex proprio ſanguine in genis perfunditur, ipſi perfuſi ſunt rubore Redemptoris ſui. Hæc illi. Sic & S. Gregorius. Huc accedit verſio Chald. *Et rex*, inquit, *qui erat Princeps eorum, plenus erat præceptis ſicut malogranatum, exceptis Præpoſitis & Principibus, qui accedunt ad Regem, qui ſunt iuſti, in quibus non eſt quicquam mali.*

*2. Tim. 1. 8.* *Chald.*

Porrò; cur Sacerdotes & Prædicatores vocantur genæ Eccleſiæ, cauſam dat S. Gregorius, 13. Mor. cap. 11. dicens: *Facies quippe S. Eccleſiæ ſunt qui in locis Regiminis poſiti apparent primi, vt ex eorum ſpecie ſit honor populi, etiamſi quid in corpore lateat deforme.* Vnde colligit quàm turpe ſit, ſi ipſi ſuis prauis moribus Eccleſiam dehoneſtent, quàmque peccent, qui illis detrahunt & infamiam afflant. Sacerdotum ergo honor & decor, perinde ac dedecus & inhonoratio, totius Eccleſiæ eſt decus vel dedecus.

*Gregor.*

## SECVNDVS SENSVS

### *De Chriſto & Anima Sancta.*

PEr genas ſimiles fragmini mali Punici primò ſignificatur verecundia, continentia, temperantia, grauitas & auſteritas animæ ſanctæ. Primò, quia, vt ait Nyſſen. hom. 7. ſicut cortex mali punici conſeruat & nutrit dulcedinem fructus, qui in ipſo continetur: Sic continens, auſtera & aſpera vita cuſtos eſt bonorum temperantiæ. Sic & tres Anonymi apud Theodor. quos audi: *Cortici mali Punici ſimiles ſunt genæ tuæ, vt ſeueritatis amantes atque ab omni diſſolutione remotæ, quando etiam non taces. Licet in congreſſibus mutuiſque ſermonibus iucunditas ineſſe ſoleat: tu tamen propter tuam in illis temperantiam, quod profuſum ac diſſolutum eſt, reprimis.*

*Genæ notãt 1. Pudorem.* *3. Patres.*

Secundò, S. Anſelmus accipit ſanctos, qui perſecutiones patiuntur; quia inquit, inſtar talis fragminis, quod exteriùs rubrum eſt, interiùs vero cãdidum, exteriùs triti ſunt multis perſecutionibus, & ſunt viles mundo, interiùs verò cogniti inueniuntur candidi. Per verba illa: *abſque eo quod intrinſecus latet*, intentio commendatur, quæ longè pulchrior eſt. Hæc Anſelmus.

*2. Patientiam.*

Huc accedit Richard. de S. Victore, qui per genarum ruborem accipit animam, quæ erubeſcere non recuſat pro Chriſto, ſed libenter pro eo opprobria, ignominias, pauperiem, dolores & labores ſuffert; quia hæc omnia tantùm fragmen ſunt, exigua portio, ſi cum opprobriis & doloribus Chriſti comparentur. Chriſtus ergo fuit integrum malum Punicum, quia totus in pœna rubuit, nec vnquam fuit dolor ſicut dolor eius. Tales ergo, iuxta ſanctionem Chriſti, percutienti vnam maxillam intrepidè porrigunt alteram. Matth. 5. 39. Illuſtre exemplum eſt in S. Sothere nobili Virgine & Martyre, quam mirè celebrat S. Ambroſ. lib. 3. de Virgin. *Sotheris*, inquit, *perſecutionis ætate, ſeruilibus quoque contumeliis ad faſtigium paſſionis euecta, etiam vultum ipſum; qui inter cruciatus totius corporis liber eſſe conſueuit iniuriæ, & ſpectare potiùs tormenta, quàm perpeti, carnifici dedit: tam fortis & patiens, vt cùm teneras pœnæ offerret genas, priùs carnifex cædendo deficeret, quàm Martyr iniuriæ cederet. Non vultum inflexit, non ora conuertit: non gemitum, non lacrymam dedit:*

*Exemplum S. Sotheris.* *Ambroſ.*

Digitized by Google

*dedit: Denique cùm cætera pœnarum genera viciſſet; gladium, quem quærebat, inuenit.*

Et exhort. ad Virg. *At non Satheris vultus ſui curam gerebat, quæ cùm eſſet decara facie valde, & nobilis virgo maiorum proſapiâ, conſulatus & præfecturas parentum ſacrâ poſthabuit fide, & immolare iuſſa non acquieuit. Quam perſecutor immanis palmis cædi præcepit, vt tenera virgo dolori cederet aut pudori. At illa vbi audiuit hanc vocem, vultum aperuit, ſoli inuelata atque intecta martyrio & volens iniuriæ occurrit vultum offerens, vt ibi martyrij fieret ſacrificium, vbi ſolet eſſe tentamentum pudoris. Gaudebat enim diſpendio pulchritudinis, periculum integritatis auferri. Sed illi potuerunt quidem vultum eius vulnerum vibicibus exarare; faciem tamen virtutis eius, & gratiam decoris interni nequaquam exarare potuerunt.*

*3. Pudorem de peccatis.* Tertiò, idem Richard. per genas rubras accipit erubeſcentiam de peccatis, quæ tegitur cortice humilitatis, non integro, ſed fragmine; quia etſi pœnitens eam celare conetur, per rimas tamen & fragmina ſe prodit, & foras erumpit.

*4. Eleemoſynam ſecretam.* Denique S. Chryſoſt. hom. 8 ex variis in Matth. locis, putat hîc notari eleemoſynam ſecretò faciendam: *Huius*, inquit, *fidelis operis eleemoſynæ, ſub religioſa taciturnitatis ſilentio, Salomon Eccleſiam collaudans, olim proteſtatus eſt dicens: ſpecioſæ ſunt genæ tuæ ſicut turturis, propter taciturnitatem tuam, hanc ſcilicet taciturnitatem, de qua ait Dominus: neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.* Malogranatum enim proprium eſt ſymbolum charitatis, cuius cortex repræſentat beneficentiam externam, pulpa granorum amorem internum. De quo inferiùs plura. (Chryſoſt.)

## TERTIVS. SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

APonius per duas genas cenſet notari duas Marias, quæ fuêre Principes Virginum. Prior eſt Maria ſoror Moſi in veteri teſtamento, altera eſt B. Virgo in nouo, quæ primę cœperunt, inquit, Sponſæ Eccleſiæ genas mirandas efficere, integritatem ſeruando, atque Beata Virgo velut cortex nobiliſſimum fructum, purà Chriſtum intra ſe continuit. Virginitas enim eius non fuit ſterilis, ſed fœcunda, vti initio ex S. Auguſt. dixi.

Pleniùs Rupertus: *fragmen mali punici,* (Rupert.) inquit, *& rubet, & ampliùs quàm integrum malum redolet. Sic tu & ſingulariter verecunda es, & multis per bonam opinionem in bono exemplo proficies. Quid autem eſt dicere: abſque eo quod intrinſecùs latet, niſi ac ſi diceret, & illud, quod intùs in conſcientia latet, amplius laudabile eſt? O verè laudabilis verecundia, vbi & intùs conſcientia munda, & foris facies verecunda eſt. Nam vbi eſt aliquid, quo mens erubeſcat, non adeò laudabile eſt, ſi conſpectam faciem rubor perfundat. Igitur tua verecundia quid eſt, niſi religioſitas ſumma? Et hæc virtus ſine dubia mala Punico debuit aſſimilari, quia gratioſa eſt intuentium oculis, & interdum ſuo ſilentio non minus ædificat, quàm ſermo prædicationis.* Addit Rupertus id repræſentatum fuiſſe in veſte Pontificis, in qua mala punica mixta erant tintinnabulis. Exodi 28. *Malum quippe Punicum in medio tintinnabulorum,* (Rupert.) *religioſum atque operoſum eſt ſilentium, maximè ſexus fœminei in ſocietate fidei vel doctrinæ prædicatorum, qualis tu præcipuè fuiſti virgo virginum in adiutorio, vel etiam regimine prædicantium Apoſtolorum, cuius etſi verba non leguntur, vel audiuntur, vbi prædicauerunt: opera tamen vel merita non ignorantur, non minora, imò maiora tinnitu prædicatorum.*

---

Verſ. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*

*Clypei & arma è turribus olim ſuſpenſa.* SEPTVAGINTA: *Omnia iacula potentium.* Moris enim erat olim, vt principes ex turribus clypeos & arma ſuſpenderent, tum ad ornatum, tum ad fortitudinem. Salomon eadem depoſuit in domo ſaltus Libani. 3. Reg. 10. 16. Id planè teſtatur Ezechiel c. 27. (Ezechiel. 27.10.) vbi de Præſidiariis Tyri agens: *Perſæ*, inquit, *& Lydij & Libyes erant in exercitu tuo, viri bellatores tui, clypeum & galeam ſuſpenderunt in te pro ornatu tuo. Filij Aradij cum exercitu tuo erant ſuper muros tuos in circuitu tuo; ſed & Pigmæi, qui erant in turribus tuis, pharetras ſuas ſuſpenderunt in muris tuis per gyrum.* Idem fecêre Gentiles, vti liquet ex illo Virgil. Æneid. 1.

*Aut Capyn, aut celſis in puppibus arma* (Virgil.)
*Caiti.*

Et lib. 10.

*Pacem orare manu, prætendere puppibus*
*arma.*

vbi idipſum docet Seruius.

*Turris Dauid, quid?* Turris Dauid, vel eſt arx Sion, vt vult Rupert. quam Dauid Iebuſæis eripuit, regnique caput conſtituit; vel potiùs altior, pulchrior & fortior illa Turris,

quam

Digitized by Google

quam Dauid ædificauit iuxta arcem Siō, vt illam à parte Mello, ſiue Tyropæi, æquè ac ſubiectam illi Vrbem Ieruſalem communiret, vti ſatis indicatur 2. Reg. 5. 9. Vnde Adrichom. in deſcript. Ieruſalem num. 170. Turris Dauid, inquit, munita & excelſa valde, quæ in duarum voraginum angulo, in præruptæ rupis colle, ex quadris lapidibus ferro & plumbo indiſſolubiliter compactis, à Dauide rege conſtructa erat, cuius ſingularis fortitudo, & egregia pulchritudo ad commendationem Sponſæ Chriſti, quæ eſt Eccleſia, producitur à Salomone, cùm dicitur: *Sicut turris Dauid collum tuum.* Eandem deinde Adrichom. in imagine Ieruſalem oculis ſpectandam exhibet iuxta portam piſcium vnâ ex parte, & ex altera iuxta ſepulchrum Dauidis & Regum Iuda. Sic & Brocard. cap. 7. num. 43. Vilhelmus Tyrius lib. 9. belli ſacri cap. 3. quin & illius meminiſſe videtur Eſdras lib. 2. cap. 3. 25. vbi eam vocat turrim, quæ eminet de domo regis excelſam. Addit Genebr. hanc eſſe turrim, de qua ait Michæas cap. 4. 8. *Turris*
Mich. 4. 8. *gregis nebuloſa filia Sion*; ſed quænam ſit illa, ibidem dixi.

Huic ergo turri comparat collum Sponſæ, quia illius ad inſtar erat procerum, rotundum, robuſtum & validum. Forte etiam turris hæc colli ſpeciem referebat; nam arci Sion ſuberat, ceu collum capiti; ciuitati verò Ieruſalem, quæ filia Sion dicitur, eminebat, ceu collum cæteris membris ſibi ſubiectis: Vnde S. Ambroſius in Pſal. 118. Octon. 4 verſ. 1.
Ambroſ. *Condidit turrim illam Dauid, & ſuper murorum ædificauit excelſa, vt ſubſidio pariter & decori ſit: ſubſidio, quia hoſtem præuidet & expellit; decori, quia non ſolùm inter humilia, ſed etiam inter excelſa ſupereminet.* Quare minùs præciſè R. Salomon, Luyſius, Sottomaior, Delrio, & alij per collum accipiunt totam corporis Sponſæ ſtaturam erectam. q. d. Sicut turris Dauid præſtat cæteris turribus; ſic tu, ô Sponſa, cæteras feminas procerâ & pulchrâ ſtaturâ tranſcendis.

Talpiyoth quid? Reſp. 1. Pro *cum propugnaculis* Hebr. eſt לְתַלְפִּיּוֹת *letalpiyoth*, quod varij variè vertunt. Primò, Septuag. & eos ſecutus Syrus, & Arabicus nomen Hebræum quaſi proprium loci retinentes, vertunt, *in Talpioth*. Septuag. ſequitur S. Ambroſ. in Pſal. 118. ſerm. 4.

2. Secundò, R. Salomon & Aben Ezra *talpiyoth* deriuantes ab אָלַף *alaph*, quod in Piel ſignificat docere, vertunt, *doctrinam & monumenta*, eo quòd turris illa, ceu pharus nauigantibus portum, viam tranſeuntibus in Vrbem oſtenderet. Hinc Tigur. vertit, *ad vſum dirigendi homines*: ſic Tigur. enim Eccleſia indicat fidelibus iter in cælum, vti explicat Vatabl. aut quòd inſigni opere artéque conſtructa, doceret modum turris arcíſque conſtruendæ, eiúſque ideam & formam intuentibus exhiberet; aut quòd in ea eſſent monumenta eorum, qui heroïcum quid perpetraſſent, vti teſtatur Philo legatione ad Caium.

Tertiò, Marinus in Lexico *talpiyoth* 3. deriuat à תֵּל *tel* & פִּיּוֹת *piyoth*, id eſt; *cumulus* vel *aceruus orum*, quod eſt plurale ab os oris. Significat ergo ædificia maxima ex lapidibus exciſis eo modo fabrefacta, quod vulgò Italicè dicitur, *fatti à diamanti*, id eſt, figura adamantina, quæ eſt, vt lapides quadrentur eo modo, vt in aciē & conum deſinant, itáque ictibus tormentorum non pateant, ſed eos lateraliter eludant & reſpuant, qualia ſunt fundamentum Palatij S. Marci Venetiis, & Palatium Card. Eſtenſis Ferrariæ.

Quartò, alij apud Pagninum *talpiyoth* 4. interpretantur lapides turris, exciſos ad ſimilitudinem oris.

Quintò, Quinquarboreus *talpioth* di- 5. ctum putat, quaſi פִּיּוֹת לִתְלוֹת *lithloth piyoth*, id ad, *ad ſuſpendēdum ora*, id eſt, acies gladiorum, putà ipſos gladios, quaſi fuerint in turri eminentes vnci, ex quibus penderent gladij, iuxta id, quod ſequitur: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Atque hæc etiam propugnacula, vt vertit Noſter, nuncupari poſſunt.

Sextò, & optimè, Noſter vertit *cum* 6. *propugnaculis*, Nam & Aquila vertit εἰς ἐπάλξεις, id eſt *in propugnacula, pinnas*, ſeu *faſtigia* Et Symmach. vertit εἰς ὕψη, id eſt, *in altitudines* ait Theod. Pinnæ enim turrim muniunt, ac oris formam exhibent. Alij apud Pagnin. *talpioth*, deriuant à תֵּל *tel* id eſt forte, eleuatum, altum & פִּיּוֹת *piyoth*, id eſt orum; quod rectè conuenit pinnis, inter quas medij hiatus, vel fiſſuræ quaſi ora interiacent. Alij per ora intelligunt duas voragines, inter quas ſita erat turris Dauid, vti dixi ex Adrichomio. Accedit Nyſſen. hom. 7. qui Hebr. *talpioth*, quod retinent Septuag, interpretatur *propugnacula*, ſiue hæc pinnæ fuerint, ſiue muri, ſiue quid aliud.

Genuinâ.

Pro *mille clypei*, vt habent Hebr. S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 4. legit *mille oſtia*, ſed videtur mendoſum habuiſſe codicem, ac legiſſe θύρεαι, id eſt, *oſtia*, cùm Septuag.

Septuag. legant θυρεοὺς, id eſt, *ſcuta*, quæ ſic dicta ſunt, quòd lata ſint & ſimilia oſtiis.

*Clypeus bellica fortitudinis inſigne.*

Porrò clypeus inſigne eſt bellicæ fortitudinis: Vnde clypeo Agamemnonis, teſte Pauſaniâ, inſculptus erat leo cum hoc lemmate:

*Terror hic eſt hominum, quique hunc gerit, eſt Agammenon.*

Pro *armatura* Hebr. eſt שלט *ſcilte*, quod alibi Noſter & alij vertunt, *peltam* vel *ſcutum*. Vnde & Germanicè *ſcilt* idem eſt quod ſcutum. Quia tamen hîc præceſſit clypeus, meliùs vertit Noſter *armatura*. Nam & Septuag. vertunt βολίδας, id eſt, iacula, vel miſſilia: hiſce enim milites שלט *ſcaletu*, id eſt, dominantur hoſtibus. Syrus verò vertit: *Omnes principes potentes*. A שלט *ſchalat* enim, id eſt *dominari* dicti ſunt *Sultani*, id eſt principes latè dominantes.

*Sultani vnde dicti?*

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

SAlomon cap. 1. verſ. 10. collum Sponſæ comparauit monilibus. Vnde ibi per collum notauit obedientiam Eccleſiæ; hîc verò collum comparat turri Dauid ſpecioſæ æquè ac munitæ. Quocirca hîc per collum, inquit Titelman. notat Eccleſiæ inuictum robur, fortitudinem & conſtantiam, quâ & tyrannis & hæreticis, & perſecutoribus omnibus fortiſſimè reſtitit, imò omnes ſuperauit & ſubiugauit. Robur enim boum, equorum & animalium conſiſtit in ceruice & collo. Collum ergo ſymbolum eſt roboris, item confidentiæ, animoſitatis & audaciæ, vnde illud Pſal. 29. *Dominus concidet ceruices peccatorum.* Et illud Iſaiæ 3. *filiæ Sion ambulauerunt extento collo.* Et illud Horatij Epiſt. 13.

*Collum roboris & audacia ſymbolum.*
Pſalm. 29.
Iſai. 3.
Horat.

*Indomitâ ceruice feros.*

Cicero.

Et illud Ciceronis de Nat. Deorum *Impoſuiſti in ceruicibus noſtris ſempiternum dominum.* Ita Philo Carpath. & ex eo Delrio: Collum, inquit, Eccleſiæ eſt columna fidei, quæ Eccleſiam Chriſto capiti coniungit; hæc ſimilis eſt turri Dauid, ex qua pendent plurimi clypei, & arma, quæ illam ornant & decorant, vti collum ornant torques & monilia. Hinc Apoſtolus 1. Timoth. 3. Eccleſiam vocat columnam & firmamentum veritatis: columna enim ſimilis eſt turri, imò ſubinde reuera eſt turris, quales Romæ ſunt columnæ Traiani & Antonini Imperatorum, hæ enim tam latæ ſunt, vt ſex viri vix brachiis eas amplecti valeant, atque interiùs concauæ ſunt, adeóque amplæ, vt per cochleam & gradus, velut in turri, ab imo in ſummum ſcandatur.

Rurſum, per collum & turrim notantur Præſules, Doctores, Pontifices, (qui vocantur Epiſcopi, id eſt, ſpeculatores è turribus) qui ſemper in bello ſunt pro defenſione S. Eccleſiæ pugnantes, ait Caſſiodorus, ac præſertim Pontifex Romanus Chriſti Vicarius, quia ſicut collum medium eſt inter caput & membra, illa capiti connectens; atque ſicut caput per collum ſpiritus & vitam in membra influit, cibúmque in ſtomachum traiicit: Sic Pontifex medius quaſi eſt inter Chriſtum & cæteros fideles, ac Chriſtus, ceu caput, per Pontificem ceu collum, ſuam doctrinam, regimen, robur & ſpititum in fideles deriuat, illos Chriſto connectens. Hoc eſt, quod Chriſtus S. Petro eiúſque ſucceſſoribus promiſit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſùs eam: Et tibi dabo claues regni cælorum.* Matth. 16. 18. Et: *Ego rogaui pro te, ut non deficiat fides, tua & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Lucæ 22. 32. Hinc & S. Paulus S. Petrum, Iacobum, & Ioannem velut Apoſtolos & Præſules, vocat columnas Eccleſiæ. Galat. 2. 9. In iis ergo eſt *talpioth*, id eſt, vera doctrina, monumenta priſcæ fidei, ſummæ poteſtatis ſublimitas, & ſuſpenſio orum, quia ab iis fideles cæteri pendent, & hianti quaſi ore cibum animæ ſpiritalem expectant. Inuicta ergo fides Eccleſiæ nititur inuictâ fide S. Petri, & Succeſſorum eius Rom. Pontificum, qui proinde ſemper illibati in orthodoxa fide à Chriſto hucuſque perſtiterunt, atque omnes hæreſes Arrij, Macedonij, Eutychetis, Pelagij, Priſcilliani, Lutheri, Caluini, &c. damnarunt & profligarunt; quin & tam erectâ ceruice reſtiterunt Neroni, Decio, Diocletiano, cæteríſque tyrannis, vt eam ſibi recidi maluerint, quàm fidem Chriſti non prædicare, ſed perdere aut prodere. Vnde primi Pontifices à S. Petro vſque ad S. Syluestrum, per trecentos annos penè omnes fuêre Martyres. Quocirca Noſter Alcazar in Alluſionibus ad Apocalypſin lib. 3. vbi totum hoc caput 4. Cant. explicat de laudibus Eccleſiæ Romanæ antiquæ, per turrim, clypeos, & propugnacula, cenſet denotari Martyrum victoriam, & miniſtrorum Euangelij admirabilem in perſecutionibus ſanctitatem. Audi S. Gregorium qui hæc de prædi-

*Collum ſunt Pontifices Cur?*
Mat. 16. 18.
Luc. 22. 32.

catoribus

catoribus accipit: Nam & Pontifices præcones ſunt Euangelij, illúdque vel per ſe, vel per ſacerdotes à ſe ordinatos & miſſos, vbique prædicant & propagant: *Benè ſicut turris Dauid collum ſanctæ*
Gregor. *Eccleſiæ dicitur, quia ſancti Prædicatores procul venientes hoſtes ſanctæ Eccleſiæ ſpeculantur, & fortiter reſiſtunt, ſi quid in Eccleſia lædere conantur, & liberè terrena deſpicientes, cæleſtia contemplantur. Collum ergo propter hoſtium ſpeculationem, turris verò dicuntur propter fortitudinem, & propter excelſam cæleſtium gaudiorum contemplationem.* Deinde cætera ita ex ordine proſequitur: *Quæ turris rectè Dauid eſſe dicitur: quia Dauid, manu fortis, interpretatur, per quod Chriſtus ſignificatur, cuius eſt quiequid forte & excelſum operatur. De qua ſubditur: Quæ ædificata eſt cum propugnaculis: Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Cum propugnaculis turris Dauid ædificata dicitur, quia ſancti prædicatores contrà aduerſarios homines, ſi neceſſe ſit, miraculis armantur. Contra vitia autem ſe clypeus muniunt, quia ne ſpiritalibus hoſtibus ſuccumbant, virtutibus ſe ſe defendunt. In quibus omnis armatura fortium pendet: quia quiſquis hoſtium cuneis fortiter reſiſtere vult, in eis exempla videt, quibus armatus, hoſtes ſtrenuè valet ſuperare. Mille autem hic pro perfectione ponitur, quia in millenario numero omnes numeri perfecti complentur.* Sedes ergo Apoſtolica eſt quaſi pharus Eccleſiæ, vt ex ea nauigantes in hoc vitæ pelago veram Eccleſiam, quæ ſuos fideles ad Deum & felicitatem ducit, agnoſcant: propugnacula eius, item clypei & omnium armorum panoplia, ſunt diuinæ Scripturæ, ait Theodoret. Caſſiodor. Beda & alij. Item Traditiones Apoſtolorum & ſucceſſorum, Decreta Conciliorum, Patrum teſtimonia & exempla, conſenſus omnium ſæculorum, doctrinæ puritas & ſtabilitas, cæteráque argumenta, quæ Bellarminus & alij pro auctoritate Pontificis & notis Eccleſiæ afferunt.

Nonnulli per mille clypeos accipiunt multorum Angelorũ præſidium & tutelam, qui Pontificem & Eccleſiam tuentur. Item omnia diuinæ defenſionis præſidia, ait Caſſiodor. Item ſanctorum exempla. Inſuper crucem Chriſti, ait Aponius. Quare ſicut collum inhæret capiti, ab eóque omne ſuum robur haurit; ſic Prælatus & Pontifex inhæreat Chriſto, illíque familiaris ſit per orationem, vt ab eo prudentiam & vires docendi, regendíque hauriat. Nam vt ait
Hebr. 5.1. Paulus Hebr. 5. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum.* Et Moſes Deuter. 5. 5. *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo, vt annunciarem* Deuter. 5.5.
*vobis verba eius, timuiſtis enim ignem, & non aſcendiſtis in montem.* Quocirca Moſes in dubiis adibat tabernaculum, & Deum conſulebat, & ab eo, quid agendum eſſet, edocebatur.

Audi S. Gregorium 2. parte Paſtor. cap. 5. *Sit Rector ſingulis compaſſione proximus, præ cunctis contemplatione ſuſpenſus: vt & per* Gregor.
*pietatis viſcera in ſe infirmitatem cæterorum transferat, & per ſpeculationis altitudinem ſemetipſum quoque inuiſibilia appetendo tranſcendat, ne aut alta petens proximorum infirma deſpiciat, aut infirmis proximorum congruens appetere alta derelinquat.* Et cap. 6. *Sit rector benè agentibus per humilitatem ſocius, contra delinquentium vitia per zelum iuſtitiæ erectus, vt & bonis in nullo ſe præferat, & cùm prauorum culpa exigit, poteſtatem protinùs ſui prioratus agnoſcat; quatenùs & honore ſuppreſſo æqualem ſe ſubditis benè viuentibus deputet, & erga peruerſos iura rectitudinis exercere non formidet.* Ita per collum & turrim Dauid Præſules & Doctores Eccleſiæ intelligunt Caſſiodor. S. Gregorius Nyſſen. Philo, Pſellus, Beda, Aponius, Anſelmus, & Richard. de S. Victore. Hinc & Chald. vertit: *Et princeps Scholæ, qui erat magiſter tuus fortis in iuſtitia, & magiſter operum bonorum,* Chald.
*ſicut Dauid Rex Iſraël, & per verbum oris eius ædificatum eſt ſæculum & in doctrina legis, in qua laborabat, confidebat populus domus Iſraël, & vincebat in bello, quaſi eſſent tenentes manibus ſuis omnia genera armorum fortium.*

Porrò Nyſſenus exemplum dat S. Paulum: *Tale collum,* inquit, *erat Paulus, qui portauit quidem nomen Domini, factus Do-* Nyſſen.
*mino vas electionis, & ei à Deo accuratè adaptatum fuit caput, vt & quæcumque diceret, non ampliùs eſſet ipſe loquens, ſed caput eius loqueretur, prout indicauit Corinthiis, Chriſtum eſſe, qui in ſe loquebatur, & qui Spiritu verbum dirigebat veritatis. Ita diuinis illis eloquiis omnino dulces fiebant fauces, vt qui per ſe totum nutriret corpus diuinis illis documentis.*

Symbolicè Iuſtus Orgelitan. & S. Gregorius, homil. 15. in Ezech. per turrim Dauid accipiunt S. Scripturam, ex qua petitur armorum panoplia ad debellandos omnes errores & prauos mores.

SECVN

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

*Collum animæ eſt Oratio.* COllum myſticum animæ Sanctę eſt Oratio. ita Theod. & tres Anonymi apud Theodoretum, idque appoſitè.
1. Primò, quia ſicut collum erigitur in altum, ſic Oratio mentem à terra ſuſtollit ad Deum in cælum. In ea ergo eſt *talpioth*, id eſt ſuſpenſio oris & mentis, ſiue animi ſublimitas & eleuatio in Deum.

2. Secundò, ſicut per collum ſpiritus attrahitur ad interiora refrigeranda & roboranda, ſic per orationem attrahimus ſpiritum Dei, qui æſtus concupiſcentiæ refrigerat, mentémque animat & corroborat. Vnde Pſaltes: *Os meum aperui & attraxi ſpiritum* Pſalm. 118. *Pſalm 118. v. 131.*

3. Tertiò, ſicut turris Vrbem communit, ſic Oratio animam: & ſicut turris ſuis vallatur propugnaculis, clypeis & armis tam defenſiuis, quàm offenſiuis: ſic orationis propugnacula ſunt virtutes, quæ illam tuentur & hoſti vulnus infligunt, quales ſunt conſtantia & fortitudo: clypei verò ſunt, quæ hoſtis iacula illæſè excipiunt & repellunt, qualis eſt humilitas & patientia. Denique in ea omnis eſt armatura fortium, id eſt, omne armorum genus, putà omnis gratiarum & remediorum ſpecies, quas Deus orantibus ſuggerit, vt iis roborati & fortes effecti, hoſtes quoſlibet non tantùm repellant, ſed & propellant ac debellent. *Oratio contra tentationes efficaciſſimum remedium.* Quocirca Caſſianus, Climacus, Sophronius, & alij contra omnes tentationes carnis, mundi & dæmonum efficaciſſimum remedium eſſe orationem, vnanimiter & conſtanter docent. Vis exempla? accipe. Ex hac orationis turri Eſther contra Aſſueri potentiam & edictum: Ex hac, Iudith contra Aſſyriorum ducem Holophernem, & ex hac innumeri alij; ex hac tandem Chriſtus ad durum mortis certamen armatus proceſſit.

*Hac muniti* Machabæi numero pauci, glorioſas de innumeris hoſtium copiis victorias reportarunt, quam cùm non dicuntur præmiſiſſe, grauem ab hoſtibus plagam accepère, primùm lib. 1. cap. 6. ab Antiocho Eupatore: iterum ibidem cap. 8. vbi Iudas Machabæus extinctus fuit. Ita Sanchez.

*Collum eſt Conſtantia.* Secundò, S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 4. v. 1. per collum turritum accipit Animæ ſanctæ conſtantiam & celſitudinem: *Erecta*, inquit, *ad Deum ceruix, & iugo Chriſti habilis, quæ nullâ in terrarum illecebras inflexione curuetur, ſicut Chriſti regalis eſt turris, cui iugum ſuum Nabuchodonoſor non poſſit imponere: condidit enim turrim illam Dauid ille manu fortis, & ſupra murorum ædificauit excelſa, vt ſubſidio pariter & decori ſit: ſubſidio, quia hoſtem prauidet & repellit; decori, quia non ſolùm inter humilia, ſed etiam inter excelſa ſupereminet. Ita tamen ſubſidio vel decori, ſi habeat in ſe verbi dogmata, velut quadam phalerarum monilia, habeat etiam iacula potentium prophetarum, quæ aduersùs omnem extollentem ſe altitudinem lacertis quibuſdam fidei diriguntur.* *Ambroſ.* Huc accedit Theodoretus, qui per collum turritum accipit mentem, vel rationem, quæ excelſa & cæleſtia contemplatur, cuius clypei & panoplia ſunt Prophetæ & Apoſtoli. Et clariùs Tres Anonymi apud Theodoretum: *Sicut turris*, inquiunt, *Dauid eſt interior mentis tuæ, tum in actione, tum in contemplatione maximè præſtantis ratio, quæ per virtutem diuini mandatis ædificata eſt ſuper propugnacula, id eſt, ſuper aduerſarij tentationes; tollitur autem per ſcientiam in altitudinem contemplationis. Dauid enim ſignificat manu ſtrenuus, & acer viſu. Id verò quod dictum: Quæ ædificata eſt in* Talpioth; *Aquila quidem vertit: Super propugnacula. Symmachus autem in altitudine: Quapropter ſignificatur Sponſa rationem actione quidem hoſtis conſilia ſuperare: contemplatione verò tolli ad veræ cognitionis ſublimitatem.* *3. Patres.*

*Collum eſt charitas.* Tertiò, Ioannes Carmelita per collum & turrim accipit charitatem. Nam
primò, inquit, ſicut collum excelſum 1.
eſt, ſic charitas omnium virtutum celſiſſima eſt & in Deum erectiſſima. Secundò, ſicut collum ſuſtinet caput, illúdque membris connectit; ita charitas 2.
Chriſtum animæ vnit & vincit, adeò vt Chriſtus cæterarum virtutum nexibus, niſi vnius charitatis vinculo animæ non alligetur. Tertiò, ſicut collum habet ar-
teriam, per quam ſpiritus in viſcera admittitur & influit; ſic charitas habet 3.
gratiam per quam ſpiritum ex cælo haurit & attrahit. Quartò, ſicut collũ habet
fauces quibus cibus traiicitur in ſtoma- 4.
chum: ſic charitas myſticas pandit fauces. Nam ſemper eſurit nullúmque laboris genus detrectat, ſed ardua quæque, velut ignis vehemens iniecta ligna conſumit. Quintò, collum humeris emi-
net, iiſque onera baiulat; ſic charitas 5.
latos habet humeros, quibus mores difficiles proximorum, iniurias, perſecutiones, tribulationes, omniáque huius vitæ onera

onera fortiter ſuſtētat & portat. Pari mo-
*Charitas Turris, ſiue Arx.* do charitas ſimilis eſt turri, ſiue arci, tum ob celſitudinem, tum ob firmitatem ac robur. Nam qui hanc incolunt Arcem, vim quandam planè diuinam adipiſcuntur, quâ fiunt inuictiſſimi, vt de ſe Paulus ingenuè fatetur, dum ait, nec morte nec vitâ, nec id genus aliis acerrimis hoſtibus ſe à charitate Dei poſſe diuelli. Propugnacula ſunt conſilia Euangelica quæ ab iis vigilantiſſimè obſeruantur, qui charitatis arcem tutam eſſe cupiunt. Quippe obedientiæ, caſtitatis, paupertatiſque, & aliorum conſiliorum cultores turrim Dauidicam, Apoſtolicis veſtigiis inſiſtentes, optimè cuſtodiunt, & ex his, velut propugnaculis, hoſtem ſæpiſſimè ſauciant, ſéque reddūt formidabiles. Clypei charitatis ſunt humilitas &
*Charitatis clypei Humilitas, & Patientia.* patientia, quibus omnia aduerſa excipit & repellit: hæ enim ex charitate pendent & quaſi prodeunt: *Omnis armatura fortium*, eſt cæterarum virtutum acies, quæ ex charitate manantes hominem efficiunt fortem & inuictum, vt omnia ſuperet & tranſcendat, ac ad beatam æternitatem victor triumphatórque conſcendat. Pro *omnis armatura*, Hebr. eſt *omnia ſcuta fortium*. q. d. Patientia multiplex & varia, quæ ſimilis eſt ſcutis, eſt inſtar omnis armaturæ, quâ omnia hoſtium tela excipimus, ipſóſque ſuperamus. Denique in charitate eſt *talpioth*, id eſt, *cumulus orum*, quia ipſa amorem ſuum in tria velut ora partitur, ſcilicet in amorem Dei, amorem proximi, & amorem ſui ipſius.

*Collum eſt Humilitas.* Quartò, Rupertus, & Giſlerius per
1. collum turritum accipiunt humilitatem & obedientiam, quæ primò adeò ſublimis eſt & excelſa, vt omnibus ſit conſpicua, omniúmque oculos ad ſe rapiat.
2. Secundò, inſtar colli & turris vndique rotunda eſt, id eſt, perfecta, continua &
3. perſeuerans vſque ad mortem. Tertiò, pariter recta eſt per rectitudinem ſanctę
4. intentionis. Quartò, propugnacula obedientiæ ſunt humilitas, manſuetudo, & fides, quâ quis credit ſe Deo obedire cùm obedit ſuperiori, atque per eum à Deo regi & dirigi. Deus enim dixit: *Qui*
Luc.10.16. *vos audit, me audit*. Quintò, clypei & ar-
5. ma obedientiæ ſunt inuicta; nam obediens vincit omnes difficultates, tentationes, ſcrupulos, diffidentias, quia ſecurè & lætè in obedientia iuſsûque ſuperioris ſui, velut Dei interpretis conquieſcit. Sextò dicitur turris Dauid, id
6. eſt, Chriſti, quia ſummam Chriſti obedientiam refert & imitatur: *Chriſtus enim factus eſt obediens vſq; ad mortem, mortē autem crucis*. Philip. 2. Septimò, obediens eſt in Philip.2. 7.
*Talpioth*, id eſt, in ſuſpenſione oris, quia totus pendet ab ore ſui Rectoris; quare licèt cæcus videatur, vt talpa, reuera tamen oculatus eſt, vt aquila.

## TERTIVS SENSVS

### *De Chriſto & B. Virgine.*

Beata Virgo ab Eccleſia in Litaniis Lauretanis vocatur & inuocatur *Collum Eccleſia eſt B. Virgo.*
*Turris Dauidica*. Eadem vocatur collum in corpore myſtico Eccleſiæ. Illius enim caput eſt Chriſtus, collum B. Virgo, membra cæteri fideles, *Collum*, inquit Hailgrinus, *eſt eminentia ſublimitatis eius, &* *Hailgrin.*
*eſt ſicut turris Dauid, hoc eſt, à Chriſto vero Dauid fabricata, vt peccatoribus eſſet refugium & munimen. Propugnacula huius turris ſunt virtutes, gratia & prærogatiuæ, quibus peccatores protegit & inimicum expugnat.*

Plures cauſas & analogias colli, & B. *Cur?*
Virginis accumulat noſter P. Spinellus de laude B. Virginis cap. 16. num. 8. Virgo ſanctiſſima, inquit, in corpore Eccleſiæ collum dicitur, non tantùm, quia vt loco, ita & dignitate Chriſto capiti eſt proxima, & reliquis membris eminet, illáque capiti nectit; ſed etiam, quia omnis vis ſenſitiua, atque motiua à capite ad corpus per collum transfunditur, & ita Dei miſericordia per Virginem ad nos deriuatur: & meliùs quàm per collum, quod vim trahendi minimè habet, ſed ſolùm eſt via eorum, quæ per ipſum mittuntur; cùm tamen Deipara ſuis meritis & precibus Dei miſericordiam nobis impetret, & ad nos attrahat. Et quemadmodum, ſi quid à membris ad caput tranſmittitur, id per collum tranſmitti debet; ita & nos per Virginis manus mundiſſimas nos ipſos Chriſto offeramus, dicentes illi cum S. Bernardo: *Per te acceſſum habeamus ad filium, ô benedicta inuentrix gratia, genitrix vitæ, mater ſalutis, vt per* *Bernard.*
*te ſuſcipiat nos, qui per te datus eſt nobis*; imò collum eſt via reſpirationis, quâ animalis vita conſeruatur; eſt via, quâ cibus nutritioni & augmentationi animalis neceſſarius tranſmittitur: in collo eſt guttur ex præcipuis ad loquendum inſtrumētis: de collo monilia & preioſa quæque ſuſpenduntur: Matris collum filij ob timorem ſiue ob beneuolentiam apprehendunt; quæ omnia myſticè Virgini optimè congruere perſpicuum eſt.

Quo

Quocirca S. Bernardinus Senenſis tom. 1. concl. 61. art. 2. cap. 10. *Plenitudo,* inquit, *gratia fuit in Chriſto, ſicut in capite influente: In Maria verò, ſicut in collo transfundente.* Et Germanus in ſerm de Zona B. Virginis: *Si tu,* inquit, *nos deſerueris, quidnam de nobis fiet, ô Sanctiſſima Deipara, ſpiritus & vita Chriſtianorum? quomodo enim corpus noſtrum vitalis ſignum operationis habet reſpirationem; ita etiam ſanctiſſimum tuum nomen, Virgo beatiſſima, quod in ore ſeruorum tuorum verſatur aſſiduè in omni tempore, loco, & modo, vita, lætitia, & auxilij non ſolùm eſt ſignum; ſed ea etiam procurat & conciliat.* Et S. Bernard. ſerm. 3. in vigilia Natiuit. Domini: *Nihil,* ait, *nos Deus voluit habere, quod per manus Mariæ non tranſiret.* Idem ſerm. de Aquęductu dat cauſam, quia ſcilicet ſic voluit Deus matrem honorari: *Altiùs,* inquit, *intueamini, quanto deuotionis affectu à nobis eam voluit honorari, qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria, vt proinde ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis ab ea nouerimus redundare, quæ aſcendit delicijs affluēs.* Et infrà: *Votis omnibus Mariam hanc veneremur; quia ſic eſt voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.*

Bernardin.

German.

Bernard.

Idem.

Porrò Rupertus per turrim accipit humilitatem B. Virginis: hæc enim illam exaltauit inſtar turris pertingentis ad cælum & Deum, vt fieret mater Dei: *Tuum collum,* inquit, *nequaquam extentum fuit, ſed eſt ſicut turris Dauid, id eſt, ſicut humilitas Dauid, per quam ille coram Deo fortis; & contra homines ſtetit inexpugnabilis: Ipſe enim quaſi tenerrimus ligni vermiculus, qui & cùm eſſet Rex vnctus dixit ad Saul, cùm eum ille perſequeretur: Quem perſequeris rex Iſraël, quem perſequeris? Canem mortuum & pulicem vnum. Turris iſta ædificata eſt cum propugnaculis, & mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium, id eſt, hanc eius tantam humilitatem cæteræ virtutes conſecutæ ſunt, maximéque fortitudo & ſapientia: Dauid ſedens in cathedra ſapientiſſimus eſt, quaſi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.* Et poſt nonnulla: *Adde illud, quod maximum eſt, quia Verbi, cuius myſterium conſecuta eſt, vt caneret humilitas patris tui Dauid, Verbi, inquam, eiuſdem ſubſtantiam concepit, & incarnatam peperit humilitas tua, ô filia Dauid.*

Rupert.

Porrò Aponius per turrim Dauid accipit Chriſtum, per propugnacula exēpla virtutum, quę Chriſtus in vita edidit; per mille clypeos & omnem armaturam fortium, crucem Chriſti: *Nemo enim,* inquit, *eſt fortis, niſi is, qui pro ſcuto cruce Dominica tutus, mentis affectu protectus incedit.*

Aponius.

Verſ. 5. *Duo vbera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in lilijs,*

Verſ. 6. *Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ. Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.*

*DVO vbera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in lilijs* (id eſt inter lilia, quæ in campis naſcuntur, quale eſt lilium conuallium de quo, cap. 2. verſ. 1.)

*Donec aſpiret dies & inclinentur vmbræ.* Pro *in lilijs* Symmach. vertit, *in floribus.* Hinnuli enim, ſiue capreoli petulci & & coniſcantes, in candenti lilijs campo, floribus paſcuntur.

Symmach.

*Incorruptæ,* inquit Hortolanus, *benéque habitæ puellæ vberum pulchritudinem & laudes, in his maximè conſiſtere affirmant acuti formarum ſpectatores: Nimirum quòd parua ſint, rotunda, ſolida, nec diffluentia ſed contracta, comparia, nitida & ſucculenta. Atque ex his omnibus notis hoc loco Sponſæ laudantur vbera, per eorum aſſimilationem ad gemellos capreæ hinnulos, electa carpentes paſcua. Hinnuli namque capreæ ſua paruitate placent: præſertim quùm ſe colligunt, & in orbem contracti erumpere velle videntur, & exilire. Placent & inde plurimùm, quùm non macilenti ſunt, ſtrigoſi aut lutulenti, ſed nitidi & ſucculenti. Tales verò ſunt, qui in pratis floridis, miniméque paludoſis inter lilia ibidem creſcentia ſua carpunt paſcua, Placent denique in gemellis, quòd vno partu editi compares ſunt, & quàm ſimillimi.*

Hortolan.

Adde hinnulos ſuauis eſſe coloris, æquè ac odoris, præſertim dum paſcuntur inter lilia odorata, ac ſua ſpecie, mūditie, agilitate & ſubſultu feſtiuos, amabiles & gratioſos apparêre, qualia pariter ſunt vbera Sponſæ. Inſuper Noſter Delrio, Sanchez & Luyſius parabolam hanc, quæ primâ fronte remota & inconcinna videtur, ita decorè concinnant, vt vbera Sponſæ comparentur capitibus hinnulorum; quæ lilijs eminent. Hæc enim capita ſua paruitate, rotunditate & candore ſimilia ſunt vberibus. Ora autem eorum modica & ſubrubentia, referunt papillam vberum. Non minus concinnè Romæ vir. Religioſus & ſolers, hanc adaptationem mihi ſuggeſſit, ſcilicet vberibus Sponſæ hîc comparari nō tam capita hinnulorum, quàm partem dorſi poſteriorem: hæc enim rotundè arcuatur & eminet inſtar vberū, cùm hinnuli demiſſo capite paſcuntur

*Quomodo vbera aptè comparentur hinnulis?*

inter lilia; lilia enim caput eorum tegunt & abſcondunt dorſo eminente, vt ſenſus ſit.q. d. Duo vbera tua, ô Sponſa, ſunt candida, modica, rotunda, turgida, & ſpecioſa inſtar hinnulorum duorum, qui cùm inter lilia paſcuntur, capútque ad germina demittunt, ſolâ parte poſteriore prominent & extant: hæc enim eorum pars pariter candida eſt, modica, rotunda, turgida & ſpecioſa.

Denique nonnulli apud Titelm. cenſent eſſe Hypallagen, ac per eam non tam vbera Sponſæ comparari hinnulis, quàm vberibus capreæ quæ ſugunt hinnuli. Sic ergo verba eſſe exponenda & adaptanda, q.d. Duo vbera tua ſunt ſicut duo vbera capreæ lactantia duos hinnulos gemellos, qui paſcuntur in liliis; vbera enim capreæ, æquè ac Sponſæ ſunt ſucculenta & lacte diſtenta. Vel hoc modo: Duo vbera tua ſunt, ac ſi duo hinnuli gemelli capreæ vnius duobus lactētur vberibus, qui etiam paſcantur in liliis. Atque ita per duos hinnulos intelligunt duos populos; ſcilicet Iudæos & Gentiles, qui ambo quaſi vnius capreæ, id eſt, Eccleſiæ gemelli, eodem fonte Baptiſmatis regenerati, eiuſdem vberibus lactantur, vti intelligunt S.Gregor. Philo, Aponius, Iuſtus & Anſelm. Hebræi enim in loquendo ſimplices ſunt & conciſi, ac nonnulla ſubaudienda & adaptanda auditori relinquunt. Sic verſ. 1. dixit: *Capilli tui ſicut greges caprarum*, id eſt, capilli tui ſimiles ſunt capillis gregum caprarum: & verſ. 1. *dentes tui ſicut greges tonſarum*, id eſt, dentes tui tales ſunt, quales habent greges tonſarum. Simili planè modo hîc exponas: *Duo vbera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli*, id eſt, Duo vbera tua ſunt talia, qualia in caprea habent & ſugunt duo hinnuli eius gemelli. Aptiſſimè enim vbera Sponſæ comparantur vberibus capreæ lactantis hinnulos: nam hinnuli ipſi non habent vbera neque lactant, ſed lactantur. Sicut ergo caprea lactat hinnulos, ſic Eccleſia lactat Iudæos & gentes.

*Duo vbera Synagogæ. Moyſes & Aaron.*

Porrò Rabbini per duo vbera & hinnulos gemellos: intelligunt Moſen & fratrem eius Aaronem, qui Iſraëlem lactarunt, & rexerunt. Vnde Chald. vertit:

Chald.

*Duo ſaluatores tui, qui te ſaluaturi ſunt, ſimiles ſunt Moyſi & Aaron filiis Iocabed, qui comparati ſunt duobus hinnulis gemellis capreæ, & paſcebant populum Iſraël per merita ſua, quadraginta annis in deſerto manna, & auibus pinguibus; & aqua putei Miriam.*

R. Salomon verò per duo vbera accipit duas tabulas Decalogi, à Deo datas Moſi ad docendum populum.

Denique Noſter Alcazar in Alluſion. ad Apocalypſin lib. 3. primos huius capitis verſus ita ad literæ ſuperficiem explicat; verſ. 1. in oculis, eorundem velandi candorem, caſtitatemque commendat; in crinibus, quòd ſint benè promiſſi: verſ. 2. in dentibus, alacritatem & auiditatem mandendi: verſ. 3. in labris Suadam, id eſt, gratiam perſuadendi inibi ſeſſitantem; in malis verecundiam: verſic. quarto, in torquato collo, erecta obedientiæ trophæa: verſ. quinto, in vberibus, inceſſabilem alendi vim.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

VBera notant fœcunditatem, vim lactandi & beneficentiam Eccleſiæ, vti dixi cap. 1. v. 1. fœminæ enim vbera non dant lac, niſi poſt partum. *Vbera, fœcunditas & beneficentia Eccleſiæ.* Notat ergo Eccleſiam Spiritu Dei prægnantem, multos parere & lactare filios Chriſto. Porrò ſicut per collum Pontifices, ſic per vbera collo ſubiecta, denotat Sacerdotes & Diaconos, inquit Hortolanus, Pōtificibus ſubditos. Sacerdotes enim lactant populū, Miſſas celebrando, Euchariſtiam diſtribuendo, Confeſſiones excipiendo, inſtruendo, & hortando ad omne bonum. Diaconi pariter lactant plebem duplici vbere, bonorū ſcilicet temporalium & ſpiritualium. Diaconi enim ab Apoſtolis ordinati ſunt, Actor. 6. vt præeſſent diſtributioni eleemoſynarum, ac Apoſtolis & Sacerdotibus ſubſeruirent. Hinc Romana Eccleſia olim diſtributa erat in varias Diaconias, quibus ſingulis præerant Diaconi ſinguli, qui pauperibus ſuæ Diaconiæ eleemoſynas diſtribuebant, vt patet ex Epiſtolis pluribus S. Gregorij. *Diaconorum officia.* Rurſum Diaconi abſente ſacerdote baptizant, Euchariſtiam miniſtrant, & prædicant verbum Dei, vti fecit S. Stephanus & S. Vincentius. Idque ſtatuit Concilium Nicænum cap. 14. & Vaſenſe 2. cap. 2. & S.Greg. lib. 4. Epiſt. 88. Diaconis pariter ex officio competit ſolemnis recitatio vel decantatio Euangelij, oratio cum Pontifice, cura pacis & ſilentij in Eccleſia, vt ait S. Clemens lib. 2. Conſtit. cap. 61.

Hi ergo ſimiles ſunt hinnulis, qui paſcuntur inter lilia, quia ætate & virtute *Diaconi ſunt hinnuli. Cur?*

florentes,

Digitized by Google

florentes, puritate & caſtitate præminent, & inter virgines, ſanctéque degunt, quorum virtutibus & exemplis paſcuntur. Vnde Diaconatui ex inſtitutione Apoſtolorum annexa eſt continentia & cælibatus, vti docet Concilium Carthagin. 2. cap. 2. & S. Leo Epiſt. 95. Vide dicta Actor. 6. 1. Quocirca Diaconi olim in Eccleſia, & vitâ & doctrinâ & martyrio fuêre illuſtriſſimi, nec ceſsêre Pontificibus. Tales fuêre S. Stephanus, S. Laurentius, S. Vincentius, S. Siſinnius, S. Cyriacus, S. Largus, S. Smaragdus, aliique plurimi, qui quaſi Angeli cæleſti conuerſatione & feruore toti Eccleſiæ præfulſerunt, plurimóſque ad Chriſti fidem conuerterunt, in eâque fouerunt & aluerunt. Vbera igitur Eccleſiæ hinnulis gemellis ſimilia, ſunt Diaconi, cum de ſe humiliter ſentiant, ait Hortolanus, ſéque in arctum cötrahant, omnium miniſtri & alumni, nullo luxu diffluentes, collecti & quaſi in orbem contracti, actuoſi tamen, & ad beneficentiam oppidò quàm propenſi, ceu cæleſtium caprearum filij, ſuâ paruitate & beneficentiæ ſtudio placent plurimùm. Pura præterea, & omnis puritatis exemplis florentia Sacræ Scripturæ prata, ac ſuperſubſtantialem meam eſcam (Euchariſtiam) ſummâ cum munditiâ depaſcentes, cæleſti replentur ſucco: paréſque cùm ſint fide, ac moribus & inter ſe quàm ſimillimi, (quippe quorum ſit cor vnum & anima vna) gemelli videntur, & vno fidei partu editi. Aſpectu iucundi ſunt, ſciti & gratioſi: propter geminum munus ſuum, pro duobus pulcherrimis vberibus tibi dati. Hæc itaque ſunt formoſiſſima tua vbera, parua, rotunda, contracta, parilia, nitida, & quibus tuos alumnos abundè alis, ſucculenta, atque omnibus numeris abſoluta: idque *donec aſpiret dies* beatæ æternitatis, *& inclinentur vmbræ* huius mortalitatis: nam vſque ad finem mundi durabit hîc Hierarchicus Sacerdotum, & Diaconorum ordo.

*Duo vbera vetus & nouum Teſtamentum.* Huc accedunt multi Patres, qui per duo vbera accipiūt vetus & nouum Teſtamentum: hiſce enim legendis, citandis & explicandis vacant, ac fideles paſcunt Sacerdotes & Diaconi: fideles, inquam gemellos, id eſt Iudæos, & Gentiles. Ita Aponius, Philo, Iuſtus Orgelit. & Anſelm. ac S. Gregor. 24 Mor. cap. 10.

Porrò S. Gregorius hoc loco, pluréſque alij omnia hæc corporis membra hucuſque recitata, attribuunt Eccleſiæ Doctoribus, & Prædicatoribus, ſed ob diuerſas rationes & reſpectus, ſcilicet, vt ijdem dicantur oculi Eccleſiæ, quia occulta vident: dentes, quia improbos corripiunt, & caſtigationis dente confectos in corpus Eccleſiæ ingerunt: collum, quia vitalem gratiæ ſpirituum, & ſpiritales cibos reliquo corpori ſubminiſtrant: vbera, quia lac paruulis in Chriſto exhibent.

Verumtamen meliùs alij iſta in varios Eccleſię Ordines, ſtatus & gradus diſtribuunt: omnes enim hi faciunt decus & complementum Eccleſiæ: vnde omnes hîc deſcribere voluit Spiritus S. Per capillos ergo repræſentātur Religioſi, per dētes Doctores, per labia coccinea Prædicatores, & Martyres, per genas Virgines, per collū Pōtifices per vbera Sacerdotes & Diaconi, vt dixi. Igitur per vbera notari Doctores (quales in populo ſūt Sacerdotes & Diaconi) cenſent Caſſiod. S. Gregor. Nyſſen. Theodoret. Philo, Beda, Aponius, Anſelm. Hi enim lacte doctrinæ paſcunt populum. Vnde inſtar capreę acutiſſimè vident, inquit Nyſſen. & Theodor. & ad alta conſcendunt, ac ſicut hinnuli magis ramos fruticum, quā herbam terræ, id eſt, magis diuinas ſcripturas, quàm humanas ſcientias depaſcuntur, inquit Aponius: ſuntque gemelli, quia concordes in doctrina & prædicatione, ait S. Gregorius.

Symbolicè Pſellus: Duo vbera, inquit, ſunt ſāguis & aqua, quæ ex latere Chriſti in cruce profluxerūt, ex quibus animę fidelium alimoniam & ſalutem hauriūt.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

DVo vbera animæ ſāctæ ſunt gemina charitas, Dei ſcilicet & proximi: hiſce enim & ſe & alios lactat & paſcit. Ita Philo Carpath. Talis fuit S. Paulus, qui flagrans zelo Dei & ſalutis animarum, omnibus vbera quaſi materna exhibuit. Vnde Galatis ſcribens ait c. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio donec Chriſtus formetur in vobis.* Et Corinthiis Epiſt. 1. cap. 3. verſ. 1. *Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam: Nondum enim poteratis.* Quocirca S. Ambroſ. ſerm. 68. Paulum nuncupat Eccleſiæ nutritorem, & eius Epiſtolas Eccleſiæ vbera, atque huius rei ſymbolo aſſerit, caput eius à ceruice reciſum pro ſanguine lac fudiſſe, Quod etiam teſtatur S. Chryſoſtom. Orat.

*Duo vbera eſt duplex charitas.*

*Galat. 4.*

*1. Cor. 3. 1.*

Orat. in Princip. Apoſt. ſed Audi S. Ambroſ. *Quid enim mirum ſi abundat lacte nutritor Eccleſiæ?* &c. *cuius Epiſtolæ tanquam vbera, Eccleſiarum populos enutriunt ad ſalutẽ.*

Ambroſ.

Et duplex Eleemoſyna.

Rurſum, duo vbera charitatis ſunt. Eleemoſyna temporalis, quæ nutrit corpus, & ſpiritualis, quæ paſcit animam. Audi Richard. de S. Victore *Hæc vbera lacte replẽtur charitatis, quæ iuniores & teneriores reficiunt, & quaſi matres lactant & alunt. Non habet hæc vbera anima adhuc carnalis, donec creſcat in gratia, & ſanguinem carnalitatis conuertat in lac deuotionis. Cùm verò in gratia creuerit & pietatem conceperit; tunc mater fit, lactat teneros, conſolatur deſolatos; contumeliis pulſata, vel iniuriis affecta, patientiæ & compaſſionis lac fundit, non ſanguinem carnalis commotionis. Quia enim pietatis lacte repleta eſt, dulcedinem exhibet, quam accepit, magis miſeriis ſe lædentis compatitur, quàm iniuriâ mouetur.*

Richard. Victorin.

Subdit deinde carnales & imperfectos, dum iniuriâ afficiuntur, moueri ad iram & vindictam; perfectos ad miſericordiam; quia hi habent vbera charitatis, quibus illi carent: *Si vbera haberet tactus, id eſt, iniuriâ pulſatus, lac funderet.* De tali dicitur cap. 8. 8. *Soror noſtra paruula eſt & vbera non habet.* Poſt nonnulla ſubiicit Richard. *Duo hinnuli ſunt Actiui & Contemplatiui, qui vtique ad lac gratiæ currere non ceſſant, & hoc deſiderant, & ad perfectum ſemper tendunt, & ſuperna petunt: ſemper ſe nouos, ſemper incipientes & inſufficienter ſe reputant, quia ad anteriora ſe extendunt.* Et mox: *Apud ſe paruuli ſemper ſunt, id eſt, humiles, & ideò lac gratiæ quærunt, ad hoc tendunt, hoc ſugunt; vnde quia ad hoc lac indeſinenter currunt, hoc percipiunt & hoc reficiuntur, ac ita dulcedine huius replentur, vt eius abundantia aliorum inopiam ſupplere ſufficiat.* Et poſt nonnulla: *Hi autem paſcuntur inter lilia. Per lilia, quæ nitent & odorem habent, munditiam bene viuentium & odorem virtutum accipimus, Inter quæ paſcuntur hi gemelli, quia in munditia bonorum, & bono odore conuerſantium delectantur.*

Cant. 8. 8.

Richard.

Vide S. Bernardum ſerm. 10. in Cant. vbi docet hæc vbera charitatis lacte à Deo repleti in oratione, & crebra meditatione.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

Beata Virgo ſuis vberibus lactauit hinnulum diuinum, id eſt, Chriſtum, qui gemellus eſt, ob geminam naturam, diuinam & humanam. Vnde mulier illa in Euang. exclamabat Lucæ 11. 27. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti.* Eadem enim eſt materia, ex qua formatur proles in vtero, & quâ deinde in lac conuerſâ alitur, vt docet Ariſtot. lib. 4. de Generat. anim. cap. 8. Quare, cùm B. Virgo ſupra naturam ex Spiritu ſancto conceperit & pepererit Chriſtum, ſequitur, illam eiuſdem virtute in vberibus lac accepiſſe, quo Chriſtum paſceret. Vnde Eccleſia in Feſto Circumc. canit: *Sola virgo lactabat vbere de cælo pleno*, Virgines enim naturaliter lac habere & dare nequeunt.

Luc. 11. 27.

Offic. Eccleſiaſt.

Porrò infans, qualis fuit Chriſtus, & candore & ſtaturâ & gratiâ ſimilis eſt hinnulo: vbera verò Virginis comparantur hinnulo, quia Chriſtus ſugens vbera matris, priùs eadem lacte & gratiâ replebat; vnde ipſe lactens, potiùs erat lactans matrem.

Rurſum Rupertus per duo vbera accipit virginitatem & fœcunditatem B. Virginis, vtraque enim lactat paſcitque Eccleſiam inter lilia puritatis & caſtitatis. Addit deinde ſeptem ornamenta Angelica B. Virginis huc vſque recenſita, ſcilicet oculos columbinos, capillos caprarum, dentes tonſarum, labia vittæ coccineæ, genas puniceas, collum turris Dauidicæ, vbera hinnulorum, opponi ſeptem deformitatibus diabolicis, quibus fœdantur filiæ huius ſæculi, quæ ſunt altitudo oculorum, criſpatio capillorum; voracitas dentium, incontinentia labiorum, irreuerentia genarum, colli erectio nimia, confractionis vberum frequens iniuria, hæc ſcilicet ſunt ſeptem dæmonia, quæ à Magdalena expulit Chriſtus, Lucæ 8. 2.

*Septem virginis dotes ſeptem vitiis aduerſa.*

Inſuper Richard. de S. Victore: B. Virgo, inquit, habet *duo vbera geminæ dilectionis, lac fundentia, quia reis impetrat veniam & iuſtis gratiam. Quæ vbera ſunt ſicut duo hinnuli capreæ; hinnulos hos intelligere poſſumus Angelos, & hominum animas ad Regnum iam tranſlatas; Qui benè hinnuli dicuntur, quia montem cæleſtis habitationis conſcenderunt; & diuinæ contemplationis dulcedine reficiuntur, ſicut hinnuli & alta petere ſolent; & lacte nutriuntur. Hi hinnuli gemelli ſunt capreæ, id eſt, Chriſti, à quo pariter capiunt & ſugunt lac geminæ dulcedinis, diuinitatis ſcilicet & humanitatis. Caprea enim eſt Chriſtus, quia ſalit in montibus & tranſilit colles, & ita ſaltum dedit in vterum Beatæ Virginis; Et de hoc in mundũ, & de mundo in cælum, vbi paſcit hinnulos iſtos cæleſti lacte. Itaque cùm tam Angeli, quàm ſanctæ animæ pro peccatoribus ſolliciti ſint, & eis tam meritis, quàm interceſſione ſubueniant, creden-*

Richard. Victorin.

*dum*

*dum eſt, Beatam Virginem tantùm in hoc poſſe, quantùm vtramque hãc creaturam, imò vtrâque potior iudicatur, quia vtraque per hanc reparatur, & Angelorum ruina per hanc reſtaurata eſt, & humana natura reconciliata.*

Et pluribus interiectis: *Hinnulorum velocitati comparatur, quia velociùs occurrit eius pietas, quàm inuocetur, & cauſas miſerorum anticipat. Hinnulis verò comparatur, quia dulcedinem bonitatis, quam impendit, ipſa deſuper fugit.*

Denique poſt nonnulla cauſam fontémque apetit: *Sicut enim,* inquit, *vbicumque fuerit corpus, congregantur & aquilæ; ita vbicumque fuerit miſeria, tua & currit & ſuccurrit miſericordia. A Deo pietate replentur vbera tua, vt alicuius miſeriæ notitiâ tacta, lac fundant miſericordiæ, nec poßis miſerias ſcire & non ſubuenire. Et quid mirum ſi miſericordiâ affluis, quæ ipſam miſericordiam peperiſti? Carnalia in te Chriſtus vbera ſuxit, vt per te nobis ſpiritualia fluerent. Cùm enim miſericordiam lactaſti, ab eadem miſericordiæ vbera accepiſti.*

*Donec aſpiret dies & inclinentur vmbræ.*

Nonnulli cum Rabbinis, Pſello & Hortolano hæc referunt ad ſequentia: *Vadam ad montem myrrhæ,* &c. idque commodo ſenſu, q.d. Interim, dum aduesperaſcat, vadam ad montem myrrhæ & collem thuris, vt eorum vmbrâ æquè ac fragrãtiâ me paſcam & oblectem. Hinc Chaldæus more ſuo Iudaizans ſic vertit: *Et omni tempore, quo populus domus Iſraël tenebat manibus ſuis artem patrum ſuorum iuſtorum, fugiebant nocentes ſpiritus tenebricoſiores, & matutini ac meridiani Dæmones de medio eorum, eò quòd maieſtas gloriæ Domini reſidebat in domo ſanctuarij, quæ ædificata eſt in monte Moriah, & omnes dæmones, & nocentes ſpiritus fugiebant ab odore incenſi aromatum.* *Chald.*

Verùm meliùs Patres omnes hanc gnomen referunt ad id, quod præceſſit, q.d. Hinnuli paſcuntur inter lilia, quamdiu durat dies vſque ad veſperam, quando cum matribus paſti domum repedant, iuxta illud Virgilij:

*Ite domum ſaturæ, venit heſperus, ite capellæ.* *Virgil.*

Porrò hanc ſententiam expoſui cap. 2. verſ. vlt. Quare hîc iota non addam.

*Vadam ad montẽ myrrhæ & ad collem thuris.*

*Hebr.* Hebr. *Vadam mihi.* q.d. Ibo ſolus voluptatis & animi cauſâ. Id dicit Sponſus, vt Sponſæ deſiderium ſecum eundi iniiciat, illáque dicat: Volo & ego, Sponſe mi, ire tecum: tua enim voluntas & voluptas, mea quoque eſt voluntas & voluptas. Vnde Syrus vertit: *Vade,* ſcilicet *Syrus.* ô Sponſa, ad montem Myrrhæ: Et Arabicus: *Vadam cum eo.* *Arab.* Sunt verba nõ Sponſæ, vt volunt nonnulli; ſed Sponſi: nam hîc mox verſu ſequenti redit ad Sponſæ laudes, quas hîc obiter interrumpit inuitando eam ad mõtem myrrhæ & collem thuris, quem veriſimile eſt fuiſſe hortum Salomonis iuxta Ieruſalem, pulcherrimis & pretioſiſſimis myrrhæ, thuris, aliorúmque aromatum fruticibus, arboribúſq; ex Libano, Arabiâ, aliiſque regionibus adductis conſitum, qui proinde ſaltus Libani dicebatur, de quo 3. Reg. 7. 2. Hinc montes hi vocantur aromatum cap. 8. verſ. 14. & cap 6. 1. *Dilectus meus,* inquit, *deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum, vt paſcatur in hortis & lilia colligat.* *Cant 6. 1.*

*Mons Myrrha & collis turris, fuit hortus Salomonis iuxta Ieruſalem.*

# PRIMVS SENSVS

## *De Chriſto & Eccleſia.*

*Myrrha eſt mortificatio, thus, oratio.*

LAudatat Chriſtus Sponſus Eccleſiam Sponſam ab vberum fœcunditate, id eſt à zelo animarum; nunc ne ita illis intendat, vt ſe negligat, illam quaſi ad ſe reuocat, vt ſecum vadat ad montem myrrhæ, quæ guſtu eſt amara, id eſt, ad ſtudium mortificationis, & ad collem thuris, id eſt, ad ſtudium orationis; vt per illa ſeipſam magis purificet, ſanctificet, Deo vniat, eiúſque ſpiritu repleat, quem deinde fructuoſiùs in alios effundat. Hinc Hebr. מר *mor,* id eſt, *myrrha,* alludit ad montem *Moriah,* in quo immolatus eſt Iſaac & crucifixus eſt Chriſtus, q. d. Eamus ad montem Caluariæ, qui pars eſt montis Moriah, ibique crucem, clauos, lanceam, plagas, dolores, vulnera, iniurias, probra, quæ pro te, ô Eccleſia, ô fidelis anima mea, perpeſſus ſum, contemplemur, vt ex iis diſcas ſimilia pati pro me Sponſo tuo, téque dare ſtudio mortificationis tam actiuæ & ſpontaneæ, quàm paſſiuæ & ab aliis illatæ; iuxta hunc montem enim eſt collis thuris: crux enim & paſſio docet hominem orare, Deúmque in afflictione inuocare. Porrò quis refugiat myrrham paſſionis, quam Chriſtus ſponte amplexus eſt; Anima enim, quæ ſapit, quærit Chriſtum; ac non niſi in Caluaria & cruce, hoc eſt, in myrrha mortificationis, & thure orationis eum inuenit. Docet hîc ergo Chriſtus viam ad ſanctitatem eſſe Mortificationem & Orationem, vnámque alteri eſſe iungendam. Mortificatio enim ſine oratione eſt inſi- *Vtraque iungenda.*

pida & horrida, Oratio ſine mortificatione eſt ſterilis & infructuoſa. Mortificatio igitur fulciatur oratione, & oratio condiatur mortificatione. Mortificatio domat & iugulat concupiſcẽtias & paſſiones, putà cupidinem honoris, deliciarum, opum, commoditatum: Oratio verò mentem mortificatam ſuſtollit ad Deum, ab eóque cæleſtes amores, ſenſus & ſpiritus haurit: quamobrem mortificatio eſt, quaſi myrrha, & ſal putredinem concupiſcentiarum è carne & mẽte noſtra exugens, eámque deſiccans & à corruptione conſeruans. Oratio verò eſt velut thus illam per fumum & ignem Deo adolens, offerens & ſacrificans. Ita Caſſiodor. Beda, Aponius, Philo, Iuſtus Orgel. & alij.

*Myrrha Paſſio: thus Reſurrectio.* Secundò, Nyſſenus, Theodoretus & tres Anonymi apud ipſum, Pſellus & Rupertus per montem myrrhæ accipiunt Paſſionem Chriſti, per collem thuris Reſurrectionem, imò Philo accipit Chriſtum ipſum paſſum & reſurgentem. Nil enim ita Sponſam animat ad Sponſi amorem & imitationem, atque eius Paſſio & Reſurrectio. Porrò hæc Chriſtus Sponſæ conſideranda proponit non eminùs, ſed cominùs, vt ſcilicet mente & contemplatione adeat ipſum montem Caluariæ, ibíque quaſi præſens præſentem Chriſtum pro ſe crucifixum oculis intueatur, perinde ac ſi rem ipſam olim actam, rurſus coram ſe peragi cerneret. Hæc enim viua & efficax contemplatio Chriſti patientis & reſurgentis mirè amorem, ſpem, omnémque virtutem excitat: *Si enim compatimur, & conglorificabimur*, ait Paulus. Audi Pſellum: *Age tu mecum, qui cruci affixus ſum, crucifigere, vt magnâ item à patre gloriâ mecum afficiare. Sponte enim volo ego ſanè mortem oppetere, vt fidelibus diem ſalutis aſpirem, & vmbras diſcutiam impietatis.* Veni ergo in montem myrrhæ, vbi ego mortalitatem exui, vt inde pergas in collem thuris, vbi ego reſurgens immortalitatem & gloriam indui. Audi & Theodoretum: *Quando adeò decora es, & amoris erga me vulnere ſauciata, pro te mortem oppetam, & myrrhæ montem ſponte conſcendam; ſed iterum ſurgam, & reuertar ad collem thuris: vt per myrrham mortem ſignificet, per thus autem diuinam naturam.* Et poſt nonnulla: *Vadam inquit mihi ipſi* (ſic enim habent Septuag.) *ad montem myrrhæ & ad collem thuris: vtrumque enim libens facio, nullâ vi, nullâ coactus neceſsitate. Nemo enim tollit animam à me, ſed ego pono eam à meipſo, vt iterum ſumam eam.* Quærit deinde

Rom. 8. 17.

Pſellus.

Theodoret.

Theodoretus cur mortem vocarit montem, Deitatem verò collem, cùm hæc longè maior ſit illâ? ac reſpondet, quia Deum mori *tam excelſum atque arcanum eſt, vt ab homine animo & cogitatione nequeat comprehendi.* Cauſam dant tres Anonymi: *Mortalitatis enim*, inquiunt, *ſymbolum eſt myrrha, thus verò diuinitatis.* Corpora enim mortua condiuntur myrrhâ, vti conditum eſt corpus Chriſti: thura verò adolentur Deo, ad quem poſt Reſurrectionem reuerſus eſt Chriſtus in cælum. Deo enim propria & eſſentialis eſt immortalitas & felicitas, ideóque illa repræſentatur per thus, quod propriè datur Deo. Vnde cùm in igne adoletur, totum per fumum euaporat, & aſcendit in cælum ad Deum. Rurſum per Reſurrectionem à mundo agnita eſt Chriſti diuinitas, vnde illum crediderit eſſe Deum, ac proinde illi quaſi Deo vero thus obtulit, ait Rupertus.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

Anima ſancta fit ſanctior dum vadit ad montem myrrhæ, id eſt, cùm Chriſtum crucifixum coràm contemplatur, & per mortificationem ac paſſionum pro Chriſto tolerantiam imitatur, ac ad collem thuris, id eſt, cum orationis, deuotionis & religionis incenſum Deo offert. Audi S. Gregorium: *Quid per montem myrrhæ, niſi fortem altitudinem mortificationis in opere, & quid per collem thuris intelligimus, niſi altam humilitatem in oratione? Ad montem ergo myrrhæ & ad collem thuris Sponſus vadit, quia eos familiariter viſitat, quos per mortificationem vitiorum ad alta proficere, & per mundas & humiles orationes ſuauiter redolere perſpicit. His quippe virtutibus ſancta Eccleſia, vel vnaquæque anima mundana efficitur, quia dum per voluptatum mortificationem vitiis reluctatur, & per ſanctas orationes frequenter lachrymis abluitur, ſordes lauat, vt Sponſo placeat, cui pulchra apparere conatur, cuius conatum ad effectum Sponſus per gratiam ſuam ducit, opuſque ſuum in Sponſa benignè laudat & dicit: Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Gregor.

Mortificationem collocat in Monte, quia ardua eſt & difficilis; orationem in colle, quia facilior & ſuauior. Rurſum myrrham præponit thuri, quia mortificatio præire debet orationem, adeóque ipſa recta eſt via ad orationem ſinceram, puram & ardentem, quæ meretur à

Deo

Deo exaudiri. Denique mortificatio eſt meritum doni orationis, oratio mortificationis eſt præmium.

*Symbolicè.* Symbolicè, S. Anſelmus per montem myrrhæ accipit chorum Martyrum, per collem thuris chorum Confeſſorum. Omnes enim Sancti vel Martyres ſunt, vel Confeſſores. Dicit verò Chriſtus, *vadam* cùm ſingulos gratiâ ſuâ viſitat, & ad martyrium vel virtutes Confeſſore dignas excitat, idque donec aſpiret dies beatæ æternitatis, & incſinentur vmbræ mortalitatis. Nam in cælo myrrha & fel vertetur in ſaccharum & mel: thus verò fumoſum in clarum viſionis & amoris diuini incendium. Ita B. Virgo ſtipata choris beatorum, cuidam ſanctæ Virgini apparuit, manu tenens B. Hyacinthum, Polonum, Ordinis Prædicatorum, iam vitâ functum, eúmque ducens in cælũ ſuauiter concinebat: *Ibo ad montem myrrhæ, & ad colles Libani cum B. Hyacintho*, vti refert Leander Albertus in eius vita, apud Surium die 16. vel 17. Auguſt. Porrò ipſo feſto Aſſumptionis ſuæ B. Virgo eum aſſumpſit in cælum.

*B. Virgo ducit B. Hyacinthum Polonum in cælum ipſo ſuæ Aſſumptionis die.*

## TERTIVS SENSVS

### *De Chriſto & B. Virgine.*

B. Virgo Chriſtum comitans ad crucem in montem Caluariæ, dicebat: *Vadam ad montem myrrhæ*, ac deinde videns eum reſurrexiſſe, conſcendit *collem thuris*, incenſum grariarum actionis & iubili offerens Deo. Idem fecit per omnem deinceps vitam, aſſiduè mente contemplans, & corpore obiens montem Caluariæ, & Oliueti, vbi Chriſtus paſſus eſt, reſurrexit & aſcendit in cælum. Rurſum ipſa fuit viuum exemplar Apoſtolis, cęteriſque fidelibus tam mortificationis, quàm orationis continuæ.

Denique pro *thuris* Hebr. & Græcè eſt *Libani*, id eſt, thuris candidi: לבן *lavan* enim eſt album, candidum: vel thuris, quod In monte Libano naſcitur. Vnde Hugo Victorin. tom. 2. lib. de amore Sponſi & Sponſæ legit: *Ibo mihi ad montem myrrhæ & colles Libani*, ſicque explicat: *Ibo*, ait, *mihi*. Sibi vadit, quia ſingularis amor participem ſecreti non recipit. Sibi vadit, qnia non vult ſodalem itineris, qui non patitur conſortem amoris. Myrrha, quæ amara eſt ad guſtandum & corpora mortuorum à putredine ſeruat, ſignificat mortificationem carnis. Libanus, quod nomen interpretatur candidatio, ſignificat munditiam carnis. Hæc ergo eſt via, per quam Sponſus ad Sponſam venit, mons myrrhæ & colles Libani, quia primùm per abſtinentiam concupiſcentiam carnis occidit, deinde per mundiriem cordis ignórantiam mentis abſtergit.

*Hug. Vict.*

Quæres, cur dicatur *ad collem thuris*, non ad montem thuris, vti dicitur *ad montem myrrhæ?*

*Collis thuris quid? Reſp. 1.* Reſp. quoad corticem literæ videtur in horto Salomonis fuiſſe collis thuris vicinus monti myrrhæ; id enim verba hæc innuunt: quoad medullam verò primò, iuxta montem myrrhæ, id eſt, Caluariæ, vbi crucifixus eſt Chriſtus, erat collis thuris, id eſt, hortus altus Ioſephi ab Arimathia, in quo ſepultus eſt Chriſtus, indéque tertio die glorioſus reſurrexit. Hic enim hortus à loco crucifixionis Chriſti paucis paſſibus diſtat, vti teſtantur illi, qui Ieroſolymis fuerunt & viderunt. Myrrha enim Chriſti Paſſionem, thus Reſurrectionem denotat vti dixi.

2\. Secundò, mons myrrhæ eſt mons Caluariæ, cui adiacet & nonnihil ſupereminet collis thuris, id eſt, Sion, in quo Salomon ædificarat templum: hic enim dicitur thuris, qnia in eo thura, orationes, & ſacrificia offerebantur Deo. Mons enim Caluariæ & mons Sion ſunt quaſi duo colles, vel duo iuga eiuſdem montis communis.

*Mons Caluariæ. & mons Sion ſunt quaſi duo eiuſdem montis iuga.*

Tertiò, collis thuris eſt cœnaculum in monte Sion, vbi Chriſtus reſurgens Apoſtolis & B. Virgini apparuit; dicitur thuris, id eſt, Reſurrectionis; rurſum thuris, id eſt, orationis, quia in eo orantes & ardentia ad Deum ſuſpiria emittentes Apoſtoli; receperunt Spiritum ſanctum in Pentecoſte.

*Myſticè.* Myſticè Theodoret. myrrha, id eſt, paſſio & mors Chriſti vocatur mons, thus verò, id eſt, diuinitas vocatur collis; quia magis excelſum & admirabile hominibus videtur Deum pati & mori, quàm Deum exiſtere.

*Tropologicè & Anagogicè.* Tropologicè: ardua & excelſa eſt via ad montem myrrhæ, id eſt, mortificationis & martyrij, inde verò facilis eſt aſcenſus ad collem thuris, id eſt, orationis, deuotionis & contemplationis. Et Anagogicè ad collem thuris, id eſt ad cælum, vbi beati perpetuò thus gratiarum actionis & iubilationis offerũt Deo. Martyr enim vno paſſu tantùm diſtat à cælo: mox enim vt anima è corpore exceſſit, rapitur in cælum. Vnde illud

S. Au

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

BEata Virgo tota pulchra eſt, imò omnium non tantùm hominum, ſed & Angelorum pulcherrima, & nulla in ea eſt macula culpæ vel pœnæ, ſiue originalis, ſiue mortalis; ſiue etiam venialis, vti tota ſentit & conſentit Eccleſia, teſte Concil. Trid. ſeſſ. 6. Canon. 22. Vnde S. Auguſtinus de nat. & gratia cap. 36. cùm omnes homines, etiam iuſtos peccato veniali ſubiacere dixiſſet, ſubdit: *Exceptâ S. Virgine Mariâ, de qua propter honorem Domini nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæſtionem. Vnde enim ſcimus, quod ei plus gratia collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.*

August.

Vnde hæc verba Cantici: *Tota pulchra es, & macula non eſt in te*, B. Virgini ſoli appropriant Rupertus, Pſellus, Hugo vterque, ſcilicet Cardinalis & de S. Victore, S. Thomas, Galatinus, & S. Ildefonſus de laudibus B. Virginis.

Verſ. 8. *Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.*

HEBR. אִתִּי *itti*, id eſt, *Mecum à Libano Sponſa, mecum à Libano venies.* Verùm Noſter æquè ac Septuag. pro אִתִּי *itti*, id eſt *mecum*, alio puncto legerunt אֵתִי *ati*, id eſt *veni*: quanquam eodem redeat ſenſus: ſi enim legas *itti*, id eſt, *mecum à Libano Sponſa*, ſubaudias oportet, *veni*, vel venies, quod ſequitur.

Variæ verſiones. Vatabl.

Pro *coronaberis.* Hebr. eſt תָּשׁוּרִי *taſcuri*, quod Vatabl. & alij vertunt, *aſpicies*, q. d. Aſpicies de vertice Amana, Sanir, & Hermon ſubiectas valles & campos arboribus, floribus, herbis, fructibus virentes & vernantes: quod ſecutus Lyran. hæc refert ad Hebræos tempore Ioſue, quos ex hiſce montibus terram Chanaan ſibi promiſſam contemplatos eſſe aſſerit, vt eius ingrediendæ deſiderium in ſe acuerent. Alij *taſcuri*, vertunt, *cantabis* præ voluptate & gaudio שִׁיר *Sir* enim eſt Canticum. Alij, *ibis* vel *incedes.* Vnde Septuag. *tranſibis*, inquiunt, *de vertice fidei. Amana* enim Hebr. veritatem, & fidem ſignificat. Hinc & Syrus cum Arabico vertunt: *venies & tranſibis*. Alij, *taſcuri* vertunt *dirigêris*, vel *rectificaberis*, aut *rectà euades*, à rad. יָשַׁר *iaſcar*, id eſt, direxit, rectum fecit. Noſter pro *taſcuri* per ſchin, legit *taſuri* per ש ſin תָּשׂוּרִי: שׂוּר *ſur* enim ſignificat dominari, regere, imperare: *taſuri* ergo, id eſt, *dominaberis*, imperabis, ac vt Regina *coronaberis*.

LXX.

Syr. Arab.

Libanus notus eſt mons maximus, Iudææ confinis; dictus Libanus vel à candore niuium, quibus abondat: לָבָן *Laban* enim ſignificat album & candidum; vel à thure, cuius ferax eſt: *Libanon* enim Hebr. ſignificat *thus*. Vnde Philo Carpath. τὸ *Veni de Libano*, ſic explicat q. d. Veni de thure idololatriæ, quod idolis obtuliſti, ad verum Dei in Sionis templo cultum. Amana mons eſt altiſſimus trans Iordanem iuxta Libanum, Hermon, & Sanir montes ſitus; Gloſſa tamen per Amana accipit Amanum montem, qui Ciliciam à Syria diſterminat. *Sanir*, pars eſt vel appendix montis Hermon, vt patet Deuter. 3. 9. Adrichomius in deſcript. terræ ſanctæ pag. 93. n. 83. vult Sanir eundem eſſe montem cum Seir: hic enim adiacet monti Hermon: Seir dictus eſt ab accola Eſau, qui dictus eſt *ſeir*, id eſt piloſus, quia hirſutus: Sanir ergo mons celſus eſt trans Iordanem ad Orientalem plagam terræ. Hus ſitus, atque à Septentrione Monti Hermon, ab Auſtro monti Galaad coniungitur: à ciuitatibus verò Capharnao & Corozaim verſus æſtiualem ſolis ortum alicubi quatuor, alicubi ſex & pluribus milliaribus diſtat.

Amana vbi ſitus?

Sanir an idem quod Seir?

Hermon mons eſt excelſus vltra Iordanem è regione vrbis Pancadis ſitus, quam ab ortu reſpicit; à meridie verò monti Seir iungitur, ac vergens verſus Septentrionem, quà Trachonitidem Regionem circumit, prope Damaſcum Libano ſe copulat: vnde in Sacra Scriptura frequenter habemus, quòd terra filiorum Iſraël trans Iordanem ad ſolis ortum, à torrente Arnon vſque ad Montem Hermon extendatur. Eſt & alius Hermon mons citra Iordanem iuxta Thabor, & tertius in tribu Aſer adeò altus, vt perpetuò niues habeat.

Hermon quid?

Igitur Libanus, Amana, Sanir & Hermon ſunt montes ſibi vicini extra Iudæam, ſed Iudçæ confines eiúſque limites, in quibus erant ſpeluncæ vaſtæ, vbi degebant leones & pardi: vnde hîc dicitur: *de cubilibus leonum, & montibus pardorum:*

Mons pardorum.

*rum*; licet Adrichomius ex Brocardo & Berdenbachio in deſcript. terræ ſanctæ p. 186. num. 20. ſeparatum montem conſtituat, qui dictus ſit pardorum à pardis in eo degentibus æquè ac leonibus, ex quorum cum pardis commixtione naſcuntur leopardi: Mons Leopardorum, inquit, rotundus & altus eſt, qui contra Aquilonem à Tripoli duabus, verſus Auſtrum à ciuitate Arcas tribus, à Libano autem vno milliario diſtat; Additq; ibi oſtendi ingens in ſpelunca monumentum, quod incolæ putant eſſe ſepulchrum Ioſue, ſed veriùs videri eſſe ſepulchrum Chanaan filij Cham, filij Noë.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

NOnnulli per Libanum, Amana, Sanir & Hermon montes accipiunt Ieruſalem & Iudæam, atque ex ea hîc euocari à Chriſto cenſent Apoſtolos & fideles, vt à Iudæis vtpote incredulis & crudeliter inſtar leonum & pardorum in Chriſtianos ſæuientibus egrediantur ad gentes, illíſque prædicent Euangelium: ſic enim per Libanum ſignificatur Ieruſalem, Zachar. 11. Ezech. 17. 3. & alibi.

*Libanus, Amana, Sanir & Hermon montes extra Iudæam in Phœnicia ſiti.*

Meliùs alij per Libanum, Amana, Sanir & Hermon montes, vtpote extra Iudæam in Phœnicia ſitos, accipiunt Phœnices, id eſt, Gentiles. Vnde S. Athanaſ. in Synopſi S. Script. in Cantic. cenſet, hiſce montibus deſignari Eccleſiam gentium: gentes enim hîc euocari ab idololatria & gentiliſmo ad fidem, & Chriſtianiſmum, vt Chriſti Eccleſiæ inſerantur, ſic & Tertullian. lib. 4 contra Marcion. cap. 11. Paulò aliter Theod. qui per Libanum, id eſt, dealbationem cenſet notari vocationem gentium, quæ infidelitate atræ, Baptiſmo ablutæ & dealbatæ fuerunt. Per Hermon verò rorulentum, & Sanir, id eſt, lucernarum viam, ſignificari vocationem Iudæorum, qui legis lucem & rorem à Moſe acceperunt, rurſus, per leones notari Iudæos audaces, per pardos gentilium ſapientes & ſophiſtas. Hæc Theodor.

Senſus ergo eſt, q. d. Tu, ô Eccleſia gentium, quæ à me Chriſto ab æterno prædeſtinata es, & in tempore deſtinato vocanda es ad Chriſtianiſmum, vt fias mihi Sponſa, veni de horridis ſyluoſiſq; montibus, de Libano, inquam, Amana, Sanir & Hermon, id eſt, de Infidelitate & gentiliſmo, vbi inter idololatras, infideles & impios, quaſi inter ſæuos leones & pardos ferarum more vixiſti, & inter feras horridam vitam egiſti, veni in ſpecioſam Ieruſalem & Sion, vbi Deus in templo ſuo colitur: veni, inquam, ad Eccleſiam & montem myrrhæ, & collem thuris, id eſt, ad montem Oliueti & Caluariæ, vbi captus & crucifixus eſt Chriſtus, vt in eum credas; atque ad Sion, vbi cœpit Eccleſia Chriſtianorum, vt illi aſſocieris. Veni ergo ad Chriſtianiſmum, ibi inter Chriſtianos humiles, mites & benignos, velut inter columbas, hinnulos, & agnos vitã ages ſuauiſſimam & ſanctiſſimam: imò ibi coronaberis velut Spõſa Regis Chriſti, ideóque Regina; coronaberis, inquam, in hac vita per gratiam, in futura verò per gloriam.

Aut aptiùs & neruoſiùs, q. d. Tu, ô primitiua Eccleſia, quæ per Apoſtolos eorúmque ſocios & aſſeclas laboras in Libano, Amana, Sanir & Hermon, id eſt, in gentilitate conuertendâ ad Chriſtum, inde veni cum magnis gentium à te conuerſarum manipulis, vt eos adducas in Sion, hoc eſt, ad Chriſti Eccleſiam: quod ſi feceris, *coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum*, id eſt, de gentibus à te conuerſis triumphabis, eáſque quaſi in triomphum duces, ac coronâ triumphali coronaberis. Ita Noſter Alcazar in Alluſionibus ad Apocalypſin lib. 3. vbi ait hoc verſu promitti Romæ nouæ, id eſt, Chriſtianæ, perfectam de Roma veteri, id eſt, Ethnicâ, ac de vniuerſo Imperio victoriam. Nominat ergo regiones, quarum Eccleſia quaſi in triumphorum ferculis ante ſe laturа ſit ſimulachra; primùm de Amana, id eſt, de fide plantata quaſi fidei coronam; ſecundùm de Sanir, id eſt, dente Lucernæ (Hoc enim Hebr. eſt *Sanir*:) ob Prædicatores luce doctrinæ & virtutum ſplendentes, per quos regiones illas conuertiſti: tertiùm de Hermon ſiue Chermon, quia Eccleſiam gentium quaſi חרם *cherem*, id eſt, anathema Deo vouiſti, conſecraſti & ſacrificaſti: occidiſti enim in eis infidelitatem, vitia & diabolum, ac viuere feciſti in eis fidem, virtutes & Chriſtum: quartùm de debellatis leonibus & pardis, id eſt, Tyrannis, & perſecutoribus, quos tibi, ô Eccleſia, ſubegiſti.

Huc facit Chaldæus: *Dixit*, inquit, *Dominus in verbo: Mecum habitabis cœtus Iſrael*, qui

Auguſt. S. Auguſt. *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Facillimum ergo eſt Martyri ire ad cælum, ſed difficile ire ad martyrium: vt igitur Deus patientem & Martyrem animaret ad generoſè conſcendendum montem myrrhæ, appoſuit ei collem hunc thuris feliciſſimum, & aſcenſu facillimum.

*Exempla: Margareta Midleton.* Quocirca illuſtris illa apud Anglos noſtro æuo fidei Heroïna, Margareta Midleton, ad atrox ſupplicium damnata, quòd Sacerdotes Catholicos hoſpitio ſuſcepiſſet, & eos prodere nollet, ad ſupplicij locum lætiſſimo vultu proceſſit dicens: *Tam breuis eſt via, qua ad cælum ducit, tam hoc quàm alio genere mortis:* poſt paucas horas cælum & ſolem pedibus calcabo, & ex alto empyrei faſtigio exile hoc terræ punctum, omniáque terrena felix & beata deſpiciam. Quare in terram ſupina reclinata, dorſo ſuppoſitâ petrâ ingenti, & quidem acutiſſimâ, corpori autem iniectâ tabulâ onuſtâ pondere mille librarum, ſenſim preſſa & oppreſſa, armata cæleſti patientiâ & conſtantiâ, glorioſâ pro Chriſto morte occubuit, & ex monte myrrhæ ad collem thuris, vti ſperandum eſt, euolauit. Illius certamen ad viuum repræſentatur in Theatro Hæreticæ crudelitatis pag. 77.

*Illam ergo iniecti non turbauêre molares;*
*Quin, ait, hos totos membris imponite montes,*
*Spiritus innocuâ tranſcendet ad aſtra ruinâ.*

*Suſanna Iaponia.* Simili modo generoſa illa apud Iapones virago, nomine Suſanna, quæ pro fide intrepidè Nangaſaki occubuit anno 1626. (quo anno pariter die 20. Iulij P. Franciſcus Paciecus, Prouincialis Iaponiæ cum duobus Patribus & ſex Fratribus è Societate Ieſu, pro fide glorioſum lenti ignis agonem ibidem, eadem conſideratione breuis pœnæ & æterni præmij ſe ſuóſque obarmans, obiuit) ſe, maritum, & ſocios perpetim ad conſtantiam in ſupplicijs quibuſlibet animabat hac voce: *Statuite, ô ſocij, in tormentis omnibus pro fide Chriſti magnanimis, quia breuē vitam & pœnam æternæ & immenſa excipiet gloria Paradiſi.* Quocircà & durum longúmque carcerem, & horrendum apud Iapones nuditatis publicæ opprobrium, & inediam frigoráque, & eculeum & crucem tam ſuam, quàm filiolæ ſibi annexæ triennis, & minas ſtupri, & ſeruitutem, vinculáque ſex menſium, qualia ſunt mancipiorum, ac denique gladium, mortémque pro Chriſto fortiter ſuſtinuit, ac Deo gratias agendo & iubilando ſuperauit, vti teſtantur literæ Iaponicæ hoc anno Romæ typis excuſæ. Digna ſanè, quæ cum priſcis Suſannis, Luciis, Cæciliis, Agathis, Catharinis comparetur, vtpote quæ viros complures ad martyrium verbis igniris accendit, ac exemplo ſuo, diriſſima tolerando pluſquàm virili fortitudine, præiuit,

*Tanti dux femina facti,*

cuius decus & gloriam omnia ventura Iaponiæ ſæcula celebrabunt.

---

Verſ. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.*

EX pulchritudine ſingularum partium, putà membrorum Sponſæ hactenus recenſitorum, concludit pulchritudinem totius corporis. Verba hæc quoad primum hemiſtichium audiuimus, cap. 1. v. 15. vbi ea explicui. Hîc tantùm additur, *Et macula non eſt in te.* Hebr. מום *mum* non tantùm maculam coloris, ſiue næuum, ſed & quodlibet vitium, vt vertit Arabicus, ſiue quemlibet defectum & deformitatem ſignificat, vti oſtendi Leuit. 22. 21. Sic ſenſus eſt; q. d. Tota pulchra es, ô Sponſa, *&*, id eſt, *quia* in te nulla eſt deformitas, ſed omnia concinna & formoſa.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

TOta Eccleſia pulchra eſt primò, pulchritudine legis Euangelicæ, quam profitetur. Hæc enim lex eſt pulcherrima omnium, quæ vnquam fuerunt in orbe; in eâque nulla eſt macula, nullúſque defectus, imò in ea traduntur multa conſilia Euangelica, quæ ſummam ſanctitatem & perfectionem continent, vt patet Matth. 5. & ſeq. *Pulchritudo Eccleſiæ.* 1.

Secundò, pulchra eſt pulchritudine cognitionis Dei, veræ fidei, cultus, & religionis, quia colit Deum non ritu externo in holocauſtis beſtiarum, vti Synagoga Iudæorum, ſed in Spiritu & veritate. Ioann. 4. vnde ſacrificium habet nobiliſſimum, putà Euchariſtiam, in qua quotidie Deo Patri Chriſtum crucifixum, eius vnigenitum incruentè immolat & offert. 2.

Tertiò, pulchra eſt, quia pulchras habet cæremonias, ritus, ornatus templorum, organa, concentus, &c. ac præſertim pulchra ſacramenta, inter quæ 3.

Baptiſmus

Baptiſmus animam ab omni culpa ita expurgat, vt nitidiſſimam efficiat. Vnde Optatus Mileuitanus lib. 5. *Baptiſmus*, ait, (Optat. Mileuit.) *virtutum eſt vita, criminum mors, natiuitas immortalis, cæleſtis regni comparatio, innocentiæ portus, peccatorum naufragium.*

Quartò propriè & ſubiectiuè, Eccle- 4. ſia tota pulchra eſt per gratiam, & iuſtitiam inhærentem fidelibus iuſtis & ſanctis, qui ſoli, potiſſima & perfectiſſima Eccleſiæ membra ſunt, ideóque hîc Sponſæ nomine cenſentur, vt dixi canone 17. in his enim nulla eſt macula grauioris culpæ ſiue peccati mortiferi, quod ſolum Sponſam deformem, id eſt, Deo ingratam & exoſam reddit. Eſtò enim, nemo immunis ſit à culpa veniali, hæc tamen leuior eſt, nec maculæ hoc loco nomine cenſetur: ab hac tamen quoque immunis erit in altera vita per viſionem, amorem, & gloriam beatificam. Vnde Beda, Nyſſenus, S. Auguſt. 1. Retract. cap. 19. S. Hieronymus. lib. 3. contra Pelag. & alij *τὸ tota pulchra es*, attribuunt Eccleſiæ in cælis triumphanti: militanti tamen eo ſenſu, quo dixi. Idem eidem aſſignant Caſſiodor. S. Gregor. Beda, Philo, Anſelm. & alij

Denique Eccleſia tota pulchra eſt, 5. quia in ſingulis ſui partibus & gradibus ſpecioſa & ſancta eſt, putà in Religioſis, qui quaſi capilli eius ſunt; in Doctoribus, qui quaſi dentes eius ſunt; in Prædicatoribus & Martyribus, qui eius labia coccinea ſunt; in Virginibus, qui eius genæ ſunt; in Pontificibus, qui eius collum; in Sacerdotibus & Diaconis, qui eius ſunt vbera; ac conſequenter in laicis, qui iis lactantur, vti ſuperiùs dixi. Ita Iuſtus Orgelit. Hoc eſt, quod huc alludens Apoſt. ait: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt eam ſan-* (Epheſ. 5.25.) *ctificaret mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam neque rugam, aut aliquid eiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata.* Epheſ. 5.25. vide ibi dicta.

Huc facit verſio Chaldæi: *Et in tempore, quo populus domus Iſraël faciunt volunta-* (Chald.) *tem dominatoris ſæculi, laudat eas in cælis excelſis, & ſic dicit: Tota pulchra es congregatio Iſraël, & macula non eſt in te.* Pulchritudo enim Eccleſiæ in eo conſiſtit, vt ſe Dei legi & voluntati conformet, hæc enim eſt iuſtiſſima & ſanctiſſima, ideóque pulcherrima.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

ANnima ſancta tota pulchra eſt per cycladem gratiæ, charitatis, omniúmque virtutum, quam Deus ipſi infundit, vt eam ornet & ſpecioſam efficiat: Vnde illa hoc gratiæ decore exultans ait: *Gaudens gaudebo in Domino, &* (Iſai. 61.10.) *exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me.* Iſaiæ 61. 10. Gratia enim eſt ſummus ornatus animæ; quia eam efficit Dei amicam, filiam, Sponſam, hæredem, imò diuinæ conſortem naturæ, vt ait S. Petrus Epiſt. 2. cap. 1. v. 4. Cauſam dat Theodoret. *Immaculata*, ait, *& pulchra euaſit Sponſa, quia propinqua Sponſi* (Theodor.) *effecta eſt, atque ita omnes ſplendores ſuſcepit, & lucida ex ipſa luce reddita eſt.* Audi S. Gregorium qui ſibi obiiciens: Nulla anima immunis eſt à peccato veniali: quomodo ergo tota eſt pulchra? reſpondet: *Dum ſancta anima à peccatis quotidianis ſe per pœnitentiam mundat, dum quotidie peccata mi-* (Gregor.) *nuta cum lachrymis abluit, & à maioribus ſe obſeruat, quamuis frequenter peccet, per aſſiduam tamen pœnitentiam munditiam ſuam aſſiduè ſeruat. Hinc enim alibi præcipitur: Semper ſint veſtimenta tua candida. Et illud: Iuſtus autem ex fide viuit. Quamuis enim mox vt peccat, à iuſtitia deuiet; tamen dum ſemper credit in eum, qui iuſtificat impium, & aſſiduè ſub eius fide peccata ſua deflet, per aſſiduas ablutiones iuſtitiam ſuam retinet.* Porrò S. Ambroſ. lib. 1. de Virginibus, iis ſpecialiter adaptans: *Pulchritudinem*, inquit, *quis poteſt maiorem exiſtimare decore eius, quæ amatur à rege, pro-* (Ambroſ.) *batur à Iudice, dedicatur Domino, conſecratur Deo? Semper Sponſa, ſemper innupta, vt nec amor finem habeat, nec damnum pudor. Hæc profectò vera pulchritudo eſt, cui nihil deeſt, quæ ſola meretur audire à Domino: Tota es formoſa proxima mea, & reprehenſio non eſt in te.*

Denique tres Anonymi apud Theodoret. *Tota pulchra es, quia pulchra es*, inquiunt, *mente, & animâ, & carne: Et quidem carne, quippe quæ repurgata ſis à vi & efficacia perturbationum, & ornata virtutum moribus: animâ verò, vt quæ liberata ſis omni concupi-* (3. Patres.) *ſcentiæ vitio, & ſermonibus vel rationibus decorata præceptorum: mente verò, vt quæ vilibus cogitationibus liberata, & ſplendenti in Spiritu ſancto per gratiam deificatione refulgeat. Ac ob id macula non eſt in te, quæ propter perfectionem proxima mihi effecta ſis.*

*Auguſt.* S. Auguſt. *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Facillimum ergo eſt Martyri ire ad cælum, ſed difficile ire ad martyrium: vt igitur Deus patientem & Martyrem animaret ad generosè conſcendendum montem myrrhæ, appoſuit ei collem hunc thuris feliciſſimum, & aſcenſu facillimum.

*Exempla: Margareta Midleton.* Quocirca illuſtris illa apud Anglos noſtro æuo fidei Heroïna, Margareta Midleton, ad atrox ſupplicium damnata, quòd Sacerdotes Catholicos hoſpitio ſuſcepiſſet, & eos prodere nollet, ad ſupplicij locum lætiſſimo vultu proceſſit dicens: *Tam breuis eſt via, qua ad cælum ducit, tam hoc quàm alio genere mortis:* poſt paucas horas cælum & ſolem pedibus calcabo, & ex alto empyrei faſtigio exile hoc terræ punctum, omniáque terrena felix & beata deſpiciam. Quare in terram ſupina reclinata, dorſo ſuppoſitâ petrâ ingenti, & quidem acutiſſimâ, corpori autem iniectâ tabulâ onuſtâ pondere mille librarum, ſenſim preſſa & oppreſſa, armata cæleſti patientiâ & conſtantiâ, glorioſâ pro Chriſto morte occubuit, & ex monte myrrhæ ad collem thuris, vti ſperandum eſt, euolauit. Illius certamen ad viuum repræſentatur in Theatro Hæreticæ crudelitatis pag. 77.

*Illam ergo iniecti non turbauêre molares;*
*Quin, ait, hos totos membris imponite montes,*
*Spiritus innocuâ tranſcendet ad aſtra ruinâ.*

*Suſanna Iaponia.* Simili modo generoſa illa apud Iapones virago, nomine Suſanna, quæ pro fide intrepidè Nangaſáci occubuit anno 1626. (quo anno pariter die 20. Iulij P. Franciſcus Paciecus, Prouincialis Iaponiæ cum duobus Patribus & ſex Fratribus è Societate Ieſu, pro fide glorioſum lenti ignis agonem ibidem, eadem conſideratione breuis pœnæ & æterni præmij ſe ſuóſque obarmans, obiuit) ſeſtinaritum, & ſocios perperim ad conſtantiam in ſuppliciis quibuſlibet animabat hac voce: *Stemus, ô ſocij, in tormentis omnibus pro fide Chriſti magnanimi, quia breuē vitam & pœnam æterna & immenſa excipiet gloria Paradiſi.* Quocirca & durum longúmque carcerem, & horrendum apud Iapones nuditatis publicæ opprobrium, & inediam frigoráque, & eculeum & crucem tam ſnam, quàm filiolæ ſibi annexæ triennis, & minas ſtupri, & ſeruitutem, vinculáque ſex menſium; qualia ſunt mancipiorum, ac denique gladium, mortémque pro Chriſto fortiter ſuſtinuit, ac Deo gratias agendo & iubilando ſuperauit, vti teſtantur literæ Iaponicæ hoc anno Romæ typis excuſæ. Digna ſanè, quæ cum priſcis Suſannis, Luciis, Cæciliis, Agathis, Catharinis comparetur, vtpote quæ viros complures ad martyrium verbis ignitis accendit, ac exemplo ſuo, diriſſima tolerando pluſquàm virili fortitudine, præiuit,

*Tanti dux fœmina facti,*

cuius decus & gloriam omnia ventura Iaponiæ ſæcula celebrabunt.

---

Verſ. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.*

EX pulchritudine ſingularum partium, putà membrorum Sponſæ hactenus recenſitorum, concludit pulchritudinem totius corporis. Verba hæc quoad primum hemiſtichum audiuimus, cap. 1. v. 15. vbi ea explicui. Hîc tantùm additur, *Et macula non eſt in te.* Hebr. מום *mum* non tantùm maculam coloris, ſiue næuum, ſed & quodlibet vitium, vt vertit Arabicus, ſiue quemlibet defectum & deformitatem ſignificat, vti oſtendi Leuit. 22. 22. Sic ſenſus eſt; q. d. Tota pulchra es, ô Sponſa, &, id eſt, *quia* in te nulla eſt deformitas, ſed omnia concinna & formoſa.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

*Pulchritudo Eccleſiæ.* TOta Eccleſia pulchra eſt primò, pulchritudine legis Euangelicæ, 1.
quam profitetur. Hæc enim lex eſt pulcherrima omnium, quæ vnquam fuerunt in orbe; in eâque nulla eſt macula, nullúſque defectus, imò in ea traduntur multa conſilia Euangelica, quæ ſummam ſanctitatem & perfectionem continent, vt patet Matth. 5. & ſeq.

Secundò, pulchra eſt pulchritudine 2.
cognitionis Dei, veræ fidei, cultus, & religionis, quia colit Deum non ritu externo in holocauſtis beſtiarum, vti Synagoga Iudæorum, ſed in Spiritu & veritate. Ioann. 4. vnde ſacrificium habet nobiliſſimum, putà Euchariſtiam, in qua quotidie Deo Patri Chriſtum crucifixum, eius vnigenitum incruentè immolat & offert.

Tertiò, pulchra eſt, quia pulchras ha- 3.
bet cæremonias, ritus, ornatus templorum, organa, concentus, &c. ac præſertim pulchra ſacramenta, inter quæ

Baptiſmus

Baptiſmus animam ab omni culpa ita expurgat, vt nitidiſſimam efficiat. Vnde Optatus Mileuitanus lib. 5. *Baptiſmus*, ait, *virtutum eſt vita, criminum mors, natiuitas immortalis, cæleſtis regni comparatio, innocentiæ portus, peccatorum naufragium.* (Optat. Mileuit.)

4. Quartò propriè & ſubiectiuè, Eccleſia tota pulchra eſt per gratiam, & iuſtitiam inhærentem fidelibus iuſtis & ſanctis, qui ſoli, potiſſima & perfectiſſima Eccleſiæ membra ſunt, ideóque hîc Sponſæ nomine cenſentur, vt dixi canone 17. in his enim nulla eſt macula grauioris culpæ ſiue peccati mortiferi, quod ſolum Sponſam deformem, id eſt, Deo ingratam & exoſam reddit. Eſtò enim nemo immunis ſit à culpa veniali; hæc tamen leuior eſt, nec maculæ hoc loco nomine cenſetur: ab hac tamen quoque immunis erit in altera vita per viſionem, amorem, & gloriam beatificam. Vnde Beda, Nyſſenus, S August. 1. Retract. cap. 19. S. Hieronymus. lib. 3. contra Pelag. & alij *τὸ tota pulchra es*, attribuunt Eccleſiæ in cælis triumphanti: militanti tamen eo ſenſu, quo dixi. Idem eidem aſſignant Caſſiodor. S. Gregor. Beda, Philo, Anſelm. & alij

5. Denique Eccleſia tota pulchra eſt, quia in ſingulis ſui partibus & gradibus ſpecioſa & ſancta eſt, putà in Religioſis, qui quaſi capilli eius ſunt; in Doctoribus, qui quaſi dentes eius ſunt; in Prædicatoribus & Martyribus, qui eius labia coccinea ſunt; in Virginibus, qui eius genæ ſunt; in Pontificibus, qui eius collum; in Sacerdotibus & Diaconis, qui eius ſunt vbera; ac conſequenter in laicis, qui iis lactantur, vti ſuperiùs dixi. Ita Iuſtus Orgelit. Hoc eſt, quod huc alludens Apoſt. ait: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt eam ſanctificaret mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam neque rugam, aut aliquid eiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata.* Epheſ. 5. 25. vide ibi dicta. (Epheſ. 5. 25.)

Huc facit verſio Chaldæi: *Et in tempore, quo populus domus Iſraël faciunt voluntatem dominatoris ſæculi, laudat eos in cælis excelſis, & ſic dicit: Tota pulchra es congregatio Iſraël, & macula non eſt in te.* Pulchritudo enim Eccleſiæ in eo conſiſtit, vt ſe Dei legi & voluntati conformet, hæc enim eſt iuſtiſſima & ſanctiſſima, ideóque pulcherrima. (Chald.)

## SECVNDVS SENSVS

*De Christo & Anima Sancta.*

Annima ſancta tota pulchra eſt per cycladem gratiæ, charitatis, omniúmque virtutum, quam Deus ipſi infundit, vt eam ornet & ſpecioſam efficiat: Vnde illa hoc gratiæ decore exultans ait: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me.* Iſaiæ 61. 10. Gratia enim eſt ſummus ornatus animæ; quia eam efficit Dei amicam, filiam, Sponſam, hæredem, imò diuinæ conſortem naturæ, vt ait S. Petrus Epiſt. 2. cap. 1. v. 4. Cauſam dat Theodoret. *Immaculata*, ait, *& pulchra euaſit Sponſa, quia propinqua Sponſi effecta eſt, atque ita omnes ſplendores ſuſcepit, & lucida ex ipſa luce reddita eſt.* Audi S. Gregorium qui ſibi obiiciens: Nulla anima immunis eſt à peccato veniali: quomodo ergo tota eſt pulchra? reſpondet: *Dum ſancta anima à peccatis quotidianis ſe per pœnitentiam mundat, dum quotidie peccata minuta cum lachrymis abluit, & à maioribus ſe obſeruat, quamuis frequenter peccet, per aſſiduam tamen pœnitentiam munditiam ſuam aſſiduè ſeruat. Hinc enim alibi præcipitur: Semper ſint veſtimenta tua candida. Et illud: Iuſtus autem ex fide viuit. Quamuis enim mox vt peccat, à iuſtitia deuiet; tamen dum ſemper credit in eum, qui iuſtificat impium, & aſſiduè ſub eius fide peccata ſua deflet, per aſſiduas ablutiones iuſtitiam ſuam retinet.* Porrò S. Ambroſ. lib. 1. de Virginibus, iis ſpecialiter adaptans: *Pulchritudinem*, inquit, *quis poteſt maiorem exiſtimare decore eius, quæ amatur à rege, probatur à Iudice, dedicatur Domino, conſecratur Deo? Semper Sponſa, ſemper innupta, vt nec amor finem habeat, nec damnum pudor. Hæc profectò vera pulchritudo eſt, cui nihil deeſt, quæ ſola meretur audire à Domino: Tota es formoſa proxima mea, & reprehenſio non eſt in te.* (Iſai. 61. 10.) (2. Pet. 1.) (Theodor.) (Gregor.) (Ambroſ.)

Denique tres Anonymi apud Theodoret. *Tota pulchra es, quia pulchra es*, inquiunt, *mente, & animâ, & carne: Et quidem carne, quippe quæ repurgata ſis à vi & efficacia perturbationum, & ornata virtutum moribus: animâ verò, vt quæ liberata ſis omni concupiſcentiæ vitio, & ſermonibus vel rationibus decorata præceptorum mente verò, vt quæ vilibus cogitationibus liberata, & ſplendenti in Spiritu ſancto per gratiam deificatione refulgeat. Ac ob id macula non eſt in te, quæ propter perfectionem proxima mihi effecta ſit.* (3. Patres.)

Auguſt. S. Auguſt. *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Facillimum ergo eſt Martyri ire ad cælum, ſed difficile ire ad martyrium: vt igitur Deus patientem & Martyrem animaret ad generoſè conſcendendum montem myrrhæ, appoſuit ei collem hunc thuris feliciſſimum, & aſcenſu facillimum.

*Exempla: Margareta Midleton.* Quocirca illuſtris illa apud Anglos noſtro æuo fidei Heroïna, Margareta Midleton, ad atrox ſupplicium damnata, quòd Sacerdotes Catholicos hoſpitio ſuſcepiſſet, & eos prodere nollet, ad ſupplicij locum lætiſſimo vultu proceſſit dicens: *Tam breuis eſt via, qua ad cælum ducit, tam hoc quàm alio genere mortis:* poſt paucas horas cælum & ſolem pedibus calcabo, & ex alto empyrei faſtigio exile hoc terræ punctum, omniáque terrena felix & beata deſpiciam. Quare in terram ſupina reclinata, dorſo ſuppoſitâ petrâ ingenti, & quidem acutiſſimâ, corpori autem iniectâ tabulâ onuſtâ pondere mille librarum, ſenſim preſſa & oppreſſa, armata cæleſti patientiâ & conſtantiâ,glorioſâ pro Chriſto morte occubuit, & ex monte myrrhæ ad collem thuris, vti ſperandum eſt, euolauit. Illius certamen ad viuum repræſentatur in Theatro Hæreticæ crudelitatis pag. 77.

*Illam ergo iniecti non turbauêre molares;*
*Quin, ait, hos totos membris imponite montes,*
*Spiritus innocuâ tranſcendet ad aſtra ruinâ.*

*Suſanna Iaponea.* Simili modo generoſa illa apud Iapones virago, nomine Suſanna, quæ pro fide intrepidè Nangaſaci occubuit anno 1626. (quo anno pariter die 20. Iulij P. Franciſcus Paciecus, Prouincialis Iaponiæ cum duobus Patribus & ſex Fratribus è Societate Ieſu, pro fide glorioſum lenti ignis agonem ibidem, eadem conſideratione breuis pœnæ & æterni præmij ſe ſuóſque obarmans, obiuit) ſe ſimaritum, & ſocios perpetim ad conſtantiam in ſuppliciis quibuſlibet animabat hac voce: *Stemus, ô ſocij, in tormentis omnibus pro fide Chriſti magnanimi, quia breuē vitam & pœnam æterna & immenſa excipiet gloria Paradiſi.* Quocirca & durum longúmque carcerem, & horrendum apud Iapones nuditatis publicæ opprobrium, & inediam frigoráque, & eculeum & crucem tam ſuam, quàm filiolæ ſibi annexæ triennis, & minas ſtupri, & ſeruitutem, vinculáque ſex menſium, qualia ſunt mancipiorum, ac denique gladium, mortémque pro Chriſto fortiter ſuſtinuit, ac Deo gratias agendo & iubilando ſuperauit, vti teſtantur literæ Iaponicæ hoc anno Romæ typis excuſæ. Digna ſanè, quæ cum priſcis Suſannis, Luciis, Cæciliis, Agathis, Catharinis comparetur, vtpote quæ viros complures ad martyrium verbis ignitis accendit, ac exemplo ſuo, ditiſſima tolerando pluſquàm virili fortitudine, præiuit,

*Tanti dux femina facti,*

cuius decus & gloriam omnia ventura Iaponiæ ſæcula celebrabunt.

Verſ. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.*

EX pulchritudine ſingularum partium, putà membrorum Sponſæ hactenus recenſitorum, concludit pulchritudinem totius corporis. Verba hæc quoad primum hemiſtichum audiuimus, cap. 1. v. 15. vbi ea explicui. Hîc tantùm additur, *Et macula non eſt in te.* Hebr. מום *mum* non tantùm maculam coloris, ſiue næuum, ſed & quodlibet vitium, vt vertit Arabicus, ſiue quemlibet defectum & deformitatem ſignificat, vti oſtendi Leuit. 22. 21. Sic ſenſus eſt, q. d. Tota pulchra es, ô Sponſa, *&*, id eſt, *quia* in te nulla eſt deformitas, ſed omnia concinna & formoſa.

## PRIMVS SENSVS.

*De Chriſto & Eccleſia.*

*Pulchritudo Eccleſiæ.* TOta Eccleſia pulchra eſt primò, pulchritudine legis Euangelicæ, quam profitetur. Hæc enim lex eſt pul- 1.
cherrima omnium, quæ vnquam fuerunt in orbe; in eâque nulla eſt macula, nullúſque defectus, imò in ea traduntur multa conſilia Euangelica, quæ ſummam ſanctitatem & perfectionem continent, vt patet Matth. 5. & ſeq.

Secundò, pulchra eſt pulchritudine 2.
cognitionis Dei, veræ fidei, cultus, & religionis, quia colit Deum non ritu externo in holocauſtis beſtiarum, vti Synagoga Iudæorum, ſed in Spiritu & veritate. Ioann. 4. vnde ſacrificium habet nobiliſſimum, putà Euchariſtiam, in qua quotidie Deo Patri Chriſtum crucifixum, eius vnigenitum incruentè immolat & offert.

Tertiò, pulchra eſt, quia pulchras ha- 3.
bet cæremonias, ritus, ornatus templorum, organa, concentus, &c. ac præſertim pulchra ſacramenta, inter quæ

Baptiſmus

Baptiſmus animam ab omni culpa ita expurgat, vt nitidiſſimam efficiat. Vnde Optatus Mileuitanus lib. 5. *Baptiſmus*, ait, (Optat. Mileuit.) *virtutum eſt vita, criminum mors, natiuitas immortalis, cæleſtis regni comparatio, innocentia portus, peccatorum naufragium.*

Quartò propriè & ſubiectiuè, Eccle-
4. ſia tota pulchra eſt per gratiam, & iuſtitiam inhærentem fidelibus iuſtis & ſanctis, qui ſoli, potiſſima & perfectiſſima Eccleſiæ membra ſunt, ideóque hic Sponſæ nomine cenſentur, vt dixi canone 17. in his enim nulla eſt macula grauioris culpæ ſiue peccati mortiferi, quod ſolum Sponſam deformem, id eſt, Deo ingratam & exoſam reddit. Eſtò enim, nemo immunis ſit à culpa veniali; hæc tamen leuior eſt, nec maculæ hoc loco nomine cenſetur: ab hac tamen quoque immunis erit in altera vita per viſionem, amorem, & gloriam beatificam. Vnde Beda, Nyſſenus, S. Auguſt. 1. Retract. cap. 19. S. Hieronymus. lib. 3. contra Pelag. & alij *τὸ tota pulchra es*, attribuunt Eccleſiæ in cælis triumphanti: militanti tamen eo ſenſu, quo dixi. Idem eidem aſſignant Caſſiodor. S. Gregor. Beda, Philo, Anſelm. & alij

Denique Eccleſia tota pulchra eſt,
5. quia in ſingulis ſui partibus & gradibus ſpecioſa & ſancta eſt, putà in Religioſis, qui quaſi capilli eius ſunt; in Doctoribus, qui quaſi dentes eius ſunt; in Prædicatoribus & Martyribus, qui eius labia coccinea ſunt; in Virginibus, qui eius genæ ſunt; in Pontificibus, qui eius collum; in Sacerdotibus & Diaconis, qui eius ſunt vbera; ac conſequenter in laicis, qui iis lactantur, vti ſuperiùs dixi. Ita Iuſtus Orgelit. Hoc eſt, quod huc alludens Apoſt. ait: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt eam ſanctificaret mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam neque rugam, aut aliquid eiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata.* (Epheſ. 5.25.) Epheſ. 5.25. vide ibi dicta.

Huc facit verſio Chaldæi: *Et in tempore, quo populus domus Iſraël faciunt voluntatem dominatoris ſæculi, laudat eos in cælis excelſis, & ſic dicit: Tota pulchra es congregatio Iſraël, & macula non eſt in te.* (Chald.) Pulchritudo enim Eccleſiæ in eo conſiſtit, vt ſe Dei legi & voluntati conformet, hæc enim eſt iuſtiſſima & ſanctiſſima, ideóque pulcherrima.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

ANnima ſancta tota pulchra eſt per cycladem gratiæ, charitatis, ómniúmque virtutum, quam Deus ipſi infundit, vt eam ornet & ſpecioſam efficiat: Vnde illa hoc gratiæ decore exultans ait: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me.* (Iſai. 61. 10.) Iſaiæ 61. 10. Gratia enim eſt ſummus ornatus animæ; quia eam efficit Dei amicam, filiam, Sponſam, hæredem, imò diuinæ conſortem naturæ, vt ait S. Petrus Epiſt. 2. cap. 1. v. 4. Cauſam dat Theodoret. (Theodor.) *Immaculata*, ait, *& pulchra euaſit Sponſa, quia propinqua Sponſi effecta eſt, atque ita omnes ſplendores ſuſcepit, & lucida ex ipſa luce reddita eſt.* Audi S. Gregorium qui ſibi obiiciens: Nulla anima immunis eſt à peccato veniali: quomodo ergo tota eſt pulchra? reſpondet: *Dum ſancta anima à peccatis quotidianis ſe per pœnitentiam mundat, dum quotidie peccata minuta cum lachrymis abluit, & à maioribus ſe obſeruat, quamuis frequenter peccet, per aſſiduam tamen pœnitentiam munditiam ſuam aſſiduè ſeruat.* (Gregor.) *Hinc enim alibi præcipitur: Semper ſint veſtimenta tua candida. Et illud: Iuſtus autem ex fide viuit. Quamuis enim mox vt peccat, à iuſtitia deuiet; tamen dum ſemper credit in eum, qui iuſtificat impium, & aſſiduè ſub eius fide peccata ſua deflet, per aſſiduas ablutiones iuſtitiam ſuam retinet.* Porrò S. Ambroſ. lib. 1. de Virginibus, iis ſpecialiter adaptans: *Pulchritudinem*, inquit, *quis poteſt maiorem exiſtimare decore eius, quæ amatur à rege, probatur à Iudice, dedicatur Domino, conſecratur Deo? Semper Sponſa, ſemper innupta, vt nec amor finem habeat, nec damnum pudor. Hæc profectò vera pulchritudo eſt, cui nihil deeſt, quæ ſola meretur audire à Domino: Tota es formoſa proxima mea, & reprehenſio non eſt in te.* (Ambroſ.)

Denique tres Anonymi apud Theodoret. *Tota pulchra es, quia pulchra es*, inquiunt, *mente, & animâ, & carne: Et quidem carne, quippe quæ repurgata ſis à vi & efficacia perturbationum, & ornata virtutum moribus: animâ verò, vt quæ liberata ſis omni concupiſcentiæ vitio, & ſermonibus vel rationibus decorata præceptorum mente verò, vt quæ vilibus cogitationibus liberata, & ſplendenti in Spiritu ſancto per gratiam deificatione refulgeat. Ac ob id macula non eſt in te, quæ propter perfectionem proxima mihi effecta ſis.* (3. Patres.)

TER

August. S. Auguſt. *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Facillimum ergo eſt Martyri ire ad cælum, ſed difficile ire ad martyrium: vt igitur Deus patientem & Martyrem animaret ad generosè conſcendendum montem myrrhæ, appoſuit ei collem hunc thuris feliciſſimum, & aſcenſu facillimum.

*Exempla: Margareta Midleton.* Quocirca illuſtris illa apud Anglos noſtro æuo fidei Heroïna, Margareta Midleton, ad atrox ſupplicium damnata, quòd Sacerdotes Catholicos hoſpitio ſuſcepiſſet, & eos prodere nollet, ad ſupplicij locum lætiſſimo vultu proceſſit dicens: *Tam breuis eſt via, qua ad cælum ducit, tam hoc quàm alio genere mortis:* poſt paucas horas cælum & ſolem pedibus calcabo, & ex alto empyrei faſtigio exile hoc terræ punctum, omniáque terrena felix & beata deſpiciam. Quare in terram ſupina reclinata, dorſo ſuppoſitâ petrâ ingenti, & quidem acutiſſimâ, corpori autem iniectâ tabulâ onuſtâ pondere mille librarum, ſenſim preſſa & oppreſſa, armata cæleſti patientiâ & conſtantiâ, glorioſâ pro Chriſto morte occubuit, & ex monte myrrhæ ad collem thuris, vti ſperandum eſt, euolauit. Illius certamen ad viuum repræſentatur in Theatro Hæreticæ crudelitatis pag. 77.

*Illam ergo iniecti non turbauere molares;*
*Quin, ait, hos totos membris imponite montes,*
*Spiritus innocuâ tranſcendet ad aſtra ruinâ.*

*Suſanna Iaponia.* Simili modo generoſa illa apud Iapones virago, nomine Suſanna, quæ pro fide intrepidè Nangaſaci occubuit anno 1626. (quo anno pariter die 20. Iulij P. Franciſcus Paciecus, Prouincialis Iaponiæ cum duobus Patribus & ſex Fratribus è Societate Ieſu, pro fide glorioſum lenti ignis agonem ibidem, eadem conſideratione breuis pœnæ & æterni præmij ſe ſuóſque obarmans, obiuit) ſe maritum, & ſocios perpetim ad conſtantiam in ſuppliciis quibuſlibet animabat hac voce: *Stemus, ô ſocij, in tormentis omnibus pro fide Chriſti magnanimi, quia breue vitam & pœnam æterna & immenſa excipiet gloria Paradiſi.* Quocircà & durum longúmque carcerem, & horrendum apud Iapones nuditatis publicæ opprobrium, & inediam frigoráque, & eculeum & crucem tam ſuam, quàm filiolæ ſibi annexæ triennis, & minas ſtupri, & ſeruitutem, vinculáque ſex menſium, qualia ſunt mancipiorum, ac denique gladium, mortémque pro Chriſto fortiter ſuſtinuit, ac Deo gratias agendo & iubilando ſuperauit, vti teſtantur literæ Iaponicæ hoc anno Romæ typis excuſæ. Digna ſanè, quæ cum priſcis Suſannis, Luciis, Cæciliis, Agathis, Catharinis comparetur, vtpote quæ viros complures ad martyrium verbis ignitis accendit, ac exemplo ſuo, diriſſima tolerando pluſquàm virili fortitudine, prævit,

*Tanti dux fœmina facti,*

cuius decus & gloriam omnia ventura Iaponiæ ſæcula celebrabunt.

---

Verſ. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.*

EX pulchritudine ſingularum partium, putà membrorum Sponſæ hactenus recenſitorum, concludit pulchritudinem totius corporis. Verba hæc quoad primum hemiſtichum audiuimus, cap. 1. v. 15. vbi ea explicui. Hîc tantùm additur, *Et macula non eſt in te.* Hebr. מום mum non tantùm maculam coloris, ſiue næuum, ſed & quodlibet vitium, vt vertit Arabicus, ſiue quemlibet defectum & deformitatem ſignificat, vti oſtendi Leuit. 22. 21. Sic ſenſus eſt, q. d. Tota pulchra es, ô Sponſa, *&*, id eſt, *quia* in te nulla eſt deformitas, ſed omnia concinna & formoſa.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

*Pulchritudo Eccleſiæ.* TOta Eccleſia pulchra eſt primò, pulchritudine legis Euangelicæ,
1. quam profitetur. Hæc enim lex eſt pulcherrima omnium, quæ vnquam fuerunt in orbe; in eâque nulla eſt macula, nullúſque defectus, imò in ea traduntur multa conſilia Euangelica, quæ ſummam ſanctitatem & perfectionem continent, vt patet Matth. 5. & ſeq.

2. Secundò, pulchra eſt pulchritudine cognitionis Dei, veræ fidei, cultus, & religionis, quia colit Deum non ritu externo in holocauſtis beſtiarum, vti Synagoga Iudæorum, ſed in Spiritu & veritate. Ioann. 4. vnde ſacrificium habet nobiliſſimum, putà Euchariſtiam, in qua quotidie Deo Patri Chriſtum crucifixum, eius vnigenitum incruentè immolat & offert.

3. Tertiò, pulchra eſt, quia pulchras habet cæremonias, ritus, ornatus templorum, organa, concentus, &c. ac præſertim pulchra ſacramenta, inter quæ

Baptiſmus

Baptiſmus animam ab omni culpa ita expurgat, vt nitidiſſimam efficiat. Vnde Optatus Mileuitanus lib.5. *Baptiſmus*, ait, *virtutum eſt vita, criminum mors, natiuitas immortalis, cæleſtis regni comparatio, innocentiæ portus, peccatorum naufragium.* Optat. Mileuit.

Quartò propriè & ſubiectiuè, Eccle-
4. ſia tota pulchra eſt per gratiam, & iuſtitiam inhærentem fidelibus iuſtis & ſanctis, qui ſoli, potiſſima & perfectiſſima Eccleſiæ membra ſunt, ideóque hîc Sponſæ nomine cenſentur, vt dixi canone 17. in his enim nulla eſt macula grauioris culpæ ſiue peccati mortiferi, quod ſolum Sponſam deformem, id eſt, Deo ingratam & exoſam reddit. Eſtò enim nemo immunis ſit à culpa veniali, hæc tamen leuior eſt, nec maculæ hoc loco nomine cenſetur: ab hac tamen quoque immunis erit in altera vita per viſionem, amorem, & gloriam beatificam. Vnde Beda, Nyſſenus, S. Auguſt. 1. Retract. cap. 19. S. Hieronymus. lib. 3. contra Pelag. & alij *τὸ tota pulchra es*, attribuunt Eccleſiæ in cælis triumphanti: militanti tamen eo ſenſu, quo dixi. Idem eidem aſſignant Caſſiodor. S. Gregor. Beda, Philo, Anſelm. & alij

Denique Eccleſia tota pulchra eſt,
5. quia in ſingulis ſui partibus & gradibus ſpecioſa & ſancta eſt, putà in Religioſis, qui quaſi capilli eius ſunt; in Doctoribus, qui quaſi dentes eius ſunt; in Prædicatoribus & Martyribus, qui eius labia coccinea ſunt; in Virginibus, qui eius genæ ſunt; in Pontificibus, qui eius collum; in Sacerdotibus & Diaconis, qui eius ſunt vbera; ac conſequenter in laicis, qui iis lactantur, vti ſuperiùs dixi. Ita Iuſtus Orgelit. Hoc eſt, quod huc alludens Apoſt. ait: *Chriſtus dilexit Eccle-*
Ephes 5.25. *ſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt eam ſanctificaret mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam neque rugam, aut aliquid eiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata.* Epheſ. 5.25. vide ibi dicta.

Huc facit verſio Chaldæi: *Et in tem-*
Chald. *pore, quo populus domus Iſraël faciunt voluntatem dominatoris ſæculi, laudat eos in cælis excelſis, & ſic dicit: Tota pulchra es congregatio Iſraël, & macula non eſt in te.* Pulchritudo enim Eccleſiæ in eo conſiſtit, vt ſe Dei legi & voluntati conformet, hæc enim eſt iuſtiſſima & ſanctiſſima, ideóque pulcherrima.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

ANnima ſancta tota pulchra eſt per cycladem gratiæ, charitatis, omniúmque virtutum, quam Deus ipſi infundit, vt eam ornet & ſpecioſam efficiat: Vnde illa hoc gratiæ decore exultans ait: *Gaudens gaudebo in Domino, &* Iſai. 61.10.
*exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me.* Iſaiæ 61. 10. Gratia enim eſt ſummus ornatus animæ; quia eam efficit Dei amicam, filiam, Sponſam, hæredem, imò diuinæ conſortem naturæ, vt ait S. Petrus Epiſt. 2. cap. 1. v. 4. Cauſam dat Theodoret. *Immaculata*, ait,
*& pulchra euaſit Sponſa, quia propinqua Sponſi* Theodor.
*effecta eſt, atque ita omnes ſplendores ſuſcepit, & lucida ex ipſa luce reddita eſt.* Audi S. Gregorium qui ſibi obiiciens: Nulla anima immunis eſt à peccato veniali: quomodo ergo tota eſt pulchra? reſpondet: *Dum ſancta anima à peccatis quotidianis ſe per*
*pœnitentiam mundat, dum quotidie peccata mi-* Gregor.
*nuta cum lachrymis abluit, & à maioribus ſe obſeruat, quamuis frequenter peccet, per aſſiduam tamen pœnitentiam munditiam ſuam aſſiduè ſeruat. Hinc enim alibi præcipitur: Semper ſint veſtimenta tua candida. Et illud: Iuſtus autem ex fide viuit. Quamuis enim mox vt peccat, à iuſtitia deuiet; tamen dum ſemper credit in eum, qui iuſtificat impium, & aſſiduè ſub eius fide peccata ſua deflet, per aſſiduas ablutiones iuſtitiam ſuam retinet.* Porrò S. Ambroſ. lib. 1. de Virginibus, iis ſpecialiter adaptans: *Pulchritudinem*, inquit, *quis poteſt maiorem*
*exiſtimare decore eius, quæ amatur à rege, pro-* Ambroſ
*batur à Iudice, dedicatur Domino, conſecratur Deo? Semper Sponſa, ſemper innupta, vt nec amor finem habeat, nec damnum pudor. Hæc profectò vera pulchritudo eſt, cui nihil deeſt, quæ ſola meretur audire à Domino: Tota es formoſa proxima mea, & reprehenſio non eſt in te.*

Denique tres Anonymi apud Theodoret. *Tota pulchra es, quia pulchra es*, inquiunt, *mente, & animâ, & carne: Et quidem carne, quippe quæ repurgata ſis à vi & efficacia perturbationum, & ornata virtutum moribus:*
*animâ verò, vt quæ liberata ſis omni concupi-* 3. Patres.
*ſcentia vitio, & ſermonibus vel rationibus decorata præceptorum: mente verò, vt quæ vilibus cogitationibus liberata, & ſplendenti in Spiritu ſancto per gratiam deificatione refulgeat. Ac ob id macula non eſt in te; quæ propter perfectionem proxima mihi effecta ſit.*

TER

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

BEata Virgo tota pulchra eſt, imò omnium non tantùm hominum; ſed & Angelorum pulcherrima, & nulla in ea eſt macula culpæ vel pœnæ, ſiue originalis, ſiue mortalis; ſiue etiam venialis, vti tota ſentit & conſentit Eccleſia, teſte Concil. Trid. ſeſſ. 6. Canon. 21. Vnde S. Auguſtinus de nat. & gratia cap. 36. cùm omnes homines, etiam iuſtos peccato veniali ſubiacere dixiſſet, ſubdit: *Exceptâ S. Virgine Mariâ, de qua propter honorem Domini nullam prorſus, cùm de* Auguſt. *peccatis agitur, habere volo quæſtionem. Vnde enim ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.*

Vnde hæc verba Cantici: *Tota pulchra es, & macula non eſt in te*, B. Virgini ſoli appropriant Rupertus, Pſellus, Hugo vterque, ſcilicet Cardinalis & de S. Victore, S. Thomas, Galatinus, & S. Ildefonſus de laudibus B. Virginis.

---

Verſ. 8. *Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.*

HEBR. אִתִּי *itti*, id eſt, *Mecum à Libano Sponſa, mecum à Libano venies.* Verùm Noſter æquè ac Septuag. pro אִתִּי *itti*, id eſt *mecum*, alio puncto legerunt אֵתִי *ati*, id eſt *veni*: quanquam eodem redeat ſenſus; ſi enim legas *itti*, id eſt, *mecum à Libano Sponſa*, ſubaudias oportet, *veni*, vel venies, quod ſequitur.

Variæ verſiones. Vatabl. Pro *coronaberis*. Hebr. eſt תָּשׁוּרִי *taſcuri*, quod Vatabl. & alij vertunt, *aſpicies*, q.d. Aſpicies de vertice Amana, Sanir, & Hermon ſubiectas valles & campos arboribus, floribus, herbis, fructibus virentes & vernantes: quod ſecutus Lyran. hæc refert ad Hebræos tempore Ioſue, quos ex hiſce montibus terram Chanaan ſibi promiſſam contemplatos eſſe aſſerit, vt eius ingrediendæ deſiderium in ſe acuerent. Alij *taſcuri*, vertunt, *cantabis* præ voluptate & gaudio שִׁיר *Scir* enim eſt Canticum. Alij, *ibis* vel *incedes*. Vnde
LXX. Septuag. *tranſibis*, inquiunt, *de vertice fidei. Amana* enim Hebr. veritatem, & fidem ſignificat. Hinc & Syrus cum Arabico Syr. vertunt: Arab. *venies & tranſibis*. Alij, *taſcuri* vertunt *dirigêris*, vel *rectificaberis*, aut *rectè euades*, à rad. יָשַׁר *iaſcar*, id eſt, direxit, rectum fecit. Noſter pro *taſcuri* per ſchin, legit *taſuri* per ש ſin תָּשׂוּרִי: שׂוּר *ſur* enim ſignificat dominari, regere, imperare: *taſuri* ergo, id eſt, *dominaberis*, imperabis, ac vt Regina *coronaberis*.

Libanus notus eſt mons maximus, Iudææ confinis; dictus Libanus vel à candore niuium, quibus abundat: לָבָן *Laban* enim ſignificat album & candidum; vel à thure, cuius ferax eſt: *Libanon* enim Hebr. ſignificat *thus*. Vnde Philo Carpath. *τὸ Veni de Libano*, ſic explicat q. d. Veni de thure idololatriæ, quod idolis obtuliſti, ad verum Dei in Sionis templo cultum. Amana mons eſt altiſſimus Amana mõs vbi ſitus? trans Iordanem iuxta Libanum, Hermon, & Sanir montes ſitus; Gloſſa tamen per Amana accipit Amanum montem, qui Ciliciam à Syria diſterminat. *Sanir*, pars eſt vel appendix montis Her- Sanir an idem quod Seir? mon, vt patet Deuter. 3. 9. Adrichomius in deſcripr. terræ ſanctæ pag. 93. n. 83. vult Sanir eundem eſſe montem cum Seir: hic enim adiacet monti Hermon: Seir dictus eſt ab accola Eſau, qui dictus eſt *ſeir*, id eſt piloſus, quia hirſutus: Sanir ergo mons celſus eſt trans Iordanem ad Orientalem plagam terræ Hus ſitus, atque à Septentrione Monti Hermon, ab Auſtro monti Galaad coniungitur: à ciuitatibus verò Capharnao & Corozaim verſus æſtiualem ſolis ortum alicubi quatuor, alicubi ſex & pluribus milliaribus diſtat.

Hermon mons eſt excelſus vltra Ior- Hermon quid? danem è regione vrbis Pancadis ſitus, quam ab ortu reſpicit; à meridie verò monti Seir iungitur, ac vergens verſus Septentrionem, quà Trachoniridem Regionem circumit, prope Damaſcum Libano ſe copulat: vnde in Sacra Scriptura frequenter habemus, quòd terra filiorum Iſraël trans Iordanem ad ſolis ortum, à torrente Arnon vſque ad Montem Hermon extendatur. Eſt & alius Hermon mons citra Iordanem iuxta Thabor, & tertius in tribu Aſer adeò altus, vt perpetuò niues habeat.

Igitur Libanus, Amana, Sanir & Hermon ſunt montes ſibi vicini extra Iudæam, ſed Iudeæ confines eiúſque limites, in quibus erant ſpeluncæ vaſtæ, vbi degebant leones & pardi: vnde hîc di- Mons pardorum. citur: *de cubilibus leonum, & montibus pardorum*;

*rum*; licet Adrichomius ex Brocardo & Berdenbachio in deſcript. terræ ſanctæ p. 186. num. 20. ſeparatum montem conſtituat, qui dictus ſit pardorum à pardis in eo degentibus æquè ac leonibus, ex quorum cum pardis commixtione naſcuntur leopardi: Mons Leopardorum, inquit, rotundus & altus eſt, qui contra Aquilonem à Tripoli duabus, verſus Auſtrum à ciuitate Arcas tribus, à Libano autem vno milliario diſtat; Additq; ibi oſtendi ingens in ſpelunca monumentum, quod incolæ putant eſſe ſepulchrum Ioſue, ſed veriùs videri eſſe ſepulchrum Chanaan filij Cham, filij Noë.

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

NOnnulli per Libanum, Amana, Sanir & Hermon montes accipiunt Ieruſalem & Iudæam, atque ex ea hîc euocari à Chriſto cenſent Apoſtolos & fideles, vt à Iudæis vtpote incredulis & crudeliter inſtar leonum & pardorum in Chriſtianos ſæuientibus egrediantur ad gentes, illiſque prædicent Euangelium: ſic enim per Libanum ſignificatur Ieruſalem, Zachar. 11. Ezech. 17. 3. & alibi.

*Libanus, Amana, Sanir & Hermon montes extra Iudæam in Phœnicia ſiti.*

Meliùs alij per Libanum, Amana, Sanir & Hermon montes, vtpote extra Iudæam in Phœnicia ſitos, accipiunt Phœnices, id eſt, Gentiles. Vnde S. Athanaſ. in Synopſi S. Script. in Cantic. cenſet, hiſce montibus deſignari Eccleſiam gentium: gentes enim hîc euocari ab idololatria & gentiliſmo ad fidem, & Chriſtianiſmum, vt Chriſti Eccleſiæ inſerantur, ſic & Tertullian. lib. 4 contra Marcion. cap. 11. Paulò aliter Theod. qui per Libanum, id eſt, dealbationem cenſet notari vocationem gentium, quæ infidelitate atræ, Baptiſmo ablutæ & dealbatæ fuerunt. Per Hermon verò rorulentum, & Sanir, id eſt, lucernarum viam, ſignificati vocationem Iudæorum, qui legis lucem & rorem à Moſe acceperunt, rurſus, per leones notari Iudæos audaces, per pardos gentilium ſapientes & ſophiſtas. Hæc Theodor.

Senſus ergo eſt, q. d. Tu, ô Eccleſia gentium, quæ à me Chriſto ab æterno prædeſtinata es, & in tempore deſtinato vocanda es ad Chriſtianiſmum, vt fias mihi Sponſa, veni de horridis ſyluoſiſq; montibus, de Libano, inquam, Amana, Sanir & Hermon, id eſt, de Infidelitate & gentiliſmo, vbi inter idololatras, infideles & impios, quaſi inter ſæuos leones & pardos ferarum more vixiſti, & inter feras horridam vitam egiſti, veni in ſpecioſam Ieruſalem & Sion, vbi Deus in templo ſuo colitur: veni, inquam, ad Eccleſiam & montem myrrhæ, & collem thuris, id eſt, ad montem Olіueti & Caluariæ, vbi captus & crucifixus eſt Chriſtus, vt in eum credas; atque ad Sion, vbi cœpit Eccleſia Chriſtianorum, vt illi aſſocieris. Veni ergo ad Chriſtianiſmum, ibi inter Chriſtianos humiles, mites & benignos, velut inter columbas, hinnulos, & agnos vitã ages ſuauiſſimam & ſanctiſſimam: imò ibi coronaberis velut Spõſa Regis Chriſti, ideóque Regina; coronaberis, inquam, in hac vita per gratiam, in futura verò per gloriam.

Aut aptiùs & neruoſiùs, q. d. Tu, ô primitiua Eccleſia, quæ per Apoſtolos eorúmque ſocios & aſſeclas laboras in Libano, Amana, Sanir & Hermon, id eſt, in gentilitate conuertendâ ad Chriſtum, inde veni cum magnis gentium à te conuerſarum manipulis, vt eos adducas in Sion, hoc eſt, ad Chriſti Eccleſiam: quod ſi feceris, *coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum*, id eſt, de gentibus à te conuerſis triumphabis, eáſque quaſi in triomphum duces, ac coronâ triumphali coronaberis. Ita Noſter Alcazar in Alluſionibus ad Apocalypſin lib. 3. vbi ait hoc verſu promitti Romæ nouæ, id eſt, Chriſtianæ, perfectam de Roma veteri, id eſt, Ethnicâ, ac de vniuerſo Imperio victoriam. Nominat ergo regiones, quarum Eccleſia quaſi in triumphorum ferculis ante ſe latura ſit ſimulachra; primùm de Amana, id eſt, de fide plantata quaſi fidei coronam; ſecundùm de Sanir, id eſt, dente Lucernæ (Hoc enim Hebr. eſt *Sanir*:) ob Prædicatores luce doctrinæ & virtutum ſplendentes, per quos regiones illas conuertiſti: tertiùm de Hermon ſiue Chermon, quia Eccleſiam gentium quaſi חרם *cherem*, id eſt, anathema Deo vouiſti, conſecraſti & ſacrificaſti: occidiſti enim in eis infidelitatem, vitia & diabolum, ac viuere feciſti in eis fidem, virtutes & Chriſtum: quartùm de debellatis leonibus & pardis, id eſt, Tyrannis, & perſecutoribus, quos tibi, ô Eccleſia, ſubegiſti.

Huc facit Chaldæus: *Dixit*, inquit, *Dominus in verbo: Mecum habitabis cœtus Iſraël,*

Chald.

*qui ſimilis es Sponſæ honeſtæ, & mecum ingredieris in domum ſanctuarij, & offerent tibi munus principes populi, qui habitant ſuper fluuium Amana, & incolæ, qui morantur in vertice montis niuis, & gentes, quæ ſunt in Hermon, & offerent tibi tributa habitatores ciuitatum fortium, qui ſunt robuſti, ſicut leones, & munus ab vrbibus montium, qui ſunt fortiores leopardis.* Ita Caſſiodor. S. Gregor. Philo, Beda, & Iuſtus Orgelitan. qui tamen aiunt Eccleſiam de Libano, id eſt, ex dealbatione Baptiſmi vocari ad coronam cæleſtem per infidelium & impiorum conuerſionem, imò & ad coronam præſentis vitæ, quâ decoratur Eccleſia per fidelium turbam, ait Beda.

Iſai. 11. 6.

Vertices, id eſt Principes conuertendi.

Simili ſchemate de ſubactis & manſuefactis gentibus Eccleſiæ triumphum depingit Iſaias cap. 11. 6. *Habitabit*, inquit, *lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo & ouis ſimul morabuntur & puer paruulus minabit eos*, &c. Porrò quod ait de vertice, notat vertices, id eſt principes gentilium, putà illos, qui inter eos, imperio, ſapientiâ, opibus, auctoritate eminebant conuertendos ad Chriſtum; tacitéque hîc monet viros Apoſtolicos, vt vertices, id eſt, Principes conuertant; iis enim conuerſis ſubditi facilè conuertuntur. Hinc S. Franciſcus Xauerius adibat Reges & Principes Indorum, ac Magnum Regem Sinarum primò adire ſibíque conciliare deſtinabat, vt ab eo facultatem euangelizandi per totum regnum impetraret; idémque monebat noſtros, vt primò Prælatos & magiſtratus ſibi deuincirent, vt illi conatus eorum promouerent, alioqui fruſtrà laboraturos.

Iſai. 43. 5.

Matth. 8. 11.

Addit Hortolanus hos quatuor montes ſitos eſſe ad quatuor plagas orbis, reſpectu Palæſtinæ. Libanus enim ſitus eſt ad Septentrionem, Amana ad Occidentem, Hermon ad Orientem, Sanir ad meridiem; hócque ſitu ſignificari gentes vniuerſas ex quatuor orbis plagis venturas ad fidem, & Eccleſiæ ſe ſubdituras, iuxta illud Iſaiæ 43. 5. *Noli timere, quia ego tecum ſum: ab Oriente adducam ſemen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, Da: & Auſtro, Noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.* Et illud Chriſti: *Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cælorum: filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores.* Matth. 8. 11. Hæc enim omnia, quæ dicuntur Cant. 4. ſpectant ad virilem ætatem Eccleſiæ, quando illa propagata per omnes gentes, regnum ſuum ſpirituale toto orbe ſtabiliuit: vnde quaſi regina orbis, gentium omnium fide & obedientiâ coronata inceſſit, iuxta illud Iſaiæ 49. 18. *Leua in circuitu oculos tuos & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi. Viuo ego, dicit Dominus; quia omnibus his velut ornamento veſtieris; & circumdabis*, vel *coronabis tibi eos quaſi Sponſa.*

Iſai 49. 18.

LXX.

Phil. Carp.

Porrò Septuag. verſionem, quæ habet: *Venies & tranſibis ab initio fidei*, ſic interpretatur Philo Carpath. *Venies à gentibus, tranſibis à lege; A primitiis fidei, à capite Sanir & Hermon. Sanir interpretatur rubus, & Hermon Spiritus, ſiue vox ſublimis: principium enim fidei ab eo fuit, qui in rubo locutus eſt Moyſi, & voce ſublimi locutus eſt filiis Iſraël, cùm eos eduxit ex Ægypto, in vnúmque coëgit.*

3. Patres.

Aliter S. Auguſtinus in Pſalm. 67. ſub finem: *Ab initio fidei*, inquit, quia, vt bona opera ſequantur, præcedit fides, nec vlla opera bona fiunt, niſi quæ ſequuntur præcedentem fidem: fides enim eſt principium omnis boni & virtutis. Vnde tres Anonymi apud Theodor. legentes: *Venies & præuenies ab initio fidei à capite Sanir*, &c. ſic explicant q. d. Venire incipies per fidem, ſed peruenies ad coronam per ſpem & charitatem, vbi variis tentationibus, quæ leonum & pardorum nomine ſignificantur, exercita fueris. Denique Noſter Sanchez *τὸ à principio fidei* explicat de B. Virgine, q. d. B. Virgo ab initio Conceptionis ſuæ fuit fidelis, ſancta & immaculata, ideóque concepta ſine peccato originali vtpote euocante illam ad ſe Chriſto. Vnde Hebr. habent: *Mecum de Libano venies.*

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

HÆc omnia, quæ dicta ſunt de Eccleſia adapta animæ commutato nomine.

1 Ioan. 2. 16

Primò ergo, hæc attribui poſſunt animæ, quæ ex ſtatu peccati & vitiis, quibus beſtialiter ſeruiuit, à Chriſto euocatur ad pœnitentiam, virtutes & gratiã, vt iam non ſeruiat concupiſcentiæ, ſed charitati. Nam, vt ait S. Ioannes Epiſt. 1. c. 2. 16. *Omne, quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ.* Concupiſcentiam carnis notat *Amana*, id eſt nutrix: nutrit enim carnem concupiſcentia gulæ: concupiſcentiam oculorum, id eſt, auaritiam notat

Sanir,

Digitized by Google

Sahir, id eſt iteratio noualis : anaritia enim nouis agris & opibus aggregandis inhiat : ſuperbiam vitæ notat Hermon, id eſt, deſtructio & anathema : ſuperbia enim omne bonum deſtruit. Ex his ergo vitiorum montibus euocatur anima peccatrix & pœnitens ad contrarias valles abſtinentiæ, paupertatis & humilitatis. Aliter hæc nomina Amana, Hermon, & Sanir interpretatur & adaptat Richard. de S. Victor. & alij, ſed minùs verè & congruè ad etymon Hebræum.

Secundò, hæc attribui poſſunt animæ ſanctæ, quæ à Chriſto ad maiorem ſanctitatem & perfectionem, ac præſertim ad tria vota vitæ Religioſæ euocatur.

*Veni ter repetitur 4. de cauſis.*

Hæc enim ex Amana, id eſt, gulâ & luxuriâ euocatur ad caſtitatem; ex Sanir, id eſt, auaritiâ ad ſtudium paupertatis; ex Hermon, id eſt ſuperbiâ ad humilem obedientiam. Hinc ter repetitur τὸ *veni*. Primò, vt ſignificetur ardens deſiderium Chriſti, quo optat, vt anima ſe vocantem ſequatur, ideóque eam *ter*, id eſt, plenè & perfectè vocat. Secundò, vt ſignificentur ingentia bona præſentia & futura, ad quæ euocatur. Tertiò, vt ſigoificetur illam euocari ad ſeruiendum S. Trinitati per tria vota, & per tres virtutes Theologicas, fidem, ſpẽ & charitatem, ait S. Gregor. Quarto, vt ſignificetur ei aſſiduè luctandum eſſe cum mundo, carne & diabolo:

*Sanir, mundus.*

Mundum enim ſignificat Sanir, id eſt, mutatio lucernæ vel noualis : In mundo enim eſt perpetua mutatio, & ſucceſſio dignitatum & opum: hæ enim continuò ab vno, vel per mortem, vel per caſum aliquem auferuntur, & alteri conferuntur; quia in mundo aſſiduè gyratur Rota fortunæ, vt his in altũ aſcendentibus, alij deorſũ deſcendant & cadant;

*Amana, Caro.*

Carnẽ ſignificat Amana, id eſt, nutrix, vti iam dixi;

*Hermon, Diabolus.*

Diabolum repræſentat Hermon, id eſt, deſtructio & anathema; quia diabolus deſtruit bona omnia, ideóque quaſi anathema æternæ maledictioni & gehennæ addictus eſt. Addit Caſſiod. & Beda trinum *veni*, trinum animæ denotare profectum, ſcilicet in cogitatione, locutione, & operatione; S. Gregor. verò; primus animæ profectus, inquit, eſt virtutum progreſſus; ſecundus fit per egreſſum è corpore, tertius per reſurrectionem carnis. Porrò anima ſancta coronatur coronâ virtutum in hac vita, & coronâ gloriæ in futura. Hæc deinde ex *Hermon* fit *Herem* vel *Cherem*, id eſt, mors & conſecratio, quia moritur ſibi, vt viuat Deo, ac velut anathema totam ſe conſecrat Deo, eiſque ſe facit holocauſtum. Hæc enim anima paulò antè vocata eſt tota pulchra, atque euocata fuit in montem myrrhæ, conſepulta Chriſto per baptiſmum: aſcendit quoque in collem thuris, particeps effecta diuinitatis, quæ per thus ſignificatur, per reſurrectionem à peccatis. Hîc autem vlteriùs euocatur, vt tranſeat à principio fidei, vt habent Septuag. ad eius conſummationem, & progreſſum per opera charitatis & virtutum. Ita Nyſſen. & S. Ambroſ. lib. de Iſaac cap. 5 quem audi:

*Ambroſ.*

*Egredere*, inquit, *de corpore & totam te exue. Non potes enim mihi adeſſe, niſi antè peregrineris à corpore: quoniam qui in carne ſunt, peregrinantur à Dei regno. Ades, inquit, ades Bene repetiuit, quia ſiue præſens, ſiue abſens adeſſe & placere Domino Deo tua debes. Adeſto præſens, adeſto abſens, etſi adhuc in corpore es. Mihi enim omnes præſentes ſunt, quorum fides mecum eſt.* Deinde pulchrè idipſum per Antitheſes explicat: *Adeſt mihi, qui exit de ſæculo: adeſt mihi, qui me cogitat, me intuetur, de me ſperat, cui ego portia ſum. Adeſt mihi, qui abſuerit ſibi; adeſt mihi qui ſe negauerit ſibi: ille mecũ eſt, qui intra ſe non eſt: quantã qui in carne eſt, non eſt in ſpiritu: ille mecum eſt, qui ex ſe ipſo egreditur: ille iuxta me, qui extra ſe fuerit: ille mihi integer, qui propter me perdiderit animã ſuam. Et ideò ades Sponſa, tranſibis, & pertranſibis à principio fidei. Tranſit & pertrãſit cæteros, quæ ad Chriſtũ peruenit. Tranſit fidei merita & operum claritate, quæ lucet ſicut Sanir & Hermon, Hoc eſt, via lucerna tranſit deuictis tentationibus ſæculi, & ſuperatis nequitiis ſpiritalibus, legitimi petens coronam certaminis, & ideò meruit Chriſto indicante laudari.*

*Tropologicè. Leones, Dæmones & Tyranni. Pardi Hypocritæ & Hæretici.*

Tropologicè per leones S. Gregor. accipit Dæmones, Beda verò ſuperbos, & potentes, vti ſunt reges & principes infideles; per pardos maculoſos accipit hypocritas, fraudulentos & doloſos, quales ſunt Hæretici, ait Philo Carpath. Porrò dæmones & tyranni infideles dominabantur gentibus ante Chriſtum ſæuè & crudeliter, inſtar leonum. *Hi enim*, vt ait S. Gregor. *verè pardorum varietatem imitantur, quia dum cum virtutibus etiam vitia ſectantur, quaſi in vario corio coloris diſſimilitudine diuiduntur. Sed de cubilibus leonum & de montibus pardorum Eccleſia coronatur, quia dum per eius prædicationem & crudeles ad pietatem, & hypocritæ ad vitæ humilis vnitatem conuertuntur, pro his omnibus præmium percipiet quod meretur.*

*Gregor.*

*Anagogicè.*

Anagogicè ſignificatur hîc euocatio animæ ſanctæ è periculis, tentationibus,

*Cornel. à Lapide in Cant. Canticor.*



Digitized by Google

& ærumnis huius vitæ propter eius patientiam & victoriam, ad cæleſtem coronam & gloriam. Ita Caſſiodorus, Beda, Anſelmus & S. Auguſtinus in Pſal. 67. Vnde S. Ambroſius lib. de Virginibus 3. poſt medium iis adaptans: *Primitias*, inquit, *vigiliarum tuarum Chriſto dicato: primitias* (Ambroſ.) *actuum tuorum Chriſto immola. Audiſti, quia vocauit te dicens: Veni à Libano: tranſibis & pertranſibis à principio fidei. Tranſibis in ſæculum creatura, pertranſibis ad Chriſtum triumphatura de ſæculo? Audiſti, quia te à leonum & pardorum, id eſt, ſpiritualium nequitiarum incurſionibus ſeparauit.*

Similia habet S. Hieronym. lib. 1. contra Iouin. Vnde Ioannes Carmelita τὸ *coronaberis de capite Amana* &c. ſic exponit q. d. Coronam de perſecutione recipies; dum in Libano viuens, montium vbi feræ habitant aduerſos patieris incurſus. Monti quippe amoris, perſecutionum montes opponi decuit, vt tanta ſit laboris probationiſque menſura, quanta eſt tui erga me amoris magnitudo.

## TERTIVS SENSVS

### *De Chriſto & B. Virgine.*

PRimò, B. Virgo euocata eſt ex Libano, Amana, Hermon & Sanir, cùm ex Iudæa & hoc mundo euocata eſt ad Chriſtum in cælum, ibique coronata Regina cæli & terræ cum triplici Aureola, ſcilicet eminentis Virginitatis, Doctoratus, & Martyrij: fuit enim ipſa Primiceria Virginum, Doctorum, & Martyrum. Vnde ſecundò, illorum corona eſt corona B. Virginis, quia eius inuocatione, orationibus & meritis impetrata. Ita Rupert. qui nouè, ideóque non ſatis congruè interpretans nomina Hebræa montium, ſic ait: *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis. Vnde* (Rupert.) *coronaberis? De capite Amana, quod interpretatur nocturna auis; de vertice Sanir, quod interpretatur dens vigiliarum; & Hermon, quod interpretatur anathema. Venies de Libano, quod interpretatur candidatio, id eſt, migrabis de corpore iſto, corpore candido, corpore virgineo, & coronaberis de omnibus his, id eſt, de corpore vel membris illius, qui nominibus iſtis rectè denotatur, de regnis mundi huius. Regna namque mundi huius quædam capita, vel quidam vertices rectè dicuntur nocturna auis, & dentis vigiliarum, & verè anathematizati diaboli à Deo ſeparati, qui cùm ſit princeps tenebrarum, & tanquam leo rugiens circumeat quærens, quem deuoret, rectè & nocturna auis & dens dicitur vigiliarum.*

Denique per leones & pardos intelligens reges Babyloniorum, Perſarum, Medorum & Græcorum, eoſdem ſic Coronæ B. Virginis implectit; Reges hi *credent in me* (Chriſtum) *fructum ventris tui, & eorum credentium ſalus, corona tua erit. Ita* (Idem.) *coronaberis, vt & in cælis Regina ſanctorum, & in terris regina ſis regnorum. Vbicumque enim prædicatum fuerit illud de dilecto dictum, Minuiſti eum paulò minùs ab angelis, gloriâ & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum; prædicabitur & de te, quod ſis, ô Dilecta, & mater huius coronati, ac proinde regina cælorum, totum iure poſſidens filij regnum; atque hac intuitu Reges atque Imperatores coronis ſuis te coronabunt, palatia ſua nomini meo ſacrabunt, honori tuo dedicabunt, vt deſinant eſſe, quod fuerant montes pardorum, cubilia leonum.*

Hinc S. Epiphan. hæreſi 78. lib. 3. B. (*B. Virgô Leæna.*) Virginem vocat leænam, quæ eſt Regina animalium omnium; quia ipſa peperit Chriſtum quaſi leonem diuinum, per quem omnes leones terreſtres perdomuit, imò ex leonibus agnos effecit; Additque B. Virginem vnum tantùm ediſſe filium, ſicut leæna vnum edit catulum, & ſemel tantùm parit: leænæ enim (*An Leæna ſemel tantum pariat*) non contingit ſecundus partus. Cauſa eſt, inquit, quòd leæna catulum vtero geſtet per 26. menſes, quibus catulus adoleſcit ac perficitur dentibus, vnguibúſque, quibus matricem diuellit & incidit; quare matrem in partu ſimul cum catulo matricem excernere aſſerit, idcóque non poſſe illam amplius fœtum vtero concipere, cùm conceptionis locum & ſedem, putà matricem amplius non habeat. Hæc Epiphan. ſed hoc falſum eſſe docent Phyſici & experientia, quæ docet leænam pluries & ſæpiùs parere. Vide dicta, Ezech. 19. 2.

---

Verſ. 9. *Vulneraſti cor meum ſoror mea Sponſa: vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.*

SPONSVS, inquit Theodoretus, euocatâ ad ſe è Libano Sponsâ, cùm eam, eiúſque decorem fuiſſet intuitus, captum ſe dicit eius amore, & vulneratum eius oculo & crine.

Pro *vulneraſti* Hebr. eſt לִבַּבְתִּנִי *libbavtêni*, (Hebr.) quod deducitur à לֵבָב *levav*, id eſt, cor. Vnde

LXX. Vatabl. R. Dauid. Complut. Arabic.

de Septuag. vertunt ἐκαρδίωσας ἡμᾶς, id
eſt, *excordaſti nos*, hoc eſt, vt Vatabl. *Abſtu-
liſti mihi cor.* R. Dauid: *tranſfixiſti mihi cor.*
Complut. *ſtupefeciſti me.* Arabicus: *Inflam-
maſti corda noſtra.* Alij: *Incordiaſti me*, id eſt,
in corde me ſauciaſti: cordis autem vul-
nus eſt ſummi doloris & mortiferum: ſic
amor facit, vt anima quaſi moriatur in
corpore amantis, & viuat in corpore
amati. Aut *incordiaſti me*, id eſt, vt ait Nyſ-
ſen. Cor meum mihi eripuiſti & in cor-
de tuo concluſiſti, & captiuaſti. S. Am-
broſ. in Pſal. 118. ſerm. 11. vertit: *Corde
nos cepiſti.* Idem ſerm. 16. *Cor meum cepiſti.*
Symmach. apud Theod. *Excitaſti cor meum*
Quinta editio & Syrus: *Confidere me feciſti.*
Alij: *Cor mihi indidiſti*: cor, id eſt, men-
tem. q. d. Oſtendiſti mihi, quid intueri
& amare deberem, ſcilicet non aliud,
quàm te. Aut potiùs q. d. Cor tuum mihi
inſeruiſti, vt illud in me operetur, atque
ego omne id faciam, quod cor tuum de-
ſiderat.

Ambroſ. Symmach. V. Editio. Syrus.

Symmach.

*In vno* (id eſt vt Symmach. *per vnum*)
*crine colli tui*, crine non ſimplici, ſed ex
multis implicato, putà plexu & fune ex
crinibus intorto. Solebant enim capil-
los in varias plicas, vel potiùs tricas col-
ligare, vti fecit Samſon Iudic. 16. 13. at-
que vno alterôue ex illis collum circum-
dare, itáque crines circa collum contor-
quere. Hebr. enim eſt ענק, *anac*, id eſt *fune*,
vel *torque*. Vnde Septuag. *in vno* ἐνθέματι,
id eſt, *ornamento*, vel *torque colli tui.* Sic &
Syrus & Arabicus. Aquila: *In vno ſerto*
(pendente) *è collo tuo.* Symmach. *in vno mo-
nilium colli tui.* Sic crinem pro vinculo &
fune ex crinibus intorto ſumit Plinius
lib. 17. 23. *Iugum*, inquit, *fit perticâ, aut arun-
dine, aut crine, funiculóue.* Quocirca Noſter
Alcazar in Alluſion. ad Apocalypſin lib.
3. per vnum crinem colli, accipit vnam
ex duabus circuitionibus torquis circa
collum.

Plinius.

*In vno oculorum tuorum.* Arabicus: *Propter
pulchritudinem oculorum tuorum. In vno*, quia
Sponſa capite velata more nuptiali, non
niſi oculum vnum oſtendebat, vt pote
quem ad iter & actiones cæteras nudare
debebat. Idem factitabant Virgines So-
lymitanæ æquè ac Arabicæ, de quibus
Tertull. lib. de velandis Virginibus ſub
finem: *Iudicabunt*, inquit, *nos Arabicæ feminæ
ethnicæ, quæ non caput, ſed & faciem quoque ita
totam tegunt, vt vno oculo liberato contentæ ſint
dimidiam frui lucem potiùs, quàm totam faciem
proſtituere.*

*Virgines Solymitanæ ac Arabicæ ita faciem velabant vt vnũ ſolum oculũ liberarent.*

Tertullian.

Adde, quò fertur & aſpicit oculus
vnus, eò comitanter naturæ ductu fer-
tur aſpicítque & alter. Oculus eſt ſedes
animi. In oculo enim relucet cor, ani-
mus, affectus: quare oculus feminæ pul-
chræ, amantis & illicis cor viri intuentis
vulnerat, illúdque ad ſe rapit. Oculi
enim radios vibrãt & quaſi ſagittas amo-
ris eiaculantur, vti de Helena ſcribit
Theocritus Idyl. 18.

Refert Iacobus de Vitriaco Cardin. *Exempla.*
Sanctimonialem quandam pulchritu-
dine oculorum ita vulneraſſe cor Prin-
cipis, vt omnimodo eam ſibi tradi vel-
let. Quare illam euulſos oculos ad Prin-
cipem miſiſſe ac dixiſſe: *Ecce ſagittæ, quæ
cor tuum ſauciarunt.* Simile planè aliam vir-
ginem feciſſe narrat Sophronius in Pra-
to Spirit. cap. 60. ac ſimile prorſus de S.
Lucia narrat Sabellicus lib. 4. Exempl.
cap. 8. Idem & ſubindè magis faciunt
crines flaui, comptíque feminarum.
Creſcit ergo gradatio ab oculis ad cri- *Illex crinũ*
nes, quia crines flaui, fului, crocei, aurei *feminæ.*
& lucentes mirè effulgurant, itáque ra- 1.
piunt oculos intuentium. Vnde à Poëtis
Italis comparantur fulguri, & dicuntur
fulgurare. Quare Virgilius 2. Æneid.
crinem flagrantem nuncupat. Adde fe-
minas decorem ſuum ponere in capillis
ornandis, poliendis, fucandis, comendis.
Vnde Comicus: *Dum comuntur, dum pol un-
tur annus eſt.* Et Catullus: *Splendidas qua-* Terent. Catullus.
*tiunt comas* Inſuper crines pulchrè gy- 2.
rantur & criſpantur: per crinem ergo
vnum criſpationem vnam crinium in-
tellige, quæ pulchram cæſariem efficit.
Vnde Virgil. 12. Æneid. *Vibrati calido* Virgil.
*crines ferro*; id eſt, criſpati calamiſtro. Ad 3.
hæc crines perungebant vnguento odo-
ratiſſimo, vnde ſuauiſſimum efflabant
odorem. Audi Horat. 3. Carm.

*Sparſum odoratis humerum capillis.* Horat.

Et Ouidius Epiſt. 21. Ouid.

*Non Arabo noſter rore capillus olet.*

Et Tibullus lib. 3.

*Spirabat Tyrio myrrhea rore coma.* Tibull.

Et Silius lib. 11.

----*Crinem perfundit amomo.* Silius.

Præterea feminæ adeò politè crines 4.
pectunt, & acu diſcriminali diſcernunt
& diſcriminant, vt pulcherrimi appa-
reant, vt patet in Sponſis: quarum ele-
gantia in crine polito & bellè diſcrimi-
nato ſparsóque conſiſtit. Vnde Feſtus, *Crines à*
Crines, inquit, à Diſcretione dicti ſunt. *diſcretione dicti.*

Denique crines collo intortos aureo 5.
torque iniecto implectebant & ornabãt:
nonnulli etiam crines ipſos inaurabant,
aut fuco eleganti fulgidos & radiantes
efficiebant. Vnde Virgil. 4. Æneid.

*----Cui crines nodantur in aurum.*

Virgil. Idem lib. 8.

*Aurea cæſaries ollis, atque aurea veſtis.*

Idem lib. 10.

*----fuſos ceruix cui lactea crines*

*Accipit, & molli ſubnectit circulus auro.*

Et Ouidius 15. Metamorph.

Ouid. *Electro ſimiles faciunt auroque capillos.*

Et Claudianus lib. 3. de raptu Proſerpinæ:

*----Pulchrior auro*

Claudian. *Cæſaries, fuluóque nitet coma gratior auro.*

Hiſce ergo crinibus adeò elegantibus & fulgentibus Sponſa vulnerabat cor Sponſi.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

Crinis eſt Obedientia. CHriſtus Sponſus ait: Vulneraſti cor meum, ô Eccleſia Sponſa, per vnum oculorum tuorum, quia ſcilicet vno totóque oculo, eóque columbino, id eſt, pudico, modeſto & ſimplici me aſpicis: me enim ſolùm ſpirituali amore diligis, mihi ſoli placere ſatagis: *& in vno crine*, id eſt, torque crinito *colli tui*: hic torques eſt obedientia, qua collum vltrò legi meæ ſubiicis, vti dixi cap. 1. verſ. 10. hac enim velut torque cor meum ligas, tibique adſtringis & alligas. Oculus ergo notat intentionem & amorem: crinis, ſic ut torques obedientiam: hæc enim duo, quaſi duæ ſagittæ acutæ & ignitæ vulnerant cor Chriſti, vt illud amore ſaucium Eccleſiam tam ſui amantem ſummè redamet, imò illum quaſi excordant, id eſt cor illi auferunt, illúdque Sponſæ tradunt, vt illa ipſum flectat, quò vult, illóque vtatur ad libitum, imò vt illa ipſo viuat, moueatur & operetur: Sicut S. Catharina Senenſis pro corde ſuo petiit & obtinuit cor Chriſti, vt illo vegetaretur, viueret, & ageret quæcumque agebat. Vnde S. Paulus: *Viuo ego*, inquit, *iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*, puta cor Chriſti. Galat. 2. 20.

S. Catharina Senenſis viuebat corde Chriſti.

Galat. 2. 20.

Porrò oculus hic plura notat:

Oculi Symbola:

1. Cognitionis & Fidei. Primò cognitionem & fidem: oculo enim res intuemur & cognoſcimus, q. d. Vnam, ô Eccleſia, in me Chriſtum Saluatorem tuum habes fidem, & cum S. Paulo iam aliud non noſti quàm Ieſum, & hunc crucifixum: quare cogis me, vt ego viciſſim te vnā intuear & aſpiciam. Quocirca Noſter Alcazar in alluſionibus ad Apocalypſin lib. 3. totum hoc caput 4. explicans de laudibus Eccleſiæ Romanæ antiquæ, per vnum oculum accipit fidem S. Petri, per vnum crinem colli obedientiam S. Pauli. q. d. Totius victoriæ & gloriæ, quam de ſubactis leonibus & pardis, id eſt, tyrannis infidelibus conſecuta eſt Roma Chriſtiana, origo & cauſa fuit fides S. Petri & obedientia S. Pauli. Hinc multi per oculum intelligunt contemplationem, per crines cogitationem piam, quæ fouet contemplationem; aut per crines accipiunt actionem ſanctam, quæ ex contemplatione ſequitur.

Secundò oculus notat ſpem: quod enim ſperamus, hoc oculo aſpicimus. Vnde Quinta editio vertit: *Fidere me feciſti*. q. d. Quia tu, ô Eccleſia, totum tuum oculum, id eſt, totam fiduciam in me defixiſti, hinc ego viciſſim tui quaſi Sponſæ mihi chariſſimæ ſingularem curam habebo, téque ita curabo ac ſi nil aliud curarem. 2.

Spei. V. Editio.

Tertiò oculus notat amorem; nam quod amamus, hoc oculo fixo intuemur: Vnde illud: *Vbi oculus, ibi amor; vbi manus, ibi dolor.* Quod enim membrum manu crebrò contingimus, illo dolemus. 3.

Amoris.

Huc facit Chaldæus, qui more ſuo iudaïzans hæc exponit de Synagoga Iudæorum, quæ fuit typus Eccleſiæ Chriſtianorum: *Infixus eſt*, inquit, *in tabula cordis mei amor tuus, ſoror mea cœtus Iſraël, quæ comparata es Sponſæ, quæ eſt honeſta. Infixa eſt in tabula cordis mei dilectio minimi filiorum tuorum, qui eſt iuſtus, ſicut vnus de principibus Concilij, & ſicut vnus ex regibus domus Iuda, ſuper cuius collum poſitum eſt diadema Regni.*

Chald.

Denique Eccleſia dicitur ſoror Chriſti, quia ipſe quoad carnem ex eodem Patre Adamo, quo ipſa, progenitus eſt. ita S. Anſelm. Vnde S. Iſidor. lib. 9. Etymol. cap. 6. *Soror*, inquit, *ex eodem ſemine dicta eſt, quod ſola cum fratribus in ſorte agnationis habeatur*: licèt alij aliud ſororis dent etymō. Audi Problemata Gelliana apud Iulium Scaligerum num. 91. *Quamobrem ſoror dicta? an quod ſeorſim à domo naſcatur? An videtur ſoror quaſi adſcititia ſarcina, & non augere familiam: Nam ſororiari antiquis fuit turgere: ita quaſi familia tuber eſt.* Nonnius Marcellus de propriet. ſerm. cap. 1. num. 257. *Soror*, ait, *dicitur, quòd quaſi ſeorſim naſcatur, ſeparatúrque ab ea domo, in qua naſcitur.* Hoc ſororis etymon etiam congruit Eccleſiæ: nam ipſa è domo & familia parentis ſui Adæ peccato vitiata, ſeparata tranſijt per baptiſmum in domum & familiam Chriſti. Denique S. Bernard. vel quiſquis

Iſidor. Sororis etymon.

Gellius apud Scaligerum.

Non. Marcell.

Bernard.

quis eſt Auctor libri de paſſione Domini: *Solent*, inquit, *Sponſa nondum alligata coniugali vinculo, amari ardentius quàm poſtea: Tempore enim procedente amor ipſe componitur. Sponſus ergo noſter, vt magnitudinem inſinuet ſui amoris, qui tempore non decreſcit, amicam ſuam Sponſam appellat, eo quòd illius amor ſemper nouus ſit. Sororem eandem vocat, ad ſignificandam puritatem & caſtitatem amoris ſtius ſui, qui nihil carnale ſapiat.* Denique Eccleſia Chriſti eſt Soror caſtitate, Sponſa fœcunditate.

Symbolicè.

Symbolicè, S. Gregorius, Caſſiodorus, Beda; Anſelmus, & alij per vnum oculum accipiunt vnitatem Doctorum, per vnum crinem vnitatem fidelium, quos velut membra, Doctores quaſi collum Chriſto capiti coniungũt: *In vno oculo oculorum ergo*, inquit S.Gregor. *& in vno crine colli Sponſæ Sponſus vulneratur, quia profectò vſque ad mortem crucis afficitur, vt vnitas prædicatorum & plebis in Eccleſia confirmetur.*

Gregor.

Porrò Nyſſenus, qui cenſet hæc eſſe verba non Sponſi, ſed ſociorum Sponſi, puta Angelorum, ac Græcum ἐκαρδίωσας ἡμᾶς vertens *Cordificaſti nos*, vel *cor nobis indidiſti*, ſic explicat quaſi dicant Angeli: Tu, ô Eccleſia, & anima ſancta, cor, id eſt, mentem & intellectum nobis indidiſti: nam in te & ex te intelligimus, & admiramur Dei erga te ſapientiam & beneficentiam. Videmus enim Deum tibi indidiſſe vnum mentis oculum, quo ſcilicet non aliud quam Deum, & verum bonum in omnibus tuis actibus intuearis & ſpectes: atque torquem colli, id eſt obedientiam, quâ planè eius iuſſis obedis, & plenè eius voluntati te alligas & conformas, perinde ac facimus nos Angeli: ſed nos puri ſumus Spiritus, tu verò carne conſtas & concupiſcentiâ laboras.

Melius Philo Carpath. ex Septuag. vertens: *Vulneraſti cor noſtrum*, per *noſtrum* cenſet ſignificari tres perſonas S. Trinitatis, quæ amore hominum commotæ decreuerunt, vt filius pro eorum ſalute incarnaretur.

## SECVNDVS SENSVS

### *De Chriſto & Anima Sanctâ.*

IAm dicta de Eccleſia applica animæ ſanctæ: ac in primis per oculum intelge maximè ad litteram ſignificari intentionem caſti amoris, quâ Anima ſancta vni Chriſto quaſi Sponſo, quem deamat, in omnibus ſummè placere intendit & contendit; per crinem verò vel torquem crinitum ſignificari obedientiam, qua ſingulis Dei legibus & inſpirationibus, ac Prælatorum ſuorum (hos enim collum denotat) obedire ſatagit: Sicut enim torques crinitus ex multis crinibus intorquetur; ſic plena obedientia ex omnium legum, & inſpirationum prompta executione perficitur. Tam enim intentio amoris, quàm obedientia vulnerat mentem Chriſti, illámque rapit, vt animam ſui tam amantem mirè redamet. Vnde Ioannes Carmelita ſic explicat: *Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum*, id eſt, fide tua per dilectionem operante, velut ſagittâ quadam ſauciaſti me; *& in vno crine colli tui*, id eſt, obedientia tuâ, quæ eſt crinis ſeu torques collum tuum ligans ad obtemperandum, ſauciaſti me, qui non ego catenis, ſeu vinculis ferreis ad te trahendam; vno enim ex crine ſuauiſſimè quò placet duco te. His adde

*Oculi vnius ſymbola.*

Primò, per Oculum notari contemplationem cæleſtium, vitámque contemplatiuam, per torquem colli actionem, vitámque actiuam, ac virtutes illas, quæ in actione conſiſtunt, vti ſunt beneficentia, iuſtitia, patientia, &c. quæ nos proximis vniunt, & quaſi crines colligant. Ita Theodoret. & tres Auonymi apud ipſum. 1.

Huc accedit Richard. de S. Victore qui per oculum accipit curam ſalutis propriæ, quâ anima ſeſe vnit Deo; per crinem colli curam ſalutis alienæ: quia ſicut collum membra iungit capiti; ſic anima curans aliorum ſalutem, illos, ceu membra Chriſto capiti iungere ſatagit: ipſa ergo eſt inſtar colli.

Secundò, Aponius per vnum oculum accipit cor mundum, quo Deus videtur: per vnum crinem vel torquem crinitum, fideles vno charitatis vinculo implexos & conſtrictos, qui per eleemoſynam ſua in pauperes diſtribuunt. 2.

Tertiò, Oculus vnus eſt dexter, qui intendit rebus ſpiritualibus & æternis; 3. oculus alter eſt ſiniſter, qui intendit rebus temporalibus & caducis. Vnde Naas rex Ammon volens Hebræis eruere oculum dextrum, vt ad bellum eos faceceret ineptos & cæcos; ſiniſtrum enim oculum tegebant clypeo; ſignificat Diabolum, qui menti eripere ſtudet ſtudium rerum cæleſtium, vt ipſa tota oculo quaſi ſiniſtro intendat terrenis. 1. Reg. 11. v. 2. Ita Iuſtus Orgel. & S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 11.

4. Quartò, S. Hieronymus lib. 1. contra Iouin. per oculum dextrum accipit ſtudium Virginitatis, per ſiniſtrum coniugium & ſtudium prolium: ſicut enim oculus dexter præſtat ſiniſtro; ſic Virginitas coniugio: *Non repudio nuptias* inquit, *habes & ſiniſtrum oculum; quem tibi dedi propter imbecillitatem eorum, qui recta videre non poſſunt; ſed magis mihi dexter virginitatis oculus placet, qui ſi cæcatus fuerit, omne* Hieronym. *corpus in tenebris eſt. Ac ne putaremus Chriſtum Sponſum amorem carnis & nuptias ſignificare corporeas, illico excludit hunc ſenſum, & ait: Vulneraſti cor meum ſoror mea Sponſa: ubi per ſororis nomen ſuſpicio omnis fœdi amoris excluditur.*

*Vulnus Charitatis.* Porrò vulnus, quo Virgo & anima ſācta vni Chriſto intēdens, ideóq; priùs à Chriſto vulnerata, vulnerat viciſſim cor Chriſti, eſt vulnus charitatis, quod non niſi amando curatur, quia amādo magis ſauciatur & creſcit: optat enim amās vulnus amoris augeri, quia hoc vulnere vegetatur & viuit: quò enim Chriſtus videt ſe magis ab anima amari & amore vulnerari, eò magis illam amat, eò magis hoc vulnere amoris deliciatur & gaudet: vulnus enim hoc non eſt corporale, quod animam lædat, ſed ſpiritale, quod animam amore penetrat, & penetrando in amore corroborat, ideóqs animam viciſſim vehementiùs amore vulnerat: ſicut enim ſol radios vibrat in ſpeculum, qui in eo collecti vnum quaſi radium denſatū lucidiſſimum efficiunt, atque à ſpeculo repercuſſi in ſolē ipſum retorquentur, eúmque quaſi vulnerant, ſed ſolâ luce non ſanguine; ſic pariter Chriſtus Sol iuſtitiæ amoris ſui radios vibrans in animam, quæ illos colligit, & per vnam intentionem amoris, velut radium lucidiſſimum & flagrantiſſimum in Chriſtum reflectit, Chriſtus ipſe eodem quaſi vulneratur, ſed vulnere lucis non ſanguinis, quia ſagittâ ſpiritualis amoris transfigitur, vt ardentiùs quàm antè animam ita amantē redamet: quare vulnus hoc ſpirituale fundit non cruorem, ſed amorem.

Rurſum S. Gregor. & Iuſtus Orgel. τὸ *vulneraſti* referunt ad vulnera, quæ Chriſtus in Paſſione pro nobis excepit. q. d. Tui amor, ô anima, me in cruce vulnerauit; nam vt te ſanctificarem, mihíque amore coniungerem, ego clauorum & flagellorum vulnera ſuſcepi: vulnus enim amoris quod Chriſtus gerebat in anima, impulit eum ad excipienda tot tantáque vulnera in corpore. Vnde S. Bernard. vel quiſquis eſt Auctor lib. de paſſione Domini: *Per carnale vulnus*, inquit, *quod Chriſtus in cruce accepit in latere, vulnus ſpirituale oſtenditur, & hoc fortaſſe ſignificatur dum bis dicitur, vulneraſti. Vtriuſque enim vulneris ipſa ſoror & ſpon-* Bernard. *ſa cauſa eſt, ac ſi ſponſus apertè diceret: Quia zelo amoris tui vulneraſti me, lanceâ quoque militis vulneratus ſum: Quis enim cor ſuum pilo vulnerari permitteret, niſi priùs amoris illius vulnus percepiſſet?*

Denique quod Vatabl. & alij pro *vulneraſti cor meum* vertunt, *abſtuliſti mihi cor*, Vatabl. id eſt, mentem, ſignificat ſummum *Summus amoris gradus eſt amentia.* amoris gradum, qui teſte etiam Platone eſt amentia: ſicut enim amor mundanus nimius amantes facit amentes, vt inſanire videantur: ſic & amor ſpiritualis: Iuuenis enim amore amaſiæ, mercator amore pecuniarum, ambitioſus amore gloriæ captus, illi totum cor & mentem tradit, vt non niſi de ea valeat cogitare; quare ſui honoris obliuiſcitur, omnémque perdit pudorem, nec quicquam eum retinere aut prohibere poteſt, non labor, non vexatio, non periculum, non mors, non amicorum conſilium, nec timor Dei vel gehennæ: ſed omnia hæc illi ſunt quaſi fabula: ſiue dormiat, de ea ſomniat; ſiue vigilet, de nulla alia re loquitur vel auſcultat, adeò vt omnem perdat rationem & ſenſum, fiátque quaſi fatuus, ebrius & inſanus: nam *amare & ſapere vix Diis conceſſum eſt*, ait ille. Sic Chri- *Exemplum Chriſti.* ſtus amore diuino hominum captus, exinaniuit ſemetipſum, cùm è cælo & ſolio Deitatis deſcendit in terram factus homo, nec puduit eum inter homines pauperem vilémque agere vitam, imò pro eorum ſalute vt latro cruciari, crucifigi & mori: quare nullos timuit contemptus, nullas ſubterfugit iniurias, nulla probra, nulla verbera, nec mortem crucis, adeóque à Iudæis æſtimatus eſt ſceleratus, à Gentibus ſtultus. Vnde illud: *Triumphat de Deo amor.*

Chriſtum ſecuti ſunt Chriſtiani in amore perfecti, vti Apoſtoli de quibus ait Paulus: *Nos ſtulti propter Chriſtum.* Et: 1. Cor. 4. *Tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema vſque adhuc*; lege cætera quæ ipſe ſcribit 1. Corinth. 4. Hinc Apoſtoli exultabant in verberibus, gloriabantur in tribulationibus, triumphabant in perſecutionibus. Vnde illud 2. Corinth. 5. 13. *Siue mente excedimus*, Græcè ἐξέστημεν, Alij vertunt, *ſiue inſanimus.* 2. Cor. 5. 13 Et: Agrippa ad Paulum ait: *Inſanis Paule: multæ te litteræ ad inſaniam conuertunt.* Act. 26. 24.

Actor.

Actor. 26. 24. Inſanire enim Agrippæ Regi videbatur Paulus, qui ex zelo, in ipſo tribunali ipſi perſuadere volebat fidem in Chriſtum, ob quam ille ibidem vinctus erat, & reus capitis agebatur. *Et S. Franciſco.* Talis quoque præ aliis fuit S. Franciſcus, qui ſe fatuellum mundi vocabat, ac vt talem in dictis & factis oſtentabat. Vera enim Dei Sapientia eſt, ſapere Deo & ſtulteſcere mundo. Quocirca Gerſon tract. de Monte Contemplationis c. 19. 20. pulchrè docet ideam perfecti amoris eſſe amatores mundi, ad quam amorem ſuum examinare debeat vir ſpiritualis, vt videat quantùm à perfectione amoris Dei diſtet, adeóque cum qui velit eſſe perfectus in amore Dei, imitari debere actus amatorum mundi, vt ſicut hi ardua æquè ac ſtulta faciunt pro mũdo, ſic ipſe ſimilia faciat pro Deo & Chriſto, ſed illi ex vitio, hic ex virtute. Vbi enim eſt amor, ibi non eſt pudor nec timor; amor enim foràs mittit timorem, vt ait S. Ioannes. Exemplum litterale eſt in S. Magdalena, *Et S. Magdalena.* quæ pœnitens & amore Chriſti ſaucia, ſine pudore irruit in domum Simonis Phariſæi, ibíque coram conuiuis proſternens ſeſe ad pedes Ieſu, ipſum vulnerauit non vno ſed vtroque oculorum ſuorum, cùm ex iis copioſas amoris lachrymas profundens, iis pedes Ieſu lauit, & in crine non vno ſed omnibus colli ſui, cum capillis ſuis eos deterſit. Vnde ab eo meruit audire: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Lucæ 7. *Luc 7. 47.* Abſtulerat ergo ipſa cor Ieſu, & Ieſus abſtulerat cor eius, quia cor Ieſu viuebat in Magdalena, & cor Magdalenæ viuebat in Ieſu, vti pulchrè & patheticè deſcribit Origenes hom. de S. Magdalena, vbi inter alia dicit: *Oblita erat timere, oblita erat gaudere, oblita erat ſeipſam, oblita erat denique omnia præter illum, quem diligebat ſuper omnia, & quod mirabile eſt, ſic erat oblita, vt etiam ipſum non cognoſceret*, cùm ſpecie hortulani poſt Reſurrectionem primò illi apparuit. *Origen.* Cauſam inferiùs ſubdit dicens: *Idem.* *Denique Ioſeph poſuit in monumento corpus tuum, Maria ſepeliuit ibi pariter ſpiritum ſuum, & ita indiſſolubiliter iunxit, & quodammodo vniuit eum cum corpore tuo, vt faciliùs poſſet ſeparare animam ſe viuificantem à viuificato corpore ſuo, quàm ſpiritum ſuum te diligentem à defuncto corpore tuo. Spiritus enim Mariæ magis erat in corpore tuo, quàm in corpore ſuo: cumque requirebat corpus tuum, pariter requirebat ſpiritum ſuum, & vbi perdidit ſpiritum tuum corpus, perdidit cum eo ſpiritum ſuum. Quid igitur mirum ſi ſenſum non habebat, quæ ſpiritum amiſerat? Quid mirum ſi te neſciebat, quæ non habebat ſpiritum quo ſcire debebat? Redde ei itaque ſpiritum ſuum, quem habet in ſe corpus tuum, & mox recuperabit ſenſum ſuum & relinquet errorem ſuum.*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

RVpertus per vnum oculorum, accipit vnitatem cogitationum & orationum, quas B. Virgo figebat in Deo; ac per vnum crinem, vniformitatem humilitatis eiuſdem: vnde proferẽs exemplum Annæ matris Samuelis, de qua dicitur 1. Reg. 1. poſt orationem, *vultus illius nõ ſunt amplius in diuerſa mutati*, ſubdit: *1. Reg. 1. Rupert.* *Quid erat illa vniformitas vultuum non ſe amplius in diuerſa mutantium? nimirum identitas cogitationum, & valde intenta earundem perſeuerantia precum?* ac deinde idipſum applicans B. Virgini: *Hoc eſt vnum oculorum,* inquit, *hæc vniformitas vultuum, oculorum ſpiritualium, vultuum internorum indefeſſà charitate iuſtam precem perſeueranter, vti cœptum eſt, dirigere ad Dominum, ac ſemper cogitare id ipſum. Et quis in hac re talis, vt tu, ô dilecta ſingularis, quam ſolã præ cunctis amantibus totam occupauit, totámque poſſidet amor Dilecti? In hoc vno ſoror mea ſponſa, per fidem ſoror mea; per Spiritum ſanctum, amorem verum, ſponſa mea: in hoc vno oculorum tuorum vulneraſti cor meum, ſed & in vno crine colli, id eſt, in nimia humilitate cordis tui, quem videlicet crinem ſemper vnum vidi, quam humilitatem ſemper vniformem & indeficientem eſſe conſpexi. Quid vno crine gracilius, & quid humilitate ſubtilius? Quid crine flexibilius, & quid humilitate confractius? Crinis vnus vix comparet, humilitas tua vix conſentit quod computari poſſit inter homines.*

Addit deinde ipſam licèt honeſtatis causâ nupſerit Ioſepho, non tamen in ipſum; ſed in Deum quaſi Sponſum oculum totius amoris ſui collegiſſe, & fixiſſe: *Votum egregium*, inquit, *prima Deo vouiſti, votum virginitatis. Attamen Sponſi nomen admiſiſti, deſponſari viro non renuiſti, & inter hæc vnum oculorum, & illum crinem iam dictum colli tui, magis ac magis in me fixiſti fide fortis, ſpe ſtabilis, charitate immobilis.*

Beata virgo ergo vno oculorum ſuorum, id eſt, vno aſpectu mentis ſuæ, ita ſe in contemplatione erigebat ad cæleſtia, & altiſſima penetrabat, vt feriret cor Dei, illúdque ſagittâ amoris transfigeret & sauciaret, nimirum:

*Magnetem gerit illa oculis operoſa pudicis:*
*Hinc mentẽ & ſenſum magnetis more laceſſit.*

Verſ. 10.

Verſ. 10. *Quàm pulchræ ſunt mammæ tuæ, ſoror mea Sponſa! pulchriora ſunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.*

*QVAM pulchræ ſunt mammæ tuæ ſoror mea Sponſa! pulchriora* (Hebr. *meliora*) *ſunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.* Arabicus: *Quàm pulchra eſt ſpecies vberum tuorum!*

Hebr.

Arabic.

Vnguenta, intellige aromata ſuaueolentia & confortantia cor, quæ circa vbera ad pectus geſtabant iuxta illud cap. 1. 13. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Septuaginta pro שְׁמָנַיִךְ *ſcemanajich*, id eſt, *vnguentorum tuorum*, legerunt שַׂלְמוֹתַיִךְ *ſalmotajich*, id eſt, *veſtimentorum tuorum*: vnde vertunt: *Et odor veſtimētorum tuorum ſuper omnia aromata.* Chald. vertit: *Quàm pulchræ ſunt ſuper me dilectiones tuæ, ſoror mea cœtus Iſraël, quæ comparata es Sponſæ pudicæ: quàm bonæ ſunt ſuper me dilectiones tuæ magis, quàm Septuaginta nationum, & nomen bonum iuſtorum tuorum fragrantius eſt omnibus aromatibus.* Redit Sponſus ad laudes Sponſæ, ac rurſum vbera eius labiáque commendat.

LXX.

Chald.

Mammæ, ſiue vbera gemina denotant vim lactandi Eccleſiæ, quâ per Doctores, Prædicatores, Confeſſores, viróſque zeloſos, alios rudiores & infirmiores lactat, & paſcit verbo, exemplo, doctrinâ & ſacramentis; item duplici eleemoſynâ, ſpirituali & corporali, vti expoſui v. 5. Quare hîc ea non repetam. Ita S. Gregorius, Caſſiodorus, Beda, Theodoretus, Nyſſenus, Anſelmus, Iuſtus, Philo & alij. Porrò Septuag. vertunt: *Quàm pulchra facta ſunt vbera tua*: q. d. Sicut feminis eum geminos vel plures pariunt filios, vbera inflantur & lacte turgeſcunt, vt plures ſibi natos lactare valeant, quæ vberum eſt pulchritudo: Sic pariter tu, ô Eccleſia, cùm plurimos iam Chriſto vbiuis gentium Chriſto pepereris per fidem & baptiſmum filios, abundas lacte doctrinæ & copiâ Doctorum; qui tibi natos in fide lactent & enutriant, quæ tua eſt pulchritudo. Omnia enim hæc ſpectant ad Eccleſiæ propagationem & incrementa. Hoc enim capite deſcribitur virilis & perfecta Eccleſiæ ætas, vt dixi. Moraliter hinc diſcant illi, qui ſtudent animabus conuertendis, vt earum numero nunquam ſatientur, nec metuant ſe omnibus illis in ſpiritu alendis ſufficere non poſſe, quia quò plures pariunt Deo filios, eò plura eis auxilia ſuggeret Deus, quibus eos alant & foueant; ſicut idem mulieri, quò plures parit liberos, eò maiora dat vbera lacte turgentia, quibus omnes lactet.

*Mammæ Eccleſiæ quænam?*

LXX.

Hinc *pulchriora ſunt* hæc eius *vbera vino*, id eſt omnibus deliciis carnalibus; ac myſticè vino, id eſt, auſteritate Synagogæ & legis Moſaicæ; item vino rigoris iuſtitiæ, ait Richard. Victorin. Vide dicta cap. 11. vbi idem de Chriſti vberibus dixit. Similia enim ſunt vbera Chriſti & Eccleſiæ.

Symbolicè, vbera Doctinæ & Prædicationis præſtant vino Contemplationis: licet enim vita Contemplatiua perfectior ſit Actiua tamen vtrâque perfectior eſt vita ex vtraque miſta, putà Contemplatio, quæ per actionem aliis ſe cōmunicat, & in proximos ſua quæ à Deo hauſit effundit: hæc enim quò magis alios illuminat, eò maius à Deo lumen accipit: hoc enim fine à Deo datur. Hinc illud: *Miſericordiam volui & non ſacrificium.* Oſee 6. 6. vide ibi dicta: Et illud Chriſti: *Diligere proximum tanquam ſeipſum, maius eſt omnibus holocautomatibus & ſacrificiis.* Marci 12. 33. Et illud Eccleſ. 40. 17. *Gratia* (eleemoſyna) *ſicut paradiſus in benedictionibus, & miſericordia in ſæculum permanet.* Vnde Deo ita placet: vt Deus admirans eius decorem exclamet: *Quàm pulchræ ſunt māmæ tuæ ſoror mea Spōſa!* Ita Nyſſen. & Beda, qui docet Deum hîc admirari illam animam, quæ alios rudiores fidei rudimenta docere non refugit: *Rectè*, inquit, *talem animam ſororem ſibi ac Sponſam Dominus eſſe teſtatur, quia nimirum ſuâ eam dilectione ac coniunctione digniſſimam iudicat, quam ſui operis imitatricem fieri conſiderat. Nam & ipſe vt nos de infirmis fortes faceret, infirmari ad tempus, imò & mori, vt nos viueremus non refugit. Ipſe cùm eſſet panis Angelorum in diuinitate lacteſcere voluit per aſſumptionem carnis, vt hominum puſillanimitatem nutriret, ac panis eiuſdem cæleſtis exhiberet capacem.*

*Symbolicè. Doctrina & Prædicatio meliores ſolâ Contemplatione.*

Oſee 6. 6.

Marc. 12. 33.

Eccli. 40. 17.

Beda.

Quocirca *odor vnguentorum tuorum* ſuperat *omnia aromata*, id eſt, bona fama, quam ex tua charitate, miſericordiâ, & zelo animarum conſequeris, ac longè latéque diſpergis, melior eſt omnibus odoriferis virtutibus apud Deum, qui vt dixi miſericordiam præfert ſacrificio. Nam vt ait Eccleſ. cap. 31. 28. *Splendidum in panibus benedicent labia multorum, & teſtimonium veritatis illius fidele.* Et Salomon: *Qui pronus eſt ad miſericordiam benedicetur,* id eſt,

Eccli. 31. 28.

Prou. 22. 9. id eſt, laudabitur ab hominibus æquè ac à Deo Prouerb. 22. 9. Vide dicta c. 1. v. 1. ad illa: *Meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Cauſam dat Richard. de S. Victore, quòd charitas omnium virtutum ſit mater æquè ac regina, ideóque illam per vbera hîc iteratò in Sponſa Sponſus commendat, & ingeminat, imò Hebr. דודים *dodim*, id eſt, *amores*, dicuntur à דדים, id eſt, *vbera*, ait Marinus: vbera enim amoris ſunt ſedes æquè ac ſymbolum.

*Vbera, amoris ſedes ac ſymbolum.*

Porrò Theodoret. & tres Anonymi apud ipſum, ac Philo Carpath. *τὸ vino* non exponunt comparatiuè *præ vino*, ſed affectiuè, *à vino* (ſic enim vertunt Septuag.) q. d. Tua charitas omnem ſuam bonitatem hautit à vino, id eſt, à diuinitate & bonitate Dei ac Chriſti.

Rurſum quod Septuag. pro *vnguentorum* vertunt *veſtimentorum*, quoad ſenſum eòdem redit. Nam vnguenta ſiue aromata animę ſunt eius eleemoſynæ, compaſſio, mortificatio, ait S. Ambr. lib. 1. de Virgin. cæteráque bona opera, quibus illa pariter quaſi veſtibus pretioſiſſimis & odoratiſſimis ornatur; iuxta illud: *Induite vos ſicut electi Dei, ſancti & dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes inuicem*
Coloſſ. 3. 12. *& donantes vobiſmetipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet querelam, ſicut & Dominus donauit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Coloſſ. 3. 12. ita Nyſſen. Theodoret. & tres Anonymi apud ipſum. Hinc Arabicus vertit: *Suauitas odoris veſtimentorum*
Arab. *tuorum, præſtantiſſima eſt omnium ſuauitatum.*

*Vnguenta Magdalenæ.* Denique nonnulli hæc ad litteram adaptant S. Magdalenæ, quæ tertiò vnxit Chriſtum. Vnde eius vnguenta meliora fuêre vnguentis cæterorum, quia ipſa vnxit ipſum Chriſti corpus, cæteri verò vngunt alios fideles, qui ſunt membra dumtaxat Chriſti: Hinc Rupertus myſticè idipſum adaptans B. Virgini: *Hæc*, inquit, *ſunt aromata vera, vnguenta pretioſa, eſurienti cuilibet ex inimicis meis ci-*
Rupert. *bum dare, ſitienti potum præbere, hoſpitem ſiue peregrinantem colligere, nudum veſtire, infirmum viſitare, & ſi in carcere eſt, ad eum venire. Super omnia hæc aromata eſt odor vnguentorum tuorum, id eſt, ſuauitas eleemoſynarum tuarum, quia non vt cæteri in membris meis, ſed in memetipſo mihi munificentiſſima extitiſti. Et quidem iure materno, & naturali affectu tu mihi cuncta debuiſti: veruntamen fidem & humilitatem, ſiue charitatem tuam pluſquàm maternam reſpicienti mihi, cuncta pro optimis vnguentis, cuncta pro ſuauiſſimis fuêre eleemoſynis, ita vt nulla eleemoſynarum aromata quæcumque mihi in meis expenduntur minimis, vnguentis illis valeant aliquatenus comparari.*

De his vnguentis eorúmque odore fusè agit Gilbertus, qui continuauit ſermones S. Bernardi in Cant. ſerm. 31. & 32. vbi inter cætera ait: *Ipſa patientia quid* Gilbert.
*aliud eſt, niſi velut quidam futuræ impaſſibilitatis odor?* Et rurſum: *Conſeramus*, inquit, *inter ſe iſta tria, vina, vbera, vnguenta. In vino, veteris hominis defectio; in vbere, noui refectio: in vnguentis, quædam delectatio. Vino carnalis ſenſus inebriatur, & ſopitur, & obruitur; vbere nouus nutritur; vnguentis adultus deliciatur. In primo homo vetus conficitur, in ſecundo nouus reficitur, in tertio iam appropinquans ad perfectionē ineffabili lætitiâ afficitur.*

---

Verſ. 11. *Fauus diſtillans labia tua, Sponſa, mel & lac ſub lingua tua: & odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.*

SYRVS & Arabicus: *Sicut odor Libani.* Nonnulli hæc referunt ad oſculum, alij ad halitum oris, cuius ſtudioſæ ſunt fœminæ: q. d. Halitum habes ſuauiſſimum, ac ſi mel ſub lingua contineres. Meliùs alij referunt ad ſermonis gratiam & ſuauitatem. Faui vocantur cellulæ ceræ, in quibus apes mel ſuum condunt. Fauus ergo nihil eſt aliud quàm mel in cera, ait Caſſiodor. *Fauus à fo-*
Faui enim ſunt apum domus & cellulæ, *uendo.*
ita dictæ quòd in his ſobolem foueant, iuxta illud Virgil. 4. Georg.

*Prima fauis ponunt fundamina, deinde* Virgil.
*tenaces.*
*Suſpendunt ceras.*

Hebraïcè & Græcè: *Fauum diſtillant labia tua.* Sic & Syrus & Arabicus. Vnde VVilleramus:

*Dant tua labra fauum, per cerea mella li-* VVilleram.
*quatum.*

Huc facit illud Comici: *In melle ſunt ſitæ linguæ veſtræ.* Eòdem redit ſenſus; q. d. Labia tua ſunt quaſi fauus, quæ fauum, id eſt, mel faui diſtillant; hoc eſt, dulciſſimum eſt eloquium tuum, vt tot mella quot verba ex ore ſtillare & fundete videaris, perinde ac ſi apes in ore tuo velut in alueolo fauos finxiſſent. Aptè hæc ſententia ſubiicitur præcedenti de vberibus, quia vbera Eccleſiæ, id eſt, Doctorum, ſunt labia ſtillantia fauum

Sapientiæ

Digitized by Google

Sapientiæ & eloquentiæ Chriſtianæ quibus filios, id eſt fideles gignit & genitos paſcit, ideóque ſola vbera & labia Sponſæ hîc iterat & congeminat. Nam paulò antè eadem dilaudauit v. 3. dicens: *Sicut vitta coccinea labia tua; & eloquium tuum dulce*, vbi plura hac de re dixi: quare hîc breuis ero.

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

ECcleſia, id eſt, Eccleſiæ Doctores, Prædicatores, cæterique fideles & Sancti ſunt fauus diſtillans, ſiue os & labia habent ſtillantia lac & mel ſacræ doctrinæ; ideóque plena ſuauitatis & dulcedinis, æquè ac diſcretionis, vt ſtillent lac teneris & rudibus; mel verò, id eſt, ſolidiorem doctrinam magis prouectis. Senſus ergo eſt, q.d. Labia tua, id eſt, ſermo tuus, ô Eccleſia, fauum ſtillantem imitatur: ipſe enim quædam eſt inſtillatio mellis, quod tu, ô Sponſa, vt cella faui cerea conſeruas, dum me, qui mel arcanè ob dulcorem appellor, mentis receptaculo condis, indéque, dum eloqueris, effundis. Ita S. Gregor. Caſſiodor. Beda, Theodoretus, Aponius, Philo, Iuſtus, Anſelmus, & alij. Audi Bedam, qui oſtendit quomodò labia Prædicatorum ſint fauus & ſimul vitta, vt dixit verſ. 3. *Cùm hic*, inquit, *ſatiando fauces delectet, illa crines vinciendo conſtringat: iſte intùs reficiat, illa foris liget. Iidem namque Doctores & vitta ſunt in præceptis ſalutaribus, & fauus in promiſſis cæleſtibus: Vitta, cùm nos à fluxu carnalium voluptatum refrænant. Fauus, cùm ſupernorum nobis gaudiorum dona promittunt. Item vitta ſunt in eis, quæ apertè agenda vel vitanda eſſe docent; Fauus in illis, quæ typicè geſta vel dicta, quid intus arcani ſalutaris habent, pandunt.* *Beda.*

Verba ergo ex ore viri ſancti fluunt inſtar faui ſuauiſſimè ſtillantis nectare: ſimili modo de Neſtore ait Homerus, quòd ex eius ore melle dulcior fluebat oratio. Ita S. Agnes, quæ ſe per votum virginitatis Agno immaculato, ſcilicet Chriſto deſponderat, aiebat: *Mel & lac ex ore eius ſuſcepi, & ſanguis eius ornauit genas meas*, vti ex S. Ambroſ. de ea canit Eccleſia. *S. Agnes.*

*Sermo ſanctorum fauus mellis.*
Sermo Sanctorum comparatur fauo:
Primò, quia ſicut fauus ſtillat mel, ſic
1. ſermo eorum ſapientiam & ſuauitatem.
2. Secundò, ſicut fauus miro artificio ab
apibus conſtruitur, ſic & ſermo ſapientis prudentiſſimè concipitur, connectitur, indéque manat eius gratia & ſuauitas, iuxta illud: *Argentum electum lingua iuſti.* Prouerb. 10. 20. Et: *fauus mellis compoſita verba: dulcedo animæ, ſanitas oſſium.* Prouerb. 16. 24. *Prouerb. 10. 20. Et 16. 24.*

3. Tertiò, ſicut fauus formatur ab ape inhabitante, ſic ſermo à corde, iuxta illud: *In corde prudentis requieſcit ſapientia, & indoctos quoſque erudiet.* Prouerb. 14. 33. Et cap. 16. 23. *Cor ſapientis erudiet os eius, & labiis eius addet gratiam.* *Prouerb. 14. 33. Et 16. 23.*

4. Quartò, ſicut apes in fauo pariunt, fouéntque ſuos fœtus: ſic ſermo ſuauis ſanctorum multos parit filios Chriſto: Norunt enim Sancti verbis ſuis dare ſuauitatem & gratiam, vt eâ velut melle audientes ineſcent & capiant, iuxta illud: *Labia iuſti erudient plurimos, qui autem indocti ſunt, in cordis egeſtate morientur.* Prouerb. 10. 21. *Prouerb. 10. 21.*

Plures analogias faui & linguæ ſuauis recenſui Prouerb. 16. 24. & cap. 24. verſ. 13. ad illa: *Comede fili mi mel.*

*Quale cor, tale os.* Ratio à priori eſt, quòd ſermo oris eiúſque qualitas manat ab affectu cordis: quale enim eſt cor, tale eſt os & ſermo: dulcedo ergo ſermonis oſtendit, & quaſi ſecum vehit dulcedinem & amorem cordis: quare dulciter loquens alteri quaſi cor ſuum in illum effundit, ac cum eo amorem ſuum illi oppignerat, imò reipſa tradit: Magnes autem amoris eſt amor: nulla enim re ita trahuntur animi hominum, ac amore. *Magnes amoris amor.* Qui enim videt ſe ab alio amari, illius amore quaſi cogitur ad illum redamandum, vt eius conſiliis obediat, ſeſéque ſubiiciat. Hoc eſt quod ait: *Mel & lac ſub lingua tua.* Syrus: *Omne mel & lac ſub labiis tuis.* *Syrus.* q. d. Sub lingua tua latet cor, quod quaſi promptuarium mellis & lactis melleam & lacteam ſuam dulcedinem & amorē linguæ communicat & inſtillat, vt illa promat verba dulcia & amabilia, quibus corda audientium ad ſe alliciat & rapiat. Verba ergo dulcia priùs in corde, & à corde dulci formantur, ac ab eo in linguam tranſeunt. Quocirca à S. Auguſtino lib. 15. de Trinit. cap. 10. Verba cordis appellantur. Atque hac de cauſa Prædicator, & quiſquis alteri virtutem vel opus aliquod bonum perſuadere conatur, priùs in ſeipſo eiuſdem affectum & amorem excitare debet, vt illo accenſus eundem faciliùs & ardentiùs aliis dicendo imprimat. *Concionator priùs in ſe eorum quæ dicturus eſt affectū imprimat.* Hic enim affectus & amores etiam amaras, vti ſunt metus mortis, iudicij & gehennæ, quem Prædicatores

auditoribus

auditoribus iniicere debent, ſapida, dulcia & grata efficit. Addit S. Gregorius 15. Moral. cap. 5. Prædicatores, cùm amariùs vitia & vitioſos caſtigant, debere amaritiem melle ſuauitatis intermiſto dulcorare. Rurſum mel & lac ſub lingua Sponſæ conduntur, q. d. Non temerè prodis tuam dicendi gratiam, nec te de ea iactas, ſed eam celas & quaſi linguâ contegis. Ad hæc Ioannes Carmelita notat, ideò mel & lac ſub lingua Sponſæ recondi, ne ſimul effundat vtrumque, ſi linguæ innatet, nec clauſtro ſepiatur, ſed præuiâ meditatione cunctetur, & ab eo quaſi cellario, vel mel promat, vel lac, prout tulerit opportunitas, lac quidem tenellis & adhuc in virtutis infantia verſantibus, mel verò grandioribus.

*Fauus eſt S. Scriptura.*

Theodor.

Symbolicè, fauus mellis eſt Sacra Scriptura. Ita Caſſiodorus, Aponius, Philo, & Theodor. quem audi: *Iam faui mellis, qui in Doctorum geſtantur labiis ſunt diuinæ Scripturæ, quæ continent apes tum ceræ tum mellis effectrices, ſacros nimirum Prophetas & Apoſtolos, qui per Spiritus ſancti prata volitantes, & diuinarum Scripturarum conſtruentes cellas, eáſque doctrinæ melle ac nectare diſtendentes, vtilitatem ad nos tranſmiſerunt, Ac ceræ quidem littera videtur ſimilis: mellis verò ſenſus, qui in eo reconditus eſt.* Hinc olim recens baptizatis dabatur lac & mel, vt ſuauitas doctrinæ vitæque Chriſtianæ eis repræſentarentur. Vnde Tertullian. de corona militis cap. 3. *Ter*, ait, *mergimur, inde conceptis lactis & mellis concordiam prægustamus.*

*Recens baptizatis olim dabatur lac & mel.*

Tertul.

Rurſum Hugo de S. Victore erudit. Theol. ex Miſcellaneorum lib. 1. tit. 115. *Fauus*, inquit, *Verbum caro factum eſt in Virgine; diſtillans, redundantiam ſignificat, & gratiam fundens; quia quod fecit & dixit, doctrina fuit: quod fuit, medicina. Ideo diſtillans, quia vnicuique ſecundum menſuram gratiæ infundens.*

Hug. Vict.

Quocirca *habet mel & lac ſub lingua*, id *eſt, refectionem robuſtorum & conſolationem paruulorum: prægustauit enim dulcedinem futuræ vitæ, vbi reficiuntur animæ diuinitatis Chriſti fruitione, & humanitatis eius lacte. Ex hac abundantia habet anima vbera, quibus perceptam ſuauitatem proferat, quæ tanto plus ſapiunt & ædificant, quantò datum eſt ei diſcere hæc in experientia & docere ex ſententia.*

*Veſtimenta Eccleſiæ quænam?*

*Et odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.* Veſtimenta Eccleſiæ ſunt bonorum operum ornamenta, ait Caſſiodor. S. Gregor. Beda & alij, iuxta illud Apocal. 19. *Byſſinum iuſtificationes ſunt ſanctorum:* hæc habent odorem thuris, id eſt,

Apocal. 19.

orationis, quia referuntur ad Deum Deíque gloriam: nam omnis actio relata ad Deum, tacita eſt oratio. Notat ergo opera bona debere olere orationem, vt ex ea quaſi manare videantur.

Rurſum thuris, id eſt, diuinitatis, cui adoletur thus, q. d. Actus virtutum tuarum externi, quibus quaſi veſtibus ornaris, exhalant quendam odorem diuinitatis. Audi Nyſſenum: *Tuum, ô Sponſa, virtutum indumentum imitatur diuinam beatitudinem, per puritatem, & impatibilitatem aſsimilata naturæ, ad quam non patet aditus. Talis eſt enim odor tuorum veſtimentorum, vt ſit ſimilis thuri, quod Dei honori dicatum eſt.* Alludit ad fragrantiam veſtium Iacob, quam odorans, eíque benedicens moriturus Pater Iſaac: *Ecce*, inquit, *odor filij mei ſicut odor agri pleni;* Chald. *Sicut odor incenſi ex optimis aromatibus.*

Nyſſen.

Gen. 27. 27.

Symbolicè, veſtis Eccleſiæ & fidelium eſt Chriſtus, cuius eſt odor thuris, quia ipſe redolet diuinitatem, quà homo eſt. Ita Theodor. vnde illud: *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum.* Rom. 13. Rurſum veſtis & ornatus Eccleſiæ ſunt omnes ſancti, de quibus eidem ait Iſaias cap. 49. 18. *His omnibus velut ornamento veſtieris.*

*Symbolicè. Chriſtus eſt Eccleſiæ veſtis.*

Rom. 13.

Iſai. 49. 18.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

Labia mentalia animæ ſanctæ diſtillant lac & mel, cùm preces & orationem, dulcibus compunctionis & amoris lachrymis conditam, in aures Dei effundunt: quare tunc Anima oſculum dat, & viciſſim accipit à Deo, imò anima ſpiritum ſuum quaſi in Deum effundit, ac viciſſim ſpiritum Dei accipit & haurit.

Quare tunc *odor veſtimentorum*, illius eſt *ſicut odor thuris*, veſtimenta ſunt virtutes externæ: vti ſunt verecundia, modeſtia, humilitas, reuerentia, obedientia: hæ *odorem thuris*, id eſt, gratiſſimum in nares Dei exhalant, adeóque ipſa ſunt quaſi *thus*, id eſt, myſtica oblatio & ſacrificium, quod Deus odoratur, velut odorem ſuauitatis. Rurſum ſunt *thus* hominibus, quia illis ſuauiſſimum virtutum odorem aſpirant & inſpirant. Comparat illas thuri præ aliis aromatibus, quia thus præ omnibus eſt odoratiſſimum, æquè ac lucidiſſimum. Vnde Hebr. vocatur לְבֹנָה *lavanon* à לָבָן *lauan*, id eſt, *candidum*. Hinc & thus, quò lucidius,

*Thus aromatum odoratiſſimum & lucidiſſimum.*

eò melius eſt & odoratius. Vnde Exodi 30.40.in thymiamate,quod Deo adolebatur, iubetur adhiberi thus lucidiſſimum: ſic virtutes in ſe ſunt lucidiſſimæ, quia puriſſimæ, aliis autem ſunt odoratiſſimæ. Nam vt ait S. Bernard. *Habent mores ſuos colores, & odores ſuos,odorem in fama,colorem in conſcientia.* Porrò ſicut veſtis ex multis filis contexitur, ſic ſanctitas ex multis virtutibus: fila ergo, quibus contexitur,ſunt charitas, gaudium,pax, &c.quæ recenſet Paulus Galat. 5.22. Ita Nyſſenus.

Bernard.

Huc facit verſio Chald. *Et in tempore, quo erant ſacerdotes in atrio ſanctuarij, labia eorum ſtillant fauum mellis: Et lingua tua eſt inſtar Sponſæ honeſta in ſermone tuo: cantica & laudes dulces, ſicut lac & mel; & odor veſtimentorum ſacerdotum,ſicut odor aromatum Libani.* Audi Gilbertum hìc ſerm. 34. *Qui omnia agit, vt ei placeat,cui ſe probauit, Deo,vt eius mereatur fauorem,vtique odor veſtimentorum eius ſicut odor thuris. Et quidem thura niſi Deo ſoli, nec offerri ſolent nec debent: ideò odor veſtimentorum eius ſicut odor thuris, cùm quicquid ſiue palàm, ſiue clàm agit, ad impetrationem placationis refert diuinæ.*

Chald.

Gilbert.

Denique appoſitè veſtium odorem thuri ſimilem componit Sponſus cùm mellea lingua Sponſæ,tum quia tam ſermo linguæ,quàm actiones externæ,quæ ſignificantur per veſtes, ſpectant ad externum decorem Sponſæ, ſicut fides, ſpes, charitas, &c. ſpectant ad internum; tum quia ſermo melleus mirè decoratur, & perficitur melleis actionibus externis beneficentiæ, humilitatis, modeſtiæ, patientiæ, ac præſertim religionis, deuotionis & orationis: tunc enim omnes actiones, omniſque habitus & compoſitio externa redolet thus, cùm ſpirat pietatem & deuotionem, atque inde naſcitur & profluit dulce & gratioſum linguæ eloquium. Porrò hoc cuilibet fideli, præſertim zelatori animarum faciendum eſt, vt omnis eius ſermo & actio exhalet thus religionis, imò thus diuinitatis, vt videantur dicta & facta eius non tam eſſe humana, quàm diuina & à Deo profecta. Quocirca Nyſſen. tract. *quid Chriſtiana profeſſio ſibi velit*, Chriſtianiſmum, ſiue Chriſtianam vitam ita definit: *Chriſtianiſmus eſt imitatio diuinæ naturæ*, ſiue imitatio Chriſti & Dei incarnati, vt Chriſtus in Chriſtiano viuere, loqui & operari videatur. Si quis ergo, inquit, Chriſti nomen aſſumat, ſed eius mores vita non exprimat, hic Chriſti nomen ementitur, ſicut ſimia imitans hominem, hominis perſonam mentitur. Chriſtus enim eſt iuſtitia, puritas, & veritas, atque cuiuſuis mali vitatio: Quare Chriſtianus eſſe nequit, qui harum virtutum communionem & ſocietatem in ſe non oſtendit. Is autem verè Chriſtianus eſt, qui Chriſti manſuetudinem, beneficentiam, deuotionem & ſpiritum in omnibus actionibus repræſentat, & vicinis aſpirat, vt qui Chriſtianum videt, Chriſtum in ipſo loquentem & operantem ſe cernere & intueri æſtimet. Iam ſicut odor thuris eſt vehemens, acer, copioſus & feruidus, talis pariter fuit omnis actio Chriſti, & talis ſit Chriſtiani, præſertim viri Apoſtolici, oportet.

*Chriſtianiſmus eſt imitatio Deitatis.*
Nyſſen.

Notat Gilbertus ſerm. 34. τὸ *diſtillans* ſignificare primò, animam plenam eſſe melle, id eſt, ſenſu rerum ſpiritualium, vt cogatur eam diſtillare; ſecundò, illam diſcretè & parcè pro captu audientium eum diſpertiri: *Nec mel fluit*, inquit, *ſed magis diſtillat. Nec enim paſſim & intemperanter profundit ſublimes illos, & reconditos ſenſus ſecretorum cæleſtium, Deitatis arcana, nec lactis potum ſine delectu propinat.* Actus verò huius diſtillationis ita recenſet: *Remittit, permittit, promittit, præmittit. Delicta remittit, infirma permittit, æterna promittit, & ipſorum primitias quaſdam præmittit. Sapientiam loquitur inter perfectos, ſapientiam quidem non huius mundi, ſed Dei: ſapientiam in myſterio abſconditam, & inter minùs ſpiritualiter ſapientes nil arbitrabatur ſe ſcire, niſi Chriſtum Ieſum & hunc crucifixum. Cohortatur ad perfectionem, non cogit, ſed magis conſolatur puſillanimes, ſuſcipit infirmos: & ſi inquietos corripit, correptio iam dulcedinem ſapit maternam; peccanti compatitur, conuerſo indulget, nec indulgentiarum numerum & quaſi terminum, quem non tranſgrediatur, præfigit, cui præcipitur ſeptuagies ſepties in die delicta toties confitenti donare. Vide quàm magna multitudo dulcedinis in labiis Sponſæ, quæ quoties ipſe pereffluis in malum, toties ſi conuertaris, ipſa tibi diſtillat in bonum, & præbenda venia vicibus non exhauritur. Denique inſtar Angelorum Dei non inſultat, ſed exultat ſuper peccatore pœnitentiam agente.*

Idem.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

RVpertus hæc B. Virgini ita adaptat: *Tu dulcis in ore, dulcis & in corde. Hoc eſt, quod nunc dico, fauus diſtillans labia tua, ſubiungens, mel & lac ſub lingua tua, id eſt, in anima tua. Ibi tibimetipſi dulciter ſapit fauus eloquij*

Rupert.

Digitized by Google

*eloquij tui, fauus diſtillans à labiis tuis, labiis gratioſis. Fauus tuus ego ſum, mel tuum & lac tuum ego ſum: quia deus tuus & filius tuus ego ſum. Hoc tua ſenſit anima, hoc tua ſonant labia: Aliud loqui non potes, quàm id, quod in pectore habes; Ex abundantia cordis labia tua loquuntur.*

Addit deinde labia B. Virginis ſtillaſſe mel, cùm labiis dulciſſima & deuotiſſimæ Chriſto paruulo oſcula dedit, dixítque: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* De odore verò veſtium hæc ſubdit: *Odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris, quia pluſquam maternâ charitate pannis me inuoluiſti, & in præſepio reclinaſti, ſicque in omnibus famulata es mihi mater & virgo fidelis, tanquam Deo, cui ſoli debetur odor thuris in ſacrificio ſuo, quamuis eſſem ego paruulus tuus, paruulus homo.*

Hugo Victorin. verò tom. 2. ſerm. de Aſſumpt. B. Virginis, addens: *Et odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata*, cenſet hîc ob tres dotes B. Virginem à ſancta Trinitate laudari, ſcilicet quòd in labiis ſuſceperit oſculum Patris, in lingua verbum, putà, Filium, in vnguentis Spiritum ſanctum. Audi eum: *Fauus mel & ceram habet: mel diuinitas eſt, cera humanitas:*

Hug. Vict.

*Fauus, verbum caro factum eſt in Virgine: Ac ſi Deus dicat: Ego expertus ſum, quod laudo: Fauus diſtillans labia tua: Ego deuinctus tibi charitate, oſculo oris mei labia tua preſſi, ſimúlque dulcedinem infudi, & à dulci dulcedinem expreſſi. Valde impreſſi dulcedinem, & verè expreſſi ſuauitatem, quando meum tuo in te ſociaui, & per tuum à te cum meo pariter & tuo exiui. Mea diuinitas mel erat, & tua humanitas cera erat, & inde meipſum fauum feci.*

Proſequitur deinde cætera: *Mel & lac ſub lingua tua, Verbum ſub carne tua; ſub lingua tua; quia verbum, ſub lingua tua ſub carne tua, quia abſconditum. Mel & lac Deus & homo: mel diuinitas, lac humanitas: Mel de cæli rore venit, quia diuina natura ſupra omnia eſt; lac de carne exprimitur; quia humanitas deorſum aſſumpta eſt. Odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata; quia omnem gratiam vincit tua ſublimitas, omnem perfectionem ſuperat tua dignitas: quia Spiritus in tua humilitate requieuit ſingulariter, qui in tua virginitate miraculum nulli comparabile fecit.*

*Cornel. à Lapide, in Cant. Canticorum.*

Verſ. 12. *Hortus concluſus ſoror mea Sponſa, hortus concluſus, fons ſignatus.*

HORTVS *concluſus* (ſerâ vel peſſulo hoc enim eſt נָעוּל *naul*: Arabicus *obſeratus*) *ſoror mea Sponſa, hortus concluſus, fons ſignatus.* Hebr. חָתוּם *chatum*, id eſt, *ſigillo obſignatus.* Arabicus, *ſigillatus.* Intellige notam comparationis vel ſimilitudinis *ſicut.* q. d. Sponſa mea eſt ſicut hortus concluſus. Aut Sponſa ſimilis eſt horto concluſo & fonti ſignato, id eſt, horto plantis lectiſſimis conſito, & arte topiariâ ad omnem elegantiam & amœnitatem compoſito, ideóque concluſo, ne à viatoribus ſpolietur, vel à beſtiis conculcetur; ac fonti aquas limpidiſſimas, & ſapidiſſimas ſcaturienti, ideóque ſignato, ne quo modo inficiatur, turbetur, aut luteſcat.

Hebr. Arab.

Porrò hortum concluſum Salomonis ad litteram ita ex Ioſepho, Brochardo, & Bredẽbachio depingit Adrichomius in Deſcriptione terræ ſanctæ pag. 170. num. 189. *Hortus regius, qui hortus concluſus dicitur, hortus erat in ſuburbanis Ieruſalem, muris vndique ſeptus & obfirmatus; atque ſicut paradiſus arborum, fruticum, herbarum, aromatum, florum, fructuúmque vbertate amœnus, mulcendiſque ac fouendis ſenſibus conueniens, & ad ſeceſſus voluptuarios idoneus. In quo erat inclytus ille fons Rogel, & lapis Zoeleth, quorum frequens in ſcriptura mentio fit: Vbi Adonias cùm regnare inſtituiſſet, immolauit victimas, & vna cum ſuis aſſeclis conuiuium fecit.* 3. Reg. 1.

*Fons ſignatus quis?*

Adrichom.

Hinc conſequenter fons ſignatus erat fons regius Rogel, irrigans hortum concluſum, vti iam dixi, è quo Rex bibebat. Sicut apud Perſas erat fons, ex quo ſolus Rex, eiúſque filius primogenitus bibebant, adeò vt, ſi quis alius ex eo bibiſſet, capite plecteretur, teſte Athenæo lib. 12. cap. 3. Similis fons clauſus eſt in Hiſpania iuxta Complutum, ex quo pro ſolo Rege aqua depromitur. Pari modo in locis deſertis, aliiſque vbi eſt penuria aquæ, fontes clauduntur & ſignantur, ne aqua à viatoribus exhauriatur, aut luto aliâue re inficiatur. Talis fuit fons quo Rachel adaquabat oues patris ſui. Geneſ. 29. verſ. 3.

*Fons Regius.*

Comparauit ſuperiùs Sponſam thuri, myrrhæ, aromatibus, nunc generatim eandem comparat horto iis, aliiſque frondibus, floribus & fructibus abun-

danti,ideóque concluſo præſertim,quia talibus ſe paſcebat delicioſus Salomon, vt patet Eccleſ.cap.2.

Porrò pro *hortus* ſecundo loco Hebr. eſt גַּל *gal*, quod primò, Iſidorus, Clarius & R.Salomon vertunt *porta*, vt ſit hîc triplex comparatio, ſcilicet vt Sponſa comparetur horto concluſo, portæ cõcluſæ, (vti & Ezech.44.2.) & fonti obſignato. Secundò, Alij, *gal*, vertunt *volutatio aquarum* (גָּלַל *galal* enim eſt *volnere*, *reuoluere*) putà ſcaturigo ſiue fons: vnde hunc verſum ſic transferunt: *Hortus obſeratus ſoror mea Sponſa, fons obſeratus, fons obſignatus.* Tertiò optimè Noſter vertit, *hortus*: nam & ſic vertêre Septuag. ac nonnulla exemplaria pro גַּל habent גַּן *gan*, id eſt, hortus, hæcque videtur vera & genuina lectio.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

*Eccleſia, Hortus concluſus.* Eccleſia eſt ſimilis horto, ſiue paradiſo omnibus gratiis & virtutibus, velut plantis cæleſtibus vernanti, ſuiſque areolis bellè diſtincto, & arte topiariâ affabrè diſpoſito, ideòque concluſo, ne qua hęreſis, impietas, aliúdve vitium, aut noxa in illum, aut violenter irrumpat, aut fraudulenter irrepat: ſed ſoli Chriſto integer & intactus ſeruetur, eiſque omnium virtutum flores & fructus producat, quibus cum oblectet & paſcat. Repetitur, *τὸ concluſus* bis, vt duplex eius concluſio & ſera ſignificetur: prima eſt, cuſtodia SS. Angelorum & Doctorum; Secunda eſt, tutela ipſius Dei & Chriſti, iuxta illud Zachar. 3.5. *Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu.* Ita Caſſiod. Beda & alij. *Zachar 3.5.*

*Et Fons ſignatus.* Ruſum Eccleſia eſt ſimilis fonti illimi, limpidiſſimo, & ſaluberrimo, ideóque obſignato, ne eius cryſtallinus veritatis & doctrinæ liquor cœno errorum, aut vltiorum conſpurcetur. Nam, vt ait S.Ambroſ. lib.2. de Virgin. *Ideo clauditur, ne volutabris ſpiritualium ſparſa, cæno fluenta turbentur.* Vnde Ioannes Carmelita ſic explicat: *Bibiſti aquam diuinæ gratiæ ac vitæ, quam ego tibi dedi, & effecta es fons ſalientis aquæ in vitam æternam, in quam gratia vi ſuâ conſcendit. Et ne aqua iſta ſurriperetur, aut inficeretur, obſignaui te meipſo, velut ſigillo regio.* *Ambroſ.* *Ioan.Carm.*

Comparat Eccleſiam horto & paradiſo, qui omnes ſenſus oblectat, & paſcit, ſcilicet oculos virore plantarum, & varietate florum & fructuum; aures cantu auium, nares odore florum & aromatum, guſtum ſapore pomorum, tactum contrectatione eorumdem. Sic enim Eccleſia omnes ſenſus, omnes mẽtis potentias, omnes animæ vires ſuâ doctrinâ, ſuis ſacramentis, ſuis ritibus & cæremoniis, ſuis virtutibus, exemplis, cæteriſque chariſmatibus recreat & roborat, quas ſymbolicè explicat dũ ſubdit: *Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum,* &c. Ita S. Gregorius, qui peſſulum, quo clauditur Eccleſiæ hortus, cenſet eſſe charitatem. *Hortus*, inquit, *S. Eccleſia extitit, quia dum populos multos in fide gignit, quaſi flores pulchros bona terra emittit. Qui hortus, concluſus benè eſſe dicitur, quia charitatis vallo circumquaque munitur, ne intra numerum electorum reprobus aliquis ingrediatur.* Sic & Philo Carpath. cenſet, Eccleſiam dici hortum, eò quòd omnis generis ſanctitatis fructus producat, vt Apoſtolos, Virgines, Martyres, Viduas, coniugatos, caſtos, &c. Clauſus verò bis dicitur, inquit, eò quòd fidei, ſpei & charitatis vallo munita, diabolo ſemper claudi, ſoli vero Sponſo Chriſto patere debet. Eadem eſt fons ſignatus ſigno crucis, quod eſt ſignaculum & character Chriſti. Vnde non licet ei adulterino diaboli ſigno inſculpi, ſic & Lucas Abbas, (qui Commentarium Aponij paulò antè finientem proſequitur, ſed ipſis Aponij verbis in pauca contractis,) cenſet ſigillum, quo fons Eccleſiæ, id eſt baptiſmus obſignatur, eſſe ſignum crucis. Sicut, inquit fons vitæ *ſignatus* à Patre dicitur Chriſtus, ita & Eccleſia: *fons ſignatus*, regali videlicet ſignaculo Crucis appellatur, à Chriſto, continens intra ſe aquam baptiſmatis; quam ſignaculo ex pretioſo fonte ſuſcipiunt iniqui, dum lauantur. *Gregor.* *Fons ſignatus ſigillo Crucis.*

Huc accedit Chald. qui per hortum concluſum accipit coniugatos honeſtè viuentes, per fontem ſignatum virgines. Omnes enim fideles in Eccleſia aut ſunt coniugati, aut cælibes: *Et mulieres*, inquit, *tuæ, quæ nuptæ ſunt viris, honeſtæ ſunt; ſicut Sponſa honeſta, & ſicut hortus voluptatis, ad quem nullus vir habet poteſtatem introëundi, niſi iuſti, quorum animæ mittuntur illuc per manus Angelorum; Et virgines tuæ abſconditæ ſunt, & reconditæ in penetralibus & ſignatæ ſunt, ſicut fons aquarum viuentium, qui oritur ſub arbore & diuiditur in quatuor capita fluminum, & niſi eſſet ſignatus in nomine magno & ſancto, egrederetur, & flueret, & inundaret vniuerſum mundum.* *Chald.*

Porrò S. Auguſt. lib. 5. de Baptiſmo contra Donat. cap.27. aſſerit Eccleſiam eſſe hortum concluſum & fontem ſignatum

Digitized by Google

gnatum in iuſtis & ſanctis dumtaxat; nam impios velut ſpinas illi forinſecùs tantùm adiacere ſuper numerum.

Addit S. Anſelm. bis repeti *hortus concluſus*, quia Eccleſia duplici muro vallatur ſcilicet fide & operibus, aut quia conſtat Iudæis & gentibus: Aut potius, quia vallatur firmâ fide, ne qua hæreſis vel error in eum irrepat, vel irrumpat; ac firma ſanctitate, ne quo vitio deprauetur. Duplex ergo eius peſſulus eſt, firmitas fidei, & conſtantia ſanctitatis, vtramque illi præſtat vigilantia Epiſcoporum & Paſtorum, ac præſertim Romani Pontificis, qui omnes hæreſes & abuſus ſubnaſcentes illicò damnat & proſcribit. Habet enim aſſiſtentiam Spiritus ſancti, vt in rebus, quæ fidem & rectos mores concernunt, definiendis, ſanciendiſque errare non poſſit, quæ vtique firmus Eccleſiæ contra omnes errores & hæreſes eſt peſſulus.

Alludit ad paradiſum voluptatis omnibus floribus & fructibus vernantem, in quo poſitus eſt Adam, ibíque creata eſt Eua, ſed quia caruit clauſurâ, irrepſit ſerpens, qui Euam, & per eam Adamum decepit & ſubuertit: at Eccleſia hortus eſt clauſus, in quem diabolo non eſt aditus, nec prauis hominibus, vt eum ſubuertant, vti fuit peruerſis ſenibus aditus in pomarium Suſannæ, non ſatis vndique clauſum, quæ proinde pudicitiæ periculum & infamiam incurrit. Daniel 13. At non ita Eccleſia, quæ bis, id eſt omnimodè eſt clauſa & obſerata, contra omnes tam dæmonum quàm hominum inſidias. Ita S. Ambroſ. lib. de bono mortis, cap. 5. vbi & addit, Platonem in ſympoſio ex hoc loco Cantic. æquè ac ex Geneſi 2. 8. mutuatum eſſe ſuam fabulam de horto Iouis. *Hinc hortum illum*, inquit, *ſibi Plato compoſuit, quem Iouis hortum alibi, alibi hortum mentis appellauit: Iouem enim & mentem & Deum totius dixit. In hunc introiſſe animam, quam Peniam nuncupat, vt ſe abundantia & diuitiis horti repleret, in quo repletus potu iaceret Porus, qui nectar effunderet. Hoc igitur ex libro Canticorum compoſuit, eò quòd anima Deo adhærens in hortum mentis ingreſſa ſit, in quo eſſet abundantia diuerſarum virtutum, floraſque ſermonum. Quis autem ignorat quòd ex paradiſo illo, quem legimus in Geneſi habentem lignum vitæ, & lignum ſcientiæ boni & mali, & ligna cætera abundantiam virtutum putauerit transferendam, & in hortum mentis eſſe plantandam? Quem in Canticis Canticorum, Salomon hortum animæ ſignificauit, vel ipſam animam; ſic enim ſcriptum eſt:*

*Fabulam de Horto Iouis ex hoc Cantici loco mutuatus eſt Plato.* Ambroſ.

*Hortus clauſus ſoror mea Sponſa, hortus clauſus, fons ſignatus, tranſmiſſiones tuæ paradiſus.*

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

Anima ſancta, præſertim perfecta eſt hortus concluſus, & fons ſignatus, quia virtutum omnium quaſi florum & fructuum amœnitate vernans; & aquis ſapientiæ abundans eas diligentiſſimè cuſtodit, claudit, & obſignat, ne diabolus, mundus, aut caro eas ſurripiat aut inquinet. Audi Richardum de S. Victore: *Hortus eſt anima, in qua excoluntur virtutum plantaria & ſpiritualium ſtudiorum germina. Hic hortus tunc foditur, dum in ea vitia radicitùs extirpantur & mores conuertuntur. Qui etiam altiùs tunc foditur, cùm naturam vitiorum & origines cognoſcere ſtudet homo. Nunquam enim tepidus operator, & naturæ vitiorum ignarus poterit bene mortificare vitia. Fodienda eſt ergo diuinæ paſſionis memoria, & claui illi, quibus impij foderunt manus & pedes Domini, eam confodiunt, dum horum memoriam habemus, & huic dolori condolemus, & proinde de peccatis noſtris dolemus, quibus tantis beneficiis ingratos recolimus nos.* Hinc collige animam ſanctam eſſe hortum Dei, in quo ipſe non ſolùm ſemina florum, id eſt, ſanctorum deſideriorum iacit, ſed & fructuum, id eſt, ſanctarum actionum ſpargit.

*Anima eſt Hortus concluſus, & fons ſignatus.*

Richard. Victorin.

Quæres quiſnam eſt peſſulus, quo huius animæ hortus obſeratur, & quod ſigillum, quo eius fons obſignatur?

*Peſſulus horti quis?*

Primò, S. Gregorius rectè reſpondet eſſe rectam intentionem. *Anima ſancta*, inquit, *eſt hortus concluſus, quia dum virtutes mittit, flores gignit; & dum virtutum exhilaratione ſe reficit, fructus, quos genuerat eodem cuſtodit. Concluſus enim hortus eſſe dicitur, quia dum bona ſua intentione vitæ æternæ abſcondit, dum humanas laudes omninò contemnit, ipsâ bonâ intentione ſe circumſepit, ne ad interiora rapienda hoſtis antiquus irrumpere poſſit. Fons etiam dicitur, quia dum cæleſtia aſſiduè cogitat, dum ſcientiam ſcripturarum ſemper in ventrem memoriæ congregat; quaſi aquas viuentes, ſancta mens in ſe gignere non ceſſat, quas ſitientibus proximis præbere, vt reficiantur, valeat. Vnde ſcriptum eſt dicente Domino: Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum: ſed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternã. Et alibi: Qui credit in me ſicut dicit Scriptura, flumina aquæ viuæ fluent de ventre eius. Sed cur dicitur fons ille ſignatus, niſi quia ſenſus ſpiritalis mentibus indignis abſconditur:*

*Reſp. 1. Recta Intentio.* Gregor.

*Infideli enim homini à Domino dicitur: ſpiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quò vadat.*

2. *Gratia Chriſti.*

Secundò, Iuſtus Orgel. cenſet eſſe Chriſti gratiam. Sic & S. Auguſt. lib. 2. contra Creſcon. cap. 14. & 15. refellens ſententiam Creſconij dicentis, ſignaculum Sponſæ Eccleſiæ eſſe Baptiſmum, docet ſignaculum eſſe ſpiritum, qui fideles in vna Eccleſia copulat. *Huius fontis largo*, inquit; *atque inuiſibili flumine lætificat Deus ciuitatem ſuam, de qua Propheta prædixit: fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* August. *Ad hunc enim fontem nullus extraneus, quia nullus niſi dignus vitâ æternâ, accedit. Hic eſt proprius Eccleſiæ Chriſti, cui tantò antè prophetatum eſt: Fons aquæ tuæ ſit tibi proprius, & nemo alienus communicet tibi: De hac enim Eccleſia & de iſto fonte dicitur & in Cantico Canticorum: Hortus concluſus, fons ſignatus, puteus aquæ viuæ.* Et poſt nonnulla: *Ad illum tamen fontem proprium, cui nemo communicat alienus; ad illum fontem ſignatum, hoc eſt, ad Spiritus ſancti donum, quo charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, nullus iſtorum niſi mutatus accedit, ita omninò mundandus, vt non ſit alienus, ſed ſit cæleſtis particeps pacis, ſanctæ ſocius vnitatis, plenus indiuiduæ charitatis, ciuis angelicæ ciuitatis.* Aduerte S. Auguſtinum hîc agere de hæreticis, qualis erat Creſconius & Donatiſtæ, hos enim negat eſſe in Eccleſia: cæteri autem mali, ſi fideles ſint, ſunt membra Eccleſiæ, ſed mortua, & non viua; ideóque non pertinent ad Eccleſiam ſanctorum, de qua in Cantico hoc agitur.

3. *Obſeruatio mandatorum Dei.*

Tertiò, Nyſſenus & Philo cenſet eſſe obſeruationem mandatorum Dei: hac enim clauditur & vallatur anima, inquit, *ne quid boni ob laudes humanas agat; non propter inania hæc terrena & peritura laboret, ſed ob ſempiterna illa atque cæleſtia honeſtiſſimè viuat, quæ nos ſola explere poſſunt atque beare: ſummo ſtudio circumſpiciens ne ad interiora bona rapienda antiquus hoſtis irrumpat.* Nyſſen. Philo.

4. *Humilitas.*

Quartò, Alij: anima ſancta, inquiunt, eſt hortus Dei protectione concluſus, & fons humilitatis ſtudio ſignatus.

5. *Cogitatio & Amor Dei.*

Quintò, Tres patres apud Theodor. aſſerunt fontem ſignatum eſſe mentem cogitatione & amore Dei, cuius imago eſt, obſignatam, quæ nullas diaboli, cõcupiſcentiæ, vel carnis cogitationes admittit. Vnde S. Ambroſius, lib. de Iſaac cap. 1. *Caue*, inquit, *ne vigor mentis tuæ coitu quodam corporeæ voluptatis inflexus emolliatur, atque in eius amplexus omnis diſſoluatur, & fontem eius aperiat, qui debet eſſe clauſus & ſeptus intentionis ſtudio, & conſideratione rationis.* Ambroſ.

Sextò, Richard. de S. Victor. aſſerit ſeram horti animæ, eſſe ſilentium & cuſtodiam ſenſuum: *Per ſilentium enim*, inquit ipſe, *excolitur in profectu & iuſtitia, quia cultus iuſtitiæ ſilentium requirit. In quo ſe cohibet non ſolùm à noxiis, ſed etiam ab otioſis & ſuperfluis, quia per minima peruenitur ad maiora, & per otioſa decipitur mens & extra ſe ducitur; ſicut dicit Gregorius: Quot ſuperuacuis verbis mens à ſilentij ſui cenſura diſſipatur, quaſi tot riuis extra ſe ducitur. Vt ergo in ſe remaneat & ſe videat, ſe cognoſcat, ſe corrigat, ab otioſis & ſuperfluis verbis ſe reprimit & temperat. Auditum quoque & viſum concludit, ne introrſus trahant, quod mentem inquietet vel maculet.* 6. *Silentium & cuſtodia ſenſuum.* Richar. Victorin.

Addit deinde aliã animæ ſeram, ſcilicet celare ſua benefacta: *Non enim ſolùm*, inquit, *ab exterioribus periculis hunc munit & claudit, ſed intra ſe bona ſua celat & hominibus occultat, ſciens, quod cùm bona opera innoteſcunt & laudantur, mentem reſoluunt & eneruant. Difficile eſt enim aliquem laudari, & venenari, & non aliquatenus laude ſua delectari, vel etiã intùs gloriari. Difficile eſt aliquem ſeruum inutilem ſe reputare, dum bonorum teſtimonio bonus prædicatur; imò contingere ſolet, vt deceptus laude magis credat famæ, quàm conſcientiæ. Incantatur enim anima laudibus, vt mala ſua non videat, & de iuſtitia fallaciter ſe extollat*: ac pluribus interiectis addit, per fontem ſignatum, *intelligentiam videlicet ſpiritualem Spiritus ſancti ſignaculo impreſſam, & Sacræ Scripturæ documentis & patrum exemplis munitam intellige. Quod enim ſapit anima talis & ſentit, nec corruptum eſt à malo ſpiritu, nec in aliquo à ſana doctrina diſcordat, vel exemplis ſanctorum contrarium deprehenditur, vel nouitate noxia, ſeu præſumptione eſt vitiatum. Hoc fonte irrigantur horti huius plantaria, quia hac ſcientia informantur virtutes & bona ſtudia, & proficiunt atque diſcretè fiunt.* Idem.

Symbolicè, Nazianz. in Oratione habitâ ad Gregorium Nyſſenum, per hortum concluſum & fontem ſignatum accipit amicitiam, verúmque amicum: ad hunc enim in quauis neceſſitate, quaſi ad hortum fructibus ſalutaribus cuiuſuis auxilij abundantem, ac fontem conſilij limpidiſſimi, tutum amico eſt perfugium: *Amicus fidelis*, inquit, *hortus clauſus, fons obſignatus, quæ opportunè aperiuntur & communicantur* amicis, non inimicis & hoſtibus. Symbolicè. Nazian.

TER

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

BEata Virgo ab Eccleſia in Litaniis Lauretanis vocatur, & inuocatur, *Hortus concluſus, fons ſignatus*. B. Maria, ait

Iuſt. Orgel.

Iuſtus Orgelit. *Virga concipiens, virgóque generans concluſi horti, & ſignati fontis intemeratum in ſe decus exhibuit.* Sic & Nyſſenus de Natiuit. Domini, S. Epiphanius ſerm. de laudibus Deiparæ, S. Ildephonſus & S. Ambroſius de Inſtit. Virgin. cap. 8. & alij docent, B. Virginem eſſe hortum & fontem propter fœcunditatem, ſed concluſum & ſignatum propter Virginitatem: Vnde *ad hunc paradiſum ſerpens aditum non habuit*, ait Damaſcenus Orat. 2. de Aſſumpt. & S. Hieron. lib. 1. contra Iouin. ſub medium: *Quod clauſum eſt*, inquit, *atque ſignatum ſimilitudinem habet matris Domini, matris & Virginis: vnde & in ſepulchro Saluatoris nouo, quod in petra duriſſima fuerat exciſum, nec antè, nec poſtea quiſquam poſitus eſt. Et tamen hæc virgo perpetua multarum eſt mater Virginum: ſequitur enim: Emiſſiones tuæ paradiſus*, &c.

Damaſcen.

Hieron.

*Virgo quælibet eſt Hortus concluſus, & fons ſignatus.*

Hinc B. Virginis imitatione & exemplo, quælibet virgo eſt hortus concluſus & fons ſignatus: ſignatus, inquam, cuſtodiâ Virginitatis, cuſtodiâ oculorum & aurium, virginali pudore, ſilentio, ſolitudine, & fugâ virorum. Ita S. Ambroſ. lib. 1. de Virgin. *Virgo*, inquit, eſt *ſicut hortus furibus inacceſſus, vitem redolet, fragrat oleam, roſam renidet, vt in vite religio, in olea pax, in roſa pudor ſacratæ virginitatis inoleſcat. Accingere itaque Virgo, & ſi vis huiuſcemodi tibi vt hortus aſpiret, propheticis eum claude præceptis: Pone cuſtodiam ori tuo, & oſtium circumſtantiæ labiis tuis.*

Ambroſ.

Et S. Hieronymus Epiſt. 22. ad Euſtochium de cuſtodia Virgin. *Rurſus*, inquit, *à Sponſo audies: Hortus concluſus*, &c. *Fons ſignatus. Caue, ne domum exeas, & velis videre filias alienæ Regionis, quamuis fratres habeas Patriarchas, & Iſraël parente læteris. Dina egreſſa corrumpitur: Nolo te Sponſum quærere per plateas, nolo te circumire angulos ciuitatis.*

Hieron.

Inſuper S. Ambroſius de Inſtit. Virg. cap. 8. *Hortus concluſus*, inquit, *es virgo, ſerua fructus tuos, non aſcendant in te ſpinæ, ſed vuæ tuæ floreant, nemo auferat ſepem tui pudoris, quia ſcriptum eſt: Et deſtruentem ſepem mordebit ſerpens. Fons ſignatus es virgo, nemo aquam tuam polluat, nemo conturbet, vt imaginem tuam in fonte tuo ſemper attendas.*

Ambroſ.

Addit Rupertus B. Virginem eſſe hortum concluſum ob virginitatem corporis; fontem ſignatum ob animæ mentiſque integritatem inuiolabilem; *quia mens eius nulli otio, nulli ſpeciali nequitiæ fuit vnquam penetrabilis.*

Rupert.

Audi Sophronium ſerm. de Aſſumpt. Deiparæ: *Sic exiuit Chriſtus de Virgine, vt eſſet, ſicut Ezechiel fatetur, porta omninò clauſa: vnde canitur in eiſdem Canticis de ea: Hortus concluſus, fons ſignatus; Emiſſiones tuæ paradiſus. Verè hortus deliciarum, in quo conſita ſunt vniuerſa florum genera & odoramenta virtutum; ſicque concluſus, vt neſciat violari, neque corrumpi vllis inſidiarum fraudibus: fons itaque ſignatus ſigillo totius Trinitatis, ex quo fons vitæ manat, in cuius lumine omnes videbimus lumen, quia iuxta Ioannem ipſe eſt, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, cuius profectò emiſſio vteri ſupernorum ciuium omnium eſt paradiſus.*

Sophron.

---

Verſ. 13. *Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo,*

Verſ. 14. *Nardus & crocus, fiſtula & cinnamomum cum vniuerſis lignis Libani: myrrha & aloë cum omnibus primis vnguentis.*

HEBR. בְּשָׂמִים *beſamim*, id eſt, aromatibus, ex quibus vnguenta conficiũtur. Malum punicum, ſiue granatum in Palæſtina frequẽs eſt & pulcherrimum, ideóque hîc illius præ aliis fructibus meminit.

*Emiſſiones quid? Reſp. 1.*

*Emiſſiones*, Hebr. שְׁלָחַיִךְ *ſchelachajik*, primò referri poſſunt ad halitum ſuauem, & odores, quos expirant arbores horti concluſi. q.d. Tu, ô Sponſa, ſuauem exhalas odorem, qualem exhalant arbores paradiſi; ſic ait Martialis:

*Olet quod Hybla, Atticique flores.*

Martial.

2.

Secundò, ad munera, quæ Sponſa quaſi dotem miſit Sponſo, vel quæ inter ſocias ſuas diſtribuit. Hæc enim vocantur *emiſſiones*, ſiue miſſilia, q.d. Munera fructuum paradiſi, ſiue horti tui, putà nardum, crocum, cinnamomum, myrrham, &c. miſiſti mihi Sponſo tuo. Vnde Theod. *Hæc omnia*, ait, *miſiſti mihi, & tempore nuptiarum attuliſti.* Sic & Origenes. Huc accedit S. Ambroſius lib. de Iſaac cap. 5. vbi per emiſſiones accipit munera, quæ Sponſus miſit ad Sponſam: *Laudat*, inquit, *munera animæ, quæ miſſa ſunt à Sponſo, quibus dotata veniebat: Dos autem pia*

Theodor.

Ambroſ.



Digitized by Google

*animæ boni odores ſunt, myrrha & aloë, quibus ſpirat hortorum gratia, & peccatorum fætor aboletur.*

3. Tertiò, Gilbertus Abbas ſerm. 35. & Titelman. accipiunt *emiſſiones* aquarum, quas fons ſignatus in hortum Sponſæ emanat, vt eum irriget & fœcundet.

4. Genuinè.

Quartò & genuinè, *emiſſiones* ſunt propagines plantarum & arborum, putà ſurculi, quos radices vel rami progerminant, vt folia, flores, & fructus producant. Hi enim ex terræ vel arborum ſinu videntur emitti. Vnde Vatabl. & alij vertunt *plantationes*, vel *plantæ tuæ*. R. Salomon *Areæ tuæ*. Alij *horti tui*. q. d. Plantæ tuæ ſeſe propagantes, ô Sponſa, tantæ támque pretioſæ ſunt, vt paradiſum efficiant, imò ipſæ ſimul congeſtæ ſunt paradiſus malorum punicorum, & pomorum omnis generis. Explicat enim quod dixit: *hortus concluſus*, q. d. Ideò es hortus concluſus, quia es paradiſus pretioſus malis punicis, pomis, cypro, nardo &c. conſitus, quem proinde, ne furibus, vel beſtiis carpendus calcandúſque pateat, claudi oportet. Vnde Arabicus pro *emiſſiones*, &c. vertit: *Hortus pomiferus frondium, ramorum, flores cum varietate colorum Libani.*

Vatabl. R. Salom.

Arabic.

Quænam hîc poma carpantur?

Pro *pomorum* Hebr. eſt מְגָדִים *megadim*, quod ſignificat fructus optimos, dulciſſimos, ipſáſque paradiſi delicias: *megadim* enim & litteris & ſignificato alludit ad מַעֲדַנִּים *maadannim*, id eſt, deliciæ, voluptuaria, bellaria. Poma ergo hîc ſignificant ficus, pyra, ceraſa, amygdala omnéſque fructus, etiam nuces: alioqui poma vocantur fructus, qui molliori ſunt cortice; nuces verò, qui duriori. Septuag. vertunt ἀκροδρύων, quod Complut. & Vaticani vertunt *nucum*. S. Ambroſius lib. de Iſaac cap. 5. & S. Hieronymus lib. 1. contra Iouin. vertunt *pomorum*: ἀκρόδρυα enim vocantur omnes fructus ſiue poma ſint, ſiue nuces: vnde poma hæc particulatim exprimens ſubdit: *cypri cum nardo*, &c. Hinc & Hebr. eſt *cyperi & nardi* in plurali. Significantur ergo hîc fructus fruticis, qui mox vocatur nardus, & alterius qui ſuperiùs vocatus eſt cyprus. Vnde addit: *cùm vniuerſis lignis Libani.* Fiſtula Hebr. קָנֶה *kane* eſt calamus aromaticus. & odoratus vt vertunt Septuag. & alij. Alludit ad paradiſum terreſtrem: hic enim à Deo creatus eſt in Martio cum omnibus hiſce fruticibus & arboribus, ſimul & eorum fructibus iam maturis.

Pro *Libani* Heb. eſt לְבוֹנָה *levona*, id eſt, *thuris*. Vnde Vatabl. vertit: *cum omnibus arboribus thuriferis.* Sic & Syrus & Arabicus. Sed *lebona* hîc ſumitur pro לְבָנוֹן *levanon*, id eſt, Libanus mons, vti vertunt Septuag. Noſter & alij.

Pro *aloë* Hebr. eſt אֲהָלוֹת *ahaloth*, quam vocem retinentes & craſi contrahentes Septuag. vertunt *aloth*; ſed Hebr. *ahaloth* aloëm ſignificat. Symmach. vertit *thymiama*, quia, vt ait Caſſiodor. *Aloes lignum ſuauiſſimi eſt odoris, adeò vt vice thymiamatis in altaribus adoleatur.* Caſſiodor.

Combinat cyprum cum nardo, nardum cum croco, fiſtulam cum cinnamomo, myrrham cum aloë, quia hæ plantæ inter ſe habent ſympathiam quandam, ac vbi vna alteri plantando iungitur, vtraque feliciùs creſcit, vt gemellæ ſorores eſſe videantur; hinc & ſi piſtillo tuſæ paſtillum vel faſciculum efficiant, mirè redolent. Simile eſt illud Virgilij Ecloga 2.

*Et vos, ô lauri carpam, & te proxime myrthe:* Virgil.
*Sic poſitæ quoniam ſuaues miſcetis odores.*

## PRIMVS SENSVS

### *De Christo & Eccleſia.*

Per Emiſſiones quidnam ſignificetur.

EMiſſiones ſunt particulares Eccleſiæ, quas vniuerſalis Eccleſia, eiúſque caput, putà S. Petrus, ac Romanus Pontifex per ſuos Sacerdotes & legatos per totum orbem ex Ieruſalem, vel Romà miſſos fundauit, aut fundat, vel promouet in variis Aſiæ, Aphricæ, Europæ, Indiæ regnis & prouinciis, iuxta illud, quod de Eccleſia ſub metaphora vineæ cecinit Pſaltes: *Extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius.* Pſalm. 79. Pſalm. 79 ita Caſſiod. Hæ enim ſuauiſſimum virtutum omnium, quaſi arborum & aromatum odorem expirant, adeò vt paradiſi eſſe videantur, imò reipſa ad paradiſum cæleſtem ſuos fideles deducunt. Hinc rurſum in iis ſunt plantæ pretioſiſſimæ omnis generis, hoc eſt, omnes Sanctorum ordines, qui ſeptem numerantur, iuxta ſeptem aromata, quæ hîc nominantur, ſcilicet Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Pontifices, Doctores, Martyres, Virgines cum cæteris lignis Libani, id eſt, cum reliquo iuſtorum cœtu, qui ſuâ ſanctitate ſuauiſſimè redolent, & ad cæleſtem paradiſum totis viribus contendunt. Eccleſia ergo non eſt hortus olerum, ſed paradiſus arborum & aromatum pretioſiſſimorum.

Quocirca pro *emiſſiones* Hebraic. eſt

שְׁלָחִים

*Phil.Carp.*

שְׁלִיחִים *ſcelachim*, Græcè ἀποστολαὶ id eſt *Apoſtolatus*. Apoſtolus enim Hebr. dicitur שָׁלוּחַ *ſcaluach*, Chaldaicè שְׁלִיחַ *ſceliach*; Latinè *Legatus*, vel miſſus; Vnde Philo Carpath. *Per emiſſiones paradiſi*, inquit, *quæ* ἀποστολαὶ *dicuntur ſanctiſſimi Apoſtoli, veluti delicsarum horti lauacrum ſacri fontis habentes intelliguntur; qui tanquam mala punica foris rubentes in laboribus & ærumnis, poſtremò & ſanguine martyrij, permultos hominum Chriſti fidei, veluti grana pepererunt; hiſque tanquam paruulis fructus ſuauiſſimos arborum cæleſtium, ad fidei incrementum & charitatis opera præbuerunt.* Emiſſiones ergo ſunt Eccleſiæ particulares à Chriſto & Apoſtolis, ac præſertim à S. Petro Pontifice Romano miſſis, erectę & fundatæ in quibus ſunt mala punica & pomorum fructus, id eſt, virtutum omnium tam ſublimium, quàm mediocrium concentus, ait S. Hieronymus lib. 1. contra Iouin. & Nyſſenus: quia malus punica ſpinis horret, ait Sanches, quæ fures arcent, & corticem habet amarum, & auſterum, qui virtutum optimus cuſtos eſt. In ſpinoſis autem ramis, atque in amaro cortice ſignificari putat continentiam & ſeuerum viuendi genus, quod procul à ſe repellit quicquid punicæ plantæ fructibus inſidiatur, id eſt, virtutibus, quæ & eleganter rubent, & arrident palato. Theodoretus verò per mala punica accipit charitatem, quæ cæteras virtutes in ſe continet, ſicut malum punicum grana plurima inter ſe complectitur, eáque inter ſe vnit & conſociat. S. Gregorius verò, Anſelmus, Hugo & alij per mala punica accipiunt Martyres ſuo ſanguine rubricatos, quos primos fructus ex ſe emiſit Eccleſia: hi enim omnium virtutum velut granorum congerie abundarunt, híque erant paradiſus deliciarum, quia omnia tormenta eis ſuauia & delicioſa videbantur ex amore Chriſti. Addit Caſſiodorus, quoſuis fideles, qui memoriam paſſionis Chriſti ſemper in mente retinent, & ſub vno cortice Eccleſiæ degunt, eſſe mala punica.

*Mala Punica quanam?*

*Cyprus quid:*

*Phil.Carp.*

Iam complexum hunc virtutum in ſequentibus particulatim exprimit dicens: *cypri cum nardo, nardus cum croco.* Cyprus, nardus & crocus notant tres virtutes Theologicas fidem, ſpem & charitatem, ait Philo Carpath. cauſámque addit: *Cyprus enim arbuſcula eſt flore candido cinnorum inſtar pendente, comâ odoratiſſimâ, folio oleæ. Ex hac fit vnguentum nomine cyprinum ad multa commodiſſimum; habétque folia, flores, fructus & ramos vtiliſſimos: hæc enim optima in Aſcalone Iudææ & Ægypti Canopo prouenit. Nardus quoque medicus eſt frutex Syriæ & Indiæ praſtantiſſimus, colore ruſo, comoſus, odoratiſſimus, ſaporis amari, ſuauitatem odoris diutiſſimè redolens; calefacit, exſiccat, virétque perpetuò: miſcetur antidotis, & efficaciſſimas vires ad quamplurimos morbos habet.* Pergit deinde ad crocum & cæteros fructus: *Crocus item notiſſima herba eſt, cuius probatiſſimus in Medicina vſus, præſertim, qui ex Cilicia promōtorio, nomine Corycius: maximi eſt odoris, folio eſt anguſto in capillamenti modum, florem cæleſtis arcus colore perſimilem, calicis modo ab anguſto in latum ſeſe explicantem habet: intra quem fructum triplicem veluti apicem coloris flammei ex vna radicula, duplici filo lutei coloris hinc inde munitum profert, gaudet calcari & atteri pede; pereundóque felicius prouenit: ideò iuxta fontes & viarum ſemitas lætiſſimus eſt, nec melli ac dulci, ſed vino vel aquâ diſſoluitur; huic igitur croco exercitati virtute patientiæ, & factis charitatis illuſtres comparantur; Qui (veluti triplex Croci fructus ex vna radice dilectionis emanans) Deo ſibique & proximis vtiles extiterunt; terrenis rebus anguſti, ſed cæleſtibus ampliſſimi; caſtigati & afflicti corpore, ſed animâ vegeti, lætiſſimi & immortales.*

*Nardus.*

*Crocus:*

*Cyprus, nardus, crocus notāt fidem, ſpem, charitatem.*

Has proprietates cypri, nardi, & croci facile eſt applicare fidei, ſpei & charitati. Cyprus ergo, quia paruula &c. notat fidem; Nardus, quia radice meliore ſui parte in terram defoditur, & frigidis capitis, ſtomachi, & lienis morbis medetur, ſpem frigus acediæ excutientem, quæ quaſi vinculum eſt fidei & charitatis: hinc bis repetitur nardus, & cypro crocôque iungitur. Audi Aponium: *Nardus cùm frigus de algentibus membris expellat, conſolationem Spiritus ſancti ſpémque illius ſignificat, quòd dicitur: Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Crocus, qui tribus aurei coloris filis rubet, notat charitatem in Patrem, Filium & Spiritum ſanctum; quæ quò magis calcatur & premitur, eò magis aſſurgit & creſcit. Ita Caſſiod. Angelomus, Aponius, VVilleramus & Hailgrinus.

Aponius

*Reliqua 4. aromata 4. virtutes Cardinales.*

Reliquæ quatuor aromatum ſpecies ſignificant quatuor virtutes Cardinales, ſcilicet Fiſtula, ſiue calamus, quia rectus & ſimilis Regali ſceptro, notat iuſtitiam: hanc enim adminiſtrare debent Reges: Cinnamomum, quia acre, calidum & ſapidum cibos pariter efficit ſapidos, ſignificat ſapientiam & prudentiam; ita Aponius & tres Anonymi apud Theodor. Myrrha, quia amara corruptioni reſiſtit, & corpora mortua ſeruat incorrupta,

notat

notat fortitudinem, quæ maximè in inuicta acerborum tolerantia conſiſtit: Aloë, quæ ventrem corpúſque purgat, & noxios humores è corpore pellit, vel reſtringit, ideóque morbos ſanat, notat temperantiam, quæ ſingulare eſt morborum omnium remedium, & ſanitatis tam corporis quàm animæ pharmacum. Cætera ligna Libani notant cæteras virtutes. Ita Delrio, Hugo Victor. & alij.

*Septem aromata ſunt 7. ſtatus Eccleſiæ.*

Rurſum hæc ſeptem aromata ſeptem virtutes iam dictas repræſentantia, ſignificant ſeptem Eccleſiæ ſtatus & Sanctorum ordines, quos in Litaniis ſucceſſiuè inuocamus, in quibus hæ ſeptem virtutes reſpectiuè reſplendent. Cyperus ergo notans fidem repræſentat Patriarchas: In his enim fides venturi Meſſiæ, gratiæ & Euangelij effulſit: Vnde Abraham: *credidit Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.* Geneſ. 15. ideóque dictus eſt *pater credentium.* Rom. 3. & 4. Nardus notans ſpem repræſentat Prophetas, qui ſperabant bona Meſſiæ, quæ prophetabant: Vnde ex hac ſpe ad eum ſuſpirans Iſaias cap. 45. exclamat: *Rorate cæli deſuper & nubes pluant iuſtum.* Idem faciunt cæteri Prophetæ. Crocus notans charitatem repræſentat Apoſtolos: hi enim amore Dei flagrantes, eodem totum orbem accenderunt. Crocus enim rubet, calefacit, ſiccat, aſtringit, exhilarat, adeò vt eo affatim ſumpto homines ſubinde in riſum effuſi emoriantur, inquit ex Dioſcoride Matthiolus. Eadem fecêre Apoſtoli. Calamus notans iuſtitiam repræſentat Epiſcopos, Prælatos & Principes, quorum eſt iura priuata & publica, ſacra & prophana tueri. Cinnamomum notans ſapientiam & prudentiam repræſentat Doctores & Prædicatores. Myrrha notans fortitudinem repræſentat Martyres, qui fortiſſimè omnia aduerſa tolerantes, vſque ad mortem pro fide & Religione decertarunt. Aloë notans temperantiam & continentiam repræſentat Virgines & Cōtinentes: Aloë enim amara eſt, corpus calefacit, ſiccat, & purgat, ac morbis genitalium medetur, inquit ex Dioſcoride Matthiolus; idem ſpiritualiter in anima facit Continentia & Virginitas. Hæ omnes ecce ſunt emiſſiones, id eſt, ſurculi & fructus, quos ex ſe emittit & progerminat Eccleſia: Ita Caſſiod. S. Gregor. Iuſtus, Beda, Philo, Anſelm. Hugo, Richar. & alij, licèt quiſque eorum ſingula ſingulis aliter & aliter applicet. Vnde Honorius Auguſt. & Guilielmus per cyprum abundantem in Ægypto, accipiunt Continentes & Religioſos, quibus olim plena erat Ægyptus. Ibi creſcit nardus, ait Honorius, hoc eſt, humiles & innocentes, qui ſe coram aliis paruos & deſpectos faciunt, & odore atque ardore charitatis ſaucios peccatis vngunt. Ibi creſcit & crocus aurei coloris, qui ſunt ſapientiâ diuinâ fulgentes. Ibi creſcit & fiſtula robuſti & purpurei corticis, quæ ad curandas viſcerum moleſtias valet, qui ſunt patientes pro Chriſto, & pro fratribus ſuis animam ponere parati. Ibi creſcit & cinnamomum cinerei coloris, qui ſunt pœnitentes, qui ſe infirmos reputant, & in cinere pœnitentiam agentes dulcem odorem Eccleſiæ præſtant; & cinnamomi cortex nimio feruore ſolis ab arbore ſoluitur, hi ſunt monachi, qui ſe à mundo ſeparant amore Chriſti. Ibi creſcunt vniuerſa ligna Libani, cedri & ſimiles arbores quæ ſunt vniuerſi fideles Chriſti, tum prælati, tum ſubditi. Ita ipſi.

Geneſ. 15.
Rom. 3.
Iſai. 45.

Huc accedit Chald. qui Iudaicè hæc accipiens de Synagoga generante filios fideles Deo, qui repræſentant Chriſtianos, ſic vertit: *Iuuenes autem tui pleni ſunt præceptis,* &c. *ſicut malogranata, & diligunt vxores ſuas, & generant filios iuſtos ſimiles eis, & ideo odor eorum ſicut aromata optima horti voluptatis, & ſicut cypri cum nardo; Nardus & crocus & calamus aromaticus, & cinnamomum cum omnibus lignis thuris: myrrha munda & ligna aloës, cum omnibus ſpeciebus laudabilium aromatum.*

Chald.

Porrò S. Hieronymus lib. 1. contra Iouinian. qui per hortum concluſum & fontem ſignatum, accipit virginitatem & virgines Eccleſiæ, per hæc ſeptem aromata, ſeptem virtutes Virginum intelligit: *In malogranatis*, inquit, *& pomis omnium virtutum ſignificatur in Virginitate concentus.* Alcuinus verò particulatim ſingula ſingulis adaptans: *Emiſſiones*, inquit, *ſignificant bonas operationes, quæ ſunt paradiſus, id eſt delectabiles, quia Hebr. Eden ſignificat hortum deliciarum. Et quidem paradiſus malorum punicorum dicitur, quia ſicut malum exterius rubrum eſt, & in vno cortice multitudinem habet granorum: ſic in virgine multitudo bonarum operationum intra fidem Dominicæ paſſionis tenetur incluſa. Cum pomorum fructibus, hoc eſt, honeſtis & pudicis eius locutionibus, ex quibus in mentes fidelium fructus informationis proceſſit. Nempè cyprus ſignificans virginitatem, nardus veram charitatem, crocus diuinam ſapientiam, fiſtula humilitatem & patientiam, cinnamomum internæ contemplationis dulcedinem,*

Hieronym. Septem virtutes virginum.
Alcuin.

*mem, vniuerſa ligna Libani omnes alias virtutes, quæ aliquod robur habent, & mentem ſpiritualiter dealbant, myrrha quæ ſignificat carnis mortificationem, aloë bonam opinionem, prima vnguenta Spiritus ſancti dona.*

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

HÆc omnia quæ dixi de Eccleſia, facile eſt adaptare animæ Sanctæ, commutato nomine.

*Emiſſiones* ergo, id eſt, propagines & ſurculi, quos ex ſe hortus animæ ſanctæ piâ diſciplinâ excultus emittit, ſunt actus virtutum, tam Theologicarum, quàm Cardinalium.

Item ſermones ſancti, quos ex ore emittit, vt proximos à vitiis ad virtutes eaſdem, ac ad Chriſti diſciplinam traducat. Ita Caſſiod. S. Gregor. Nyſſen. hom.9. Beda & S. Ambroſ. lib. de bono mortis cap.5. qui legens: *tranſmiſſiones tuæ*
Ambroſ. *paradiſus: In illo* inquit, *horto ſermones boni ſunt, alius qui culpam coërceat, alius qui iniquitatem corripiat, alius qui mori faciat inſolentiam & velut ſepeliat, quando correptus aliquis erroribus ſuis renunciat.*

Iam ſigillatim virtutes quas recenſui aromatibus ſingulis eo modo, quo dixi attribue. Verùm quia varij Patres aliter ea attribuunt, idque variè, eorum ſenſa hîc attexere in lectorum gratiam decreui.

*Malorum punicorum.* Gilbertus, qui continuauit ſermones S. Bernardi ſerm. 35. per *mala punica* accipit regularem vnanimitatem, ſiue Religioſos vnaniminiter in eodem collegio, vel conuentu ſub re-
Gilbert. gulari diſciplina viuentes: *Penè indiſcretâ,* inquit, *facie, huius ſibi mali grana cohærent, numeri ſingularitate magis diſtant, quàm ſpecie: diſcamus & nos inuicem numero differre, non animo. Non rixantur inuicem, non contra corticem murmurant, non tentant illum perrumpere, patienter ſe ſinunt eius quaſi aluo concludi, vt quodammodò dicere illud videantur: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Exemplum dat ipſos ſuos Religioſos, quos compellat dicens: *An non fratres in hoc ordine noſtro, ac ſi in cortice punico, paſſionis Chriſti per imitationem color rutilat? Denique velut quædam huius mali grana ſunt, qui ſibi natiuum dicunt ſub diſciplinæ corio contineri, qui non tam premi ſe cenſent, quàm protegi. Abſit amor proprietatis, abſit amor priuatæ poteſtatis, & huius te mali granum exhibes. Diſcant alij noſtro inuitati exemplo quàm bonum ſit, & quàm iucundum habitare in quodam horto communionis, & ſub munimine corticis: Charitas vniat & cortex muniat. Quot videtis ordinata collegia, tot intelligite velut quædam mala punica.*

*Cypri.* Per cyprum accipe fidem, vt di- *Cypri ſymbola.*
xi. Nyſſen. tamen & tres Anonymi apud *Fides.*
Theodor. accipiunt charitatem: cyprus enim eſt calida, charitas autem eſt calor *Charitas.*
ſpiritus. Huc accedunt Caſſiodor. & Beda, qui per cyprum accipiunt gratiam; *Gratia.*
quæ è cælo velut manna depluit: ſicut enim manna erat quaſi ſemen album ſimile coriandro, ſic eſt & cyprus. Secundò S. Anſelm. *Cyprus*, inquit, *cùm ſit virga gracilis, quæ creſcit in magnam altitudinem &* *Anſelm.*
*habet grana, vnde fit regium vnguentum ſanctos illos ſignificat, qui creſcunt in multam altitudinem virtutum, & proferunt grana bonorum operum, quibus vngitur & delectatur Deus.*

Huc accedit Aponius, qui per cy- *Patientia.*
prum accipit patientiam: hæc enim *opus perfectum habet*, vt ait S. Iacobus Epiſt. c. 1. *Vnde ergo* ait Aponius *bonorum ordines in Eccleſia? triſtitia ſi patienter ſuſcipiatur:* cyprus enim interpretatur triſtitia.

*Nardi.* Per nardum cum Aponio ac- *Nardi.*
cipe ſpem. Richard. Victor. tamen acci- *Spes.*
pit dilectionem. *Nardus*, inquit, *de quo vn-* *Dilectio.*
*ctum eſt dominicum corpus, vnctionem dilectionis Dei in corde ſignificat: quia ſic vngimur, vt tribulationis igne non ſuperemur: cùm gratia nos reficit & replet, contra aduerſa fortes facit.*

Huc accedit Caſſiod. *Nardus*, inquit, *Paſſio Chriſti.*
*typus eſt Dominicæ paſſionis: Vnde Maria Magdalena nardo piſticâ caput & pedes Ieſu vnxit. Tuncque nardus in horto Eccleſiæ eſt, cùm ſancti quique memoriam Dominicæ paſſionis venerantur, eique gratias agunt, quòd pro ipſorum amore mori dignatus eſt.* Secundò, S. Anſelm. Hugo & alij per nardum accipiunt humilitatem. Nardus enim eſt herba humilis & fragrans: talis eſt & humilitas. *Humilitas.*
Tertiò, tres Anonymi apud Theodoretum per nardum accipiunt prudentiam, *Prudentia.*
quæ omnibus virtutibus ſe miſcet, ſicut nardus omnibus aromatibus & vnguentis.

*Crocus* ignitas febres refrigerãs, notat *Croci.* *Charitas.*
charitatem concupiſcentiæ æſtus refrigerantem, ait Caſſiod. Aponius, Theod. & Philo Carpath. vti iam dixi. Nyſſenus tamen & Delrio per crocum accipiunt fidem, quia ſicut circa verum crocum ob *Fides.*
eius falſarios, ſic circa veram fidem ob tot hæreſes facilè errare contingit. Secundò, Tres Anonymi apud Theodor. per crocum, quæ mediam habet temperaturam inter calorem & frigus, accipiunt iuſtitiam, quæ medium inter de- *Iuſtitia.*

fectum

fectum & exceſſum in virtutibus ſtatuit. Tertiò, S. Anſelm. per crocum accipit diuinam ſapientiam, quæ iungi debet nardo, id eſt, humilitati. Quartò, Gilbertus ſerm. 36. per cyprum accipit meditationem, per nardum quietem, per crocum viſionem ſapientiæ, quia meditatio quiete indiget, & per vtramque attingitur viſio ſapientiæ; *In cypro*, inquit, *intelligitur veſtigatio, in nardo vocatio, in croco viſio ſapientiæ*, &c. *Accipe ergo in cypro ſtudium, in nardo otium, in croco vtriuſque fructum.* Deinde hæc tria applicans Chriſto: *Ipſe*, inquit, *in cypro patitur, & in nardo ſepelitur, & de corde terræ reſurgit in croco.* Nam vt ait Plinius lib. 21. cap. 6. *Crocus gaudet calcari & atteri, pereundóque meliùs prouenit: ideo iuxta ſemitas ac fontes lætiſſimus.* Sic Chriſtus ambiuit crucem, probra & verbera, iiſque preſſus & calcatus in ſummam gloriam die tertio reſurrexit. Idem contigit omnibus ſanctis Chriſti aſſeclis. Crux enim via eſt ad felicitatem, humilitas ad ſublimitatem, contemptus ad gloriam.

*Sapientia diuina.* — *Gilbert.* — *Plin.*

Denique Ioannes Carmelita per crocum accipit humilitatem, quæ gaudet calcari vt crocus; & ſicut crocus ebrietati reſiſtit, ſic humilitas ſuperbiæ, quæ mentem vanâ ſui æſtimatione inebriat & dementat.

*Humilitas.*

*Fiſtula* notat iuſtitiam, quæ auaritiæ reſiſtit, ſicut fiſtula hydropiſi: auaritia enim eſt animæ hydrops; Caſſiodorus tamen per fiſtulam accipit humilitatem: *Ex eo*, inquit, *quòd breuis arbuſcula eſt, quæ & caſſia vocatur, cortice purpureo, fiſtula ſignificat ſanctos humilitate & patientiâ præcipuos: pauperes ſcilicet ſpiritu, quorum eſt regnum cælorum. Purpureus autem cortex ſignificat paſſionem Chriſti, quam humiles ſpiritu ſemper in corde retinent, & imitari ſatagunt.*

*Fiſtula. Iuſtitia. Humilitas.* — *Caſſiod.*

Secundò, Aponius & Tres Anonymi apud Theodor. per fiſtulam accipiunt temperantiam, quæ inſtar fiſtulæ viſcerum infirmitates per abſtinentiam, humores ſiccando ſanat, & inſtar fiſtulæ in altum ad cæleſtia contemplanda mentem ſobriam ſuſtollit. Tertiò, Hugo de S. Victore: *Fiſtula*, inquit, *ſunt compuncti pœnitentes quicumque vel in ſe vel in aliis peccatorum intrinſecùs latentium moleſtias per gratiam compunctionis, confeſſionis, vel etiam efficaciis admonitionis expellunt: fiſtula quippe ad curandas viſcerum moleſtias vtilis eſt.*

*Temperantia.* — *Hugo. Victorin.*

Quartò, Ioannes Carmelita qui per fiſtulam, vel calamum intelligit cannam continentem ſaccharum, per eam accipit orationem. Hæc enim eſt quaſi fiſtula cæleſtis, à Deo ſugens ſuauitatem conſolationum omni ſaccharo dulciorē.

*Oratio.*

*Cinnamomum* ſuâ acredine, viuacitate & ſapore notat Sapientiam & prudentiam, vt dixi. Caſſiodor. tamen & Anſelmus accipiunt humilitatem, quia cinnamomum ex breui arbuſculo cineręi coloris naſcitur. Coſmas Damianus accipit pietatem: hæc enim inſtar cinnamomi ſuauem expirat odorem, & ad omnia vtilis eſt, vt ait Apoſtol. Porrò cinnamomo nonnulli miras vires attribuunt, vt quòd aquæ bullienti iniectum illico eam refrigeret; quòd in os dormientis ingeſtum faciat, vt ille ad omnia interrogata reſpondeat, &c, quæ recenſet Nyſſen. & adaptat viris perfectis. Verùm hæc fabuloſa & falſa ſunt. Veriùs Philo Carpathius per fiſtulam & cinnamomum accipit SS. Petrum & Paulum, qui fragrantiâ ſuæ prædicationis & vitæ ſanctæ totum orbem repleuerunt. Denique Gilbertus ſerm. 36. *Fiſtula eſt*, inquit, *quando Sponſa excedit Deo: cinnamomum, quando contemperans eſt vobis.* Et poſt nonnulla: *Eſto velut cinnamomum: colloquta tua, conuerſatio communis gratiam ſpirent: Et ſi de voluntate tua & propoſito aliquoties reflecteris, ad ſenioris arbitrium reflexa & quaſi fracta ſit voluntas, non murmur reſonet, non querimonia, eſto cinnamomum confractum, viſibile ſpiramentum emitte, eò quòd virtus humilitatis in infirmitate vexationis, & velut fractionis proficit & probatur. Et ſpiramentum, & viſibile dicitur. Spiramentum, quia tranquillitas ſeruatur in corde; viſibile, quia relucet in facie.*

*Cinnamomi. Sapientia. Prudentia. Humilitas. Pietas.* — *Gilbert.*

*Cum omnibus lignis Libani*, quæ ſignificant cæteras virtutes, vt dixi: licet Caſſiodorus, Anſelm. & Richard. per ligna Libani accipiant viros eminentes & Doctores. Audi Caſſiod. *Ligna Libani pulchritudine, proceritate, & robore præeminent, ideóque ſanctos Doctores & perfectos quoſque in Eccleſiæ ſignificant. Pro Libani* Hebr. eſt לבונה *levona*, quòd propriè thus ſignificat. Vnde Arabicus, Syrus & Vatabl. vertunt: *cum omnibus lignis thuris*, id eſt, thuriferis. Porrò *thus*, ait Nyſſen. ſymbolum eſt diuinitatis. *Qui ergo in omnibus vitæ ſtudiis*, inquit, *in ſe oſtēdit diuinæ formæ ſimilitudinem, in ſe oſtēdit pulcritudinem omnium lignorū* Libani (thuris) *per quæ exprimitur forma diuina.*

*Lignorum Libani. Virtutes. Doctores.* — *Caſſiod.* — *Nyſſen.*

*Myrrha & aloë.* Myrrha notat fortitudinem, aloë temperantiā, vt dixi. Theod. verò per myrrham accipit mortificationem, per aloëm tentationum amaritudinem; Caſſiod. per myrrham accipit continentiam, per aloën caſtitatem; Anſelm. per myrrham accipit paſſionem martyrij,

*Myrrha & Aloës. Fortitudo. Tēperantia. Mortificatio. Tentationes. Continentia. Caſtitas. Martyrium. Pœnitentia.*

martyrij, per aloën mortificationem carnis & pœnitentiam.

Symbolicè Nyſſen. Per hæc, ait, videtur demonſtrari ſepulturæ Chriſti Societas: nemo enim fit gloriæ Dei particeps, qui non fuerit primum conformis ſimilitudini mortis eius. Sic & Philo Carpath.

*Cum omnibus primis vnguentis*, id eſt, cum omnibus præcipuis chariſmatibus & donis Spiritus ſancti. Ita Tres Anonymi apud Theodor. S. Anſelm. Richard. & Hugo Victor. Caſſiodor. verò per prima vnguenta accipit charitatem, de qua ait

1 Corinth. 13. Apoſtolus: *Excellentiorem viam vobis demonſtro*. 1. Corinth, 13. Nyſſenus verò per hæc vnguenta accipit ſincera Eccleſiæ & fidei dogmata.

*Hortus concluſus, clauſtra Religioſorum.* Denique hortus concluſus ſunt Religiones & clauſtra Religioſorum, in quibus omnia virtutum aromata lætiſſimè germinant & ſuauiſſimè fragrant, vti docet S. Bernard. de Conuerſ. ad Clericos cap. 21. Vide Hieronym. Platum lib. 3. de bono ſtatus Relig. cap. 14. vbi Religionem oſtendit eſſe paradiſum voluptatis.

## TERTIVS SENSVS

*D. Chriſto & B. Virgine.*

BEata Virgo, inquit Rupert. eſt hortus concluſus & paradiſus deliciarum germinans fructum vitæ, puta Chriſtum, qui ſeptem aromatibus, id eſt, ſeptiformi gratiâ ſpiritus Orbem cumu-

Rupert. lauit: *Nardus*, inquit, *eſt humilitas tua, quæ valde oblectauit Altiſſimum, oblectauit me Regem dilectum tuum, ſicut ipſa dicis, quia dum eſſet Rex in accubitu ſuo nardus mea dedit odorem ſuum. Quicquid gratiarum, quicquid virtutum, quicquid operationum cæleſtium mundus accepit, emiſſiones tuæ ſunt; vt vbi erant prius ſpina, & vepres, & carduus, lappa & tribulus, vrtica & paliurus, vniuerſitas nequitiarum, ibi ſit cyprus cum nardo, nardus & crocus, fiſtula & cinnamomum, myrrha & aloë, vniuerſitas gratiarum.*

Deinde prima vnguenta, inquit, ſunt cuncta opera corporalia pietatis & miſericordiæ, quibus B. Virgo ſupplet defectum bonorum ſpiritualium in lignis Libani, id eſt, in diuitibus & potentibus. Audi & Guilielmum: *Emiſ-*

Guliel. *ſiones ſunt fructus ex ea emiſſi, vnicus eius fructus eſt, qui ab efficacitate ſalutis dictus eſt Ieſus; ſed in vno illo fructu multiplex eſt fructus. In vno ſaluatore omnium Ieſu, plurimos*

*Maria peperit ad ſalutem: pariendo vitam, multos peperit ad vitam. Eo ipſo quòd mater eſt capitis, multorum membrorum mater eſt. Mater Chriſti, Mater eſt membrorum Chriſti; quia caput & corpus vnus eſt Chriſtus; corporaliter caput pariendo, ſpiritualiter membra peperit. Vnde etiam ab omnibus mater appellatur, & ab omnibus cultu debito, vt mater honoratur.*

Verſ. 15. *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium quæ fluunt impetu de Libano.*

FONS hortorum (Arabicus: *Fons, hortus*) *puteus aquarum viuentium; quæ fluunt impetu de Libano.* Arab. Septuag. *Puteus aquæ viuentis & ſtrepentis de Libano.* LXX. S. Ambroſ. in Pſalm. Ambroſ. 118. ſerm. 17. *Et impetus deſcendens de Libano.* Quinta editio & Vatabl. *Quæ profluunt è Libano*, puta magnâ copiâ æquè ac impetu: V. Editio. Vatabl. hunc enim efficit copia aquarum ex alto dilabentium. Aquæ viuentes vocantur, quæ è venis terræ iugiter manant & ſcaturiunt, vti fit in puteis & fontibus: hæ enim ſunt quaſi ſanguis terræ, ac inſtar viuentis è ſuis ſcatebris ebulliunt, mouentur & fluunt perenniter, cùm aquæ ſtagnantes immotæ conſiſtant, ideóque vocantur mortuæ.

*Fons hortorum*: Nonnulli generatim accipiunt quemlibet fontem, qui hortos plures irriget & fœcundet; quales multi in Libano oriuntur, & in ſubiectas valles defluunt; imò R. Salomon & Giſlerius per Libanum accipiunt quemlibet montem purum ac nitidum, ex quo fontes profluunt. Libanus enim Hebraicè idem eſt quod album & candidum.

Verùm alij ſpeciatim accipiunt hæc de certo fonte limpido è Libano ſcaturiente, & cum ſuaui murmure in hortos vicinos dilabente, eoſque irrigante & fæcundante. Ita Hortolanus, Tirelman. *Fons hortorum quis?* Sotomaior & alij. Hunc fontem ex Brocardo, Saligniaco, Bredenbachio & aliis, ita deſcribit Adrichomius in deſcriptione terræ ſanctæ pag. 107. n. 48. *Fons hortorum, cuius in Canticis Salomonis fit mentio, ex monte Libano procul à Tripoli ſex* Adrichom. *millibus paſſuum cum impetu ſcaturit, ac breui ſpatio auctus in vehementem, curſúque velocem fluuium excreſcit, ſuíſque aquis, quæ limpidiſſimæ, frigidæ & dulces ſunt omnes hortos (vnde & fons hortorum vocatur) totámque regionem, quæ inter Libanum & Tripolim eſt, irrigat & fœcundat. Præter minores aliquot in-*

*tres magnos riuos ſe diuidit, quorum prior inter Tripolim, & montem leopardorum in mare magnum labitur: alter Leopardorum montem circumiens, idem mare influit: tertius inter Arcas & Raphaneas Agrippæ regis ciuitates fluens medius, Antaradúmque alluens in prædictum tandem mare ſe exonerat.* Fluuium

*Fons ſabbaticus.* hunc Ioſephus lib. 7. belli cap. 24. Sabbaticum appellari ſcribit, eò quod per miraculum die Sabbati copioſè fluat, cæteris verò diebus ſiccetur & areſcat.

Porrò fontes non tantùm fœcunditatem hortis, ſed & intuentibus, ac lauantibus, bibentibúſque magnam voluptatem, refrigerium, & ſatiem afferũt, præſertim dum ex altis montibus per canales in valles hortenſes deducti, ibi in altum vſque ad ſui originem naturali ſuâ vi & pondere exiliunt: Per auium & beſtiarum ora fabrefacta erumpunt, atque ſubinde auium concentum & Organorum harmoniam auribus exhibent, quales ſunt fontes hydraulici Eſtenſes, Aldobrandini & ſimiles, quos Tuſculi & Tibure ſpectamus. Hiſce enim Sponſam ob elegantiam & venuſtatem per omnia ſimilem, comparat.

*Puteus aquarum viuentium quis? Adrichom.* Puteum verò hunc idem Adrichomius ita deſcribit pag. 6. num. 67. *Puteus aquarum viuentium, cuius in Canticis Salomonis fit mentio, iuxta viam, quæ Tyrum ducit, ſitus, egregius eſt & admirabilis: atque verſus Aquilonem à Sandalio Caſtro paulò amplius quàm milliari, verſus Auſtrum verò à Tyro paruo milliario diſtat. Quamuis autem ſingulariter puteus dicatur, ſunt tamen quatuor fontes quadrati, quorum ille, qui præcipuus eſt in vnoquoque quadrati latere quadraginta; reliqui verò vigintiquinque cubitos habent. Omnes muris fortiſſimis, de duriſſimis lapidibus inſolubili opere obfirmatis concluſi. Vnde varij deducuntur aquæductus & riui, qui totam Tyri planiciem omnéſque eius hortos irrigant & fœcundant. Diſtant hi fontes à mari magno paulò ampliùs quàm arcus iacere poteſt, in quo tantillo ſpatio ſex molas agunt, & deinde ſe mari miſcent.* Huius putei meminit quoque Guilielmus Tyrius lib. 7. belli ſacri c. 22. & lib. 13. c 3.

Alludit ad Iordanem, qui in Libano ex duobus fontibus *Ior*, & *Dan* confluen-

*Iordanis vnde dicatur?* tibus conflatur, & nominatur *Iordan*, ſiue Iordanes. Hic enim per totam terram Iſraël defluens, illi miram fœcunditatem æquè ac amœnitatem & hilaritatem inducit, iuxta illud: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Pſalm. 45. Hoc

*Pſalm. 45.* flumen præcisè ad litteram ſunt aquæ

*Aqua Siloë.* Siloë, quæ hortos Ieruſalem irrigant, ad quas hîc quoque alluditur: Vnde Chald. vertit: *Et aquæ Siloë, quæ ducuntur inquietè, cum reliquis aquis, quæ defluunt de Libano, vt irrigent terram Iſrael, eò quòd nauant operam*

*Chald.* *verbis legis, quæ comparantur puteo aquarum viuentium, & in iuſtitia libationis aquarum, quæ libantur ſuper altare in domo ſanctuarij, quæ ædificata eſt in Ieruſalem, quæ vocatur Libanus.*

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

Eccleſia eſt *Fons hortorum & puteus aquarum viuentium*, id eſt, puriſſimæ ſapientiæ, ſacræ doctrinæ, & gratiæ, *quæ fluunt impetu de Libano*, id eſt, de Chriſto excelſo & candido, aquis iam dictis abundanti, ait Aponius, Richardus, & alij, iuxta illud: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Iſaiæ 12. 3. Et illud

*Iſai. 12. 3.* Eccleſ. 24. 35. *Qui implet quaſi Phiſon ſa-*

*Eccli. 24. 35.* *pientiam, & ſicut Tigris in diebus nouorum. Qui adimplet quaſi Euphrates ſenſum: qui multiplicat quaſi Iordanis in tempore meſſis. Qui mittit diſciplinam ſicut lucem, & aſſiſtens quaſi Gehon in diebus vindemiæ.* Vide ibi dicta: Eccleſia enim omnem doctrinam & gratiam, quam haurit à Chriſto, deriuat in hortos, id eſt in Eccleſias & cœtus particulares præſertim Clericorum & Religioſorum, qui ſunt quaſi hortus & paradiſus Domini. Eadem dicitur *puteus*, ob profunditatem doctrinæ & myſteriorum, quæ in ea latent, & quibus affluit & effluit in ſuos fideles. Ita Caſſiodorus, Aponius, Anſelmus, & alij.

Iam quia Eccleſia ſuam doctrinam,

*Sacra Scriptura fons. & puteus.* prædicationem & gratiam Chriſti haurit è Sacra Scriptura, & Baptiſmo cæteriſque Sacramentis, hinc eadem conſequenter hîc accipi poſſunt. Vnde per fontem & puteum accipiunt S. Scripturam, S. Gregor. Caſſiodor. Philo, Aponius, Beda, Iuſtus, Tres Anonymi apud Theodoret. Anſelm. & S. Ambroſ. de Iſaac cap. 4. Audi S. Gregorium: *Quid per fontem & puteum, niſi ſancta ſcriptura deſignatur? quæ ſic aquam ſapientiæ generat, vt & potantes ſemper reficiat, & tamen manare non deſiſtat. Quæ bene hortorum eſſe perhibetur, quia illorum ſpecialiter eſt ſancta Scriptura, in quorum mentibus virtutum ſemina oriuntur. Sed*

*Gregor.* *quærendum nobis eſt, quare fons & puteus, vtrumque ſimul, ſcriptura dicatur, cùm fons in ſuperficie appareat, puteus verò in imis latens omnes ſe quærentes maiori labore exerceat: ſed ſciendum eſt, quòd diuina ſcriptura in quibuſdam manifeſta exiſtens, in quibuſdam verò locis obſcuram ſe præbens, & aliquando*

leuiter

*leuiter ſicut inuenitur tanquam fons potatur, & aliquando magnâ inquiſitione eget tanquam puteus, vt inuenta ſumatur.*

Addit Caſſiodorus dogmata Sacræ Scripturæ vocati fontem, & puteum aquarum viuentium, reſpectu doctrinæ

Ierem 2. 13. hæreticorum, de qua dicitur: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas*, Ierem. 2. 13.

*Fons ſacramentorum.* Rurſum, per fontem & puteum aquarum viuentium, accipias Baptiſmum cæteráque ſacramenta: hæc enim ſunt quaſi ſeptem fontes gratiæ. Ita S. Anſelm. Audi S. Gregorium: *De Libano aquæ*

Gregor. *putei fluunt, quia in Baptiſmo electi quique donum Spiritus ſancti accipiunt, quo illuminati Scripturæ Sacræ ſenſum intelligunt: Quæ Scripturæ ſanctæ ſcientia tanto fluit impetu, vt electos dum tãgit, ab huius vitæ amore ſubmoueat, & ad æterna gaudia vi impetus ſui quoſque adhærentes traiiciat. Hinc eſt enim quod in Pſalmo ſcriptum eſt: fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Impetus enim fluminis ciuitatẽ Dei lætificat, cùm per donum S. Spiritus fortiter inundans Scripturæ ſapientia ſanctam Eccleſiam, vel cuiuſlibet capientis mentem infuſione ſua exhilarat.*

Richard. Victorin. Et Richard. Victor. *Per Libanum*, inquit, *à quo aquæ iſtæ fluunt Chriſtum intelligit candorem lucis æternæ, quia à Chriſto cœpit tempus gratiæ. De Libano inquit, fluxerunt aquæ iſtæ, id eſt, de Chriſto, quando Spiritus ſanctus tanquã torrens diſcipulis influxit, & ſuaui eos vbertate donorum inebriauit. Et quando Chriſto in cœna benedicente panem, Sacramentum Euchariſtiæ celebrari cœpit, & vnâ paſſibili præſentiâ ipſius ſublatâ, multis in locis vſque ad conſummationẽ ſæculi nobiſcum manſit; ſemel quoque oblatus in cruce, multoties in altari pro nobis offertur.*

Beda per impetum cenſet notari vim & efficaciam Apoſtolicæ prædicationis, cui nemo reſiſtere potuit.

Porrò Theodoretus & Anſelmus per Libanum accipiunt Ieruſalem & Iudæã, è qua legis fluenta cum impetu Spiritus ad Eccleſiam defluxêre. Libanus enim eſt limes Iudææ.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

*Anima Sãcta fons & puteus.* ANima Sancta eſt fons & puteus aquarum viuentium, dum profundam Spiritus ſancti doctrinam, & gratiam conſecuta, illarum aquis ſpiritualibus ita redundat, vt eaſdem in alias refundat. Eadem dicitur puteus, quia vt eas hauriat profundè per humilitatem ſe inclinare & demittere debet.

Richard. Victorin. Adiungit Richard. Victor. illam eſſe *fontem, quia fluit, ſemper noua oriens, & ſem-*

*per in Deo renouata per deſiderium ad interiora; Fontem non ceſſantem ebullire, & erumpere ad Dei amorem, & de plenitudine, qua abundat, & infirmiores viſitantem & irrigantem.*

Addit Nyſſenus animam ſanctam inde extolli, quòd naturæ diuinæ aſſimilata ſit, quæ per aquam ſæpiùs in Sacris literis deſignatur, imitata quidem fonte fontem, vitâ viram, aquâ autem aquam, quatenus eſt promptuarium continens aquam illam viuã, quæ ex Deo fluit, iuxta id quod in Euangelio ſignificauit, vbi dixit: *A Deo exiui*: nec dubitandum quin Ioan. 16. 27.
viuat, dum Verbum Dei ſuſcipit, quod Apoſtolus viuũ appellat. Hæc Nyſſenus.

Porrò S. Ambroſ. lib. de Nabuch. c. 12. *Eleemoſyna, puteus aquarum viuentium.* Ambroſ.
per puteum aquarum viuentium accipit eleemoſynam, cauſámque dat: *Puteus* inquit, *ſi nihil haurias, inerti otio & degeneri ſitu facilè corrumpitur, exercitatus autem niteſcit ad ſpeciem, dulceſcit ad potum: Ita & aceruus diuitiarum, cumulo arenoſus, ſpecioſus eſt viſu, otio autem inutilis habetur, Deriuato igitur aliquid ex puteo iſto, ignem ardentem reſtingue, quia eleemoſyna reſiſtit peccatis.* Vide dicta 2. Corinth. cap. 8. & 9.

Denique S. Anſelmus per Libanum accipit perfectos, qui ſunt candidati virtutibus à quibus aquæ viuificantes fluũt ad correctionem ſubditorum magnâ copiâ & impetu.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

BEata Virgo fuit, & eſt fons, & puteus aquarum viuentium, qui ſterilem mundum ſic irrigauit, vt eum fœcundum effecerit ac amœnum inſtar paradiſi, iuxta illud: *Ego quaſi fluuÿ Dioryx,* Eccli. 24. 41.
*& ſicut aquæductus exiui de paradiſo; dixi: Rigabo hortum meum.* Eccleſ. 24. v. 41. ita Rupert. qui quatuor flumina paradiſi B. *B. Virgo fons & puteus aquarum viuentium.*
Virgini myſticè accommodat, additque ipſam eſſe fontem & puteum aquarum viuentium, quia ipſa eſt ſacrarium omnium Sacrarum ſcripturarum. B. Virgo ergo eſt fons, tum quia Chriſtum nobis genuit, & effudit; tum quia orando apud filium omnia bona nobis impetrat & communicat. Hinc Methodius in Hypapante, B. Virginem ſic alloquitur:
*Salue humanitatis filÿ fons, ſalue humanitatis* Method.
*vmbraculum.* Et S. Epiphan. orat. de Deipara: *Aue*, ait, *gratiâ plena, quæ ſitientes perennis* Epiphan.
*fontis dulcedine ſatias.* S. Ephrem quoque de laude Deiparæ, ipſam *fontẽ gratiæ & to-* Ephrem.
*tius conſolationis* appellat. S. Chryſoſt. *Aue,*
ait, *quæ es puteus ſemper viuentis aquæ.* Nã vt Chryſoſt.
ait S. Antoninus 4. p. tit. 15. c. 17. § 4. *Ipſa*

S. Antonin. *nobis miſeris dedit filium ſuũ Deum, captiuis in pretium, famelicis in viaticum, laborantibus in præmium, infirmis in medicamentum, & cum ipſo dedit nobis regnum cælorum & omne bonum.*

Denique fluuius ſabbaticus rectè cõgruit B. Virgini. Ipſi enim ab Eccleſia *Die ſabbati maiora beneficia confert B. Virgo.* cultus in officio Eccleſiaſtico, & ſactificio Miſſæ religioſè tribuitur in Sabbato, quo ipſa mortuo Chriſto Eccleſiam quaſi columna ſuſtenrauit, firmiter credens & ſperans Chriſtum die dominica ſequenri reſurrecturũ. Hinc maiora beneficia confert ipſa die Sabbathi: vnde & multi fideles Sabbato in honorem B. Virginis ieiunant, aliáque pietaris & pœnitentię officia obeunt, vt ſabbarum, id eſt, quietem in tentarionibus & tribulationibus ab ea cõſequanrur, & ad Sabbatũ æternæ pacis in cælo perducanrur.

---

Verſ. 16. *Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.*

PRo *illius* Septuag. legunt *mea*: S. Hieronym. in Abacuc 3. Theodoret. & S. Ambroſ. lib. 1. de Virginit. *sua*. Vtrumque verum: quod enim eſt Sponſæ, hoc etiam eſt Sponſi: Sponſis enim omnia ſunt communia: Quarę Eccleſia Sponſa eſt hortus & paradiſus Chriſti Sponſi ſui.

Pro *ſurge* Hebr. eſt עורי *vri*, id eſt *excitare, euigila*; Syrus *Expergiſcere*, qui quaſi dormis. Hæc vox ambigua eſt. Primò enim ſurge accipi poteſt, q. d. Surge vt abeas, matura fugam, citò diſcede, ô Aquilo, quia tu es ventus frigidus & ſiccus, plantas adurens, ſiccans, & enecans, vt veniat tibíque ſuccedat Auſter, qui *Auſter quaſi hauſter aquarum.* ſuo calore & humiditare arbores vegetat & fœcũdat, vt folia, flores & fructus producanr. Hinc *Auſter* dictus eſt, quaſi *hauſter ab hauriendo aquas*, ait Iſidorus l. 13. Etymol. c. 11. *Vnde & craſſum aërem facit, & nubila nutrit.* Græcis dicitur νότος à νοτὶς, id eſt, *humor*, ait Nonius Marcellus. Quocirca flanre Auſtro ſeminandum eſt & plantandum, non flante Aquilone. Audi Plinium lib. 18. 34. *Hoc* (Aquilone) *flante* Plin. *ne arato, frugem ne ſerito, ſemen ne iacito. Præſtringit enim atque percellit hic radices arborũ, quas poſiturus es*; Licèt enim Auſter Italiæ & Hiſpaniæ ſit grauis & noxius, tamen Palæſtinæ & aliis regionibus eſt gratus, *Aquilo quaſi aquas ligans,* lenis & ſalutaris: Aquilo verò ſuo frigore & rigore moleſtus. Quocirca *Aquilo* dicitur quaſi *aquas ligans* & congelans, ait Richard. Victor. ideóque in Sacra Scriptura in malam partem accipitur, quia ſiniſter & infauſtus. Vnde Lucifer ſedere voluit in lateribus Aquilonis. Iſaiæ 14. Auſter verò in bonam partem capitur, ideóque Hebr. dicitur תימן *theman*, id eſt, dexrer & fauſtus, à ימין *iamin*, id eſt, dexrera: Vnde eo flante aromata fluunt, & gratam exhalant fragrantiam, quæ flante Aquilone cohibetur & conſtringitur. Hinc illud Ierem. 1. 14. *Ab Aquilone* Ierem. 1. 14. *pandetur omne malũ*. Et Eccleſ. c. 43. 22. *Flauit Aquilo & gelauit cryſtallus ab aqua: ſuper omnem congregationẽ aquarum requieſcet, & ſicut* Eccli. 43. 22. *lorica induet ſe aquis; & deuorabit montes; & exuret deſertum; & extinguet viride, ſicut igne.*

Secundò τὸ *ſurge* accipi poteſt, vt referatur ad τὸ *perfla*. q. d. Tu ô Aquilo, æquè ac tu, ô Auſter, age, ſurge, perfla hortum meum. Aquilo enim plantas ſtringit in hyeme, vt radices magis figanr & dilatenr in terra: ſuccedens verò in vere Auſter eas aperit, laxat, calefacit vt germinent, & in frondes, flores, fructúſque erumpant. Huic ſenſui aptè reſpondet tropologia, de qua mox. Ita *Aquilo Arboribus ſaluberrimus: Auſter noxius.* Caſſiod. Beda Iuſtus, Aponius, Rupertus, Clarius & alij, præſertim Rabbini. Aquilo enim vehemens concutit & flagellat arbores, qua concuſſione & metu fit, vt earum pori aperianrur, & ſuauiorem expirent odorem. Hinc Plinius lib. 18. c. 34. docet vites & arbores Aquilonem ſpectare debere. Idem lib. 2. cap. 47. *Saluberrimus*, inquit, *omnium Aquilo, noxius Auſter.* Plin.

Nonnulli, vt Nyſſen. Theod. Pſellus, Rabbini, Genebr. & Sottomaior cenſent eſſe verba Sponſæ. Cæteri tamen penè omnes cenſent eſſe verba Sponſi, qui cùm Sponſam vocaſſet hortum concluſum, nunc imperat ventis, vt eum perflent, & agitent, vt ſuauitas aromatum eius magis perſpiret, ſentiatur, & recreet, tam Sponſum & Sponſam quàm vtriuſque ſodales & aſſeclas. Porrò Chaldæus per Aquilonem accipit menſam panum propoſitionis, per Auſtrum verò candelabrum, quod ſitum erat ad Auſtrum in templo. Sic enim ait: *Et in latere Aquilonari erat menſa, & ſuper eam duodecim panes facierum; & in latere Auſtrali erat candelabrum ad illuminandum, & ſuper* Chald. *altari offerebant Sacerdotes oblationes, & adolebant ſuper illo incenſum aromatum.*

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

IVxta priorem explicationem iam datam, quâ *ſurge* idem eſt, quod *abi*, & fuge,

fuge, ô Aquilo; Senſus eſt, q.d. Surge, ô Aquilo, id eſt, abi, ô Diabole, qui in Aquilone ſedere geſtis, ac Aquilonem, id eſt, frigidam infidelitatem, & torporem virtutum induxiſti in homines tempore legis Moſaicæ & naturæ. Veniente ergo Chriſto veniat cum eo Auſter, id eſt, Spiritus ſanctus, qui ſuæ gratiæ calore & feruore faciat, vt Eccleſia & fideles ſuauiſſimum vir tutum omnium odorem per ſanctas eorum operationes expirent. Faceſſe igitur Aquilo procul à noſtris hortis, abeſto horrida infidelitas & impietas, quæ vt ille plantas, ſic tu hominum corda contrahis, & cæleſti calore extincto cogis congelaſcere. Tu verò Auſter veni, perfla hortos meos, Myrrham & aloëm, calamum & cinnamomum, reliquáſque plantas noſtras aromaticas calfacito: vt calido tuo flatu incaleſcentes natiuum ſuum calorem proferant, & eiuſdem vi colliquatos humores fundant ſuauiſſimos. Ita S. Gregor. Philo, Rupertus, Anſelm. Nyſſen. Theodor. Pſellus, & S. Ambroſ. in Pſalm. 1. Et S. Auguſt. Epiſt. 120. ad Honoratum cap. 22. Id reipſa accidit in Pentecoſte, cùm 120. diſcipuli, qui plantati erant in domo Domini flatu huius Auſtri, id eſt, Spiritus ſancti per omne genus linguæ doctrinæ fluenta emisêre, ait Nyſſen. Additque vi Spiritus ſancti flueta aquarum mutata eſſe in fluenta aromatum.

*Auſter Spiritus ſancti.*

*Gregor.*

Audi S. Gregorium: *Quid per Aquilonem, qui in frigore conſtringit & torpentes facit, niſi immundus ſpiritus deſignatur, qui reprobos omnes dum poſſidet, à bono opere torpere facit? Per Auſtrum verò, calidum ſcilicet ventum, Spiritus ſanctus figuratur, qui dum mentes electorum tangit, ab omni torpore relaxat & feruentes facit, vt bona quæ deſiderant operentur. Hinc enim dicitur: Conuerte Domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in Auſtro. Surgat ergo Aquilo & veniat Auſter, & perflet hortum Sponſi, & fluant aromata illius, vt videlicet ſpiritus malignus ab Eccleſia, vel ab vnaquaque electa anima diſcedat, & Spiritus ſanctus adueniat; Qui veniens charitatis ignem cogitationibus infundat, & à torpore negligentiæ, dum ſe infuderit, ſoluat.* Mox effectum & fructum ſubiicit: *Quod dum agit, aromata fluunt, quia dum adueniente Sancto ſpiritu cor, quod prius torpuerat, ad opera ſe excitat, mox ſanctæ operationis opiniones per proximos quoſque ſuauiter diſcurrunt, vt quique audientes ad eadem ſe accendant, & Auſtro flante, id eſt Spiritu ſancto ſe infundente virtutum odores emittant, vt vbique ſanctus hortus floreat, & poſt florem fructus redolentes & reficientes producat.*

Iuxta poſteriorem verò expoſitionem, quâ Aquilo iubetur ſurgere, vt cum Auſtro perflet hortum Eccleſiæ, primò Iuſtus Orgelit. tam per Aquilonem, quàm per Auſtrum accipit Spiritum ſanctum. Hic enim, inquit, dicitur *Aquilo, dum æſtuantibus refrigeria præbet: Auſter, dum duros ad credendum vel bene faciendum reſoluit: Et quoniam in duobus vnus aduertitur, non ait perflate, ſed perfla hortum meum, & fluant aromata illius: Inſpira credentem populum, & redundent bona opera eius.*

*Iuſt. Orgel.*

Secundò, S. Ambroſ. per Aquilonem, qui complectitur vicinum Occidentem, & per Auſtrum, qui complectitur vicinum Orientem, accipit quatuor mundi plagas, vt ſenſus ſit, q.d. Venite ô Mortales, ex omnibus mundi plagis per fidem Chriſti ad Eccleſiam, vt fructus bonorum operum producatis, per quos ſaluemini. Idem S. Ambroſ. in Pſal. 118. ſerm. 12. per Aquilonem frigidum accipit gentes infideles, per Auſtrum Iudæos fideles, quaſi vtrique vocentur ad Chriſtum. q.d. *Exurge, ô Aquilo, id eſt, ſurge qui dormis, & exurge à mortuis populus nationum, qui diu antè dormiſti, euigila aliquando, & illuceſcet tibi Chriſtus.*

*Ambroſ.*

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

Iuxta priorem ſenſum *τὸ ſurge*, ſenſus eſt, q.d. Fuge ex anima pœnitente ô Aquilo, id eſt, ô peccatum, ô diabole: & veni Auſter, id eſt, ô gratia Dei, ô Spiritus ſanctus. Iuxta poſteriorem verò ſymbolicè, ſed appoſitè, per Aquilonem accipias aduerſitates, per Auſtrum proſperitates: vtraſque enim in animas fideles immittit vel permittit Chriſtus (vel vt nonnulli, Eccleſia & anima ſancta vtraſque ſibi ſuiſque immitti optat) quia vtræque faciunt ad eius profectum, vt ex ea fluant aromata patientiæ, temperantiæ, modeſtiæ aliarúmque virtutum. Ad haſce enim non minùs prodeſt reflantis perſecutionis aſperitas, quàm afflantis proſperitatis & conſolationis ſuauitas. Cauſam dat Lucas Abbas continuator Aponij, quia ſicut frigus Aquilonis, & calor Auſtri temperatum efficiunt aërem in paradiſo; ſic frigus tribulationum commiſtum cum æſtu conſolationum temperiem iuſtam in anima parit, vt nec ſuperbiat in proſperis, nec animo concidat in aduerſis, ſed æquali conſtantiâ vtraque ſuperet. Huc accedit S. Anſelm. *Aquilo*, inquit, *commouens arbores facit eas germinare vt Auſter ſuccedens*

*Aquilo & Auſter ſunt aduerſa & proſpera.*

*Anſelm.*

*fructum faciat producere: Ita perſecutio ſuccedente feruore charitatis, gratia Spiritus ſancti facit Eccleſiam fructificare.*

Huc pertinet expoſitio Richardi de S. Victore, qui ait Deum animæ immittere vel permittere Aquilonē, id eſt, tribulationes & tentationes, ſed illico poſt, eum immittere Auſtrum conſolationum, quę tribulationes & tentationes pellant, vel mitigent & dulcorent, cùm ſcilicet animæ tentatæ & afflictæ *dulcedinem exhibet Spiritus ſanctus, ita vt ex ipſiſmet aduerſitatibus voluptatē percipiat. Tunc quippe huiuſmodi Auſtro non tantùm flante, ſed & perflante, id eſt, totum occupante ipſum animæ hortum, adeò vt in nullo triſtitiam habeat, fluunt aromata virtutum illius, tantâ vtique vbertate, vt qualibet aduerſa proſpera reputet, & exteriora damna in lucrum anima conuertat: fit tunc patientia læta, charitas benigna, humilitas deuota, prompta obedientia, virtuteſque habet, non tam in deſiderio, quàm in effectu.* Denique ſicut Aquilo oppoſitus Auſtro, ſuo frigore Auſtri calorem & humorem per Antiperiſtaſim auget & intendit; vnde flante Aquilone Auſter calidior eſt & humidior, ait Ariſt. in Problem. ſect. 26. n. 29. ſic tribulatio auget & intendit calorem & conſolationem Spiritus ſancti, facítque vt fluant aromata lachrymarum piæ deuotionis, & lætitiæ ſpiritualis. Hug. Vict.

Secundò, per flatum Aquilonis accipias inſpirationes ac impulſus Spiritus ſancti terribiles, vt metum mortis, iudicij, gehennæ, quos peccatoribus, vel tentatis immittit, vt eos à malo refrænet: per flatum verò Auſtri inſpirationes blandas, vt ſpem felicitatis, impulſus amoris diuini, deſiderium gloriæ cœleſtis, &c. vtriſque enim ceu ventis contrariis, Spiritus ſanctus agit, vrgétque animam ad profectū, vt fluāt aromata, id eſt, opera virtutum. *Item conſolationes, & terrores.*

Porrò Caſſiod. Beda, & Coſmas, tam per Auſtrum, quàm per Aquilonem accipiunt tentationes & tribulationes, ſed per Aquilonem ſæuientem intelligunt perſecutiones, minas & tormenta: per Auſtrum blandientem verò, blanditias ad decipiendum cōpoſitas. q. d. *Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortū meum*, id eſt, irrumpite iam (per me licet) in ſanctos meos impij homines; gladios, ſecures, cruces, beſtias, fornaces, ignes, omnes denique pœnarum turbines veſtrâ, ô Dæmones, arte collectos, in meam Eccleſiam immittite, per meæ Eccleſiæ hortos quantum libet graſſamini: nihil aliud quàm plantarij, quod plantauit pater meus cæleſtis, calorem excitabitis. Nihil aliud in mediis tormētis, quàm fidem meā profitentes, vota preceſq; pro ſuis tortoribus fundentes, ſanctos meos audietis. Nihil aliud in eis quàm fidei, charitatis & magni atque infracti animi documēta videbitis. Non aliud quicquā ex ſanctis meis, quàm præclarè dicta & fortia facta exprimetis: Quorum aromatum fragrantia vos æternùm cruciet: me verò oblectet ſupra modum. Præclarè S. Baſilius epiſt. 11. ad Nicopol. preſb. *Perſecutiones, ait, ſunt grandines & torrentes, & quacumque alta ſubita ſunt ac temporalia, quæ mollia quidē facilè lædunt ac diſſipant, à ſolidis verò & reſiſtentibus, ſi in illa inciderint, magis patiuntur aliquid, quàm vt illis incōmodent: ſic & vehementes illæ tentationes contra Eccleſiam motæ, imbecilliores detectæ ſunt, quàm vt robur fidei, quæ in Chriſtum eſt infringerent. Itaque quemadmodū vbi grandinis nubilum præterit, & torrens alueo ſuo effluxit, illud in ſerenitatem diſſoluitur, iſte profundo abſorptus, viā quâ fluxerat ſiccā & aridam relinquit. Ita & tempeſtas illa, quæ nos iam apprehendit paulò poſt non erit, modò ſuſtineamus non inſpicere præſentia, ſed ſpem in ea extendere, quæ paulò ſunt vlteriora.* Baſil.

Et S. Chryſ. hom. 25. in Matth. *Quicumque*, ait, *adamantē percutit, magis ipſe percutitur, & qui aduerſus ſtimulum calcitrat, ſine dubio ipſe compūgitur, ſuiſq; propriis ictibus vulneratur: Et qui impugnat virtutem tenentes, ipſe profectò ſubruitur; & malitia tantò efficitur infirmior, quantò contra virtutē diutius præliatur; Et ſicut quis ignem obligat in veſtimento, illum quidē non extinguit, veſtem verò comburit: ita etiam qui in virtute poſitos perſequebātur, cōprehendebant, ac ſæpius colligabant, illos quidem reddebant ex his omnibus clariores, ſe autem omnino perdebant.* Chryſoſt.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

IVxta priorem ſenſum τὸ *fuge*, Auſter, qui fœcūdauit B. Virginem, vt Deum in humanitate pareret, fuit Spiritus ſanctus, iuxta illud: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Lucæ 1. Ideóque ab eo fugatus eſt Aquilo, id eſt, Lucifer, & immiſſus Auſter, id eſt, Gabriel, qui ei lætum Verbi incarnandi nuncium afferret. Rurſum Auſter, id eſt feruor Spiritus ſancti eam aſſiduè impulit ad continuum Dei amorem, & heroïcos virtutum actus. Luc. 1. *Aquilo, Lucifer: Auſter, Gabriel Archangelus.*

Iuxta poſteriorem ſenſum, B. Virginis vita præ omnibus iuſtis mixta fuit Aquilone, & Auſtro, id eſt, aduerſis & proſperis, deſolatione & cōſolatione, dolore & gaudio, vt patet eam expendenti.

CAPVT

# CAPVT QVINTVM.

## SYNOPSIS.

*Sponſus à Sponſa in hortum inuitatus, ibidem cum ea & ſociis epulatur. Poſt epulum* verſ. 2. *Sponſa noctu cubitum concedens, mane experrecta, narrat ſociabus quid ſibi dormienti acciderit, ſcilicet ſe noctu euocatam à Sponſo, cùm ſopore torpens, tardius ad illi aperiendum oſtium ſurrexit, illum quaſi deſidiæ huic & inciuilitati offenſum aliò abiiſſe: quare ſe per varia pericula quæſiuiſſe, ac vix inueniſſe illum, qui paulò ante vltrò ſe illi ad fores offerebat. Porrò cùm in quærendo Sponſo adoleſcentulæ Sponſæ ſe ſocias offerrent, quærunt ab ea, quâ figurâ & habitu ſit Sponſus, vt eum internoſcere queant; quibus Sponſa reſpondet, ac Sponſum viuis coloribus depingit, eúmque caput aureum habere aſſerit, oculos columbinos, genas inſtar aromatum, labia inſtar liliorum, manus tornatiles, ventrem eburneum, crura marmorea, guttur ſuauiſſimum. Denique ipſum per omnia ſummè eſſe pulchrum & deſiderabilem aſſeuerat.*

VERS. 1. VENIAT dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum. Veni in hortum meum ſoror mea Sponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.

2 Ego dormio, & cor meum vigilat: vox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.

3 Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?

4 Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.

5 Surrexi, vt aperirem dilecto meo: manus meæ ſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima.

6 Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat, atq; tranſierat. Anima mea liquefacta eſt, vt locutus eſt: quæſiui, & non inueni illum: vocaui, & non reſpondit mihi.

7 Inuenerunt me cuſtodes qui circumeunt ciuitatem: percuſſerunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.

8 Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei quia amore langueo.

9 Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierũ? qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, quia ſic adiuraſti nos?

10 Dilectus meus candidus & rubicundus,

bicundus, electus ex millibus.

11 Caput eius aurum optimum: Comæ eius ſicut elatæ palmarū, nigræ quaſi coruus.

12 Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima.

13 Genæ illius ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis. Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam.

14 Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter eius eburneus, diſtinctus ſapphiris.

15 Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas. Species eius vt Libani, electus vt cedri.

16 Guttur illius ſuauiſſimum, & totus deſiderabilis: talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus, filiæ Ieruſalem.

17 Quò abiit dilectus tuus ô pulcherrima mulierum? quò declinauit dilectus tuus? & quæremus eum tecum.

## VOX SPONSÆ.

Verſ. 1. *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum.*

Hebr. PRO *dilectus* Hebr. eſt דוד *dod*, quod Septuag. LXX. paſſim vertunt *ἀδελφιδός*, id eſt, *fratruelis*, vel *nepos*. Syrus & Arabi- Syr. Arab. cus *patruelis* vel *filius fratris*. Chald. Chald. per hortum accipit templum, Vnde vertit: *Ingrediatur Deus dilectus meus in domum ſanctuarij, & ſuſcipiat voluntariè oblationes populi ſui.*

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

COmparat Chriſtus Sponſus Sponſam Eccleſiam horto concluſo, eiúſque varios & præſtantes fructus celebrarat cap. præcedenti verſ. 12. & ſeq. nunc Sponſa Sponſum in hortum ita à ſe laudatum, hoc eſt, ad ſeipſam inuitat, vt fructibus eius, quos flante Auſtro, id eſt, Spiritu ſancto ipſe produxit, ſe oblectet & paſcat: totum enim hunc hortum ad vnius Sponſi obſequium eſſe compoſitum, ideóque illi ſoli patere, cæteris verò eſſe clauſum profitetur; Vnde ait *in hortum ſuum* non *meum*. q.d. Meus hortus non tam eſt meus, quàm ſuus; quia ego qui ſum hic hortus, non tam mea ſum, quàm Sponſi. Chriſtus enim me Eccleſiam totam, quanta quanta ſum fecit, ornauit & compoſuit: quare quicquid eſt in me ornatus & decoris, non ex mea natura, ſed ex illius dono & gratiâ habeo, illíque acceptum fero, & vtêdum fruendúmque vnà mecum offero ac refero. Ego enim tota ſum Chriſti; quare illi ſoli totam me dedo, dedico & reddo.

Pro *veniat* Septuag. & Arabicus vertunt *deſcendat*, quæ vox ſummam Sponſæ erga Sponſum humilitatem & reuerentiam, æquè ac Sponſi celſitudinem denotat. q.d. Dignetur diuina Chriſti Maieſtas ex alto diuinitatis ſuæ ſolio ad me Eccleſiam, quæ ima & vilis eius creatura ſum, ac olim peccatis meis grauiter eum offendi, deſcendere, méque ſuâ gratiâ viſitare, corrigere, polire & perficere. Eſto enim ego tota opus ſim Chriſti, tamen quia ego operi huic eius per liberum arbitrium cooperata ſum, vereor ne quâ negligentiâ, imprudentiâ, cupiditate opus hoc eius macularim & turparim: ipſe ergo deſcendat, vt maculas haſce meas emaculet, méque totam nitidam & pulchram, vt per omnia oculis eius placeam, efficiat. Vnde Syrus Syr. vertit: *Veniat patruelis meus per hortum meum in hortum ſuum*, vt ſcilicet hortum meum, quà meus eſt, ideóque defectuoſus, expurget & perficiat, itaque hortum *ſuum*, id eſt, ſibi per omnia placentem & conformem efficiat. Audi Nyſſenum: *Quia* Nyſſen. *fieri non poteſt, vt alıter aſſumamur ad Altiſſimum, niſi inclinetur ad humilitatem & depreſſionem, quia mites aſſumit Dominus, propterea ſublime aſcendens Sponſa, accerſens deductionem faciendam ab eo, qui inclinatur, optat, vt ipſe deſcendat ſuâ magnitudine.*

Pro *pomorum* Hebr. eſt מגדים *megadim*, quod, vt ſuperiùs dixi, quoſlibet fructus præſtantes & delicatos ſignificat, ſiue molli ſint cortice, ſiue duro, vt nuces. S. Ambroſ. lib. 5. de Sacram. cap. 3. legit *pomiferarum ſuarum* (alij *deliciarum ſuarum*) ſcilicet arborum, per quas ipſe animas

baptizatas

Digitized by Google

(Ambroſ.) baptizatas intelligit: *Quæ, inquit, ſunt iſtæ pomiferæ?* ac reſpondet: *Lignum aridum factus eras in Adam, ſed nunc per gratiam Chriſti pomifera arbor pullulaſti.* Ergo per poma accipe virtutes quaſlibet earúmque exercitationes, progreſſus & perfectiones, quas comedit Chriſtus, dum iis ſe paſcit & oblectat. Eccleſia ante Chriſtum erat hortus, non pomorum, ſed ſpinarum & veprium infidelitatis, túncque erat hortus, vel potiùs ſpinetum & vepretum diaboli; per Chriſtum facta eſt hortus pomorum, id eſt, charitatis & virtutum, ideóque hortus Chriſti. Ieſu enim, id eſt, Saluatoris hortus & cibus, non eſt alius quàm ſalus hominum, vti docet Nyſſen. & tres Anonymi apud Theod.

Pro *pomorum* Septuag. vertũt *ἀκροδρύων*, quod S. Ambroſ. lib. 1. de Virgin. vertit (Idem.) *nucum* (alij *pomorum*, id eſt, quorumlibet fructuum, vt ſuperiùs dixi) *Inuitatur*, inquit, *Dei Verbum in hortum nucis, in quo fructus propheticæ lectionis, & ſacerdotalis eſt gratia, quæ amara in tentationibus, dura in laboribus, in virtutibus interioribus fructuoſa eſt. Vnde etiam Virga Aaron nucea fuit, non iam naturâ, ſed virtute ſecretâ.* Num. 17. 8. Hiſce enim nucibus & pomis paſcitur Chriſtus, iuxta illud: *Ego cibum habeo manducare, quem vos* (Ioan.4.32.) *neſcitis.* Ioan. 4. 32. Tanta enim, inquit Philo Carpath. támque admirabilis eſt diuinæ charitatis coniunctio Creatoris ad creaturam, putà Sponſi Chriſti ad Sponſam Eccleſiam & quamlibet animam ſanctam, vt iam omnia inter ſe communia habeant.

(Hortus Eccleſiæ quis?) Porrò inuitat Eccleſia Chriſtum ad hortum ſuum, id eſt, ad ſeipſam, cùm iam inſtar horti perfecti omni decore gratiarum, omni varietate ſtatuum & gentium, omni ſplendore virtutum ſub tempora Conſtantini floruit: toto enim hoc capite deſcribitur ſtatus perfectus, & quaſi virilis ætas Eccleſiæ. Senſus ergo eſt, q. d. En ego Eccleſia à Chriſto fundata per trecentos annos, cum Tyrannis Impp. luctata & confligens, germinaui & protuli innumera agmina SS. Martyrum, Doctorum, Pontificum, Virginum, Sacerdotum, &c. imò ipſos Imperatores, ac in primis ipſum Conſtantinum fidei & Chriſto ſubiugaui, ac Chriſtianum effeci, cuius nutu & imperio iam vbique Baſilicæ, Monaſteria & Templa Chriſto exædificantur, populi omnes Chriſto æquè ac Conſtantino ſe ſubdunt, triumphat toto orbe victrix Chriſti crux, gratia, fides, religio, charitas, &c. Veniat ergo ipſe in hunc hortum ſuum, atque hoſce fructus delibet, eóſque ſpiritali gratiæ ſuæ viſitatione irroret, adaugeat atque perficiat.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

ANima ſancta ſæpe orat, vt Chriſtus in hortum mentis ſuæ veniat, (Hortus animæ.) illúmque tam gratiâ ſuâ, quàm per ſe perſonaliter in Euchariſtia viſitet; tum vt eius pomis, id eſt, virtutibus per gratiam eius productis ſe paſcat & oblectet, tum vt eaſdem à defectibus expurget, expoliat, augeat & conſummet. In Euchariſtia enim Chriſtus epulatur nobiſcum, & nos cum Chriſto. Idem facit in quolibet virtutis exercitio, iuxta illud: *Ego ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis audierit vocem meam & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ille mecum.* (Apoc.3.20.) Apocal. 3. 20. Vide ibi dicta. Nos enim in Euchariſtia realiter comedimus Chriſti carnem ſub panis ſpecie abſconditam, etſi illam in ſubſtantiam noſtram non commutemus, vti commutamus alios cibos, quos manducamus; ac Chriſtus viciſſim comedit nos, quia nos ſibi magis vnit & incorporat, vt fiamus Chriſto concorporei & conſanguinei, imò Chriſtiferi, ait S. Cyrill. Ieroſol. Catecheſi 4. Myſtagog. Hinc illud Chriſti Domini ad S. Auguſtinũ: *Non tu mutabis me in te* (vti fit in comeſtione ciborum corporalium) *ſed tu mutaberis in me.* Euchariſtia enim eſt fructus deliciarum, id eſt, delicatiſſimus & delicioſiſſimus. Quare deuotè cõmunicans induit Chriſti mores & amores, Chriſti affectus & effectus, Chriſti opera & ſtudia. Sũma ergo cõmunicatio Chriſti fit in Euchariſtia: ibi enim per eſſentiam, alibi per inſpirationem & gratiam dũtaxat ſe cõmunicat. Vnde hoc ſacramentum vocatur ſynaxis & communio.

Quócirca nonnulli in S. Synaxi, hac praxi vtuntur, vt mentaliter Chriſtum inuitent & deducant in hortum animæ ſuæ, eiúſque defectus illi oſtendant; rogantque vt ipſos corrigat, virtutes nouas inſerat, inſertas irroret & adaugeat. Alij Chriſtum vt Medicum inducunt in Hoſpitale animæ ſuæ, ibíque omnes eius paſſiones & ægritudines illi demonſtrant, rogántque vt illas curare & ſanare dignetur.

Hinc animam ſanctam eſſe hortum Chriſti; in quo ipſe paſcatur & delicietur liliis caſtitatis, malis punicis vnionis fratet

fraternæ, nucibus fortirudinis, cypro fidei, nardo ſpei, croco charitatis, &c. docet S. Gregor. *In hortum*, inquit, *dilectus venit & fructum comedit, quando Chriſtus men-* Gregor. *tes viſitat, & bonorum operum delectatione* ſe ſatiat. S. Gregor. de more ſequitur Beda, Iuſtus Orgel. S. Anſelm. Richard. & alij. Addit Iuſtus Orgelitan. Chriſtum propriè comedere fructus miſericordiæ & eleemoſynarum, quæ dantur pauperibus; has enim comedit, non ore ſuo, ſed per ora pauperum ſuorum, iuxta illud quod Eleemoſynariis ipſe dicturus eſt in die Iudicij: *Venite benedicti patris mei,* Matth. 25. *poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi: eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare; ſitiui, & dediſtis mihi potum*, &c. *Quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Matth. 25. 34.

*Virginitas eſt pomum pulcherrimum.* S. Ambroſ. verò lib. 3. de Virgin. hæc adaptat virginibus: Virginitas enim eſt pumum pulcherrimum, quo deliciatur Chriſtus. Vnde Lucas Abbas continuator Aponij, per fructum pomorum ac-Lucas Abb. cipit primitias Virginitatis; Sic enim ait: *Chriſtum inuitat Sponſa, vt primitias boni operis, fructum pomorum Virginitatis ipſe conſecret, ipſe delibet procedendo de virgine, ipſe gaudij pænitentiæ pomum ſuſceptum ab Eccleſia, Angelis tranſmittat ad cælum.*

S. Hieronymus Epiſt. 22. ad Euſtochium Virginem vrget, vt domi ſe clau-Hieronym. dat, nec foris vagetur: *Semper*, inquit, *te cubiculi tui ſecreta cuſtodiant. Audies ab Sponſo: Hortus concluſus ſoror mea Sponſa, hortus concluſus, fons ſignatus. Caue ne domum exeas, & velis videre filias regionis alienæ. Dina egreſſa corrumpitur. Nolo te Sponſum quærere per plateas, nolo te circumire angulos ciuitatis. Foris vagentur virgines ſtultæ, tu intrinſecus eſto cum Sponſo. Zelotypus eſt Ieſus. Non vult ab aliis videri faciem tuam.* Hæc S. Hieronym. ibidem, ſed ſparſim.

*Religio eſt hortus concluſus.* Pari modo hæc adaptes Religioſis: Religio enim & cœnobium eſt hortus concluſus & paradiſus Chriſti, quem ſcilicet Chriſtus per ſuos Vicarios inſtituit & fundauit, in quo ipſe deliciatur Religioſorum humilitate, obedientiâ, paupertate, caſtitate, &c. Vide Noſtrum Hieron. Platum lib. 3. de bono ſtatus Relig. cap. 14. vbi ex S. Baſil. S. Chryſoſt. S. Bernard. & aliis demonſtrat Religionem eſſe Paradiſum Dei, non tantùm terreſtrem, ſed & cæleſtem. Nam vt ait mul-Laurent. Iuſtinian. tiſque probat B. Laurent. Iuſtin. de perfect. monaſt. cap. 6. *In rebus humanis & in hac peregrinatione, nihil tam efficaciter gerit in ſe imaginem cæleſtis patriæ, quàm monaſtica conuerſatio, & conuerſatio diuino cultui dicata.*

Anagogicè, Beda & Hugo Victorin. lib. 3. de Arca mor. cap. 14. hæc attribuunt animæ ſanctæ, quæ cupit diſſolui Hug Vic. & eſſe cum Chriſto. q. d. *Vtinam citiùs veniat Dominus, vt nobis mercedem piæ noſtræ deuotionis benignus reſtituat: Et ſicut nos ſemper eum diligere & fructum iuſtitiæ, quem ipſe donauit reddere ei curauimus; ita nobis feliciſſimam ſuæ charitatis recompenſationem ad ſe ſuſcipiendo manifeſtet.* Hinc & Theod. cenſet animam idem hîc petere, quod petit in Oratione Dominica dicendo: *Adueniat* Matth. 6. *regnum tuum.*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

BEata Virgo inuitauit Verbum æter- *Hortus B. Virginis.* num initio veris, puta die 25. Martij, ſiue in feſto Annunciationis, inquit Guilielmus; in hortum ſuum, id eſt, primò in vterum ſuum, vt in eo comedat fructum pomorum ſuorum, id eſt, carnem à ſe præparatam & organizatam aſſumat, in qua ipſe Deo Patri ſe in holocauſtum pro hominum redemptione offerat. Ita S. Athanaſius in Synopſi, Rupert. & Cæſarius Dialog. 3. Chriſtus enim mox vt carnem in vtero Virginis ſibi vniuit, puta in primo inſtanti conceptionis ſuæ, ſeſe in Victimam piacularem pro totius mundi ſalute Deo Patri obtulit, iuxta illud: *Ideo ingrediens mundum* Hebr. 10. 5. *dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi*, &c. *Tunc dixi: Ecce venio, in capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam Deus voluntatem tuam.* Hebr. 10. 5. Tunc ergo reuelante Patre præuidens omnes afflictiones, dolores & tormenta ſibi inferenda, ea vltrò acceptauit, guſtare cœpit, ac Deo patri obtulit.

Secundò, B. Virgo inuitat Chriſtum in hortũ animæ ſuæ, vt ibi puritate Angelicâ, humilitate Michaëlicâ, & charitate Seraphicâ, &c. quaſi virtutibus à ſe inditis ſe paſcat, iuxta illud: *meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam opus eius.* Ioan. 4. 34. volun- Ioan. 4. 34. tas autem patris mittentis eſt ſalus, virtus & perfectio B. Virginis cæterorúmque hominum.

Tertiò B. Virgo inuitat Chriſtum, ait Rupertus, q. d. *Eua inuitauit virum ſuum ad* Rupert. *comedendum pomum non ſuum, pomũ alienum, pomum interdictũ; ego inuito dilectum ad hortum ſuum*, &c. puta ad meipſam: *veniat*

*igitur*

*igitur in hortum ſuum, & me transferendo in illud tertium cælum, in illum tertium paradiſum quò abiit, quò me vidente aſcendit, comedat fructum pomorum ſuorum: perficiat, uſque in finem perducat gratiam eorum, quæ in me celebrata ſunt, operum ſuorum. Ex quo in cælum abiiſti, crebrò reuerteris in illum, quem dicis paradiſum emiſsionum mearum, & comedis de pomis punicis, quæ optima ſunt inter primitias earumdem emiſsionum mearum. Tot enim iam comedis fragmina malorum Punicorum, quot beatas animas Martyrum, Confeſſorúmque tuorum, hinc aſſumis & transfers in illud vitæ ſempiternæ ſecretum. Quando ita venies in hunc hortum tuum, ad iſtum quem dicis fontem hortorum? Quando ita venies ad me, vt vbi tu es, illic ego tecum ſim?*

*Cur B. Virgo vocatur Hortus, non ager? Rupert.* Quæres, quare B. Virgo vocetur hortus, non ager, non cãpus? Nimirum *hortus* (reſpondet Rupertus) *quòd sẽper ibi aliquid oriatur, quia cùm alia terra ſemel in anno aliquid creet, hortus nunquam ſine fructu eſt: vnde ergo hortus es tu, ô dilecta dilecti, niſi quia in te natum eſt aliquid, quod nunquam deſinit, nunquam marceſcit, aut deficit.* Adde: B. Virgo inſtar horti aſſiduè diuinæ gratiæ fluentis irrigabatur, vt pulcherrimos omnium virtutum flores fructúſque continuò produceret.

---

## VOX SPONSI.

*Veni in hortum meum ſoror mea Sponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis.* Verſ. 1.

SPONSVS inuitatus à Sponſa in hortum ſuum, vltrò acceptat, imò præuenit eius inuitationem dicendo: *Veni*, in præterito, hoc eſt iam *ingreſſus ſum*, vt vertunt
LXX. Septuag. in hortum meum, qui non eſt alius, quàm tuipſa Sponſa mea, quam cap. præcedenti verſ. 12. vocaui hortum concluſum. Tu ergo es hortus tibi & mihi, ſiue tuus & meus, quia quod tuum eſt, meum quoque eſt: tum quia Sponſo & Sponſæ omnia ſunt communia: tum quia quicquid habes boni, hoc habes à me & à gratia mea: tum quia idipſum à te mihi oblatum, & per gratitudinem datum, imò redditum eſt: tum denique meum, quia meo guſtui planè appoſitum, me mirè paſcit & oblectat. In te igitur quaſi in horto meo fructus hortenſes decerpſi, comedi & bibi vt ſequitur.

*Hebraica Lemis Etymologia.* *Meſſui myrrham meam.* Hebr. אריתי *ariti*, id eſt, *carpſi, decerpſi*: Vnde ארי *ari* vocatur *leo*, eo quòd prædam diſcerpat, & *ariel*, id eſt, *leo fortis*, vel *leo Dei.* Septuag. & Arabicus vertunt *Vindemiaui*, id eſt, carpſi, collegi, ſiue metendo, quod propriè eſt granorum; ſiue vindemiando, quod eſt vuarum; ſiue carpendo, quod eſt ramorum & pomorum, ſiue colligendo, vti ex myrrha inciſa liquor defluens, putà ſtacte, colligitur. Eſt Catachreſis. Simili tropo meſſem Poëtæ vocant, vuarum vindemiam, imò collectionem pomorùm, ficuum, mellis, &c.

*Meſſui* ergo *myrrham*, id eſt, collegi liquorem myrrhinum ex frutice myrrhæ ſtillantem, aut certè carpſi ramos odoratos myrrhæ: tam enim rami, quàm liquor ſuauis myrrhæ odoris gratiâ ad confortandum cerebrum, & ad delicias adhibebantur in menſis & conuiuiis, præſertim hortenſibus quale hîc inſtruitur.

Chaldæus, vt paulò antè dixi, per hortum accipit templum Salomonis, in quo Deo aromata, puta thus & thymiama adolebantur.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

CHriſtus ſponſus inuitatus à ſponſa Eccleſia ad hortũ, id eſt, ad ipſammet omnibus aromatibus & virtutibus florentem viſendam, & fruendam, inuitationem acceptat, imò præuenit, ait Nyſſenus, dicendo: Iam veni in hortum meum, id eſt, iam te inuiſi, ô Eccleſia mea, ac primo loco ex te meſſui, & collegi myrrham meam, id eſt, pœnitentiam & lachrymas, quæ initium ſunt cõuerſionis & vitæ ſanctæ. Hinc S. Ioan. Baptiſta, Chriſtus & Apoſtoli initio prędicationis, tam apud Iudæos, quã apud gentes omnes clamare cœperunt: *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum.* Matth. 4. Pœnitentia enim deſtruit Matth. 4.
veterem concupiſcentiæ vitam, & nouam charitatis ædificat: Hinc ait *meam*, id eſt, à me ſuggeſtam. Rurſum *meam*, id eſt, mihi gratiſſimam; quod enim animæ peccatrici, & pœnitenti amarum eſt, hoc Chriſto ſuaue & dulce accidit, iuxta illud S. Bernard. ſerm. 30. in Cant. *Lachrymæ pœnitentium vinum ſunt Angelorum, quia in illis odor vitæ.* Bernard.

*Myrrha, Pœnitentiæ.* Per myrrham ergo accipe pœnitentiam, vel quæ fit in Baptiſmo, vel quæ in relapſis fit poſt Baptiſmum in ſacramento pœnitentiæ, vel in actu contritionis,

&

& ſatisfactionis. Vnde per myrrham Ba-
*Baptiſmus.* ptiſmum intelligunt S. Chryſoſt. hom. 11. ex variis in Matth. & S. Ambroſ. lib. 9. in Lucam cap. 10.

Meſſuit ergo Chriſtus myrrham cùm omnes gentes per Baptiſmum & pœnitentiam ab idolis, & vitiis ad ſe & vitam ſanctam traduxit. In Baptiſmo enim ſpiritualiter morimur, & ſepelimur cum Chriſto, vt merſis ſepultíſque in eo peccatis in nouitatem vitæ emergamus, vti docet Apoſt. Rom. 6. Sicut ergo Chriſtus, dum ſepeliretur conditus eſt myrrhâ & aromatibus à Ioſepho ab Arimathia: Sic & fidelis in Baptiſmo conditur pœnitentiâ cæteriſque virtutibus.

*Myrrha eſt martyrium.* Secundò, per myrrham accipias Eccleſiæ perſecutiones & tribulationes, ac præſertim martyria & Martyres, quæ ad plura centena millia primis trecentis Eccleſiæ annis, Romæ & alibi meſſuit collegitque Chriſtus ante Conſtanti-
*Aromata, Doctores & Confeſſores.* num; per aromata accipe Eccleſiæ Doctores & Confeſſores tempore Conſtantini, & deinceps. Ita Caſſiodorus, Beda, Honorius, & Nyſſenus, quem
Nyſſen. audi: *Arbor myrrham ferens erat Paulus, qui quotidie moriebatur, & ipſe dabat ſibi reſponſum mortis, & per puritatem & diuinæ vitæ inſtitutionem aromatizans, fiebat quodammodò odor vitæ iis, qui ſalui fiunt.*

*Myrrha Chriſti quadruplex.* Symbolicè, multi patres hæc ad Chriſtum referunt, ſed variè. Primò S. Atha-
1. naſius in Synopſi S. Scripturæ, hæc refert ad Chriſti Incarnationem, in qua ipſe mortale corpus aſſumpſit; myrrha enim mortalitatis eſt Symbolum; illâ enim mortua condiuntur corpora. Quocirca Chriſto nato tres Magi obtulerunt thus quaſi Deo, aurum quaſi regi, myrrham quaſi mortali & morituro pro hominum ſalute. Audi S. Athanaſium: *In proprium hortum, creaturam videlicet ingreſſus Deus, carnem ſibi ex virgine aſſumpſit, & homo*
Athanaſ. *factus eſt. Mortale quidem corpus erat, verùm cum fragrantia ſacroſanctiſſimi Verbi coniunctum.* Sic & Rupert. & Lucas Abbas. Se-
2. cundò, Philo Carpath. Rupertus, & Cyrillus Ieroſol. Catech. 13. hæc referunt ad Chriſti paſſionem: Chriſtus enim in horto orans myrrham fudit & meſſuit, cùm in agonia factus præ angore ſudauit ſanguinem; rurſum cùm iam crucifigendus bibit vinum myrrhatum, ait
3. Cyrillus. Tertiò, Iuſtus Orgelitan. refert ad ſepulturam Chriſti: tunc enim Chriſtus conditus eſt myrrhâ & aromatibus.
4. Quartò, Lucas Abbas ait Chriſtum collegiſſe myrrham, cùm Magdalenam in vita, & Latronem in cruce ad pœnitentiam conuertit.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

Chriſtus deſcendit in hortum animæ ſanctæ, ac ex eo colligit myrrham mortificationis & aromata virtutum, quas omnes ipſe illi indidit & inſeruit. Mortificatio enim paſſionum præire debet vitam ſanctam, vt per eam anima ad cæteras virtutes & perfectionem conſcendat. Ita Theodor. Nyſſen. S. Gregor. Iuſtus, Anſelm. Audi S. Gregorium: *Myrrham dilectus cum aromatibus* Gregor.
*metit, quando Chriſtus mortificatione vitæ ad perfectionem perducta, electum ſuum ab hac vita ſuccidens, ad cæleſte horreum cum ſancta opinione inducit.*

Rurſum Iuſtus Orgelit. *Inuitatur*, ait, Iuſt. Orgel.
*pia anima ad hortum paſſionis Chriſti*, vt ſcilicet illam legat, ruminet, meditetur, ac per mortificationem, tam actiuam, quàm paſſiuam, puta per tolerantiam perſecutionum & tribulationum imitetur, illámque in corpore ſuo repræſentet, iuxta illud Pauli: *Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt &* 2. Cor 5. 10
*vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris.* 2. Corinth. 5. 10.

Huc accedit Richard. Victor. qui ſic explicat q. d. O Sponſa, *Afflictionem pœnitentia tolerasti, pugnam, tentationem, labo-* Richard. Victor.
*rem correctionis morum, & veniſti ad meſſem perfectionis virtutum, de laborioſa vita ad contemplationis tranquilliorem ſtatum. Meſſui itaque in te myrrham cum aromatibus, quia ſimul cum amaritudine laborum confecta ſunt & perfecta in te virtutum aromata, & cum ſeruatis mandatis profecit ſapientia. Cùm enim mortificata fuerit carnalitas & propria voluntas, tunc fluunt virtutum aromata, & per conſummationem & triumphum huius laboris venitur ad culmen perfectionis. Myrrhã autem metit Chriſtus, quando præmiſſos labores perficit in anima, quibus ad virtutes & perfectionem pertingit, & eam ſuauiter roborat, vt delectabiliter agat, quæ priùs horrebat ſicut in Iob legitur.*

Moraliter diſce hîc mortificationem, *Tribulationes, Chriſti dapes.*
tribulationes & afflictiones eſſe dapes & delicias Chriſti. Illas ergo exemplo Chriſti, non horrere, ſed ambire & eſurire debet anima Chriſtiana in iiſque exultare & epulari. Hic enim eſt calix paſſionis, quem ſitiebat & bibere ardenter optabat Chriſtus, qui proinde hoc dogma Ethicum dedit S. Catharinæ Senenſi:

Digitized by Google

nenſi: *Amara pro dulcibus complectere, & dulcia pro amaris.* Quocirca Honorius Tropologicè docet animam tunc inuitari à Chriſto, quando Chriſtum ſedulò imitatur, & eius præcepta ſeruat; metere myrrham, quando membra ſua mortificat, & ſe vitiis ac concupiſcētiis crucifigit; metere cætera aromata, quando cæteras virtutes accumulat; fauum cum melle comedere, quando manſueta & mitis moribus eſt & conuerſatione, item quando Sacræ Scripturæ intelligentiam adepta, aliis eam elucidat; vinum cum lacte bibere, quando vino ſapientiæ & lacte doctrinæ nutrita nutrit alios; inebriari his, quando non muſto, ſed ſpiritu ſancto ſatura eſt. Hæc Honorius.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

Repete hîc quæ de ea dixi Hemiſtichio præcedenti, quibus adde ipſam, & Chriſtum in ipſa meſſuiſſe myrrham, cùm aſtitit Chriſto crucifixo & morienti, cúmque eius dolores & tormenta totâ vitâ in corde ſeruans aſſiduè ruminabat; vnde dicere poterat cum Noëmi: *Ne vocetis me Noëmi*, id eſt, *pulchram, ſed vocate me Mara*, id eſt, *amaram, quia amaritudine valde repleuit me omnipotens.* Ruth. 1. 20. *Maria* ergo fuit *mara*, id eſt, *amara*, imò *mor*, id eſt, *myrrha* mortis, ac mare amaritudinis & dolorum: vnde nonnulli hoc nominis eius dant etymon, certè ad illud nomen alludit. Audi Rupertum de Chriſto & Virgine hæc explicantem, ac quatuor præcipua vitæ eius myſteria hîc notantem: *Deſcendendo quippe in vterum tuum, & aſſumendo carnem, vt verus homo naſcerer, qui verus Deus eram, veni in hortum meum: moriendo atque ad inferum deſcendendo, reuerſurus cum omnibus ſanctis & electis meis, qui me expectabant ab origine mundi, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis; reſurgendo, comedi fauum cum melle meo; aſcendendo in cælum, bibi vinum meum cum lacte meo.*

Ruth. 1. 20.

Rupert.

---

*Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* Verſ. 1.

*Variæ Verſiones.*

HEBR. יערי *iari*, id eſt *fauum meum.* Symmach. *Depaſtus ſum ſyluam meam*: יער *iaar* enim quoque ſyluam ſignificat. Syrus pro *fauum* vertit *ſuauitatem*: fauus enim eſt melleus, ideóque ſuauiſſimus. Septuag. & Arabicus pro *fauum* vertunt *panem*, puta libum, vel placentam mellitam. S. Ambroſius lib. de iis qui myſter. init. cap. vlt. legit: *Manducaui cibum meum cum melle meo.* Sic Ezech. 16. 13. Sponſus ait Sponſam comediſſe ſimilam & mel, id eſt, ſimilaginem mellitam. Solent enim nuptiarum feſta dulciariis & deliciis condiri, ad ineſcandum Sponſæ affectum. Porrò fauus dicitur comedi, cùm mel in eo contentum ſugitur; nec enim cera, quæ propriè facit fauum, comedi poteſt: *Comedi* ergo *fauum cum melle meo*, id eſt, comedi fauum non vacuum, ſed melle plenum, ex eóque mel meum exuxi.

Ambroſ.

*Dulciaria in nuptiis.*

Pro *lacte* Arabicus vertit *melle*; mel enim vel ſaccharum ſolet miſceri vino aſpero & auſtero, vt dulceſcat. Verùm in villis & hortis, vbi eſt copia lactis conuiuæ nunc lac, nunc vinum bibunt. Vnde vetus Prouerbium Gallicum:

*Vin ſur laict*
*Ie ſouhait:*
*Laict ſur vin*
*C'eſt venin.*

id eſt, *Vinum poſt lac opto, lac poſt vinum eſt venenum.* Alludit ad conuiuia villarum & hortorum, in quibus ſub finem menſæ bellaria apponuntur & dulciaria, puta placentæ ex melle confectæ; imò integri mellis faui; item lac variis modis & formis apparatum, ſiue liquidum, ſiue denſatum, & in caſeum conformatum.

Porrò alienum videtur, quod nonnulli Rabbini apud Aben Ezram, per lac accipiunt vinum album; per vinum verò, vinum rubrum, quos ſecutus Chaldæus vertit: *Suſcepta eſt*, inquit, *coram me libatio vini antiqui & rubicundi, & vini albi.* Nam lac ſubinde vocari vinum docet Alexander ab Alex. lib. 6. Genial. cap. 8. *Cùm in ſacris Bonæ Deæ ait, vino libetur, illud non ſuo nomine nuncupant, ſed lac dicunt eſſe: vini tamen amphoram in ſacris obuolutam opponunt, quam dixêre mellariam.* Hinc & illud: *Vinum eſt lac ſenum.*

Chald.

*Vinum album Lac dictum.*

Alexand. ab Alexand.

*Vinum, lac ſenum.*

Verùm Hebr. Septuag. & cæteri conſtanter habent *lac* non *vinum*. Porrò Clemens Alex. lib. 1. Pædag. cap. 6. docet dulce vinum cum lacte ſolere miſceri, ac mixtionem hanc gratam eſſe, & vtilem: vinum enim acorem addit dulcedini lactis, lac verò ſummè nutrit, vt docent Medici & patet in pueris. Audi Clementem: *Miſcetur quoque lac vino dulci: eſt autem dulcis mixtio, velut contemperatâ affectione ad incorruptionem: Lac enim à vino ſereſcit & finditur; & quicquid eſt eius adulte-*

*Vinum dulce cum lacte mixtū gratū & vtile.*

Clem. Alex.

*rinum, id tanquam per aquaductum emittitur. Eodem modo ſpiritalu fides ſocietas* (præſertim in Euchariſtia) *ſe habet ad hominem paſſibilem* (paſſionibus obnoxium:) *ſereſcere enim faciens carnales concupiſcentias, hominem ad immortalitatem contrahit, diuinis immortalem efficiens.*

*Bibi ergo vinum cum lacte meo*, hoc eſt, bibi vinum & bibi quoque lac, vel bibi vinum cum lacte, quod antè comederam, vt lactis frigiditatem vini calore temperarem & digererem.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

CHriſtus poſt myrrham, id eſt, Pœnitentiam & Baptiſmum fidelium comedit fauum cum melle in Euchariſtia, in qua corpus ſuum manducandum nobis reliquit, imò illud ipſum cum Apoſtolis in Euchatiſtiæ inſtitutione primus ipſe comedit, vt Apoſtolis & fidelibus illud comedendi & deuorè communicandi exemplum daret, vti docet S. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Beda & alij in Matth. cap. 26. & S. Hieronym. q. 2. ad Hedibiam: *Dominus Ieſus* Hieron. *Chriſtus*, inquit, *ipſe conuiua & conuiuium, ipſe comedens, & qui comeditur*: atque fructum ſacramenti ſenſit Chriſtus, ſcilicet nouam actualem delectationem ſpiritualis dulcedinis, non tamen gratiæ augmentum; hæc enim in eo, cùm eſſet ſumma, augeri non potuit, vti docet D. Thom. 3. part. quæſt. 81. art. 1. ad 3.

*Euchariſtia eſt fauus.* Porrò corpus Chriſti in Euchariſtia rectè dicitur fauus: primò, quia ſicut
1. fauus continet mel, ſic corpus Chriſti continet animam, inquit Honorius, ac diuinitatem, quæ eſt ſuauiſſima, vt mel, quia plena omni bono, gaudio, felicitate, quam & creaturis, præſertim hominibus piè ſacram ſynaxim ſumentibus communicat.

2. Secundò, ſicut fauus ab apibus, quæ virgines ſunt, ex floribus in alueari conficitur: Sic corpus Chriſti in vtero ſuo ex puriſſimis ſuis ſanguinibus, formauit B. Virgo inoperante Spiritu ſancto: Hinc Septuag. & Arabicus pro *fauum* vertunt *panem*: quia Chriſtus ſub ſpecie panis carnem ſuam nobis impertit.

3. Tertiò, ſicut mel ſummè dulce eſt ori & ſtomacho: ſic Euchariſtia miram inſtillat conſolationem & delectationem ſpiritualem, ac vt Syrus vertit *ſuauitatem*. Ita hunc locum de Euchariſtia explicant Nyſſen. Pſellus, Philo, Rupert. hîc, & S. Ambroſ. lib. 5. de ſacram. cap. 3. legens enim cum Septuag. *Manducaui panem cum melle meo: Vides*, inquit, *quòd in* Ambroſ. *hoc pane nulla ſit amaritudo, ſed omnis ſuauitas? Vides huiuſmodi eſſe lætitiam, quæ nullius peccati ſordibus polluatur? quotieſcumque enim bibis, remiſſionem accipis peccatorum, & inebriaris ſpiritu.*

Hac de cauſa olim recèns baptizatis dabatur Euchariſtia, ac deinde lac & mel, vt illis ſuauitatem Chriſti & legis Chriſtianæ repræſentarent, vti ſuperiùs dixi.

*Bibi vinum meum cum lacte meo*, id eſt, bibi cum Apoſtolis, imò eis præbibi, & exemplum dedi deuotè bibendi meum ſanguinem in Euchariſtia latentem ſub *Lac, Chriſti* ſpecie vini: *cum lacte meo*, lac eſt deitas *Diuinitas.* Verbi latens ſub ſanguine, eiúſque pinguedo & dulcedo; ac dulciſſima doctrina, gratia, inſpiratio & conſolatio, quâ animam in ſpiritu nutrit, impinguat & exhilarat: Sicut enim lac ex mamilla matris profluit: ſic Verbum ex vi generatiua patris, quaſi ex mamilla procedit, vt homines lactet, doceat & paſcat. Ita Clemens Alex. lib. 1. Pædag. cap. 6. qui id confirmat ex 1. Petri 2. 1. vbi pro *rationabile lac*, Græcè eſt λογικὸν γάλα, per 1. Petr. 2. 1. quod Clemens intelligit *Verbale lac*, hoc eſt, lac, quod eſt ipſum Verbum Patris æterni: Vnde ipſe ſic legit: *Tanquam mo-* Clem. Alex. 1. Petr 2. 1. *dò geniti infantes verbale lac concupiſcite, vt in ipſo creſcatis in ſalutem, ſi guſtaſtis, quòd Chriſtus eſt Dominus*, id eſt, Deus. q. d. Concupiſcite bibere ſanguinem Chriſti in Euchariſtia, vt ſimul cum ipſo Verbum ipſum eiúſque Deitatem, ceu lac diuinum bibatis, ita fiet vt creſcatis in gratia, quæ vos ad ſalutem & gloriam deducet; ſi tamen guſtaſtis, id eſt, guſtu interno animæ ex ipſa dulcedine Euchariſtiæ, Chriſtſque in animam illapſu cognouiſtis, quòd Chriſtus eſt Deus. Addit Clemens, lac notare ſanguinem Chriſti: lac enim non eſt aliud quàm ſanguis concoctus, candidus & dulcis, ad alendum peridoneus. S. Auguſtinus verò in Pſal. 33. Conc. 1. docet Verbum eſſe panem Angelorum, quod ſcilicet in ſe purum & merum paſcit Angelos, ſed panē hunc ſpecie externâ videri mutatum in carnem cum Verbum caro factum eſt; carnem verò in lac, cùm vt hominibus quaſi paruulis lacteſcat, eóſque vt lac nutriat, candidas, & quaſi lacteas azymi panis ſpecies in Euchariſtia induit: *Sicut* inquit, *quia minus aptus eſt infans qui pane* Auguſt. *veſcatur,*

*veſcatur, ipſum panem mater incarnat* ( id eſt, comedendo & digerendo, vi caloris naturalis in carnem vertit ) *& per humiditatem mamillæ, & lactis ſuccum de ipſo pane paſcit infantem*, purâ lacte, in quod conuertit panem.

*Chriſtus Euchariſtiam in cœna primus ſumpſit.* Portò Chriſtus in vltima cœna perſonaliter bibit hoc vinum cum lacte; quia Euchariſtiam primus ipſe ſumpſit ſub ſpecie tam vini quàm panis: myſticè verò idem bibit quotidie in fidelibus deuotè communicantibus: hi enim ſunt eius membra, vt ipſe ait Matth. 25. Quare quod ipſi bibunt idipſum Chriſtus, qui eſt caput eorum bibere videtur.

*Fauus eſt oratio.* Symbolicè, fauus cum melle, notat Religioſos orationi & contemplationi (hæc enim ipſis eſt inſtar mellis cæleſtis & ſuauiſſimi) deditos: hi enim in ſuis cellis latent quaſi apes in fauis, ibique mellificant, & melleos charitatis, orationis, patientiæ, &c. fructus producunt. Vinum notat viros animoſos zelo Dei feruentes, vt vitia caſtigent, & amorem virtutis ac Dei omnibus inſtillent: lac notat viros puræ, ſimplicis & innocentis vitæ, vti docet S. Gregor. Vnde & *Homer.* Homerus viros iuſtos vocat γαλακτοφάγους, id eſt, *lacte veſcentes*, ait Clemens lib. 1. Pædag. cap. 6. Fauet Chald. qui cenſet Deum comediſſe fauum & bibiſſe vinum, cùm holocauſta, quæ erant quaſi cibus Dei, igne cæleſti conſumpſit, & quaſi deuorauit: *Miſi*, inquit, *ignem de cælis, qui conſumpſit holocauſta & victimas* *Chald.* *ſacrificatas, ſuſcepta eſt voluntariè coram me libatio vini rubicundi & vini albi, quod libauerunt ſacerdotes ſuper altare meum.*

*Anagogicè. Fauus eſt reſurrectio.* Anagogicè Rupert. per myrrham accipit Paſſionem & mortem Chriſti, per fauum Reſurrectionem, per vinum Aſcenſionem & miſſionem Spiritus ſancti. q.d. Chriſtus: Poſt mortem reſurrexi, & apparens diſcipulis comedi fauum mellis, & partem piſcis aſſi: *Bibi vinum cum lacte meo*, id eſt, lætificatus ſum Aſcenſionis gaudio, quod mihi omnium præteritorum laborum obliuionem induxit. Item dedi Apoſtolis Spiritum ſanctum, qui vnus idemque eſt & vinum meum & lac meum: vinum meum, quia gaudium de præſentibus bonis; lac meum, quia conſolatio de præteritis malis: vinum meum, quia dilectio Dei; lac meum, quia dilectio proximi. S. Athanaſius, verò in Synopſi, per lac accipit opera humanitatis Chriſti, ſicut per vinum opera diuinitatis: *Licet*, inquit, *lactis cibum corpori ſuo admiſerit*, incarnatum ſcilicet Verbum, *tamen illi & vinum ſuæ perfectionis impertiit: etenim quemadmodũ lac comedit, ita & diuinitatis opera in ipſo perfecit.* *Athanaſ.*

# SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

CHriſtus comedit in anima ſancta, quaſi in horto & paradiſo ſuo fauum cum melle, cùm eius delicijs & conſolationibus ſpiritualibus, quas illi in oratione vel tribulatione, aut martyrio poſitæ ad ſolatium & robur immittit, præſertim in Sacra ſynaxi, ſe paſcit & oblectat: Hiſce enim ceu melle dulcorat omnem tribulationis amaritiem: Sanctorum enim deliciæ & conſolationes Chriſti, qui eorum eſt caput & Sponſus. Hinc Chriſtus *fauos poſt mella guſtauit*, Tertull. lib. de Corona militis cap. 14. *Tertull.* cùm poſt fel ipſi in cruce propinatum, glorioſè reſurgens, fauum mellis ab Apoſtolis ſibi porrectum comedit, vt hoc facto ſymbolicè doceret, animaréſque Martyres & patientes ad conſtantiam, conſiderando ſperandóque quòd ſicut Chriſtus, ſic & ipſi fauos & mella poſt fella guſtabunt.

Rurſum comedit Chriſtus fauum cum melle, cùm operibus ſanctis ſuorum fidelium ac præſertim eleemoſynis, quæ quaſi melleæ ſunt, & mel egenti inſtillant, delectatur & paſcitur. Ita Nyſſen. hom. 10. vbi addit per lac notari puram intentionem, quæ requiritur in danda eleemoſyna. Sic & Theodor. Tres Anonymi & Richardus Victor. quem audi: *Fauum comedit, cùm dulcedine* *Richard. Victor.* *bonorum morum, quam intus habet anima, paſcitur: melle reficitur, cùm bona opera facit aliquis: mel ſiquidem eſt operatio, quæ foris exhibetur. Vinũ quoq; & lac in anima comedit Chriſtus, cùm geminâ eius contemplatione, diuinitatis ſcilicet, & glorificatæ humanitatis, quæ per vinum & lac deſignantur, gaudet atque delectatur. Comedit autem bibitque eadem & ipſa pariter anima, ſed prius fauum & mel comedit, & poſtea vinum & lac bibit, quia neceſſe eſt vt emendati mores & digna operatio præcedat, antequam contemplationis concedatur gratia. Mundandi enim priùs ſunt oculi cordis, vt Deus videatur.*

Inſuper S. Ambroſ. de bono mortis, cap. 5. per fauum, vinum & lac, accipit ſermones blandos, acres & candidos, quibus à Superiore, Concionatore, aut viro pio peccatoris conſcientia lenitur, feritur, compungitur & quaſi vino inebriatur,

ebriatur, iuxta illud Prouerb. 16. 24.
Prou.16.24. *Fauus mellis, compoſita verba: dulcedo animæ, ſanitas oſſium.*

Fauus & vinum, Concionatores. Symbolicè, Caſſiodorus per fauum & vinum accipit Prædicatores, qui ſuauia, ſed ardentia S. Scripturæ verba aliis inſtillant; per mel verò & lac accipit auditores, qui melleo & lacteo corde illa ſuſcipiunt: vtriſque enim paſcitur & delectatur Chriſtus: Sicut enim fauus continet mel, & vinum continet ſpiritus calidos, quos bibenti aſpirat: Sic Sacra Scriptura continet diuinam doctrinam melle dulciorem, & vino calidiorem.

Fauus ſunt Beati. Anagogicè S. Gregorius hæc accipit de ſanctis, quos Chriſtus quaſi comedit, dum eis fruitur in cælo: *Fauum*, inquit,
Gregor. *cum melle comedit, quando deſiderium ſanctum in ſanctis operibus latens perficit, & ad ſanctorum conuiuium ſanctam animam ſua delectatione impinguandam tranſigit. Vinum verò ſuum cum lacte bibit, quando & perfectione quorundã ſe reficit, & innocentiam aliorum cum pietate diligens, vtroſque ad æternum conuiuium ingerit.*

Caſſiodorus verò & Beda, per vinum accipiunt Sanctos quoad animam Dei viſione fruentes; per fauum autem eos, qui tam quoad corpus, quàm quoad animam ſunt beati, vti ſunt Patriarchæ, qui cum Chriſto reſurrexerunt, & in cælum glorioſi aſcenderunt: Sicut enim fauus continet mel; ſic corpus glorioſum continet animam glorioſam: vtroſque enim beatos Chriſtus comedit, dũ eos corpori ſuo, id eſt, Eccleſiæ triumphanti in cæleſti gloria exultanti aſſociat. Denique nonnulli comedere tribuunt meditantibus, qui meditando quaſi maſticando diuina guſtant & ſapiunt: bibere verò contemplantibus, qui illico contemplando quaſi bibendo diuina ſorbent & hauriunt.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

CHriſtus in B. Virgine comedit mel, & bibit vinum cum lacte, primò, cùm puer materno eius lacte & melle paſtus eſt, iuxta illud Iſaiæ 7. 15. *Butyrum & mel comedet, vt ſciat reprobare malum &*
Iſai.7.15. *eligere bonum.* Vide ibi dicta. Secundò, cùm ſuauiſſimâ B. Virginis matris ſuæ conuerſatione, ſanctitate & charitate fruitus eſt vſque ad annum 30. Tertiò, cùm internâ eius puritate, religione, fide, ſpe, amore cæteriſque virtutibus pluſquam Angelicis & Seraphicis ſe oblectauit. Quartò, cùm in cælo eius glorioſâ humanitate eleuata ſuper omnes Angelorum choros vſque ad ſolium S. Trinitatis aſſiduè perfruitur, & in æternum perfruetur.

---

*Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Verſ. 1.

SIcut amicus gaudio plenus & quaſi ebrius illud quaſi ſuperefluens in ſinum amici diffundit: Sic Sponſus hìc deliciis mellis & vini quaſi ebrius ad eaſdem amicos inuitat.

*Inebriamini*, id eſt, *ſatiamini*, & exhilaramini, ſed intra limites temperantiæ, citra mentis alienationem, quam facit propriè dicta ebrietas. Sic Ioſeph fratres ſuos inebriauit, id eſt, copioſo vino ſatiauit & exhilarauit, Geneſ. 43. 34. ſic de Sanctis dicitur: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Pſalm. 35.
Pſalm. 35. 9. ſic Apoſtoli recepto Spiritu ſancto videbantur ebrij muſto, non vini, ſed Spiritus ſancti. Actor. 2.

Pro *chariſſimi* Hebr. eſt דודים *dodim*, id Varia verſiones.
eſt, *amores*, id eſt, *ſummè dilecti, & quaſi ad vbera paſti*, LXX. vertũt *fratres*. Symmach. *fraterni*, vel fratrueles. Aquila: *Sodales*. Syrus & Arabicus: *patrueles*, S. Ambr. lib. de Cain & Abel c. 5. *Patres.* Poſſet quoque *dodim* accipi in ablatiuo, vt vertas: *Inebriamini amoribus* vel *vberibus*, q. d. Inebriamini vino, melle & lacte, quod vberali & ſummo amore vobis exhibẽt ſponſus & ſponſa. Sic dicitur de Sponſa Prouerb. 5. 19. *vbera eius inebrient te.* Alij ver- Prouerb. 5. 19.
tunt: *amores eius inebrient te.* Et c. 7. 18. *veni* Et 7. 18.
*inebriemur vberibus.* Alij *amoribus*. Vtrũque enim ſignificat *dodim*. Vide ibi dicta: quanquam mihi verius videatur *dodim* ſignificare *amores*, *daddim* verò *vbera*, vti dixi cap. 1. v. 1.

## PRIMVS SENSVS.

*De Chriſto & Eccleſia.*

PRimò Caſſiodorus, Honorius, Beda, Amici ſunt Angeli.
Sanchez & alij per amicos & chariſſimos intelligunt Angelos, quaſi Chriſtus eos hìc inuitet, vt ſibi congaudeãt & quaſi coëpulentur de profectu, gratiâ & gloriâ ſuorum Sanctorũ, eiſque cooperentur ex animo, vt eos quaſi in viſcera ſua traiiciant, vtpute ſuos fratres & cohæredes.

Secundò,

2. Prophetæ.
Secundò, Philo Carpath. per amicos intelligit Patriarchas & Prophetas, qui de Chriſti paſſione & morte multa Deo reuelante cognouerunt, vt de eius doctrina bibiſſe videantur: per chariſſimos verò accipit Apoſtolos, qui ſpiritu Chriſti, quaſi inebriati in die Pẽtecoſtes, eructarũt magnalia Dei. Huc accedit Iuſtus Orgelitan. & Anſelmus, qui per amicos & chariſſimos accipiunt Doctores & Prædicatores, qui comedunt peccata & peccatores, cùm eos ad Chriſtum conuertunt: qua conuerſione ita lætantur & gaudio quaſi inebriantur, vt omnium dolorum & laborum, quos in conuerſione ſuſtinuerunt, obliuiſcãtur.

3. Iuſti.
Tertiò planius & plenius, S. Gregor. & alij accipiunt quoſlibet fideles & iuſtos, qui primò hìc inuitantur à Chriſto ad S. Euchariſtiæ ſynaxim; illa enim ſuo ſpirituali guſtu & dulcedine, quaſi inebriat animam, vt omnium oblita nonniſi Chriſtum cogitet & amet. Sed ante hanc vini melliſque in Euchariſtia deguſtationem oportet præmittere myrrham, id eſt, mortificationem, pœnitentiam, & confeſſionem peccatorum, præſertim mortalium, vti definit Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 7. Hinc præmiſit dicens: *meſſui myrrham* lea Nyſſen. Philo, Ruper. & alij.

Cyprian.
Audi S. Cyprianum Epiſt. 63. ad Cecilium: *Quia ebrietas Dominici calicis, & ſanguinis, non eſt talis qualis ebrietas vini ſecularis, cùm diceret Spiritus ſanctus in Pſalmo: Calix tuus inebrians, addidit: quàm peroptimus, quòd ſcilicet calix Dominicus ſic bibentes inebriet, vt ſobrios faciat, vt mentes ad ſpiritualem ſapientiam redigat, vt à ſapore iſto ſeculari ad intellectum Dei vnuſquiſque reſipiſcat; & quemadmodum vino iſto communi mens ſoluitur, & anima relaxatur, & triſtitia omnis deponitur, ita epoto ſanguine Domini & poculo ſalutari, deponatur memoria veteris hominis, & fiat obliuio conuerſationis priſtinæ ſecularis, & mæſtum pectus ac triſte, quod prius peccatis angentibus premebatur, diuinæ indulgẽtiæ lætitia reſoluatur.* Ebrietas ergo ſpiritualis, quã inducit ſacra Synaxis, eſt alienatio mentis ab amore carnis & mundi, à curis & ſollicitudinibus huius ſæculi, eiúſque traductio & exceſſus ad amãda cœleſtia, vt vni Chriſto inhærens & vnita, amet cruces, ſitiat cum eo multa pati amore Dei. Hæc ebrietas, ait S. Ambroſ. lib. 1. de Cain & Abel cap. 5. *ſobrios facit: hæc ebrietas gratiæ, non temulentiæ eſt, lætitiam generat non titubantiã.* Et S. Bernard. tract. de diligendo Deo, *Sobria*, ait, *illa ebrietas,*

Ebrietas ſpiritualis ab Euchariſtia quanam?

Ambroſ.

Bernard.

*vero, non mero ingurgitans; non madens vino, ſed ardens Deo.* Fusè hanc ebrietatem explicui Actor. 2. v. 15. ad illa: *muſto pleni ſunt*, vbi octo analogias ebrietatis ſpiritualis & corporalis recenſui. Act. 2. 15.

Huc pertinet verſio Chald. qui Iudaïcè hæc accipit de comeſtione victimarũ, quæ typus erãt Euchariſtiæ: *Nunc*, inquit, *venite Sacerdotes diligẽtes præcepta mea, & comedite, quod relictum eſt de oblationibus, & delectamini bonis, quæ præparata ſunt vobis.* Chald.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

CHriſtus hìc ſecundò inuitat fideles, vt gaudeant, tum myrrha, id eſt, tribulatione (hæc enim eſt eſca piorum) tum fauo, vino & lacte, id eſt, profectu virtutum & conſolationibus ſpiritualibus, quas tum eis, tum eorum proximis Chriſtus immittit. Hoc enim gaudium eſt cibus, refectio & pabulum Chriſti & Sanctorum. Ita Caſſiodorus, & Beda.

Secundò, Tres Anonymi apud Theodor. Richar. & S. Bernardus lib. de diligendo Deum ſub finem, cenſent hìc inuitati fideles ad ſtudium meditationis & contemplationis, vt per eam diuinã dulcedine perfruantur: vnde S. Ambroſius Pſalm. 118. ſerm. 13. ad illa: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel & fauum ori meo: Bona ebrietas*, inquit, *quæ ad meliora atque iucunda facit quemdam mentis exceſſum, vt immemor ſollicitudinum animus noſter vino iucunditatis hilaretur: Bona menſa, ſpiritalis ebrietas:* vnde S. Gregorius docet amicos bibere, id eſt, communes fideles verba Dei legere & ſeruare, chariſſimos verò, id eſt, perfectos, iis planè inebriari: *ſunt verò alij*, inquit, *qui tantâ auiditate diuinam Scripturam audiunt, vel legunt, vt protinus cunctis terrenis operibus abdicatis, ſola cæleſtia ambiant, parentes, vxores, domos, filios etiam, & omnia tranſitoria abiiciant; ſolummodo Chriſtum ſequi, & amplecti concupiſcant. Eius deſiderio ſe affligunt ieiuniis, afficiunt lachrymis, exercent meditationibus diuinis, ſola quæ ſunt æterna cogitãt, contemplationibus vacant ad hoc laborantes vt ea quæ retrò ſunt obliuiſcentes, in anteriora magis ac magis extendant. Quid profectò iſti, quid aliud agunt, niſi bibẽtes inebriantur, vt dum omnium terrenorum per deſiderium obliuiſcuntur, iure à ſponſo cæleſti non tantùm amici, ſed & chariſſimi vocari mereantur.*

Pſal. 118. 13.

Ambroſ.

Gregor.

Hinc Myſtici & Contemplatiui hæc referunt ad ebrietatem ſpiritualem, quâ Ebrietas Contemplantiũ.

contemplator, vt ait noſter Salianus de amore Dei, Deo in cor eius illabente tanto voluptatis torrente perfunditur, vt ſe continere non poſſit, ſed motibus, geſtibúſque inſolitis ingentem interioris voluptatis vim prodere cogatur. Cor enim in iſta præuia vnione cum Deo tam acri ſtimulo diuini amoris, & deſiderio diuinæ fruitionis inflammatur, & apertis poris velut ad capiendum Deum adeò diſtenditur, vt pectus ei nimis arctum videatur: ex quo amoris flamma, quæ ibi voluptate tanquam oleo nutritur & inualeſcit, foras violenter erumpit muſti ebullientis more, quo nouæ lagunculę dirũpuntur. Quod olim Apoſtolis die Pentecoſtes videtur accidiſſe, cùm Iudæi muſto madere putabãt, quos Spiritus repleuerat. Hinc illa Cantica, gemitus, informéſque ſoni, plauſus etiam ſaltúſque & curſus, quos de quibuſdam ſanctis B. Franciſci diſcipulis legimus, qui motus ſpiritui diuino agitanti potiùs, quàm naturali animanti tribui debent.

Tales quoque fuêre in ipſo S. Franciſco, cùm à Deo reuelationem ſuæ prædeſtinationis accepit. Tunc enim manibus plaudens, pedibus plodens, totóque corpore tripudians, ita gaudio exultauit, vt ebrius, imò amens mentíſque impos ab aſtantibus cenſeretur. *S. Franciſcus.*

Anagogicè inuitantur hîc Sancti ad epulum cœleſtis gloriç & felicitatis, quç rectè vocatur epulum mellis & vini, quia in ea percipitur, guſtatur, imò penetratur diuinæ eſſentiæ immenſa ſuauitas & dulcedo, idq; ſine vllo velo vel intermedio, adeò vt beati eâ planè obruantur, abſorbeantur & inebrientur, iuxta illud: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Pſalm. 35. ita S. Bernardus ſerm. de aquæductu in Natiuit. B. Virginis. *Anagogicè.* *Pſalm 35.*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

CHriſtus inuitat Angelos & ſanctos omnes ad hortum & Paradisũ omnium deliciarum, putà ſpiritalis vini, mellis & lactis, id eſt, omnis conſolationis, gratiæ & gloriæ, quem plantauit in anima B. Virginis, vt iis ſe paſcant & inebrient, illáque per meditationem & imitationem ſibi incorporent, ac in ſtomachum mentis traiiciant. Qui ergo B. Virgini ſunt deuoti, eius interceſſione & imitatione producunt myrrham mortificationis, aromata pietatis & orationis, fauos deuotionis & charitatis, lac honeſtatis, vinum fortitudinis pro Dei obſequio, omnia quantumuis dura & ardua ſuperantis & tranſcendentis.

QVARTIA

# QVARTA PARS DRAMATIS,

## SIVE

## QVARTA PARS LIBRI,

In qua deſcribitur Eccleſiæ, id eſt, fidelium defectus & declinatio.

*Sicut enim primâ parte à cap.1.vſque ad cap.2.verſ.8.deſcripſit Eccleſiæ infantiam: ſecundâ verò parte à cap.2. verſ.8. vſque ad caput 3. verſ.6. deſcripſit Eccleſiæ adoleſcentiam: inde autem vſque ad cap.5.verſ.2. puta huсuſque; quaſi tertiâ parte deſcripſit eiuſdem perfectionem, & quaſi virilem ætatem: ſic nunc ab hoc verſu vſque ad cap.6. verſ.3. depingit Eccleſiæ quaſi veteraſcentis declinationem, & velut ſenectutem. Hanc autem pati cœpit Eccleſia poſt tempora Conſtantini, quando plenâ pace Eccleſiæ ab ipſo datâ, eiúſque iure & dominio per totum orbem propagato, cœpit multorum potentum luxus & ambitio, quæ Eccleſiam in varias hæreſes & ſchiſmata diſtraxit: quo factum, vt ipſi cæterique fideles in deſidiam, gulam, luxuriam cæteráque vitia defluxerint. Principium mali fuit Arrius, qui pleroſque Epiſcopos in ſuam ſententiam traxit, adeò vt in Concilio Arminenſi damnatio Homouſij & Nicenæ Synodi, fraude Valentis & Vrſatij Arrianorum Epiſcoporum ſit conclamata, totúſque quaſi orbis, ait S.Hieron. Arrianum ſe eſſe miratus ſit. Origo mali fuit Prælatorum nonnullorum negligentia, auaritia & ſuperbia:* Cùm enim dormirent homines, inimicus *(diabolus)* ſuperſeminauit zizania. *Matth.13.25. Vnde tunc plerique fideles in voluptates effuſi, Eccleſiam ſuâ crapulâ, libidine, improbitate conſpurcarunt: Sanior tamen Eccleſiæ pars in fide & ſanctitate perſtitit. Ita Coſmas Damianus.*

---

### VOX SPONSÆ.

Verſ.2. *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

HEBR. *Ego dormiens & cor meum vigilans*, id eſt, vt Rabbinus Anonymus vertit: *Ego dormiebam & cor meum vigilabat.* Repræſentat enim rem præteritam quaſi præſentem, vti in ſcena fieri ſolet. q.d. Ecce ego dormio, id eſt, dormiebam, &c. cùm illicò vox dilecti pulſantis inſonuit. Narrat enim hîc Sponſa, (vt rectè docet Nyſſen. & S. Ambroſ. de Iſaac & Anima;) manè experrecta ſociabus adoleſcentibus ſuis nocturnum ſomnium, ſiue quid ſibi poſt heſternum cum Sponſo in horto epulum, cum ti cubitum noctu contigerit, ſcilicet ſe



venien

dormiente veniſſe Sponſum ac pulſaſſe, ac dum ipſa pigritaret, & aperire moraretur, Sponſum hac pigritiâ & inurbanitate offenſum aliò abiiſſe: quare illă deſidiæ iuſtas dediſſe pœnas; cùm lecto tandem ſurgens diu fruſtrà eum quæſiuit, atque à cuſtodibus ciuitatis mulctata & pallio priuata fuit. Porrò noſter Sachez per Hyperbatō hinc orditur ſeriem Dramatis totius Cātici: Sponſa enim quęrens ingemuit, dixitque: *Oſculetur me oſculo oris ſui*. Vnde quæ hîc dicuntur, videntur eadem eſſe cum his, quæ dicta ſunt cap. 1. v. 6. & cap. 3. v. 1. & ſequen. Verùm hoc Hyperbaton durius videtur, ac totam Dramatis ſeriem inuertere, vti dixi initio.

## PRIMVS SENSVS

*De Christo & Eccleſia.*

PRimò, R. Salomon *τὸ ego dormio* ad Sponſam refert, *τὸ* verò *cor meum vigilat* ad Sponſum. q. d. Dum ego Sponſa dormio, Sponſus, qui eſt cor meum, vigilat, & ſaluti meę ſolicitus inuigilat: Solent enim amantes ſe inuicem appellare *cor meum, vita mea, anima mea*, quia ſe inuicem amant, quaſi cor proprium, quaſi vitam & animā ſuam. Hinc collige quā anima Deo vnita, & deſponſa ſecurè in eo conquieſcat, quantiſque animi gaudiis exultet, vtpote quæ cor ſuum in diuino, ac diuinum in ſuo corde collocarit. Verū ſimpliciter & germanè vtrumque ad Sponſam pertinet: q.d. Ego quidem poſt epulum noctu dormiebam, ſed cor meum, id eſt, imaginatio & mens mea vigilabat, quia ſemper cor, id eſt, phantaſiam mentémque meam vrebat amor, deſiderium & memoria Sponſi, quare leuis erat hic ſomnus meus, atque adeò dormiens non dormiebam, ſed vigilabam, id eſt, cogitabam vel ſomniabam de Sponſo: nam qui planè placidéque dormiunt non ſomniant, vti docet Ariſtot. in Problem. ſect. 13. num. 13. Vnde Climaeus Gradu 30. *Ego*, inquit,
Climac. *propter naturæ neceſſitatem dormio, ſed cor meū propter amoris copiam vigilat.* Secundò, S. Gregor. Philo, Lucas, & S. Ambroſ. lib. 3. de Virgin. qui legit: *Ego dormiui, & cor meum vigilat*; cenſent hæc eſſe verba Spōſi, illiſque vtramque, ſcilicet & dormitionem & vigiliam attribuunt. Tertiò & genuinè Theod. Caſſiod. Nyſſen. Beda, Honorius & cæteri cenſent, hæc eſſe verba Sponſæ, omniáque illi aſſignant, ſcilicet aiunt illam dormiiſſe, ſed leuiter; ſemper enim cogitaſſe & ſomniaſſe de Sponſo: ſomnus enim infringitur per ſomnium; vt dormiens, ſed ſomnians vigilare potius quàm dormire videatur,
iuxta illud: *Somnia ſunt vigiliæ dormientium; ſpes autem ſomnia ſunt vigilantium*, quod Platoni tribuit Ælian. lib. 13. de varia hiſtor. Ariſtoteli verò Laërtius lib. 5. cap. 1. Plato vel Ariſtot.
Dormiebat Eccleſia, id eſt, plenâ pace fruebatur tempore Conſtantini, ſed vigilabat corde, id eſt, orationi, amori & contemplationi intendens cum Deo agebat.

Senſum huius loci genuinè & particulatim præ aliis exprimit Honor. Auguſtod. *Hucuſque*, inquit, *plenitudo gētium intrauit: abhinc vſque ad ingreſſum Synagogæ notatur tempus pacis Eccleſiæ. Finito itaque conuiuio victorum Regina iuit dormitum, dicens cubiculi excubitoribus, ſi Rex me quærit, dicite, quia ego dormio & cor meum vigilat, vt eum excipiat. Quaſi magnum conuiuium Eccleſia cum victoribus habuit, quando magnum Concilium Eccleſia cum Confeſſoribus habuit in Nicæa ciuitate, in quo varia fercula erant diuerſa ſcripturarum capitula. Quo finito iuit dormitū, quia ibi damnata eſt omnis hæreſis, perſecutio ceſſauit, quies pacis rediit, & Eccleſia curis ſæculi ſe ſubtraxit, diuina officia inſtituit, diuinæ contemplationi vacauit: Quæ modò dicit hominibus imperfectis, terrenis adhuc inhiantibus, meo exemplo terrena poſtponite, cæleſtia quærite; Sicut ego dormio, id eſt, à negotiis & curis ſæculi quieſco, & cor meum in meditatione Scripturæ & in contemplatione æternæ vitæ vigilat, vt manſura bona percipiat. Reginâ dormiente diſſenſio inter milites eſt exorta, non ab hoſtibus, ſed ab otio nata, quâ increſcente Rex Reginam excitat, monet vt ſurgat, tumultum militum compeſcat. Scilicet Eccleſiâ in contemplatione quieſcente multa vitia inter fideles exorta ſunt, nouæ hæreſes, diſcordiæ, ſectæ, ſchiſmata & alia plura. Vnde Chriſtus per ſcripturas eam monuit, vt quietem contemplationis intermitteret, tumultum vitiorum exhortando corrigendóque ſedaret.*

Somnus Eccleſiæ. Honor. Auguſtod.

Rurſum, Coſmas Damianus per dormitionem accipit deſidiam, otium & luxum Paſtorum, & Prælatorum Eccleſiæ, quæ cauſa fuit, cur ipſa quaſi ſeneſcens declinarit à primo feruore & ſplendore: Sponſus Chriſtus, inquit, cùm in cœlum abiret, mihi Eccleſiæ Sponſæ ſuæ, id eſt, Paſtoribus Eccleſiæ otium & luxum interdixit, Euangelicam functionem, & pauperum curam iniunxit, ſobriam vigilare iuſſit, & horam quâ rediturus ipſe ſit, ſollicitam obſeruare: ego verò abiectâ functione Euangelicâ, otio nunc & luxu diffluo, commiſſam meæ

fidei

fidei Sponſi mei familiam ſuo demenſo frandos; nec iam mihi curæ eſt, quod alij famo & frigore confecti pereunt; alij odiis & inteſtinis bellis furentes mutuò ſeſe conficiunt; alij ignorantiæ tenebris offuſi in hæreſes, & omnium vitiorum barathrũ feruntur præcipites, dum ego purpurã & byſſum quotidie induo, auro & gemmis fulgeo, lautè prandeo, lautiùs cœno, cruda lauor, ex balneis ſuffumigata & peruncta in mollia ſtrata me recipio, ibique clauſo oſtio, nec expectato Sponſo meo Chriſto (vt olim adultera Synagoga, hoc ipſo turpiter repulſo & excluſo Sponſo ſuo dormiebat) in ſomnum deferor, nec ſolem orientem vnquã video. At hoc quid aliud eſt, quàm poſitis veſtibus & calceis Euãgelicis dormire, vitámque in luxu & ſomno Synagogæ more tranſire? Verùm enimuerò cõſcientia ignauiæ & ſocordiæ, ac luxuriæ meæ teſtis perpetuò vigilat; hæc me fortiter accuſat, damnat, & velut per inſomnia ſuſpenſa terrirat. Quin Sponſi mei nomẽ & numen inprimis horreo, quẽ de nocte ad oſtium cordis mei pulſantẽ, atque inclamãtem mihi videor exaudire: *Aperi mihi ſoror mea.*

Huc facit illud S. Gregorij 3. p. Paſt. c. 6. Piger rectè ſentiendo vigilat, quamuis nihil operando torpeſcat.

Gregor. Porò S. Gregorius hanc gnomen de Chriſto Sponſo ſic exponit: *Dormit*, inquit, *Sponſus & cor eius vigilat: quia dum Chriſtus iam glorificatus in beatitudine quieſcit, quicunque eum perfectè diligit* (hic enim eſt cor Chriſti) *vt ad ipſum perueniat, laborat.* Pſellus verò & Philo Carpath. dicunt Chriſtũ dormiſſe in morte, vigilaſſe tamen ſuâ diuinitate Apoſtolos & fideles ſuos protegendo, & vt ait Philo, inferos ſpoliando, vnde moraliter diſcant Prælati, ſe, etiam cum aliis rebus occupantur, adeóque cùm dormiunt, mente tamen debere gregi ſuo inuigilare & excubare, ne quis lupus aut fera eum inuadat.

Huc pertinet verſio Chaldæi, qui hæc exponit de virga vigilante Ierem. 1. 11. id eſt, de Dei vindicta excubante, vt Iudæos caſtigaret per Chaldæos: *Poſt omnia*, inquit, *verba hæc peccauerunt populus*

Chald. *domus Iſraël, tradidit eos dominus in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & adduxit eos in captiuitatem, & erant ſimiles in captiuitate viro dormienti, qui non poteſt expergiſci de ſomno ſuo; & vox Spiritus ſancti admonebat eos per manus Prophetarum, & excitabat eos de ſomno cordis eorum.*

SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

Anima ſancta myſticè dormiẽs corde vigilat, cùm à concupiſcentiis & curis ſæcularibus libera, vni Deo eiúſque amori & cultui vigil intendit. Ita S. Ambroſ. exhort. ad Virg. ſub medium: *Somnus animæ vigilantis.* *Dormiat*, inquit, *caro tua, vigilet fides, dormiant illecebra corporis, vigilet cordis prudentia, membra tua redoleant crucem Chriſti & ſepulturæ odorem, vt nihil iis ſomnus caloris infundat, nullos excitet motus.* Et S. Gregorius Ambroſ. lib. 5. moral. c. 22. *Ego dormio*, inquit, *& cor meum vigilat, quia videlicet ſancta mens, quò ſe à ſtrepitu temporalis concupiſcentiæ comprimit, eò veriùs interna cognoſcit: & tantò alacrius ad intima vigilat, quantò ſe ab exteriori inquietudine occultat. Quod bene per Iacob in itinere dormientem figuratur, qui ad caput lapidem poſuit & obdormiuit: à terra ſcalam cœlo inhærentem, innixum ſcalæ Deum, aſcendentes quoque & deſcendentes Angelos vidit.* Et pluribus interiectis hanc animæ dormientis vigiliam explicans: *Sancti*, inquit, *à mundi operibus non torpore, ſed virtute ſopiuntur, laborioſiùs dormiunt quàm vigilare potuerunt, quia in eo quod actiones huius ſæculi deſerẽtes ſuperant, robuſto conflictu quotidie contra ſemetipſos pugnant, ne mens per negligentiam torpeat, ne ſubacta otio per deſideria immunda frigeſcat, ne in ipſis deſideriis plus iuſto inferueat, ne ſub diſcretionis ſpecie ſibimet parcendo à perfectione langueſcat. Agit hæc, & ab huiuſmodi inquieta concupiſcẽtia ſe penitus ſubtrahit, ac terrenarum actionum ſtrepitum deſerit, & per quietis ſtudium virtutibus intenta vigilans dormit: Neque enim ad contemplanda interna perducitur, niſi ab his quæ exterius implicant, ſtudioſè ſubtrahatur*, iuxta illud: *Vacate, & videte, quoniã ego ſum Deus* Pſal. 45. Pſalm. 45.

Gregor. Rurſum, nonnulli per ſomnum hîc accipiunt ecſtaſim, qualis fuit ſomnus Adæ Geneſ. 2. 21. Ecſtatici enim ſopitis ſenſibus, quaſi dormiunt, totíque rapiuntur ad contemplanda diuina. Ita Sottomaior: *Iſtius vitalis vigilque ſopor, ſenſum interiorem illuminat: verera dormitio eſt, quæ tamen ſenſum non ſopiat, ſed abducat*, ait S. Bernard. ſerm. 52. *Non ſopiat*, id eſt, non extinguat, ſicut ſopitur ignis dum iniectâ aquâ extinguitur. Vnde Ioannes Carmelita ſic exponit: *Ego dormio & cor meum vigilat*: Ego vix ſenſibus ad vitam fungor externam: voluntas verò mea in Sponſum hians vigilat. Bernard.

Ad literam anima dormiens vigilat, cùm ita per diem ſanctis meditationibus,

bus, affectibus & amoribus ſe implet, vt noctu de eiſdem ſomniet, imò dormiens eoſdem iteret, vti faciebat S. Franciſcus Xauerius. Quæ enim vigilantes ſtudioſè cogitamus, de iis dormientes ſomniamus. Recurrunt enim in ſomnis diurnarum cogitationum imagines, ſicut ex citharæ pulſu reſultat reſonantia tinnientium fidium, quæ auditur ceſſante pulſu. Vnde Claudian. de raptu Proſerpinæ lib. 3. canit:

Claudian.

*Omnia quæ ſenſu voluuntur vota diurno,*
*Pectore ſopito reddit amica quies.*

*Signum virtutis perfectæ eſt, de ea ſomniare.* Ariſtot.

Quocirca ſignum perfectæ virtutis eſt, de eadem ſomniare, illámque quaſi ſomniando exercere. Vnde Ariſtot. lib. 1. Ethic. cap. 13. ait, *modeſtorum quàm aliorum meliora fieri viſa.* Et Plutarch. lib. de Profectu morum, inter alia ſigna profectus in virtute hoc aſſignat: *Si quis noctu nullas fœdas, vel rixoſas patiatur phantaſias.*

Plutarch.

Quocirca Caſſianus, Climaeus & alij docent perfectum & quaſi ſummum caſtitatis gradum eſſe, ſi quis nil impuri, ſed omnia pura & ſancta ſomniet. Audi Climacum Gradu 15. *Pudicus eſt ille, qui in ſomnis quidem nullum motum, nullámque ſtatus ſui mutationem ſentit. Pudicus eſt ille, qui & in ſomnis perfectam ſemper inſenſibilitatem in corporum ſpecie & varietate poſſedit.*

Climac.

Hæc regula, huiuſmodi finis eſt perfectæ conſummatæque caſtitatis, vt ita animata ſicut inanimata intueamur, atque ita rationabilibus vt brutis corporibus afficiamur. Audiatur Laurentius Iuſtinianus in Ligno, vitæ tract. de Continentia cap. 6. *Sextus* (vltimus & ſummus) *Caſtimoniæ gradus eſt, ne illecebroſis phantaſmatibus fœminarum vel dormiens illudatur. Licèt enim hanc ludificationem peccato eſſe obnoxiam non ſit credendum, concupiſcentiæ tamen adhuc latitantis medullitus indicium eſt.*

Laurent. Iuſtinian.

Ergo dicat planè caſtus: *Ego dormio, & cor meum vigilat*, id eſt, ita corpus meum dormit, vt habeat ſuæ puritatis cuſtodem. Cor meum vigilat: illa virtus, quam Deo donante poſt multos gemitus & poſtulationes accepi, illa quæ mihi cordi eſt, quámque non aliter quàm proprium cor diligo, vigilat ſuper me, & cingit me propter timores nocturnos; vel cor meum vigilat, hoc eſt Spiritus Domini, quo ceu corde viuificor & caleſco, vigilat cùm ego dormio, vt in ſomno immunda non patiar, ſed aliquid ſimile eis, quæ in vigilia ſoleo actitare perficiam.

*Eſt enim*, vt ait S. Ambroſ. lib. 3. Epiſt. ad Anyſium, *ſanctorum ſomnus feriatus ab omnibus corporis voluptatibus, ab omni animi perturbatione, tranquillitatem menti inuehens, placiditatem animæ, vt tanquam ſoluta nexu corporis ſe ableuet, & Chriſto adhæreat.* Plura hac de re dixi Deuter. 6. v. 7. ad illa: *Meditaberis in eis, &c. dormiens atque conſurgens.*

Ambroſ.

Porrò S. Auguſtinus tract. 57. in Ioannem, docet ſtudioſos ſapientiæ dormire & corde vigilare: *Quid eſt*, inquit, *ego dormio & cor meum vigilat; niſi ita quieſco vt audiam? Otium meum non impenditur nutriendæ deſidiæ, ſed percipiendæ ſapientiæ: Ego dormio & cor meum vigilat, vaco & video quoniam tu es Dominus, quia ſapientiam ſcribo in tempore otij, & qui minoratur actu ipſe percipiet eam. Ego dormio & cor meum vigilat. Ego requieſco à negotioſis actibus, & animus meus diuinis ſe intendit affectibus: ſed in iis, quæ iſto modo ſuauiter & humiliter requieſcunt, dum otioſè oblectatur Eccleſia, ecce pulſat ille qui ait: Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.*

Auguſt.

Tropologicè Theodoretus: *Licet*, ait, *à natura cogar oculos claudere & ſomnum capere, mente tamen vigilo & ignauia ſomnum minimè ſuſcipio, cùm Sponſi aduentum expectem, iuxta conſilium Domini dicentis: Vigilate, quia neſcitis, qua hora Dominus venturus ſit.* Matth. cap. 24. v. 42.

*Moraliter.* Theodor.

Anagogicè Iuſtus Orgelit. ſic exponit, q. d. *Propter Chriſtum mori paratus ſum, ſed poſt mortem cum ipſo regnaturum me credo. Ego etiam à temporalibus delectationibus, conſopitis quodammodò ſenſibus conquieſco, ſed futura deſidero, æternáque conquiro.*

*Anagogicè.* Iuſt. Orgel.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

*Somnus B. Virginis qualis?*

BEata Virgo dormiebat, & tamen corde vigilabat: primò myſticè, quia curis ſæcularibus vacua & quaſi indormiens, tota rebus cœleſtibus intendebat. Secundò, quia per diem tanto feruore rapiebatur ad diuina meditanda, & ad continuos amoris erga Deum actus, vt eoſdem dormiendo & ſomniando iteraret, imò vt illi modicum eius ſomnum crebrò abrumperent, ac ipſa experrecta & vigilans inſolitos hoſce amoris æſtus ſeſe effunderet. Quarè tota eius vita fuit iugis & continua quædam contemplatio. Tertiò, multi probabiliter opinantur B. Virginem ſopitis inter dormiendum ſenſibus, per ſingulare Dei donum mentem habuiſſe ſolutam & vigilantem, vt liberos actus eliceret, ac in ardentia orationis & amoris ſuſpiria

B. Virgo dormiens corpore, vigilabat mente. ſuſpiria erumperet. Hoc enim hæc ver-
ba: *Ego dormio & cor meum vigilat*, præciſè
ſignificant, quæ nulli fidelium ita pro-
priè competunt, vt B. Virgini, vti rectè
explicat Rupertus: *Multarum*, inquit,
Probatur Authoritate. *animarum fuit & eſt, non ſolùm ſecundùm il-
lam ſimilitudinem otio ſancto dormire, id eſt, à
terrenis curis vacare, & in cæleſtibus per con-
templationem corde vigilare: verùm etiam eo-*
Rupert. *dem modo, quo & Iacob tunc dormiuit ſecun-
dùm corpus dormire, & ſecundùm animam per
ſomnium cæleſtia videre, iuxta illud: ſenes
veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes veſtri*
Ioel. 2. *viſiones videbunt. Sed ô Tu cælum Dei, vnica
ſedes Domini in vtroque vigilantia modo cun-
ctis mortalibus, ſiue terrenis hominibus longè
eminentior extitiſti, longè ſtudioſior ad contem-
plandum eum, in quo deſiderant Angeli proſpi-
cere, atque aptior fuiſti.* Et S. Ambroſ. lib. 2.
de Virgin. loquens de B. Virgine: *Dor-*
Ambroſ. *mire*, inquit, *non prius cupiditas, quàm neceſ-
ſitas fuit, & tamen cùm quieſceret corpus, vigi-
laret animus, qui frequenter in ſomnis aut lecta
repetit, aut ſomno interrupta continuat, aut di-
ſpoſita gerit, aut gerenda pronunciat.* Et S. Ber-
nardinus tomo 2. ſerm. 51. art. 1. cap. 2.
Bernardin. *Somnus*, inquit, *qui abyſſat, & ſepelit in no-
bis rationis & liberi arbitrij actus, & per con-
ſequens actum merendi, non credo quod talia
in Virgine fuerit operatus; ſed anima eius libe-
rè, ac meritorio actu tunc tendebat in Deum:
Vnde illo tempore erat perfectior contemplatrix,
quàm vnquam fuerit aliquis alius dum vigila-
uit. Vnde ipſa ait Cantic. 5. Ego dormio, & cor
meum vigilat, ſcilicet in contemplatione perfe-
ctâ à nulla actione debilitata.* Et Dionyſius
Carthuſ. hîc: *Hoc*, inquit, *ſanctiſſima virgo
præeminenter dicere potuit, quia contemplati-*
Dionyſ. Carthuſ. *uiſſimam vitam duxit, & ab exteriori tumultu,
omni inordinato ſtrepitu, & curâ ſuperfluâ, atq;
inquietudine culpæ penitus abſtinens & ſopita,
vigilantiſſima mente Deo vacauit, pro Eccleſia
exorauit, actibúſque virtutum in termino excel-
lentia perfectiſſimis iugiter fuit intenta. Deni-
que in ſomno corporali cor eius peruigil fuit, ex
aſſidua aſſuefactione perfecta inſiſtendi diuinis,
ex ardentiſſima & exercitatiſſima charitate, ex
ſplendidiſſima & exuberantiſſima ſapientia ſibi
infuſa, & contemplatione in vigiliis, penè aut
prorſus continuè, etiam tempore ſomni vigili
corde fuit Deo coniuncta, & pro commiſſa ſibi
Eccleſia vigilare non ceſſabat.*

Sic quoque de B. Virgine in ſomnis
operante & Deum amante, explicat
hæc verba Albertus Magnus, S. Anto-
ninus, & alij, quos citat & ſequitur
Franc. Suarez 3. p. q. 37. art. 4 diſp. 18.
Et Ratione. ſect. 2. ſub finem, idque probat: Primò,
1. quia Adæ & Euæ id conceſſum docet
S. Auguſtinus lib. 1. contra Iulian. cap. 9.
*Tam felicia*, inquit, *erant ſomnia dormien-* Auguſt.
*tium, quàm vita vigilantium*: Ergo multo
magis B. Virgo tam felix fuit dormien-
do, quàm vigilando. Secundò, quia An- 2.
geli ex quo in primo inſtanti ſuæ crea-
tionis conuerſi ſunt in Deum, nunquam
ab illius actuali amore ceſſarunt; Ergo
multò magis id credi poteſt de B. Virgi-
ne, Angelorum Reginâ; Vnde S. Bona-
uentura, S. Bernardinus, & Noſter Ca-
niſius, tradunt pluribus ſanctis reuela-
tum eſſe, quòd B. Virgo integras ferè
noctes orando & meditando traduce-
ret. Tertiò, quia B. Virgini data fuit 3.
ſcientia per ſe infuſa, quâ vti poſſet ſine
conuerſione ad phantaſmata: Quare
etiam noctu dormiens ſopitâ phantaſiâ,
illa vti potuit.

---

*Vox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſo-
ror mea, amica mea, columba mea,
immaculata mea.* Verſ. 2.

QVASI dicat: Ego dormie-
bam, ſed corde vigilabam,
id eſt, per ſomnium cogita-
bam & ſollicita eram de
Sponſo, cùm ecce audio
eum ad oſtium pulſantem mihíque di-
centem: *Aperi ſoror mea*, &c. vbi aduerte
Sponſum tot ictibus pulſare oſtium mē-
tis Sponſæ, quot ei amoris titulos & obli-
gationes ſuggerit. q.d. O Sponſa, tu es
ſoror mea, quia ego carnem aſſumendo
dignatus ſum fieri frater tuus: Aperi er-
go mihi fratri tuo. Rurſum amore te
præueni, téque amicitiâ meâ dignatus
ſum: Aperi ergo, *ô amica*, adeò amanti
te. Adhæc *columba mea es*, id eſt, caſtiſſimè
mihi vni deſponſata es, vti columba ſuo
columbo, quæ alium marem non nouit:
Aperi ergo mihi Sponſo tuo vnico. De-
nique *immaculata es*, Hebr. תמה *tamma*
Septuag: τελεία, id eſt, *perfecta es*: Aperi
ergo mihi; qui tuæ puritatis & perfe-
ctionis ſum auctor, conſeruator & pro-
motor. Dum enim te aperiente per tuū
conſenſum in te ingredior, tuas maculas
meâ puritate detergo. Iuſtus Orgel. *Soror*, Iuſt. Orgel
ait, *Chriſti eſt Eccleſia, quia de ſanguine eius:
amica, quia per mortem eius reconciliata: colum-
ba, de Spiritu S. immaculata, Baptiſmi ſacramēto.*
Phil. Carpath. cum LXX. legit: *Aperi mihi* LXX.
*propinqua mea, ſoror mea, columba mea, perfecta
mea*, ſicq; explicat: *propinqua creatione: ſoror* Phil. Carp.
*incarnatione: ſpōſa fide: columba ſalutaris vnda
& Spiritus S. regeneratione: perfecta ex charitate.*

PRI

Digitized by Google

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

IAm Sponſa Eccleſia oſtium cordis aperuerat Sponſo, totúmque cor illi tradiderat, vt patet ex illo cap. 2.16. *Dilectus meus mihi & ego illi.* Pulſat tamen illud hic Sponſus, vt Sponſa Eccleſia proximorum quoque clauſa corda, per ſuos concionatores claue prædicationis aperiat, ait Caſſiodor. Beda, Honor. Iuſtus, Haymo, Richard. Anſelm. Rupert. & alij.

Porrò iam antè cap. 2. v. 10. Sponſus pulſarat oſtium Sponſæ, ſed adoleſcentulæ adhuc, illámque excitarat ad procurandam Iudæorum in Eccleſia primitiua ſalutem; hîc verò pulſat oſtium eiuſdem iam adultæ ſub Conſtantino, illamque ſtimulat ad procurandam omnium gentium, ac præſertim hæreticorum & impiorum conuerſionem. Sub Conſtantino enim gaudebat Eccleſia plenâ pace; quare multi Prælati dabant ſe otio ſanctæ quietis & contemplationis: ab illo ergo otio hîc eos aduocat Chriſtus ad negotium prædicationis. Ita S. Auguſtinus ſerm. 57. in Ioannem: *Ego dormio*, inquit, *& cor meum vigilat: ego requieſco à negotioſis actibus, & animus meus* Auguſt. *diuinis ſe intendit affectibus: ſed in iis quæ iſto modo ſuauiter & humiliter requieſcunt, dum otioſè oblectatur Eccleſia, ecce pulſat ille qui ait: Quæ dico vobis in tenebris dicite in lumine, & quod in aure auditis prædicate ſuper tecta.* Et paulò poſt: *Pulſat ergo, vt excutiat quietem ſanctis otioſis, & clamat: Aperi mihi de ſanguine meo ſoror mea, de acceſſu meo proxima mea, de Spiritu meo columba mea, de ſermone meo, quem pleniùs ex otio didiciſti, perfecta mea; aperi mihi, prædica me. Ad eos quippe, qui clauſerunt contra me, quomodo intrabo ſine aperiente? Quomodo enim audient ſine prædicante?*

Audi Honorium ſingula præcisè & particulatim adaptantem: *Hæc verba ſi-* Honor. Auguſtod. *gnificant Chriſti ſollicitudinem erga negligentes & errantes, vt per ſpirituales corrigantur; & Eccleſiæ feruorem ad contemplationem, & tædiũ ad ſæculi adminiſtrationẽ. Chriſti ad oſtium cordis fidelium pulſantis vox eſt: O Eccleſia ſoror mea, quia per me cohæres regni: amica mea, quia per me cæleſtiũ arcanorum cõſcia; columba mea, per me Spiritu ſancto repleta; immaculata mea, quia per me à peccatis emundata. Aperi mihi exhortando oſtium cordis eorum, qui illud peſſulo malorum operum clauſerunt, & guttæ noctium, id eſt, membra dæmonum facti ſunt: & eris ſoror mea ſi exhæredes per malitiam, per gratiam, feceris cohæredes meos; eris amica mea ſi inimicos ob perfidiam, feceris amicos per fidei conſtantiam; eris columba mea, ſi duplices corde feceris ſimplices; & eris immaculata mea, ſi maculatos vitiis feceris immaculatos virtutibus.* Proſequitur deinde ſequentia in hunc modum: *Quia caput meum plenum eſt rore, hoc eſt, fides diuinitatis meæ repleta eſt errore, & cincinni mei pleni ſunt guttis noctium, id eſt, fideles mei repleti ſunt peccatis dæmonum; quia caput meum Deus, per caput intelligitur fides diuinitatis: per rorem qui in nocte cadit, & ſolis ardore recedit, accipitur error infidelitatis, qui de nocte ignorantiæ venit, ſed luce veritatis recedit. Cincinni, id eſt, capilli ſunt fideles, per fidẽ capiti Chriſto adhærentes. Guttæ noctium ſunt lapſi à fidelibus, vt guttæ de capillis in ſententias hæreticorum, vel in peccata dæmonum, qui ſunt noctes ad æternas tenebras ducentes. Horum cordis oſtium aperi mihi, vt intrẽ per gratiã, & habitem per fidem in cordibus, & manſionem mihi in mẽtibus eorum faciam per bonam operationẽ.*

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

ANima ſancta hîc vocatur ad maiorem ſanctitatem, vt ipſi intima cordis aperiat, illáque ipſius pleniore cognitione & amore repleat: Ita Nyſſen. & S. Ambroſ. lib. de Iſaac & Anima cap. 6. qui ait Chriſtum pulſare, & intrare in animam per ianuam deuotionis & orationis. *Etſi dormias*, inquit *ſi modò deuotio-* Ambroſ. *nem animæ tuæ nouerit Chriſtus, venit & pulſat eius ianuam, & dicit: aperi mihi ſoror mea, quia nuptiæ ſpirituales ſunt Verbi atque Animæ. Aperi mihi, ſed extraneis claude, ſæculo claude, neque ipſa foras ad illa materialia prodeas, neque tuum relinquens lumen, alienum requiras. Aperi ipſam te mihi, noli coarctari, ſed dilatare, & adimpleba te.*

Audi Philonem Carpath. *Quicunque* Phil. Carp. *Deo paret, & illius præcepta ſtudioſiſſimè conſeruat, is ſe quotidie ad ianuam cordis acciri & admoneri ſentit, ad meliora ſemper & altiora charitatis opera facienda, quod appellationes ipſæ ſignificant.*

Ait ergo Chriſtus: O anima ſãcta aperi mihi, ad intimos tuæ animæ ſinus penetrare ſatagenti, quot enim aſſenſus præbes, tot mihi receſſus aperis, in quos feſtinus illabor. Ad recludenda verò oſtia moneo te, quia es amica mea, vnde ex amicitiæ lege, anguli ſinúſque domus tuæ vniuerſi mihi tecum debent eſſe communes, quia ſoror mea es à patre meo in filiã adoptata, & aſſumptæ na-

turæ

turæ germanitate coniuncta: quamobrẽ quos in natura & gratia Deus coniunxit, ſeparari,&occluſâ ianuâ nefas eſt arceri.

*Chriſtus animam perfectam ad aliorum ſalutem procurandam vrget quatuor ſtimulis.* Rurſum, Chriſtus animam iam proficientem & perfectam pulſat, cùm eam impellit ad procurandam aliorum ſalutem & perfectionem: vnde ad hoc quatuor titulis quaſi ſtimulis eam perurget: Primò, *ſoror*, inquit, *mea es*, quia par eſt, vt aſſimileris mihi, qui frater tuus ſum,
1. vt ſicut ego è cœlis in carnem deſcendi, viuénſque totum impendi me hominum ſaluti; ſic & tu mecum te totum eidem impendas. Nam vt ait S.Dionyſ. omnium operum diuiniſſimum eſt Deo in ſalute animarum cooperari.

2. Secundò, *amica mea es*: ſi ergo amas
Ioan. 21. me, *paſce oues meas.* Ioan. 21. quare ſatage, vt & cæteri me ament, mihíque fiant amici. Tertiò, *columba*, id eſt,
3. ſponſa *mea* es fœcunda: columba enim ſingulis menſibus parit: tu ergo quoque aſſiduè mihi filios parias, & partos nutrias. Hinc S.Baſilius ad IulittamEpiſt. 175. docet ſanctos debere imitari columbarios, qui columbam fragrantibus odoribus delibutam emittunt ad alias columbas, vt illas fragrantiâ ſuâ ad ſe allieiat, & ad columbarium ſuum perducat: *Animam ſanctam*, inquit, *columbam*
Baſil. *ſuam appellans, tale quid dicere Deus videtur: Columbam te meam elegi, cæleſtiúmque gratiarum perfudi te odore. Æquum igitur eſt, vt tu pariter virtutum tuarum odore, & meâ, quam prædicatione effundes, fragrantiâ, peccatorum agmen ad columbarum puritatem redactum, tecum reducas in columbariũ vulnerum meorum.*

Quartò, *immaculata*, pura & perfecta es; cur ergo patièris per proximorũ ſcelera, quaſi inquinari puritatem tuam? quin potiùs eos depuras, perficis, tibíque, imò & mihi ſimiles efficere ſatagis?

Nonnulli cenſent hîc animam peccatricem à peccato euocari ad pœnitentiam, iuxta illud: *Ego ſto ad oſtium & pulſo: ſi*
Apoc. 3 20. *quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum ipſo, & ipſe mecum*, Apocal. 3. 20. Ita Caſſiod. Beda, Philo & alij: Vnde Chald. vertit: *Et vox Spiritus ſancti admonebat eos per manus Prophetarum, & excitabat eos de ſomno cordis*
Chald. *eorum. Reſpondit Dominator totius ſæculi: Conuertere ad pœnitentiam, aperi os tuum, & exulta, & lauda me ſoror mea, dilecta mea, Synagoga Iſraël, quæ comparata es columbæ in perfectione operum tuorum.* Verùm lõgè verius eſt hæc dici animæ ſanctæ, imò perfectæ: Ipſa enim vocatur ſoror, columba & immaculata.

*Cornel. à Lapide, in Cant. Canticorum.*

Anagogicè Caſſiodorus & Beda cenſent hîc moneri animam ſanctam, vt Chriſto in morte pulſanti ad exitum imò ad tranſitum in cœlum inuitanti continuò aperiat. *Cõfeſtim enim*, inquiunt, *ſic Domino pulſanti aperimus, ſi mortem læti excipimus, neque iudicium eius induci formidamus, cui nos in bonis operibus placuiſſe, quem nos ſemper honoraſſe meminimus:* Audi S.Gregorium hom. 13. in Euang. *Venit Dominus, cùm ad iudicium properat; pulſat verò, cùm iam per ægritudinis moleſtias mortem eſſe vicinam deſignat. Cui confeſtim aperimus, ſi hunc cum amore ſuſcipimus. Aperire enim iudici pulſanti non vult, qui exire de corpore trepidat, & videre eũ quem contempſiſſe ſe meminit, iudicem formidat. Qui autem de ſua ſpe & operatione ſecurus eſt, pulſanti confeſtim aperit; quia lætus iudicem ſuſtinet, & cùm tempus propinqua mortis aduenerit, de gloria retributionis hilareſcit.* Anagogicè. Caſſiodor. Beda. Gregor.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

PRimò S. Bernardus ſerm. 4. ſuper *Miſſus eſt*, cenſet hîc pulſari oſtium voluntatis Deiparæ, vt conſentiat S.Gabrieli nuncianti Incarnationis myſterium: *Aperi*, inquit, *Virgo beata cor fidei, labia confeſſioni, viſcera creatori. Ecce deſideratus cunctis gentibus foris pulſat ad oſtium. O ſi te morante pertranſierit, & rurſus incipias dolens quærere quem diligit anima tua: ſurge, curre, aperi: Surge per fidem, curre per deuotionem, aperi per confeſſionem.* Bernard.

Secundò, magis appoſitè ad ſenſum literalẽm de Eccleſia initio aſſignatum, Rupertus cenſet B. Virginem hîc excitari, vt poſt Reſurrectionem Chriſti, illius fidem omnibus, præſertim mulieribus prædicet: Ipſa enim præ omnibus eſt Chriſti ſoror, imò mater, amica, columba, immaculata, & perfecta. Audi Rupertum: *Sed tu, ô cælum Dei, vnica ſedes Domini, cunctis præcelluiſti: & optabas quidem mortuo filio, tanquam turtur caſtiſſima & ſoliuaga, tanquam columba volare contemplando & requieſcere, & fugiens elongari, remotior fieri Baptiſtâ, ſecretior Heliâ, vbi te ſoli ſcirent, ſolique tibi famularentur Angeli ſancti: ſed noluiſſe filium tuum, noſtri, ab nimis amantem ſubiungis, cùm ais, Vox dilecti, &c. dilectum tuum indicas foris ſtantem ſub dio, quaſi domo carentem. Nam excluſerat eum Synagoga Iudæorum, gentes nondum receperant; ideo petiiſſe: Aperi mihi os tuum, loquere quæ ad confirmandum ſunt apta Euangelium, & in hoc optatæ tibi quietis pátere diſpendium, vt gratum ſingulari tuæ pudicitiæ propter me rumpas ſilentium.* Rupert.



Digitized by Google

*Quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Verſ. 2.

GVTTIS *noctium*, Aquila & Symmach. *nocturnis.* Arabicus, *quæ perſtillant noctu.* Idem quaſi dicit aliis verbis poſteriore hemiſtichio, quod dixit priori; Caput enim continet cincinnos, ſiue crines capitis: Ros, ſunt guttæ noctium. *Ros quid?* Ros enim eſt vapor frigore noctis concretus & reſolutus in guttas, quæ in herbas & plantas diſtillant. *Cincinni, quid?* Cincinni propriè, ait Feſtus, ſunt crines intorti, ſiue cirrati & calamiſtrati, inde tamen dilatatâ ſignificatione quoſlibet crines denotant Hebr. enim eſt קְוֻצּוֹת: *kevutſot*, quod alij à קוץ *kots*, id eſt, *ſpina* deriuant, eò quod crines ſubtiles & acuti ſint inſtar ſpinæ. Alij & meliùs à קָצַץ *kaſats*, id eſt, *præcidit*, eò quod *kevutſot*, id eſt, extremi capitis crines, qui criſpantur in cincinnum præcidi & reſecari ſoleant. Alij à קָבַץ *kavats*, id eſt, collegit, quòd crinium multitudo in vnam comam, vel etiam in vnam πλοκὴν, id eſt, plicam & cincinnum colligatur, vti eam etiamnum colligunt feminæ.

Solent iuuenes amore feruidi, dum ſponſam quærunt, noctu oſtium ſponſæ ambire, aditúmque ad eam obſeruare, ideóque ſub dio ad multas horas pernoctare; quocirca frigore & guttis noctium cruciantur. Id illi faciunt amore carnali, ſed Sponſus hic id facit amore ſpirituali: quare rogat Sponſam, vt oſtiũ ſibi aperiat, vt in domo à rore & pluuia ſit immunis, ac guttas roris & pluuiæ, quas Sponſæ amore noctu contraxit, excutiat & deſiccet.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

*Caput eſt Deitas, cincinni Humanitas, ros blaſphemia.*

CAput Chriſti eſt eius diuinitas: cincinni ſiue capilli, qui caput velant ſunt eius humanitas & membra, quæ velant diuinitatem; item eius ſancti & dilecti: ros & guttæ noctium, ſunt blaſphemiæ & iniuriæ hæreticorum & aliorum peccatorum, quas irrogant Chriſto. Ita S. Gregorius, Caſſiodorus, Beda, Philo, Iuſtus, Anſelmus, & S. Auguſtinus, tract. 57. in Ioannem, quem audi: *Aperi mihi ſoror mea, proxima mea, columba mea, perfecta mea, quia caput meum repletum eſt rore, & crines mei guttis noctis: velut ſi diceret; tu vacas, & contra me oſtium clauſum eſt; tu ſtudes otio paucorum, & abundante iniquitate refrigeſcit charitas multorum: nox quippe iniquitas eſt, ros verò eius & guttæ, hi ſunt, qui refrigeſcunt & cadunt, & faciunt refrigeſcere caput Chriſti, hoc eſt, vt non ametur Deus; caput enim Chriſti Deus; ſed portantur in crinibus, id eſt, in ſacramentis viſibilibus tolerantur, ſed nequaquam interiora ſenſus attingunt. Pulſat ergo vt excutiat quietem ſanctis otioſis, & clamat: Aperi mihi de ſanguine ſoror mea, de acceſſu meo proxima mea, de ſpiritu meo columba mea, de ſermone meo, quem pleniùs ex otio didiciſti, perfecta mea, aperi mihi, prædica me: ad eos quippe qui clauſerunt contra me, quomodo intrabo ſine aperiente? Quomodo enim audient ſine prædicante?* August. Sic caput, id eſt, diuinitatem Chriſti tempore Conſtantini impugnauit Arrius, dicens Chriſtum eſſe creaturam, ac conſequenter non eſſe creatorem & Deum. Et Macedonius adimens Chriſto ſpirationem Spiritus ſancti, vtpote aſſerens Spiritum ſanctum non eſſe Deum. Et Sabellius negans S. Trinitatem, ac conſequenter negans Patrem & filium, vtpote affirmans Deum eſſe vnũ in perſona, æquè ac vnus eſt in eſſentia. Hinc Chriſtus S. Petro Epiſcopo Alexandr. & Martyri apparuit veſte diſciſsâ, dicens: *Arrius veſtem meam, quæ eſt Eccleſia dilacerauit*, teſte Euſebio lib. 7. Bedâ & aliis. Euſeb.

Humanitatem verò Chriſti blaſphemauit Manes, & eius ſectatores Manichæi, docentes Chriſtum aſſumpſiſſe carnem non veram, ſed apparentem dumtaxat & phantaſticam, vti dæmones ſæpe aſſumunt corpora vmbratica, puta laruas & ſpectra. Et Neſtorius, negans vnionem hypoſtaticã humanitatis Chriſti cum perſona Verbi. Dicebat enim in Chriſto duas eſſe perſonas, ſicut ſunt duæ naturæ, ac proinde aliam eſſe perſonam hominis, aliam Verbi. Et Eutyches, docens in Chriſto vnam eſſe naturam commixtam ex humanitate & Deitate, ſicut eſt vna perſona. Et Apollinarius, tollens à Chriſto mentem humanam, ac pro ea ſubſtituens diuinam. Et Polychronius, adimens Chriſto voluntatem humanam. Et Valentinus, adimens & corpus terrenum: dicebat enim Chriſtum corpus cæleſte è cælo attuliſſe, ac proinde per B. Virginem, non vt per matrem, ſed vt per canalem dumtaxat tranſiſſe.

Rurſum mali Chriſtiani ſuis prauis moribus, quaſi iniecto rore contami-

nant

nant caput Chriſti, illúmque abs ſe ablegant, dum eius ſanctas inſpirationes repellunt, itáque Chriſtum à ſe abiectum quaſi ſub dio obnoctare compellunt, ac ſuo torpore ſuíſque concupiſcentiis, velut pruinâ & gelidis guttis noctis hyemalis cincinnos, id eſt, cogitationes à Chriſto immiſſas conſpurcãt. Audi S.Gregorium: *Caput Chriſti*, inquit, *plenum eſt rore, quia multi in Eccleſia poſiti &*

Gregor.

*Deum eum credunt, & tamen frigidi perſiſtentes ad ardorem charitatis non accenduntur. Per cincinnos autem eiuſdem populos intelligimus, quos in fide diuinitatis, quaſi in capite Chriſti pendentes & opprimentes ſcimus; ſed cincinni pleni eſſe dicuntur guttis noxium, quia dum in torpore huius tenebroſæ temporalitatis ſe ſuſpendunt, magis ac magis ſtillationibus iniquitatum fluunt. Ad hos accendendos Sponſa excitatur, dum ſpiritalis quilibet pro ædificatione plurimorum ab otio ad prælationem Eccleſiæ vocatur.* Sic & Caſſiodor. & Beda, qui tamen per cincinnos accipiunt pios & ſanctos, qui inſtar cincinnorum ſe intra cuſtodiam mentis ſuæ colligunt, ac ſui Conditoris

*Ros & guttæ ſunt perſecutiones.*

amori arctiùs inhærẽt: hi, inquiunt, pleni ſunt guttis noctiũ, dum impij eos premunt frigore aſperæ cæcæq; perſecutionis. Iuſtus verò & Anſelmus per caput Chriſti accipiunt Prælatos rore ignorãtiæ plenos; per cincinnos verò clericos & fideles, qui guttis noctiũ, id eſt, tenebrarum operibus, v.g. gulâ & luxuriâ in-

*Exemplum.*

ficiuntur. Exemplum memorabile refert D.Thomas Cantiprat. lib.2. Apum c.1.p. 13. nimirũ D.Ieſum ſpecie pueri elegantiſſimi, in Brabantia apparuiſſe cuidam Religioſo Ciſtercienſi, ſolum in niuis frigore reſidentem, ac præ algore magnum edidiſſe ploratum & eiulatum:

*Puer Chriſti algentis queſtus.*

Cúmque Religioſus cauſam ab eo exquireret, tremeurrem dixiſſe: *Heu me: heu me! quare non flerem? quare non eiularem? Ecce vides, quòd egens, ſolus & in frigore ſedeo, & non eſt qui colligat me & hoſpitium præſtet.* Quare Religioſus ipſum in equum ſuſcepit, ſed puer de brachio tenentis exiliens repentè diſparuit, magnum cordi eius doloris & amoris ſtimulum infigens: Quis enim hominum ſine lachrymis audire poteſt piaculum tale & tantum, quòd filius vnicus Patri Deo, Deus exiſtens, hoſpitium in terra quærit, eget cibo, algore contrahitur, & præ abundantia iniquitatis refrigeſcente charitate multorum, non eſt qui eum recipiat cordis hoſpitio, reficiat patris placitis, benefica voluntate reuoluat, foueat deuotionis ſinu, veſte contegat charitatis.

*Cornel. à Lapide in Cant. Canticor.*

Huc dimidia ex parte accedit Richar. Victor. qui per rorem opplentem caput Chriſti accipit abundantiam miſericordiæ Dei, per guttas verò noctium ſuper cincinnos accipit hominum peccata & miſerias, quaſi Chriſtus dicat animæ deuotæ: *Quia tanta tibi præſtiti, tu quoque* Richard. Victor.
*beneficiis meis reſponde, & circa membra mea gratiam, quâ ſpecialius es dotata, exerce. Ex eo enim quòd Deus ſum, abundo miſericordiâ & rore gratiæ; & hi qui mihi in fide inhærent, replentur peccatorum guttis & cæcitate.*

*Ros & guttæ ſunt doctrina Chriſti & Apoſtolorum.*

Porrò alij patres rorem & guttas noctium in bonam partem accipiunt, putà per rorem capitis intelligunt doctrinã & gratiam, quæ à Chriſto quaſi à capite in fideles diſtillat: per guttas noctium verò, doctrinã Prophetarum & Apoſtolorum (addit Philo, & Angelorum) quæ ab illis quaſi cincinnis Chriſti profluit ad Chriſtianos. Ita Nyſſen. hom.11. Philo, Richard. tres Anonymi apud Theod. & S.Ambr. lib.3. de virgin. ſub mediũ: *Sicut ros cæli*, inquit, *nocturnas amoues ſiccitates, ita* Ambroſ.
*ros Domini noſtri Ieſu Chriſti nocturnis, & ſæcularibus tenebris æterna vitæ diſtillauit humorẽ. Hoc eſt caput, quod æſtu mundi neſciunt areſcere. Hoc caput rarat aliis, ſibi abundat.* S.Paulinus verò Epiſt.4. ad Seuerum, per caput accipiens Chriſtum Deum, per cincinnos autem ſanctos Chriſti, per rorem & guttas ſanctorum opera, quibus animam ſuam à ſicciratis ſiti reficiunt: *Ideò*, inquit, *caput tuum, Chriſtus tali repletum rore* S.Paulin.
*lætatus, & illuminator noctium noſtrarum, tamen guttis noctis noſtræ crines ſuos gaudet eſſe perfuſos, quia ipſius refrigerium & refectio eſt illa fidelium operationes, quibus vel fratres iuuantur vel inopes conſouentur.*

Anagogicè Philo per caput Chriſti Anagogicè.
rore plenum accipit Reſurrectionem Chriſti, quæ manè facta eſt, cùm ros in terram deſcendit: per cincinnos verò accipit populos ad Chriſti fidem conuerſos, quaſi hos in fide magis erudire, expolire & perficere à Chriſto iubeatur Eccleſia.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

ROs capitis & guttæ cincinnorum, notant tribulationes & afflictiones Chriſti & Sanctorum: quare cæteros fideles inuitat hîc Chriſtus, vt eis compatiantur, illáſque leuent vel mitigent. Ita S. Ambroſius de Iſaac & anima cap.6. & in Pſalm.118. ſerm.12. *Conſidera* inquit, *quando maximè pulſat ianuam Deus Verbum,*

*Ros & guttæ, tribulationes ſanctorum.*



Digitized by Google

*e ùm repletum eſt eius rore nocturno. In tribulatione enim & tentationibus poſitos viſitare dignatur, ne quis forte ſuccumbat victus ærumnis.* Ambroſ. *Repletur ergo caput eius rore vel guttis, quando corpus eius laborat. Tunc ergo vigilandum, ne cùm ſponſus venerit, recedat excluſus.* Vnde Chald. vertit: *Quoniam capilli capitis mei pleni ſunt lachrymis tuis, ſicut vir cuius capilli tinguntur de rore cœli & cincinnus cæſariei* Chald. *mea repletus eſt guttis oculorum tuorum, ſicut vir, cuius cincinnus cæſariei ſuæ plenus eſt guttis pluuia, quæ deſcendunt in nocte.*

Nota hîc lachrymas piorum implere caput & capillos Dei, quia ipſe eas ſentit ac ſi eſſent propriæ; quare eis condolet, eos conſolatur, roborat, & ſuo tempore liberat iuxta illud: *Qui tetigerit* Zachar. 2. 8. *vos, tangit pupillam oculi mei.* Zachar. cap. 2. v. 8.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

RVpertus docet Chriſtum hîc loqui B. Virgini, eámque hortari vt prædicet Iudæis fidem Chriſti, ac rationem aſſerere, quòd Iudæi rore inficiant caput, id eſt, diuinitatem ſuam, negantes eum eſſe Filium Dei; ac guttis noctium, id eſt tenebroſis ſenſibus peruertant ſacras Scripturas, quæ quaſi cincinni inhærent capiti Chriſti, tanquam Verbi Dei: *Sicut*, inquit, *illa nocte* (paſſionis meæ) *faciem meam conſpuerunt, ita nunc pertinaciter blaſphemias in caput meum iactitant, & cincinnos meos commaculant, ſimiles* Rupert. *ipſi rori cadenti ſine caducis guttis noctium, quia de gratia Dei ceciderunt, dum me Deum Dei Filium eſſe blaſphemantes negant, & ſcripturas, quæ teſtimonium perhibent de me, ſenſu contrario conturbant. Aperi igitur cum aliis teſtibus meis os tuum, & facito vt in quibuſcumque locum habeam, vbi reclinem caput meum.*

Addit Rupertus initio Eccleſiæ mulieres æquè ac viros vitam religioſam inſtituiſſe, habuiſſéque omnia communia, ſed mox ortum eſſe murmur Græcorum contra Hebræos, quòd in diſtributione alimentorũ viduæ eorum poſthaberentur: quare. B. Virginem iuſſu Chriſti murmur hoc ſedaſſe, pacem inter viduas conciliaſſe, illáſque ad paupertatis & perfectionis Euangelicæ ſtudium accendiſſe.

* *
*

Verſ. 3. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?*

SEPTVAG. *Exui tunicam meam, quomodo induam illam?*

Sponſa in lectulo ſuauiter decumbens, ſurgere, & Sponſo pulſanti aperire detrectat, aut certè moras nectit, vti ſolent facere ſemidormientes & ſemiſopiti: quare huic ſuæ ſomnolentiæ & torpori excuſationem prætexit dicens, non tam Sponſo (hoc enim nimis inurbanum fuiſſet) quàm ſibi ipſi: Ego tunicam exui, difficile eſt mihi ſurgere & tunicam induere, laui pedes meos ne lodices inquinarem, moleſtum eſt mihi pedes è lecto tollere, humum calcare, puluere terræ ſordidare; manebo ergo in lectulo meo: olim enim incedebant nudipedes, aut certè ſolâ ſoleâ plantam pedis tegebant, ne illam in ſaxa illiderêt, ſuperiore verò pede nudo ambulabant: quocirca cœnaturi vel cubitum ituri pedes lauabant, ne pedibus puluerulentis vel lutoſis ſtragula macularent. Sic Abraham Angelis formâ humanâ apparentibus parans conuiuium, prius eorum pedes lauit. Geneſ. 18. 4. Idem fecit Loth iiſdem. Geneſ. 19. & Ioſeph fratribus ſuis ante epulum. Geneſ. 43. Hinc Magdalena in Conuiuio Simonis, lachrymis ſuis lauit Chriſti pedes, ac Chriſtus ipſe diſcipulis ſuis in vltima cœna ante S. Synaxim. Idem feciſſe Gentiles docet Athenæus lib. 12. cap. 5. & lib. 15. cap. 15. *Olim ituri cubitum lauabant pedes. Cur?*

Hinc ſymbolicè docet Nyſſen. animæ piæ nudandos eſſe pedes mentis, vt ſine calceis terrenorum affectuum liberè incedant ad Deum: calcei enim cùm fiant ex pellibus animalium mortuorum, ſunt ſymbola peccatorum, idque probat primò exemplo Moſis, qui acceſſurus ad Deum in rubo ab eo iubetur calceos exuere. Exodi 3. Secundò, ex eo quòd de calceis ſacerdotum nihil à Deo legamus præſcriptum, vti de cæteris eorum veſtibus: Videntur ergo Sacerdotes nudipedes miniſtraſſe & ſacrificaſſe. Tertiò, quòd Chriſtus Apoſtolis ituris per Orbem calceos vetuerit. Lucæ cap. 10. v. 5. *Calcei typus peccati. Cur?*

* *
*

PRIMVS

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

QVæres, quænam ſit tunica, quâ Eccleſia ſe expoliauit, & veretur eam rurſus induere?

*Tunica Eccleſiæ quæ? Reſp. 1. Charitas.* Primò Noſter Sanchez: Depoſuerat Sponſa, inquit, nuptialem veſtem, id eſt, de amore Sponſi aliquid remiſerat, dum ſuam mollitiem & ſomnum plus ſatis amat. Nuptialem aotem tunicam eſſe eharitatem docet Gregorius hom 38. in Euang. Illam ergo tunicam, dum ſuo genio magis quàm Sponſi voluntati obſequitur, ſumere, id eſt, amare Sponſum pluſquàm ſeipſam durum videbatur. Huc facit verſio Chaldæi, licèt de more

Chald. Judaica: *Reſpondit cœtus Iſraël coram Prophetis: Ecce iam abſtuli à me iugum præceptorum eius, & ſeruiui idolis populorum; quomodo ergo erit mihi facies, vt conuertar ad eum? Reſpondit ei dominator ſæculi per manum Prophetarum: Ego quoque abſtuli maieſtatem meam de medio tui, quomodo conuertar? Tu autem feciſti opera mala. Ego ſanctificaui pedes meos ab immunditiis tuis, ſed quomodo inquinabo eos inter te operibus tuis malis?*

Secundo, alij ex aduerſo per tunicam
2. *Vetus homo.* accipiunt veterem hominem, puta veterem in concupiſcentiis & peccatis viuendi modum. Sic Apoſt. Epheſ. 4. 21.
Epheſ. 4. 21. iubet *deponere veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris.* Et mox: *Induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis.* Sponſa ergo veterem culpæ tunicam in Baptiſmo, ac nouam innocentiæ tunicam induta, veretur ne veterem rurſum induat, ſi conuerſioni peccatorum ſe ingerat, vt dum eos conuertere cogitat, ab eiſdem peruertatur, & in antiquum ſcelerum cœnum reuoluatur. Ita Nyſſen. Philo, Pſellus & tres Anonymi apud Theodor. Hinc vrgent nonnulli *τὸ expoliaui*: q. d. Veſte ſordidâ peccatorum, quaſi hoſtili me expoliaui, illámque quaſi ſpolium hero ſuo, puta dæmoni reddidi, quare illam repetere mihi eſt nefas. Audi S. Ambroſium lib. 5. de Virgin. *Vide*
Ambroſ. *anima Deo deuota quid dicat, ſic ſe actus corporis & terrenos exuit mores, vt neſciat quomodo, etiamſi velit, rurſus poſſit induere: Quomodo induam illam? hoc eſt, quâ verecundiâ? quo pudore? quâ poſtremò memoriâ? Conſuetudo enim boni vſũ prauitatis veteris amiſit:* Et poſt pauca: *Laui pedes meos; non dicit: Quomodo iterum lauabo eos? ſed quomodo iterum inquinabo eos? Quaſi oblita maculæ veteris, oblita contagij. Itaque pedes cùm ſemel laueris æterni fontis irriguo, & myſterij mundaueris ſacramento, caue iterum corporeæ cupiditatis illuuiem, ne lutulenti actus ſordibus inquinentur.* Hinc diſce quàm pœnitenti ſit cauenda recidiua peccati, ideóque vitandæ priſtinæ eius occaſiones & illecebræ.

Tertiò, S. Auguſt. Epiſt. 57. & ex eo 3.
Delrio, per tunicam accipiunt veteres *Antiqui Eccleſiæ Doctores.*
ſanctos Doctores, qui Eccleſiam quaſi tunica veſtierant, ſed per martyrium iam erant defuncti: per pedes verò Doctores iuniores adhuc ſuperſtites, q. d. Iubes, ô Chriſte, à me Eccleſia tibi mortalium corda, ſaxo duriora molliri & aperiri: vellem, ſed deſunt idonei operarij, certè nondum ſatis perſpexi quid valeant ferre, quid recuſent. Priores, quos idones noueram & audacter in pugnam mittebam, eos omnes hoſtilis turbo ſuſtulit maximè recens, præterita vix Maximiani, Maxentij, Diocletiani, & ferè continua Licinij crudeliſſima perſecutio. Iſti bellatores mihi arctiſſimè coniuncti, me ſtipabant, protegebant & interioris tunicæ more velabant, dum tibi morem geſtura, meis non parco, penè nuda ſpoliatáque remanſi. Qui reliqui ſuperſunt, pars æuo & laboribus, pars vulneribus & eculeis fracti: cæteri iuniores, quorum me vis ſedulitate velut pedibus per orbem diſcurrere, recèns abluti adhuc teneri ſunt, iure metuo ne fatiſcant ſub onere, ſaltem ne rurſus ſordidentur, & ſic ego in pedibus meis iterum coinquiner.

Hic ſenſus valde appoſitus eſt, ſed non tam literalis, quàm ſymbolicus & Anagogicus videtur, vt & ille Philonis, qui hæc refert ad Chriſti reſurrectionem, in qua Chriſtus mortalem humani corporis tunicam exuit, & immortalem induit. *Chriſtus enim reſurgens ex mor-* Rom. 6. 4.
*tuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur.* Rom. 6. 4. verùm hæc ſunt verba Sponſæ Eccleſiæ, non Sponſi Chriſti.

Quartò & genuinè, S. Gregor. Caſſiodor. Beda, Philo, Anſelmus, Richardus, 4.
Honorius & alij per tunicam accipiunt *Genuinè. Occupationes temporales.*
occupationes temporales, quibus ſe vt veſtibus neceſſariò implicant, qui curam ſuſcipiunt proximorum, indéque pedes, id eſt, affectus ſuos inquinant. Eccleſia ergo, id eſt, Prælati Eccleſiæ ſub tempora Conſtantini, paci, otio, orationi, vitæ quietæ ac qoaſi contemplatiuæ indulgentes, ideóque refugientes laborem prædicandi, confutandi Arrianos, cæteróſque Hæreticos & infide-

les, ac conuertendi prauos Chriſtianos, ad quem ex officio à Chriſto euocabantur, prætexebant ſuæ ignauiæ & torpori hanc excuſationem, quòd cùm eſſent Deo dicati, nollent rebus temporalibus ſe occupare, quibus occupatum neceſſe eſt defectus & ſordes peccatorum contrahere, iuxta illud S. Leonis: *Neceſſe eſt de terreno puluere etiam religioſa corda ſordeſcere.* Audi Honorium: *Hæc non dicit inobediendo, ſed ſæcularem curam refugiendo; qui enim in ſæcularibus præficitur, in ſpiritualibus deijcitur, quia ſicut corpus tunica induitur, ſic mens ſæcularium curâ implicatur, quam exutam nolunt ſpirituales reinduere, ſed in ſpiritalibus ſoli Deo vacare. Vocati verò à Deo ſuam voluntatem poſtponunt, & onus regiminis causâ proximorum inuiti ſubeunt: vnde gementes dicunt: laui pedes meos,* &c. Pedes deinde hoſce myſticos explicat, ſubdens: *Pedes, animæ ſunt affectiones, quibus ad varia deſideria transfertur, ſicut corpus pedibus graditur, quæ ſunt concupiſcentia, timor, gaudium, dolor: concupiſcit enim terrena, timet ne cupita minimè adipiſcatur, gaudet de adeptis, dolet de amiſſis; hos pedes lauit, dum terrenas concupiſcentias lachrymis pœnitentia abluit: hos iterum inquinare timet, quia qui in ſæcularium regimine poſitus eſt, vix aut nullatenus ſordes peccatorum deuitare valet.*

Leo.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

MVlti vitæ quietæ & contemplatiuæ nimis dediti, licet gratiâ prædicationis dotari, à Chriſto per Superiores ad lucrandas Deo animas vocati laborem detrectant, ne à ſua dulci quiete auellantur, ac ne in turba hominum in peccandi pericula incidant: Qui enim peccatores lucrari ſatagit, iis quoad licet ſe accõmodet oportet, vti Chriſtus cum peccatoribus & publicanis manducabat, ac Paulus omnibus omnia factus eſt, vt omnes lucrifaceret. 1. Corinth. 9. facile aliquis venialium peccatorum puluiſculus talium adhæreſcit pedibus, & vt ait S. Hieronymus Epiſt. ad Damaſum de prima viſione Iſaiæ: *Procliue eſt terram calcanti terra quippiam agglutinari: ſi feliciter prædicatio ſuccedit, periculum eſt vanagloriæ: ſi reprehendimur, turbatio: ſi laudamur, inflatio eſt metuenda.*

Hieron.

Verùm hi errant: tum quia hi puluiſculi leues ſunt, & facillimè abſterguntur, imò obruuntur tot actibus & laboribus charitatis, quos in ſalutem aliorum continuò exantlant: tum quia labor ex obedientia ſuſceptus, vehit ſecum gratiam & cuſtodiam Dei, vt ſordes pedibus non allinat, ſed pedes potiùs mundos reddat & ſpecioſos, vti patet in Apoſtolis, quos Deus in gratia aſſiduè confirmabat, iuxta illud Pauli ex Iſaia: *Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona!* Roman. 10. 15. Rom. 10. 15.

Sic hodie in Societate noſtra experimur miram Dei opem in caſtitate & puritate ſociorum, in tot occaſionibus, quibus neceſſe eſt cum peccatoribus, Indis, fœminis, Principibus, & cæ. agere, tuendâ & conſeruandâ, præſertim cùm ipſi remedia, quæ Religio eis ſuggerit non negligunt, qualia ſunt quotidiana oratio, meditatio, examen, confeſſio, communio, cuſtodia oculorum & ſenſuum mortificatio, &c. Hiſce enim pedes affectuum ſuorum aſſiduè lauant nitidóſque conſeruant.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

RVpertus B. Virginem contemplationi addictiſſimam ita reuerenter, ſed ardenter Chriſto ad curam viduarum inuitanti reſpondentem inducit: *Ego dilecto meo pulſanti loquor, eique nota replico, quia ſingularis ego præ omnibus exui me tunicâ meâ, mente & actu vel habitu reliqui omnia, & ita laui pedes meos, conſcientiam ſine intentionem meam emundante Spiritu ſancto, vt iam dicti pulueris nihil omnino reſiduum ſit. Quomodo nunc induar tunicâ, vt quum mea reliquerim omnia, curem aliena, pro aliis ſollicita & earum, quæ quotidie veniunt viduarum, vel quæ ventura ſunt virginum materfamilias effecta? Quomodo inquinabo quos laui pedes meos, id eſt, ad aliqua terrena inclinabo oculos, vel cæteros, quos omnes tibi ſoli, dilecte mi, dedicaui, ſenſus vel cogitatus meos. Nam etſi cuſtodia tua ſemper mecum eſt, vera tamen humilitas ſemper ſollicita eſt, & mea potiſſimùm anima, quæ amore tuo ſingulariter plena eſt, pro puluere æſtimat, pro ſordibus reputat quicquid vnquam præter te, per aliquam neceſſitatem dicit vel cogitat, quamuis licitum ſit, quamuis non otioſum, imò & aliquatenus vtile videri poſſit.* Rupert.

* * *

Verſ. 4.

Verſ. 4. *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.*

*DILECTVS meus miſit manum ſuam per foramen* (Arabicus *de foramine*) *& venter meus intremuit.* (Genebr. legi vult *inſremuit*: hoc enim ſignificat Hebr. המו *hamu*) *ad tactum eius.*

Hebr.

Dum Sponſa pigritans in lecto tardat ſurgere & aperire oſtium, Sponſus ipſe ad caſtigandam eius moram, manu immiſsâ per foramen oſtium aperit: quare Sponſa confuſa & perturbata fuit adeò, vt venter eius cõtremiſceret ad tactum eius, quo ſcilicet Sponſus tangebat peſſulum & aperiebat oſtium. Vnde Hebr. eſt: *Et viſcera mea homu*, id eſt, *inſremuerunt*; reſonuerunt, tumulum & ſtrepitum ediderunt *ſuper ipſum*, ſcilicet Sponſum Septuag. *Venter meus turbatus eſt ſuper ipſum*. Symmach. *Interiora mea turbata ſunt.* Syrus: *Viſcera mea commota ſunt miſeratione in eum.* q. d. Ex intimis viſceribus miſeratus ſum Sponſum, dum ſenſi eum cum nocturno frigore & guttis luctantem, ac laborantem, vt aperiret oſtium: quare illico è ſtrato ſurrexi, eique oſtiũ reſeraui: Vnde Theodoret. vertit: *Venter meus calefactus eſt*, amore Sponſi, æquè ac dolore & pudore, quòd tardarem ei aperire. Videtur Theodor. pro המו *hamu* legiſſe חמו *chammu*. Per *foramen* R. Abrahã accipit rimam oſtij, per quam Sponſus digitum vel cultrum immiſerit, vt peſſulum eleuaret vel deuolueret ad aperiendum oſtium. Alij paſſim propriè accipiunt foramen, puta feneſtellam, vt ait Nyſſenus, quæ ſubinde in oſtiis fit ad peſſulum reducendum, vel ſeram reſerandam. Quare minùs verè minúſque caſtè Rupertus, Honorius & alij nonnulli *foramen* ad ventrem Sponſæ referunt, cùm conſtet ex Hebræo, Septuag. & aliis, referendum eſſe ad *oſtium*. Accedit quòd Sponſa erat in lecto; lectus autem non ſternitur ad oſtium, alioquin aditum ingredientibus occluderet, ſed ad parietem oſtio obuerſum.

Lxx. Symmach. Syrus.

Foramen quid?

## PRIMVS SENSVS

### *De Christo & Eccleſia.*

CHriſtus miſit manum per foramen, cùm magnis viris, Doctoribus & Præſulibus Eccleſiæ ſub tempora Conſtantini Monaſticen profitentibus; aut Epiſcopatum refugientibus ex metu & timore peccandi, metum hunc ademit, animóſque indidit ad generosè capeſſendum regimen animorum, puta ad reſiſtendum Arrianis cæteriſque impiis, & prædicandum paſcendumque gregem Domini.

Foramen animæ eſt intellectus & voluntas: vtrique enim Chriſtus latenter & occultè quaſi per foramen manum, id eſt, gratiam & robur indidit ad id perficiendum: Intellectui enim oſtendit muneris paſtoralis præſtantiam, meritum, facilitatem ex ope diuina, &c. Voluntati amorem & audaciam immiſit ad id amandum & ſuſpiciendum. Ita Epiſcopatus initio exhorruère & refugère S. Athanaſius, cui Alexander Epiſcopus Alex. moriens dixit, & quaſi vates prædixit: *Fugis Athanaſi, at non effugies:* Manus Dei comprehendet te, facietq; Epiſcopum, imò athletam & adamantem fidei, ac Arrianorum flagellum inſuperabile. Item S. Baſilius, S. Gregorius Nazianz. S. Chryſoſt. S. Ambroſ. S. Auguſt. S. Fulgentius, S. Gregor. aliique plures: ſed hi omnes tandem Chriſto ad regimen animarum vocanti, ſuúmque auxilium promittenti obediuerunt, humeróſque oneri paſtorali ſubiecerunt, ac generosè tot Epiſcopis Arrianis eorúmque aſſeclis, Imperatoribus Conſtantio, Iuliano, Valenti, &c. reſtiterunt, atque de iis gloriosè triumpharunt.

*Foramen animæ eſt voluntas.*

*Exempla fugientium Epiſcopatus.*

Audi Richardum de S. Victore: *Dum pia anima trepidat actibus mundi implicari, ſi ſuſcipiat onus curæ proximorum, & ſe dedat procurationi ſalutis eorum; Dilectus, qui ipſam ad munus illud excitarat, conſolatur eam, & ampliori gratiâ viſitat cor eius penetrans. Quam gratiæ viſitationem Sponſa appellat miſſionem manus per foramen; quia quaſi per rimam Chriſtus infundit gratiam, cùm non totam animam perfundit, ſed quadam menſura gratia viſitat, & quum ſic in parte viſitat non plenè illuſtrat. Manus ergo dilecti, operatio hac gratiæ & donum poteſt intelligi. Venter verò ipſa mens, in qua cogitationes excoquũtur ſicut cibi in ventre.*

Richard. Victor.

Similia habet S. Anſelmus: Nam vt ait Philo Carpath. Deus ante oculos animæ ponit certitudinem ſuæ prouidentiæ & gratiæ, quæ nouit beneolentes roſas inter ſpinas, & triticum inter zizania conſeruare, ne lædantur, vtpotè quæ nullum vnquam in ſe ſperantem deſeruit. Hinc tres Anonymi apud Theodoret. per manum accipiunt ſpiritum ſanctum: *Dilectus meus*, inquiunt,

*demiſit à Patre, procedentem ab eo Spiritum ipſi conſubſtantialem, cuius tanquam manu peragit diuina gratiarum munera, per mentem meam velut per foramen aliquod, & partente me initium ſapientiæ, timorem dilecti mei, tanquam iudicij gula ventriſque corripitur vitium, vnde genus omne naſcitur intemperantiæ.*

3. Patres.

Foramen Deitatis ſūt creaturæ. Symbolicè, Nyſſenus docet foramen, per quod Deus ſuam cognitionem, timorem & amorem nobis inſtillat, eſſe creaturas, puta opera à Deo creata, ex quibus ratiocinando cognoſcimus Dei Creatoris magnitudinem, omnipotentiam, bonitatem, ſapientiam: quare venter noſter intremit, dum illa admirantes & obſtupeſcentes ſupplices laudamus, amamus & veneramur eorum opificem. Vnde Theodor. vertit: *Et venter meus caleſactus eſt.* Sic & Theodoret. qui per foramen accipit ſenſum, v. g. oculum, in quo manus Dei iam dicta operatur. Sic & S. Ambroſ. lib. de Iſaac & anima cap. 6.

Theodor.

Et obedientia Chriſti. Magis propriè Honorius, per manum accipit opus obedientiæ Chriſti. Nam cùm vocanti Chriſto anima tardat aperire, quia proximorum regimen ſuſcipere formidat, Sponſus ei opus obedientiæ ſuæ perfectiſſimæ ante oculos proponit, vt perterrita faciat pro proximis, quod Deus fecit pro inimicis. Manus Sponſi eſt opus obedientiæ illius, & per manum opus manuum exprimitur. Foramen cubiculi eſt auris corporis, quod eſt animæ cubiculum. Manum per foramen mittit, quando per auditum memoriæ ingerit myſterium paſſionis ſuæ, quo pacto de gloria cæleſtis regni egreſſus, huius exilij labores ſubiuit, & inimicis ſuis tanto labore & periculo pœnitentiam & regnum cælorum prædicauit, vt hoc permota exemplo torporem diſcutiat, & animam pro proximis ponere non extimeſcat.

Et ſchiſma. Porrò Coſmas Damianus, per manum accipit ſchiſma: Sic enim Eccleſiam Sponſam loquentem inducit: Impudentiâ otioſæ & lautæ vitæ meæ vehementer offenſus Sponſus, ingenti facto ſchiſmate, ceu perfoſsâ domo, tribus immiſſis dubiis Pontificibus, tanti ſchiſmatis materia, ceu per effoſſæ domus noſtræ foramen immiſsâ manu, me cùm omnium ſecura & deliciis ſoporata cubarem, perterruit: Regibus & Principibus toto orbe in me vnam conſpirantibus & coniuratis, ingens metus meum perculit & perterrefecit animum, vt olim exercitus Chaldæorum, grauis illa Dei manus, per effoſſum murum Ieroſolymorum Sedeciam regem cum tota Synagoga conſternauit. 4. Reg. 25. Ierem. 39. 52. Idem deinde in Comment. fuſiore, Eccleſiæ, id eſt, nonnullorum Prælatorum & fidelium defectus & vitia, vt ambitionem, auaritiam, cupiditates, ſchiſmata, bella inteſtina & externa fusè deplorat, æquè ac facit S. Bernardus de Conſider. ad Eugen. Ioan. Gerſon, Aluarus Pelagius de planctu Eccleſiæ, & Bellarm. de gemitu columbæ.

## SECVNDVS SENSVS

### *De Chriſto & Anima Sancta.*

Foramen animæ. Mittit Chriſtus manum ſuam per foramen animæ, cùm eam occultæ gratiæ inoperatione, ſed potenti ad heroïca virtutum opera impellit. Vnde Caſſiod. *Dilectus*, inquit, *manum per foramen mittit & ventrem tangit, cùm internâ conditor inſpiratione cor viſitat, & ad profectum virtutum accendit.*

Caſſiodor.

Viſio Ruperti. Audi quid de ſe, quaſi de alio narret hìc Rupertus, dum noctu vigilans hanc Chriſti manum pectus ſuum demulcentem, & ſigno crucis ſignantem ſenſibiliter, mirâ cum animi ſui voluptate expertus eſt: *Dilectus in viſu noctis conſpicuus, manum ſuam miro modo pectori eius, quaſi per foramen iniecit, & cor eius intrinſecus apprehendit, tenuitque aliquandiu ſuauiſſimè ſtringens, & gaudebat ineffabili gaudio cor illud, intra manum illam ſubſiliens atque tripudians.*

Rupert.

Rurſum S. Gregorius: *Manum*, ait, *dilectus per foramen ad Sponſam mittit, vt ſurgat, quando per ſubtilem intellectum quanta ſit operationis diuina virtus, inſpirando manifeſtat; quòd videlicet & inter pericula ſaluare poſſit: quòd etiam in pace, niſi per eum nemo ſaluus ſit: quòd in tumultu certaminis ſperantes in ſe non derelinquat. Ad cuius tactum venter Sponſæ intremuit: quia ſancta anima, quò amplius diuinam potentiam per interiorem viſitationem præſentialiter ſentit, eò diſtrictiùs iudicat, quicquid in ſe carnale deprehendit. Quò maiori enim charitate in Deum ardet, quem mente concupiſcit, eò timidiùs ei ſe ſubiicit, ne Sponſus aliquid in eo inueniat, propter quod eam à ſe dimittere velit.* Magis præciſè & propriè Beda hæc applicat ad curam proximorum: *Et venter meus*, inquit, *intremuit ad tactum eius, quia recordata miſericordiæ & operationis Dei conſcientia paueſcit, iuxta illud Propheticum: Conſideraui opera tua & expaui; atque ad curandam proximorum ſalutem pro qua Deus incarnatus eſt & mortuus, pro viribus aſſurgere feſtinat.* Audi S. Ambroſ. lib. 3.

Gregor.

Beda.

lib. 3. de Virg. poſt medium: *Bonum eſt vt ad aduentum Domini interiora turbentur; ſi ad Angeli aduentum Maria turbata eſt, quantò magis ad Chriſti nos turbamur aduentum? Influentibus quippe diuinis, corporeus peregrinatur affectus, & vſus exterioris hominis exoleſcit.* Breuiter, ſed acutè rem acu tangit Ioannes Carmelita: *Dilectus meus manum miſit per foramen*, id eſt, inquit: *Sponſus meus per arcanum hiantis voluntatis foramen ex aſſenſu* (quo gratiæ Dei præuenienti conſenſit) *factum, intulit auxilij ſui manum.*

Ambroſ.

Ioan. Carm.

Foramen tribulationum.

Iuſt. Orgel.

Secundò, Iuſtus Orgelit. *Dilectus*, inquit, *miſit manum ſuam per foramen, quando eam per paſſionum anguſtias tranſire perdocuit. Venter verò eius conturbatus eſt ad tactum illius, quando imminente perſecutione infirmiores, qui in ipſa erant, contremuerunt acerbitate pœnarum, quæ ipſi illata fuerunt ex permiſſu Dilecti. Tactus namque iſte aduenientis plaga intelligitur cruciatus ſecundùm illud libri Iob: Tange oſſa & carnem eius, niſi in faciem benedixerit tibi.* Et Lucas Abbas: *Quando*, inquit, *anima in quocunque errore poſita pulſanti non aperit, Chriſtus per foramē mittit manum ſuam caſtigando per damna rerum, per famem & reliqua flagellorum genera; Mittit per foramen vt ſentiat quidem, ſed non dat, vt videat manum, quæ corripit contemptorem. Intumeſcit enim venter animæ, id eſt ſenſus, quando pro peccatis iuncis fuerit acerrimis flagellatus.*

Lucas Abb.

Huc facit verſio Chaldæi, qui hæc accipit de caſtigatione impiorum Iudæorum: *Quando*, ait, *manifeſtum fuit coram Domino, quòd populus domus Iſraël nolebat pœnitentiam agere & conuerti ad eum, extendit plagam fortitudinis ſuæ contra tribum Ruben, & Gad, & dimidiam tribum Manaſſe, quæ erat trans Iordanem, & tradidit eos in manus Sennacherib Regis Aſſyriorum, qui tranſtulit eos in Lachach & Chabor flunios Gozam, & Ciuitates Medorum, & tulit de manu eorum vitulum conflatilem, quem poſuerat Ieroboam impius in Leſem-dam quæ vocata eſt Pameias, in diebus Paceæ filij Romeliæ, & quando audiui ego, miſerationes meæ reuolutæ ſunt ſuper eos.*

Chald.

Anagogicè.

Anagogicè Honorius: *Dilectus manum mittit*, inquit, quando hominem dolore mortis tangit, ſed venter ad tactum eius tremit, quia de minimis peccatis, quæ per fragilitatē carnis commiſit, metuit: ſurgit tamen vt ei aperiat, quia viſionem eius, quæ ſurſum eſt exoptat: manus myrrham ſtillant, quia opera pro quibus hîc eſt mortificata Chriſto repræſentat, vt pro his æterna præmia recipiat. Hæc Honorius. Sic quoque Philo per manum in foramine intelligit vim diuinam, quæ animam Chriſti & ſanctorum in corpus mortuum reduxit & reducet, vt viuum & glorioſum reſurgat.

Tropologicè Guilielmus: *Venter animæ*, inquit, *memoria eſt, in eo quippe recondimus, quæ ſuo tempore per cogitationem quaſi munda animalia ruminemus. Ad hunc tactum dilecti memoria noſtra obſtupeſcens expaueſcit; eò quod ad tantam circa nos dignationem diuinam, nihil in ſe condignum recolit.*

Tropologicè.

Guilielm.

Symbolicè Philo Carpath. hæc refert ad S. Thomam Apoſtolum, qui incredulus mittens manum in latus Chriſti, credidit eum verè reſurrexiſſe, & ſacro horrore & amore perfuſus intremuit, imò infremuit dicens: *Dominus meus & Deus meus.* Ioan. 20.

Symbolicè.

Ioan. 20.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

NYſſenus docet Verbum Dei omnipotens & immenſum quaſi in anguſtum ſe contraxiſſe, quando manum ſuam, id eſt, vim & operationem ſuam, imò ſeipſum miſit in foramen, puta in exile corpus humanum ſuis ſenſibus & organis diſtinctum, dum illud aſſumpſit in vtero B. Virginis, idcóque illud myſterium, cum tremore adorare & admirari corda omnium Angelorum & hominum: Manus ergo in foramine, eſt omnipotentia Verbi in humanitate operans mira & miracula. Sic & Caſſiodorus: *Dilectus*, inquit, *manum per foramen mittit, cùm nos ad memoriam operum ſuorum reuocat, vt cogitemus, quia cùm Deus eſſet, pro nobis homo fieri dignatus eſt, vt terrena noſtra ſuſcipiens, cæleſtes nos faceret, & moriendo pro nobis vitam æternam nobis donaret. Quod cùm ſit venter intremit, quia cùm talia cogitare incipimus, cordis noſtri arcana ſe concutiunt, dum ſtupere incipimus, quantâ dignatione hæc Conditor pro nobis agere dignatus eſt.*

Caſſiodor.

Audi Honorium: *Dilectus meus Deus, quem elegi præ omnibus, miſit manum ſuam, filium ſuum in mundum, per foramen, per me (ait Deipara) quæ facta ſum ei ad homines venienti foramen humilitate anguſtum, caſtitate lucidum, & ideo illi ſoli peruium; & venter meus intremuit, obſtupuit ad tactum ad ingreſſum illius.*

Honor.

Verſ. 5. *Surrexi, vt aperirem dilecto meo: Manus meæ ſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima.*

Verſ. 6. *Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat atque tranſierat.*

Aqvila: *declinauit, præteriit.* Symmach. *renuens præteriit.* Pro *pleni myrrha probatiſſima,* Hebr. eſt *pleni myrrhâ transeunte per manus,* id eſt, myrrhâ probatiſſimâ, quæ vt talis omnium manibus teritur, probatur & celebratur. Maſſoretæ ita diſpungunt, vt *τὸ peſſulum* referant ad *myrrham,* non ad *aperui;* Sic & Septuag. qui proinde vertunt: *Digiti mei* (ſtillauerunt) *myrrham plenam* (id eſt perfectam & copioſam.)

*Super manus peſſuli.* q.d. Digiti mei tam copiosè ſtillarunt myrrham, vt & peſſulum madefecerint, itáque facilè illud moueri & aperiri potuit. Sic & Syrus & Arabicus: *Digiti mei,* inquiunt, *myrrham diſtillauerunt ad ſeram.* Addit Arabicus: *Præ manu mea clauis, aperui, ſed ille iam abierat.*

Syrus. Arabic.

Loquitur ad ſimilitudinem Sponſæ delicatæ, quæ manus habet vnguento myrrhæ perunctas adeò copioſè, vt de manibus & digitis per guttas defluat, cùm ad aperiendum oſtium, vel aliud aliquid operandum eas cœperit extendere, Sponſæ enim mane dum ſurgunt, ſe comunt & poliunt, ac vnguentis perungunt, vt ſuauem exhalent odorem, præſertim præſente Sponſo, vt hîc præſens aderat. Addunt aliqui Sponſam accepiſſe vas vnguenti myrrhini, quod eſt calidum & deſiccans, vt illud ſuper caput Sponſi rore & guttis madentis effunderet, illôque ipſum calefaceret & ſiccaret.

Myrrha ſoporem diſcutit.

Inſuper myrrha ſuâ fragrantiâ & amaritate cerebrum confortat, ac diſcutit vapores, qui illud opplent & ſoporant: quare Sponſa illo ſe perungit, vt ſoporem & deſidiam excutiat, ac cita alacríſque ſurgat ad illico aperiendum Sponſo oſtium; ſed ille iam declinauerat. Hi enim inter amantes, ſunt luſus amoris: *Vis, nolo: Non vis, volo: Quæris me, abeo: Abis, te ſequor.*

PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

Eccleſia illico vt ſenſit manum, id eſt, gratiam & impulſum Chriſti, excitantis illam efficaciter ad laborem prædicationis & conuerſionis animarum, pudore ſuffuſa excuſſit tarditatem, ac cœpit per ſuos Epiſcopos & Doctores opponere ſe Arrianis, infideles conuertere, fideles in fide & pietate roborare, vt apertis cordibus Chriſtus ad inhabitandos proximos veniens, aditum intrandi inueniret, ait S. Gregorius. Quare tunc manus & digiti eius ſtillauerunt myrrham probatiſſimam: tum quia laborem prædicandi vſque ad defatigationem ſuſcepit; tum quia ab Arrianis, Infidelibus, & prauis fidelibus graues moleſtias & perſecutiones, ac ſubinde mortes & martyria perpeſſa eſt: tum quia vltrò ſe dedit operibus mortificationis & pœnitentiæ, ad puniendas & abigendas priores otij ſui delicias & lautitias, atque ad impetrandam peccatoribus veniam & gratiam Dei: tum denique, quia iiſdem prædicauit & inſtillauit pœnitentiam, clamans cum Chriſto: *Pœnitentiam agite; appropinquauit enim regnũ cælorum.* Matth. 3. & 4. Hinc Septuag. Syrus & Arab. dicunt Sponſam ſtillaſſe hanc myrrham vſque ad peſſulum vel ſeram oſtij, quia nimirum per eam abegit peſſulum, id eſt, torporem & tarditatem, quæ oſtium Sponſo clauſerat: peſſulum enim norat omne impedimentum, quod anima obiicit Chriſto, ne ad ſe ingrediatur. Quocirca Tres Anonymi apud Theodor. per peſſulum accipiunt motus appetitus concupiſcibilis, qui quaſi peſſulum aditum Deo occludunt. S. Gregorius verò & Beda per peſſulum accipiunt voluptates ſæculi, quæ cor Deo claudunt. Ita Caſſiod. Beda, Iuſtus, Rupertus, Anſelmus, Richardus & alij, qui docent manus Eccleſiæ diſtillare myrrham, cùm illius Prædicatores ſtudent auſteritati & mortificationi (hæc enim efficacius prædicat, quàm lingua docta & eloquens) vel cùm morti ſe exponunt pro Chriſto: Digitos verò ſtillare myrrham probatiſſimam, cùm per diſcretionem diiudicat, an rectâ ſanctâque intentione id faciant.

Myrrha perſecutionum.

Matth. 3.

Quocirca Eccleſia peſſulum Chriſto aperuit, dum Epiſcopi & Paſtores torporem excuſſerunt, ac iuxta Chriſti voluntatem ſtrenuè laborarunt in conuer-

ſione

ſione hæreticorum, infidelium & prauorum fidelium: *at Chriſtus iam declinauerat atque tranſierat*, quia nimirum inualeſcente Arrianiſmo & impietate, ex eo quòd Paſtores & Epiſcopi ſtatim totis viribus, vt debebant, illi ſe non opponerent vt ſcintillam hanc ſuffocarent, Chriſtus ad eorum pœnam permiſit, vt Epiſcopi Orthodoxi tardiùs illi ſe opponentes, ſcintillam hanc extinguere nequiuerint, illa in magnum proſerpſerit incendium, quo totus Orbis conflagrauerit, in quo reſtinguendo per plures centenos annos laborauit Eccleſia, nec tamen ita extinxit, quin adhuc hoc tempore eius reliquiæ in Tranſyluania, Polonia, Hollandia ſuperſint. Ita tarditas iuſtè tarditate punitur. Idem contigit ſæpius ſequentibus ſæculis, quibus Deus nouos fidelium defectus & vitia per nouos Pſeudoprophetas caſtigauit, vti anno 600. per Mahometem cuius ſectæ ſcintilla, quia initio non eſt reſtincta, ſenſim per Prouincias graſſata magnam Orbis partem incendit, eò quòd nulli tunc in Oriente extiterint eximij in ſanctitate & doctrina viri, nulli etiam Religioſorum Ordinum inſtitutores, qui ſe illi opponerent, vti ſolerter obſeruauit Thomas Bozius de Signis Eccleſiæ lib. 9. cap. 4. Mahometem poſt centum annos ſecuti ſunt Iconomachi, quorum furor in Oriĕte peruagatus eſt, Prælatis, & Principibus vel dormiĕtibus, vel hæreſi fauentibus; ſed Deus tandĕ eis oppoſuit S. Iohanniciũ, S. Platonem, S. Bonifaciũ. Sub annum 900. inualuit ſecta Nicolaïtarum, ac inundauit vbique gulâ & luxuriâ, vtpote hominibus vltrò eam promouentibus, ſed Deus tandem eis oppoſuit S. Romualdum & Camaldulenſes, viros vitæ ſanctæ & auſteræ, & Bernonem Burgundum Comitem, fundatorem Cluniacĕſium, ac S. Brunonem, qui Carthuſiã inſtituit anno Domini 1084. ac S. Bernardum, qui Ciſtercienſium fuit auctor ſub annum Domini 1100. Rurſum ſub annum Domini 1200. exortâ Valdenſium hæreſi, ac mundo in omnia ſcelera prolapſo, Deus tandem excitauit S. Dominicum & S. Frãciſcum, qui per Religioſos ſuorum Ordinum, vitia caſtigarent, priſtinámq; fidem & virtutĕ reſtituerent. Poſt ducentos annos ex inferis in Orbem eruperunt Huſſitæ, cŏtra quos Deus immiſit S. Bernardinũ Senĕſem, & S. Vincentium Fererium. Deniq; ſuperiori ſæculo è Tartaro ebulliit Lutherus, Caluinus, Mĕno, qui omnia vete-

*Tarditas tarditate punitur.*

*Exempla.*

*Singulis hæreſibus Deus Religioſos oppoſuit.*

rũ hæreſum monſtra renouarunt, quibus Deus oppoſuit S. Ignatium cum Societate Ieſu, alióſque viros doctrinâ & religione præſtantes. Vide Thomam Bozium de ſignis Eccleſiæ lib. 9. cap. 4. & ſequent. vbi oſtendit per Religioſos vbiuis gentium propagatam eſſe fidem Orthodoxam, ac mores fidelium reformatos quouis ſæculo.

Porrò Chaldæus more ſuo hæc applicat Iudæis & Synagogæ, à qua ob tarditatem credendi, Deus ſe, & ſuam fidem, & cultum abſtulit: Vnde vertit: *Cùm præualuit contra me plaga fortitudinis Domini, obſtupui propter opera mea, & Sacerdotes obtulerunt oblationes, & adoleuerunt incenſum aromatum, & non fuit acceptum cum beneplacito, quoniam Dominator ſæculi clauſit portas potentiæ in conſpectu meo. Dixit Chriſtus Iſraël: volui quærere doctrinam à facie Domini, ipſe autem abſtulit maieſtatem ſuam de medio mei.*

*Chald.*

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

IAm dicta de Eccleſia dicito animæ piæ mutato nomine. Anima enim euocata à Chriſto ad maiorem perfectionem & conuerſionem animarum, dum trepidè & tardè obedit, ſui corporis tandem pœnitens offert myrrham, id eſt, mortificationem & pœnitentiam Chriſto, quâ deſidiam ſuam caſtiget; ſed ille pertranſit, ac priorem illam heroïcam gratiam, quam oblatam illa reſpuerat, negat, ac minorem dat. Rurſum negat illi gaudia & conſolationes ſpirituales ac fructum animarum, quem collegiſſet ſi illico Chriſto vocanti paruiſſet. Inſuper tarda & difficilia dat ei auxilia, idque facit iuſtis de cauſis, vti rectè notat Titelmann. Primùm quidem ad puniendam præteritam noſtram tarditatem & inobedientiam, per quam diu illum pulſantem negleximus, & foris ſtare permiſimus, quem debuiſſemus meritò ad primum ictum ambabus manibus intromittere, & obuiis vlnis excipere. Non enim poteſt melius iſta Sponſæ tarditas puniri, quàm vt viciſſim Sponſus eam cogat præſtolari, vt ſicut volente introire Sponſo, non ſtatim ipſa conſenſit neque occurrit; ſic viciſſim Sponsâ volente coniungi Sponſo, ipſúmque ad ſe introducere, Sponſus non ſtatim obtemperet eius in hoc deſiderio. Et quomodo illa inutiles protraxit moras, & in-

*Tardè reſpondentis Chriſto pœna.*

iuſtas

iuſtas prætexuit occaſiones, ne Sponſum ſtatim reciperet: Sic iuſtis rationibus iſte non ſtatim ſe oſtẽdat quæſitus, differátque Sponſæ illius deſideria, ad amplexus dilecti ardenter ſuſpirantis: ita vt cogatur iam quærere cum dolore & labore eum, qui ſe priùs ante ianuam vltro videbatur offerre. Secundò id facit, ne Chriſti Sponſi præſentia & gratia animæ vileſcat, ſed ab ea magni fiat, vtpote quam videt ſe cum tanta difficultate recuperaſſe: quare eam recuperatam ſtudioſè & cautè conſeruet, ne deperditam fruſtra requirat.

Manus ergo & digiti eius, id eſt, omnes operationes eius diſtillent myrrham, id eſt, carnis mortificationem & pœnitentiam, quæ vnica eſt via ad recuperandam Dei gratiam, præſertim heroïcam. Det ſe ergo talis anima ieiuniis, vigiliis, gemitibus, diſciplinis, ciliciis, eleemoſynis, &c. vt Sponſum reuocet.

Porrò myrrha debet eſſe *probatiſſima*, vt ſcilicet pro ſolius Dei honore, pro acediæ & vitiorum extirpatione, pro feruoris & virtutum augmento, pro animarum conuerſione, non propter aliquod temporale lucrum vel commodum vltrò aſſumatur; ſic per eam Sponſum rurſus in cordis ſui, æquè ac proximorum hoſpitium reducet. Vnde Nyſſenus: ſurrexit, ait, anima pia ad ſtudium mortificationis, vt per illud oſtium aperiret Deo. Sic Caſſiodorus, Beda, Anſelmus, Rupertus, Iuſtus, Richardus & S. Gregorius, quem audi: *Sed digiti myrrhâ probatiſſimâ pleni eſſe perhibentur,*
Gregor. *quia in omni quod agitur, ſemper neceſſe eſt, vt mortificatio carnalitatis teneatur. Quæ tunc probatiſſima eſſe iure dicitur, quando in omni ſuggeſtione, quæ ab hoſte ingeritur ſine ceſſatione voluptas carnalis cauetur, ne ſuſcipiatur; quod quando fit omnis duritia mentis diſſoluitur, & vt Sponſus intret ad cor aditus præparatur.* Abit ergo Sponſus ab anima ſancta per negationem maioris gratiæ, gaudiorum & conſolationum ſpiritualium; idem tamen animæ præſens eſt per iuſtitiam & auxilia gratiæ ordinaria: Sic ſæpe Chriſtus animabus piis ſuâ gratiâ eſt præſens, ſuauitate verò & conſolatione eſt abſens.

Vide quàm carò conſtitit Sponſæ hæc cunctatio. Vnde Theodoretus: *Quantum pariat*, inquit, *detrimenti pigritia, & quantum laboris afferat ignauis hinc per-*
Theodor. *diſcamus. Dum enim excuſat ſe Sponſa, nec ſtatim Sponſo ianuam vult aperire; cogitur paulò pòſt non ſolùm ad ianuam vſque progredi, ſed ciuitatem percurrere & plateas circumire, atque in cuſtodes incidere, à quibus vulnera etiam accepit, & vix Sponſum inuenit exoptatum. Quòd ſi ſtatim vocanti paruiſſet, hæc omnia incommoda euitaſſet.* Hinc Angeli pinguntur cũ alis, & nudis pedibus, vt eorũ in obe- *Angeli pinguntur alati. Cur?*
diendo Deo celeritas ſignificetur. Audi S. Dionyſium cæleſt. hieriarch. cap. 15. Dionyſ. Areopag.
*Pennatos ſanctorum ſpirituum pedes Theologia effingit: quippe alis ſignatur celeritas alta conſcendens.* Et ſtatim: *Alarum*, inquit, *leuitas id in ſanctis Angelis indicat, quòd terreni corporis ſarcinâ liberi, toti abſque vlla admixtione vel pondere ad celſa ferantur. Quòd autem nudi & diſcalceati deſcribuntur, hoc ſignificat quòd liberi & abſoluti & expediti, atque exterioris omnis deiectionis labe ſint puri, & ad diuinæ ſimplicitatis ſimilitudinem pro viribus tendant.* Hæc eſt pœna, quam tepido & tardo Angelo, id eſt, Epiſcopo Laodicenſi comminatur Chriſtus Apoc. 3. *Quia,* Apocal. 3.
inquit, *tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo*: Quod enim illic eſt, Epiſcopum illum inſtar aquæ tepidæ nauſeam excitãtis euomere, hoc ipſum eſt hoc loco cunctantem Sponſam præterire, quæ dum nectit moras & tempus trahit, Sponſo ſuo ſtomachum mouet. *Paruus defectus magnam impedit gratiam.* Id verò tum demum illa agnoſcit, quum Sponſo aperuerit, quòd antea dum in deliciis ageret & diuitiis abuteretur, non cognoſcebat, ſe inquam (vt ſæpe memorato Epiſcopo obiicitur) tum maximè miſeram fuiſſe, miſerabilem & pauperem, cæcam & nudam, quum tibi videbatur diues, locupletata & nullius indigere.

Porrò Richard. Victor. per peſſulum vel ſeram, accipit paruos & leues defectus: *Sera*, inquit, *cùm parua ſit & anguſta, latitudinem tamen oſtij concludit, vt niſi illâ reſe-* Richard. Victor.
*ratâ patere non poſſit. Ita hæc minima niſi reſcindantur, non dignatur dilectus ita venire ad animam, vt perfectè ad eam intret, & perfectâ gratiâ eam repleat: paruæ enim negligentiæ obſcurant animam, & impedimentum faciunt amplioris gratiæ.* Tropologicè idem Richard. *Tropologicè.*
docet Deum ſtudio ſeſe ſubducere ab anima ſancta, vt maius ſui in ea deſiderĩu excitet: *Cùm anima*, inquit, *ſe digniorem Dei ſuſceptione exhibuerit, non illi ſe præbet ſicut deſiderat, ſed ab ea declinat, vt in humili-* Richard.
*tate eam conſeruet, & deſiderium eius ampliùs excitet ac perfectiùs impleat. Cùm enim ex ipſius declinatione humiliata fuerit & magis feruens, ex hoc & meritum eius creſcit, & pleniùs eum ſuſcipere digna ſit. Tunc autem declinare is dicitur, quando præſentiam ſuam ſentire non dat, cùm tamen ei præſens ſit.*

S. Gregorius

S. Gregorius, verò & Nyſſenus docent Deum à contemplatiuis ſe abſcondere, quia quò altiùs ad Deum contemplando aſcendunt, eò altiorem ſuâ contemplatione Deum deprehendunt, vt Deus videatur fugere ab eis, ſicut videntur nauigantibus fugere montes & ſyluæ, cùm iuxta eas nauigant.

Philo Carp. Symbolicè Philo Carpath. hæc adaptat S. Thomæ Apoſtolo: *Tunc*, inquit, *manus illius ſtillauerunt myrrham, &c. cùm ad illud Domini præceptum: Mitte manum tuam in latus meum, &c. latus Ieſu manibus ſuis contrectauit, & in clauorum loca digitos immiſit. Diſtillauerunt autem myrrham gentibus, quando & ipſis prædicauit, quod ad aliorum vtilitatem dubitando palpauit. Clauſerat antè cordis oſtium reſurgenti Domino fratri ſuo, aperuit mox, & manus eius palparunt Chriſtum ipſum, qui dixerat: dicite fratribus meis*, &c.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

*Myrrha B. Virginis.*
1. PRimò hæc referas ad continuam mortificationem B. Virginis, quâ Chriſto aperuit oſtium mentis, ad creſcendum quotidie in omni virtute &
2. ſanctitate. Secundò, ſurrexit illa cùm Verbo in ventre concepto abiit in montana, ac ſua ſalutatione ſanctificauit Ioannem Baptiſtam & Eliſabeth. Audi S. Ambroſium lib. de Iſaac & anima c. 6.
Ambroſ. *Poſtquam in vtero concepit anima, & concepit deſiderium videndi Deum, ſurrexit vt propius eum videret; Surrexit autem per vigorem atque virtutem: præſentiâ enim Verbi hauſit anima virtutem, ſicut præſentia Mariæ cùm vtero grauis eſſet, erudiit Ioannem in vtero conſtitutum, vt exultaret, præſentiam Domini recognoſcens.*

3. Tertiò, hæc referas ad ſtudium & zelum, quem ipſa habuit, vt per Apoſtolos alióſque conuerteret Iudæos & omnes gentes. Vnde Rupertus: *peſſulum aperui*, id eſt, inquit, rupi ſilentium, aperui os meum, vt erudirem alios; additque primò, manus ſtillare myrrham mortificationis; ſecundò, digitos plenos eſſe myrrhâ probatiſſimâ probationis & diſcretionis; tertiò, peſſulum, id eſt, os aperiri ad prædicandum: hic enim congruus eſt ordo, vt prædicatio ſit efficax multóſque conuertat.

4. Quartò, τὸ *at ille declinauerat*, referas ad amiſſionem filij Ieſu duodennis, quando tardè, ſcilicet veſpere eum requirens mater non inuenit, ac triduo eum cum magno labore & dolore quærens, tandem reperit in templo inter Doctores. Rurſum Anagogicè referas cum Philone Carpath. & Ruperto ad Aſcenſionem Chriſti abeuntis in cælũ. 5.

Quintò, B. Virgo myrrham ſtillauit, cùm vidit Chriſtum in cruce patientem, eíque intimo dolore & amore compaſſa eſt: Mater enim paſſa eſt in filio. Vnde Concil. Hiſpalenſe 2. cap. 13. hæc concomitanter & quaſi correlatiuè attribuit Chriſto, cùm conſtet propriè & præciſè ea dici de B. Virgine: *Salomon*, Concil. Hiſpal. inquit, *in Canticu Canticorum paſſionem carnis Chriſti prædicans, ait: Manus meæ diſtillauerunt myrrham, & digiti mei guttam: vbi ſpecialiter oſtenditur, in manibus ac digitis ſolam carnem Chriſti in ſtipite infixam, ſicut in Pſalm. 118. Confige clauis timoris tui carnes meas.* 6.

Sextò, B Virgo ſtillauit myrrham, cùm corpus Chriſti ſui mortuum myrrhâ per Nicodemum perunxit ad ſepulturam. Vnde S. Ambroſius lib. 3. de Virginib. Ambroſ. *Quam*, inquit, *myrrham diſtillant manus, niſi illam, quam obtulit iuſtus Nicodemus magiſter in Iſrael, qui meruit lauacri priùs audire myſterium, qui attulit miſturam myrrhæ & aloës, quaſi libras centum & miſit in corpus Ieſu? perfectum vtique odorem attulit. Hunc odorem fragrat anima, quæ Chriſto aperire incipit, vt accipiat primum odorem dominicæ ſepulturæ & credat, quia caro eius non vidit corruptionem.*

Denique S. Ambroſius in Pſalm. 118. ſerm. 12. nouè τὸ *declinauerat* accipit pro Ambroſ. *penetrauerat in intima mentis.* Sic enim ait: *Poteſt quidem & ſic accipi frater meus tranſiuit; ſicut legimus quod penetrauit dilecta intima medullarum; Et quemadmodum ad Mariam dictum eſt: Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, vt reuelentur multorum cordium cogitationes.*

Porrò Honorius, oſtium & peſſulum ſic B. Virgini attribuit: *Sacra virgo*, inquit, *oſtium fuit, per quod Chriſtus in mundum introiuit; peſſulum autem erat moles peccatorum hominum, quod ideo ab ea apertum dicit, quod* Honor. Aug. *à Spiritu ſancto præſeruata, non ſicut cæteri in peccato creditur concepta, inſuper & ſanctè viuendo peccata declinauit: ſicque dilecto ingreſſus patuit, quia per ipſam ipſa miſericordia in Eccleſiam venit. Quotidie etiam peſſulum peccatorum remouet, & per eam ingreſſus gratia Chriſti ad nos venit.*

Hæc Honorius in Sigillo.

*Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus meus locutus eſt: Quæſiui, & non inueni illum: vocaui, & non reſpondit mihi.* Verſ. 6.

*VOCAVI, & non reſpondit* (Arabicus *non obediuit*) *mihi*. Hebr. *Anima mea egreſſa eſt in ſermone eius*. Sic & Arabicus. Eſt Metalepſis. Sicut enim cera igne liquefacta à ſeipſa quaſi exit, id eſt, effluit & diffluit: Sic & anima calore Verbi Dei ſuccenſa amore quaſi liqueſcit, ſoluitur & diffluit, vt à ſe exire, & in Sponſum quem diligit tranſire & effluere videatur. Sunt verba Sponſæ pœnitentis dolentiſque de ſuo ſopore & tarditate, quòd illico Sponſo pulſanti oſtium non aperuerit. q. d. O me miſeram, quod Sponſo illico non aperui, Sponſo, inquam, qui ex mei amore frigori & roti nocturno ſe exponens, tam comiter & blandè me, vt aperirem, compellabat dicens & obſecrans: *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum eſt rore*, quare ita eius dulci, amoroſo, & ignito eloquio delectabar; vt mens mea ex ſe exire, liqueſcere, viribus deſtitui & animo linqui videretur. Quamobrem tarditatis meæ ſerò pœnitens illum quæſiui, ſed non inueni: vocaui, & non reſpondit mihi. Hoc ipſum Sapientia cõminata eſt Prouerb. 1. 24. dicens: *Quia vocaui & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret: Ego quoque in interitu veſtro ridebo*, &c. *Tunc inuocabunt me & non exaudiam: manè conſurgent & non inuenient me*. Chald. vertit: *Et anima mea deſiderauit vocem verborum eius: quæſiui maieſtatem gloriæ eius, & non inueni: oraui coram eo, & ipſe obumbrauit cælos nubibus, & non ſuſcepit orationem meam*.

Prou. 1. 24.

Chald.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

ANima Prælatorum Eccleſiæ amore & dolore liquefacta eſt, cùm audierunt vocem Chriſti conquerentis de tot tantíſque Arrianorum, Mahometanorum, Lutheranorum, Caluiniſtarum, &c. impiorúmque Chriſtianorum blaſphemiis & iniuriis ſibi Deóque irrogatis. Quare illis ſtrenuè ſe opponere cœperunt; ſed quia initio id facere tardarunt, ac eorum tarditate hæreſes & vitia magis propagata & radicata fuêre, hinc illa ſtatim eradicare nequiuêre. Quare Chriſtum multis in locis & perſonis tum quæſierunt & non inuenerunt, vti paulò antè dixi. Hîc verum eſt iſtud: *Noluiſti cùm potuiſti: non poteris ergo cùm voles*. Hoc enim eſt iuſtum Dei iudicium, iuſtáque tarditatis vindicta: Accedit, quòd multi Catholici etiam Principes & Prælati Arrianos, alióſque Hæreticos fouerint & defenderint, eiſque Eccleſias & ditiones ſuas prodiderint adeóque ipſi facti ſint Arriani & Hæretici, imò Hæreticorum Anteſignani: quæ perfidia eſt, & ſcelus immane, & penè inexpiabile, ob quod Deus in eorum ditionibus hæreſes dominari permiſit, & etiamnum permittit, quia ſcilicet paſtores ouium facti ſunt earum lupi & proditores, eáſque Diabolo deuouerunt & tradiderunt: paſtores enim ſuos vltrò ſecutæ ſunt oues ob vitæ carníſque licentiam, quam eas verbo & exemplo docebant.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

ANima pia ſentiens internã, igneámque Chriſti in mente loquentis vocem, quaſi amore & deſiderio ipſius liqueſcit, quia amor eſt quaſi calor, qui reſoluit & liquat cor. Sicut ergo ignis calore liquat ceram, ſic Chriſtus amore liquat mentem, omnéſque eius vires & potentias. Ita Caſſiodor. Beda, & S. Gregorius, quem audi: *Ad verbum Sponſi liquefactam ſe dicit: quia dum Chriſtus ſe per ſpiritum ſuum animæ deſideranti infundit, omnem duritiam cordis mox diſſoluit, & aliquando mentem in tantas lacrymas liquefacit, vt vix capere poſſit hoc, quod ſe capere intra ſe exultat, & intus miretur, quid fuerit, & quid factam ſubitò ſeipſam videat; Quem liquorem dum ſentit, perfectiùs apprehendere concupiſcit: & aliquando dum hoc ipſum cogitat, hoc quod modò ſentiebat iam non ſentit: vnde ſollicitatur ad quærendum, vt hoc idem inueniat; ſed aliquando cùm etiam diu fatigetur non inuenit, quod modò tam præſens tenebat.*

Gregor. Interni affectus animæ quærentis Sponſum.

Idem lib. 4. Moral. cap. 30. *Annon*, inquit, *robore ſuo feſſam ſe inuenerat quæ dicebat: Anima mea liquefacta eſt?* &c. *quia nimirum mens dum occulta locutionis aſpiratione tangitur in ſtatu ſuæ fortitudinis, ipſo quo abſorbetur deſiderio*

Digitized by Google

*ſiderio liquatur: inde ſe apud ſemetipſam feſſam inuenit, vnde vltra ſe eſſe conſpicit fortitudinem, quam conſcendit. Hinc propheta cum viſionem Dei ſe vidiſſe diceret, adiungit: Elangui, & ægrotaui per dies plurimos;*

*Anima liquefactio quænam?*

*Liquefactio*, ait D. Thomas 1. 2. quæſt. 28. art. 5. *importat quandam mollificationem, quâ exhibet ſe cor habile, vt amatum in ipſum ſubintret.*

D. Thomas.

Nam vt ait S. Auguſt. tract. 2. in Epiſt. 5. S. Ioannis: *Amor quem afficit in illud mutat, in quod amando fertur. Talis*, inquit, *eſt quiſque, qualis eius Dilectio eſt: terram diligis, terra eris: Deum diligis, quid dicam? Deus eris? Non audeo dicere ex me, Scripturam audiamus: Ego dixi, dij eſtis, & filij Altiſſimi omnes.*

Auguſt.

Hinc ſciat ſe illudi à dæmone, qui interius vel exterius afficitur verbo Dei, ſi cordis eius durities non liqueſcat, vt mores in meliùs mutet. Vnde Ioannes Carmelita ſic explicat, q. d. Quando Sponſus pulſans me allocutus eſt, ipſius igne concepto liquata ſum. Anima quippe velut ſpiritualibus poris ſolutis, illi tota paruit. Nam frigore corpus conſtringitur & conſtipatur; calore reſoluitur, poríque patefiunt. Sic anima hyemali culpæ rigore premitur ac contrahitur, diuino verò charitatis calore rareſcit, totáque velut poris apertis illa dehiſcit, vt Sponſum tanquam quædam ſpongia concipiat.

Rurſum Philo Carpath. Caſſiodor. Iuſtus, Richard. & alij ex hoc loco, docent animam piam deſiderare quietè ſoli Deo viuere, eiuſque conſolationibus frui; at Deum ſubinde eam non exaudire, illáſque ei denegare: *Pacem*, inquit Philo, *quærit Sponſa in moleſtiis, quibus in hac lachrymarum valle affligitur, nec inuenit in corpore aut rerum caducarum vſu. Vocat nec exauditur, cùm orando, meditando dulcedine illius diuina præſentiæ ſatiari appetit, nec illi datur, quod exoptat. Vellet enim internâ illâ ſuauitate aſſiduè frui, ſed corruptibili mole corporis impedita ſæpe conata decidit.*

Philo Carp.

Myſtici, ſiue contemplatiui hanc liquefactionem in anima fieri cenſent, per vehementiam contemplationis & & amoris diuini, quam ita explicat Richard. de S. Victor. tract. de gradibus charitatis violentæ: *Tertius amoris gradus eſt, quando mens hominis in illam rapitur diuini luminis abyſſum; ita vt humanus animus in hoc ſtatu exteriorum omnium oblitus, penitus neſciat ſeipſum, totúſque tranſeat in Deum ſuum, & faciat quod ſcriptum eſt: Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum. In hoc itaque ſtatu plenè compeſcitur, profundéque ſopitur carnalium deſideriorum turba, & fit in cælo ſilentium quaſi hora dimidia; Et quicquid moleſtiæ ineſt abſorbetur à gloria. In hoc ſtatu, dum mens à ſeipſa alienatur, dum in illud diuini arcani ſecretarium rapitur, dum ab illo diuini amoris incendio vndique circundatur, intimè penetratur, vſquequaque inflammatur, ſeipſam penitus exuit, diuinum quendam affectum induit, & inſpectæ pulchritudini configurata, tota in aliam gloriam tranſit.*

*Liquefactio animæ qua ratione fit.*

Richard. Victor.

Exemplum affert ferri, quod ex ſe frigidum & nigrum, vi ignis ſenſim incaleſcit, candeſcit, ac tandem planè igneſcit, *ita vt totum liquefiat, & à ſeipſo plenè deficiat, & in aliam penitus qualitatem tranſeat. Sic itaque, ſic anima diuini ardoris rogo intimique amoris incendio abſorpta, æternorum deſideriorum globis vndique circumſepta primò incaleſcit, poſtea incandeſcit, tandem autem tota liqueſcit, & à priori ſtatu penitus deficit.* Addit Dionyſ. Carthuſ. tract. de fonte Lucis cap 18. *Dum mens contemplationi myſticæ eſt intenta, inflammato & velut commoto ac irritato amore, incipit amor ipſe quodammodò ebullire, ac ſuperferuere, ſuâque ſacrâ violentiâ totum corpus concutere. Quod autem feruet, quadam caloris ac deſiderij ſui violentiâ extra ſeipſum proiicitur, & ſupra ſe tollitur, quaſi ibi eſſe dedignetur; Vnde tam vehementer ſe iactat: Sic & mens transfixa amoris feruore, quaſi extra corpus iactare ſe nititur, & vſque ad ſummum volare molitur.*

Dionyſ. Carthuſ.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

RVpertus docet B. Virginis animam poſt Chriſti aſcenſum in cælum, eius recordatione & deſiderio liquefactam: *Licet*, inquit, *Chriſtus abiiſſet in cælum, tamen vt ego aperui os meum, & locuta ſum de eo: tunc & dilectus meus locutus eſt eo ſenſu, quo Paulus ait: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus? & liquefacta eſt anima mea. Flebam, & præ fletibus erumpentibus non poteram verba contexere; verùm fletus delectatio erat mihi. Quoties enim aliquid diſſerebam, quod à Sponſo factum eſſet in terris, toties anima mea liquefiebat; & erat ſimul ignis amoris & gladius doloris: & ſicut gladius fluere facit de corpore ſanguinem, & ignis adipem liquefacit; ſic verba illa animam meam. Atque etiam quoties aperiebam mentem ad conſiderandum quòd dilectus meus diſceſſerat, anima illico liquefacta erat.*

Rupert.

Verſ. 7. *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem: percuſſerunt me & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.*

PRo *palliũ*. Hebr.eſt רדיד *redid*, .i.*theriſtrum*, vt verrunt LXX. hoc eſt, peplum ſeu velum, quo Sponſæ nobiles capur & humeros obuelant in ſignum pudoris & pudiciriæ. Hi cuſtodes diuerſi ſunr ab illis cap. 3. verſ. 3. ait Theodor. hi enim vulnerauerunt Sponſam eíque pallium ademerunr, illi verò eam iuuerunr & fauerunr: quare hi cuſtodes erant terrenæ ciuiraris, illi verò ſupernæ & cæleſtis, pura Eccleſiæ.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

*Cuſtodes qui 1 Reſp. 1. eſſe Prædicatores.*

SAnctus Gregorius hæc in bonã parrẽ interpretarut: vnde per cuſtodes accipit Doctores & Prædicatores, qui fideles in Eccleſia gladio verbi diuini ad compũctionem vulnerant, & pallio, ſiue velo ignoranriæ & ſæcularium deſideriorum ſpolianr: ſic & Philo, Caſſiodor. Beda, Haymo, Anſelm. Rupert. & Gilbertus hom. 45. Huc accedit Nyſſen. & Pſellus, qui per cuſtodes accipiunr Angelos, qui Eccleſiam & animam piam, ſed tepidam per tribulariones caſtigant, & ſtimulanr ad feruorem. Sic & S. Ambroſius lib. 3. de Virgin. qui & addir hos pallium eí abſtuliſſe: *Quia*, inquit, *actuum corporalium inuolucrum ſuſtulerunt ab ea, vt nuda mentis ſimplicitate quæreret Chriſtum, quia nemo poteſt amictu veſtitus philoſophiæ ſæcularis videre Chriſtum: quæ enim Deum viſura eſt, mundo corde incedere debet.* Vide eundem lib. de Iſaac & anima cap. 6.

Ambroſ.

2. *Genuinè, eſſe Principes Hæreticos vel peruerſos,*

Meliùs & germaniùs Theodot. Iuſtus, Angelom. Tirelmannus, Luyſius hæc in malam parrẽ accipiunr, vnde per cuſtodes intelligunt Reges & Tyrannos hæreticos, vel peruerſos, ac prauos Eccleſiæ Prælatos. Hi enim Eccleſiæ & Reipubl. ex officio ſunt cuſtodes, ſed ſuâ nequiriâ eiuſdem ſunt prodirores. Tales fuêre Reges Arriani, vt Valens, Theodoricus, Genſericus, Hunericus cæteríque qui in perſecutione Gothica & VVandalica, Eccleſiæ Orrhodoxos Doctores & Epiſcopos bonis, libertare & vitâ ſpoliarunt, ac Martyres effecerunt. Tales quoque fuêre impij Epiſcopi & Prælati, qui in hæreſim declinarunr, vr Dioſcorus, Neſtorius, Eurychės, Pelagius, Priſcillianus, &c. qui pallium Eccleſiæ per ſchiſma & hæreſim diſciderunt, eíque ſuam pudiciriæ & inregritatis gloriam (quam pallium denotat) abſtulerunt. Addir Theodoret. Tyrannos ademiſſe Martyribus pallium, id eſt, corpus, cùm eos occidendo corpore ſpoliarent. Iuſtus verò per pallium accipit templa, quæ demoliti ſunt, & S. Scripturã, quam combuſſerunt. Deniq; per pallium accipi poſſunt inſignes Doctores, Epiſcopi, Marryres, quos Hunericus & ſimiles vel occiderunt, vel in exilium egerunr. Hi enim Eccleſiam ornabant & defendebant vt pallium. Vide Victor. de perſecut. VVandalica. Euaſit tamen Eccleſia ſoſpes manus iſtorum ſponſorum Penclopes, ac per ſinceros Epiſcopos & animoſos Doctores fidei ac morum inregritatem docere, & propagare non deſtitit. Hac de cauſa Chriſtus diſciſsâ runica apparuit S. Perro Epiſcopo Alexandrino & Martyri, dicens: *Arius tunicam meam diſcidit*, vt habet eius vira.

*Quodnam hic Pallium?*

Huc accedit Chaldæus, qui Iudaïcè hæc accipit de Chaldæis vaſtanribus Ieruſalem. Hi enim rypus fuêre ryrannorum vaſtantium Eccleſiam: *Comprehenderunt*, inquir, *me Chaldæi, qui cuſtodiebant vias, & obſidebant in circuitu contra ciuitatem Ieruſalem: quoſdam meorum occiderunt gladio, & quoſdam meorum duxerunt in captiuitatem. Tulerunt torquem Regium Sedeciæ Regis Iuda de collo eius, & duxerunt eum in Ribla, & excæcauerunt oculos eius populi Babylonis, qui obſidebant ciuitatem & cuſtodiebant muros.* Symbolicè, Lucas Abbas per cuſtodes accipir Dæmones, qui animas ſuis rentationibus vulnerant, eáſque pallio puritatis baptiſmalis ſpoliant.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

ANimæ virtutis & perfectionis auidæ incidunt ſubinde in fictos prauóſque Doctores, Conſultores, Confeſſarios, ſocios, &c. qui eas pernicioſis dogmaribus, conſiliis, ſuggeſtionibus vulneranr, vr puritatis & innocẽtiæ ſuæ damnum vix pallio, inſtar Ioſeph, relicto effugiant: Quare piæ animæ tales hypocritas ſolerter diſcernere ſtudeãt, ac cognitos vt peſtes fugiant. Hi enim

ſunt,

ſunt, non paſtores fidi, ſed lenones perfidi, qui animas innocentes & puras Deo deuotas, Veneri & Dæmoni ſtuprandas per ſummum ſcelus offerunt, imò ſacrificant & immolant, idque per blanda verborum & ſcriptorum lenocinia, quæ ſub fucato melle amariſſimum fel, & exitiale virus contegunt.

Tropologicè.

Tropologicè S. Hieron. Epiſt. 22. ad Euſtoch. ex hoc loco euincit Virginem debere domi ſe continere, ne ſi domo exeat, in pudicitiæ inſidiatores incidat. qui ei pudicitiæ pallium adimant.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

Guilielm.

GVilielmus hæc applicat Scribis & Phariſæis, qui blaſphemando & vulnerando Chriſtum, blaphemarunt pariter & vulnerarunt eius matrem: *Eo ipſo*, inquit, *quò famam dilecti mei gladio linguæ ſua tam crudeliter lancinauerunt, maternum in me affectum inflictis dolorum vulneribus canſauciarunt. Præterea quod potuêre, expoliauerunt me ſtolâ gloriæ meæ, pallio laudis, quo operiebar, cùm diceretur: Beatus venter, qui magiſtrum bonum portauit, & vbera quæ ſugere dignatus eſt: hac gloriâ me nudantes quantùm potuerunt, induerunt me diploide confuſionis, infamando me tanquam matrem peſtilentiſſimi ſeductoris: ſed euaſi horum omnium manus, nec filius meus paſſus eſt amplius eos in me ſæuire.*

---

Verſ. 8. *Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.*

Lxx.

HEbraïcè חוֹלַת *chola*, id eſt, *infirma ſum*. Septuag. *Adiuraui vos filiæ Ieruſalem in virtutibus & viribus agri, ſi inueneritis fraternum* (Complut. *nepotem*, Græcè ἀδελφιδόν, de quo egi ſuperiùs) *meum, quid annunciabitis ei? quoniam vulnerata charitatis* (vel *charitate*) *ego ſum* Arabicus efficaciter: *Quia ego ſum amor vulneratus.* Quid non agit, quid non patitur amor vulneratus?

Complut.

Arabic.

Similem adiurationem & languorem amoris in Sponſa, ſed adoleſcentula audiuimus c. 2. v. 4. & 5. (vide ibi dicta) hîc verò fœminę plenę ſtatæq; ætatis maior eſt languor. *Amore langueo*, ergo idem eſt quòd amore deficio & tabeſco, tũ corpore, tũ mente ob dilecti abſentiã ex nimio eius deſiderio. Lãguor hic Deo gratiſſimus eſt: vnde Spõſa nil aliud Sponſo nunciari iubet, quàm *amore languea*: in hoc enim omnia eius vota continentur. quæ ex hoc ipſo ſatis ſupérque intelliget Sponſus. Amor ergo eſt languor, amor ſpiritus & vires exhaurit, amor infirmos & ægros facit, ſed ſimul in infirmitate ex amore patientes, potentes & validos. Quocirca Hugo de S. Victore in clauſtro animæ cap. 12. de ægrotis fratribus ita loquitur: *Nihil de ordine implere ſe fatentur, ſed niſi fallor implent totum: Infirmitatis clauſtro coarctantur, diſciplinantur anxietatum virgis & ſpinis dolorum, ieiunant, vigilant, laborant, quia cibum, ſomnum quietem infirmitas negat.*

*Amor eſt languor.*

*Ægri omnia implent.*
Hug. Vict.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

PEr filias Ieruſalem animas ſanctiores accipiunt Theodoret. Caſſiod. Bèda, Iuſtus, Anſelmus: Minùs ſanctas vel nouitias Theodor. Honorius & Rupertus: Angelos & homines beatos accipiunt Philo, Pſellus, & Lucas Abbas. Pleniùs cum S. Gregorio & Haymone hos omnes accipias. Eccleſia enim amore Chriſti languens & ſaucia obteſtatur omnes ſanctos tam Angelos, quàm homines, ſiue viuos ſiue vitâ functos, vt Chriſto hunc ſuum languorem annuncient, vt illi medeatur, mittendo ſcilicet homines Apoſtolicos, qui hæreticos, infideles, malóſque Chriſtianos, qui Chriſto iniurij, Eccleſiam malè mulctarunt, conuertant, vt & ipſi Chriſtum ament & colant, quare de eorũ iniuriâ & vi ſibi ſuiſque Doctoribus & Martyribus illatâ non queritur, ſed eam ſilentio tegit, optans eis miſericordiam & ſalutem, non ſuam de eis vindictam, dicens cum Chriſto in cruce: *Pater dimitte illis non enim ſciunt quid faciunt.* Et cum S. Stephano: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Actor. 7. Sponſa igitur ad dilectum toto inhians animo, omnem adhibet conatum & ſuum & externum. Aduocat igitur ad ſua vota externas etiam preces, quia his adiunctis collectæ vires diuinum pectus oppugnant, atque adeò expugnant vehementiùs. Ita Delrio, Sanchez & alij.

*Filiæ Ieruſalem quænam?*

Luc. 23. 34.

Act. 7. 59.

* * *

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima ſancta.*

ANima pia obteſtatur omnes ſanctos Angelos & homines, vt pro ſe apud Chriſtum Sponſum intercedant, eique ardens ſuum deſiderium illum magis amandi, illíque magis placendi & ſeruiendi annuncient, vt ipſe illud expleat, præſertim in zelo animarum, quo languet, vt plurimos, imò omnes ad Chriſtum conuertat. Audi Nyſſenum hom. 13. *Quia dilectionem ſuam nobis probauit præclarus animarum Sponſus, quæ pro hoſtibus mori non dedignatus fuit: ideo Sponſa viciſſim amore erga illum, à quo præuenta fuerat, incenſa demonſtrat his verbis amoris telum, imo in pectore latens, nempe diuinitatis ipſius communicationem. Nam Deus eſt dilectio, quæ per fidei viuæ cuſpidem in cor penetrat. Nomen autem teli (D. Paulo teſte) eſt fides per dilectionem efficaciter ſe declarans.*

Nyſſen.

Tales dicunt cum S. Paulo: *Æmulor vos Dei æmulatione. Deſpondi enim vos vni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto.* 2. Corinth 11. *Sic non deficientes langueſcite: Sic in amore Sponſi mecum adoleſcite.* ait Gulielm. Languor ergo hic & defectus *non finis amoris, ſed incrementum eſt,* ait S. Ambroſ. in Pſal 118. ſerm. 11. v. 1. *Sed quo magis laſſatur affectus, eò amplius amor creſcit: & quo diutius abeſt, qui deſideratur, eò expectantis deſideria maiore quadam vi amoris igneſcunt. Caro deficit, ſed cupiditas alitur & augetur. Hinc ergo colligere poſſumus quid ſit: Defecit in ſalutare tuum anima mea. Etenim ſpiritui adhærens anima deficit ab eo, quod eſt anima, & fit vnus ſpiritus: quoniam qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt. Itaque ſanctus & timens Deum neſcit aliud deſiderare, niſi ſalutare Dei, quod eſt Chriſtus Ieſus. Illum concupiſcit, illum deſiderat, in illum totis intendit viribus, illum gremio mentis fouet, illi ſe aperit & effundit, & hoc ſolùm veretur, ne illum poſſit amittere. Itaque quanto maiore deſiderio excitata fuerit anima cupiens adhærere ſalutari ſuo, tantò magis deficit. Ergo iſta defectio imminutionem quidem fragilitatis, ſed aſſumptionem virtutis operatur.* Languoris huius vim & indolem egregiè depingit Gillebertus hîc ſerm. 46. *Non languet amor,* inquit, *ſed languet amans. Vbi viget amor, ibi viget languor, ſi abſit quod amatur. Quid eſt languor, niſi affectio quædam de abſente dilecto amantem conſiciens? Amor vehemens patientis, ſimul afficit & carnem & mentem. Illius extinguit laſciuiam, huius & lætitiam perſtringit quodam triſti affectu, & deſiderio abſentis dilecti languet caro, dum eius languidior & remiſſior motus efficitur. Languet animus, dum æſtuantis voti nimietate conficitur.*

1. Cor. 11.
Gulielm.
*Lãguore creſcit amor.*
Ambroſ.
Gilbert.
*Languoris definitio.*

Deinde paucis interiectis cauſam aſſignat: *Nimis exæſtuans amor patientis, animi vires exhaurit. Quæ eſt enim humanæ mentis fortitudo, vt ſuſtineat, cùm eam ille cæleſtis amor Sponſi impatienter exagitat? Liquefactus in hac exercitatione ſe fugit animus, amoris violentiam ferre non valens: ſic enim in conſummata materia, & iam deficiente languidiora redduntur ignis incendia. Et Deus noſter ignis conſumens eſt.* Denique languoris huius felicitatem & effectum ſubiungit: *O potens & præpotens paſſio charitatis, ſi non temperatur non toleratur. Iure potens, quæ animum quem poſſederit ſuipſius efficit impotem. Cùm ſemel fuerit accenſa in mente, attingit à fine vſque ad finem fortiter, facit ad quod venit, & proſperatur & creſcit, nec deficit donec deficientem reddiderit animam. Sicut enim hic corporalis languor non eſt ſemper æqualis vehementiæ, ſed eſt aliquoties eius intenſior paſſio; ſic & amoris affectio, etſi iugi deſiderio ſe tendit ad dilectum, aliquando quidem intenſioribus votis exæſtuat, horâ orationis maximè.*

Gilbert.
Idem.

Id reipſa ſe per viſum expertum narrat Rupertus Abbas Tuitienſis lib. 12. in cap. 26. Matth. pag. 192. columna 2. initio: *Venit,* inquit, *deſuper quaſi ſimilitudo viri proni & æqualiter extenſi, ſolam quàm maximè faciem ſuam occultans; & in me demiſſa, totam complexus animæ meæ ſubſtantiam, eo modo mihi impreſſa, quem verbis exprimere nullatenùs poſſim, multò citiùs atque profundiùs atque cera, quamuis molliſſima, ſigillum fortiter impreſſum admittere poſſit. Porrò ſomno, qui vix obrepſerat, excuſſus ſum, & vigilans ſenſi dulce pondus; vigilans delectatus ſum, & quid dicam? Anima mea liquefacta eſt, anima mea Domino defecit, penè de corpore effuſa eſt.* Inde verè tanto gaudio ſe perfuſum aſſerit, vt niſi illa ſanctæ voluptatis inundatio citò ſe continuiſſet, animam velociter de corpore abſtraxiſſet.

Rupert Tuitienſ.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

LAnguebat Virgo amore Chriſti & zelo animarum, atque deſiderio fruendi Chriſto poſt eius aſcenſionem in cælo. Audi Rupertum: *O filia Ieruſalem, quæ verè es tu filia Abraham, ſemen Iudæ, filia quoque Dauid ſecundum fidem credendo in eum, qui eſt Rex ſupernæ Ieruſalem, factúſque*

*eſt*

Digitized by Google

Rupert. *eſt filius Dauid ſecundùm carnem, adiuro vos per hanc ipſam fidem, quâ filiæ Ieruſalem factæ eſtis, ſi inueneritis ante me, vt ſæpe fit, diſcipulæ ante magiſtram exeuntes de corpore, intromiſſæ ad conſpectum eius, vt annuncietis ei, quia amore langueo præ magno faciei eius videndæ deſiderio, vitæ tædium patior, & vix præſentis exilij moras ſuſtineo. Quorſum hîc adiurat? Nonne dilectus cuncta nouerat, & in his amorem Sponſæ amantis?* &c. *Quorſum igitur tendit hæc adiuratio: nonne vt percuſſa percutiat, vt vulnerata vulneret, vt audientes filiæ tantum in matre vitæ futuræ quæ non videtur deſiderium, in mente perſentiant & ipſæ talem eſſe dilectum, vt iure propter ipſum quæuis faſtidiat hoc præſens ſæculum, iámque inter moras præſentis vitæ magis ac magis cupiant eum agnoſcere ſaltem per ſpeculum, ſaltem in ænigmate.*

Audi Sophronium ſerm. de Aſſumpt. Deiparæ: *Puto*, inquit, *quod quicquid cordis eſt, quicquid mentis, quicquid virtutis humanæ, ſi totum adhibeas, non ſufficiat, vt cogitare*
Sophron. *valeas quanto indeſinenter cremabatur ardore pij amoris, quantis mouebatur repleta ſpiritu ſancto cæleſtium ſecretorum incitamentis, quia etſi diligebat Chriſtum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute, nouis tamen quotidie inflammabatur præſentiâ abſens deſideriorum affectibus: tantò ſiquidem validius: quantò diuinis illuſtrabatur intus viſitationibus, quam totam repleuerat Spiritus ſancti gratia; quam totam incanduerat diuinus amor, ita vt in ea nihil eſſet mundanus quod violaret affectus, ſed ardor continuus & ebrietas profuſi amoris: nam & Chriſtus ab omnibus eſt amandus ex toto corde & ex tota anima, atque ex tota virtute quærendus; maximè tamen ab ea ardentiùs cuius & Dominus erat & filius.*

## VOX FILIARVM Ieruſalem.

Verſ. 9. *Qualis eſt Dilectus tuus ex dilecto ô pulcherrima mulierum? qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, quia ſic adiurasti nos?*

D*ILECTVS ex dilecto.* Hebraïcè דוד מדוד *dod middod*, quod clarè vertas *dilectus præ dilecto*, quolibet ſcilicet, puta quem præ dilectis quibuſlibet diligis. Vnde Syrus & Arabicus
Lxx. vertunt, *ex dilectis*. Septuaginta ἀδελφιδὸς ἀπὸ ἀδελφιδοῦ, id eſt, *fraternus à fraterno*, ſiue *fratruelis à fratruele*, vel *nepos à nepote*. Aut præciſè Chriſtus dicitur *dilectus ex dilecto*: quia quà Deus, genitus eſt à Deo Patre, ſibi, vt filio, dilectiſſimo: qui homo verò, prognatus eſt à Dauide, qui fuit vnicè Deo dilectus, imò vir ſecundùm cor Dei, 1. Reg. 13. 14. Ita Nyſſen. Philo, Anſelm. & Gillebertus ſerm. 47.

Eccleſiam vocat pulcherrimam mulierum, quia pulchrior eſt ipſa omnibus cœtibus gentilium, Synagogis Iudæorum, Academiis Philoſophorum, luſtris Atheorum, ſpeluncis Hæreticorum: hæ enim meretrices ſunt dæmonis, ipſa verò virgo & ſponſa Chriſti: Sic B. Virgo eſt mater matrum & virgo virginum, ait Guilielmus.

*Filia Ieruſalem*, id eſt, ſanctæ Angelorum & hominum animæ rogatæ ab Eccleſia, vt dilectum à ſe fruſtra in animabus impiorum quæſitum reperiant, viciſſim rogant qualis ſit eius dilectus, cuius amore languet, non quòd hoc ignorent, ſed vt eius deſiderium in ipſa acuant accendántque, vtque ipſi anſam præbeant eum effuſiſſimè laudandi, eiúſque formam, dotes & pulchritudinem à capite ad talos graphicè depingendi: Atque hoc eſt languoris eius remedium. Nam qui amore languentes recreare cupit, nil præſtare poteſt opportunius, quàm eum illis de eo quem amant miſcere ſermonem. Hinc S. Dominicus amore Dei flagrās & languens, non poterat de alia re, quàm de Deo cogitare & loqui.

Tropologicè docemur hîc crebrò meditando, orando, legendo ruminare Tropologicè.
quis, qualis, & quantus ſit ſponſus animæ noſtræ, putà Chriſtus Deus & Redemptor noſter, vt ex maiori bonitatis eius, magnitudinis, ſapientiæ, ſanctitatis, &c. cognitione aſſurgamus ad maiorem eius admirationem, venerationem & amorem. Ita Philo. Hinc filiæ Ieruſalem repetunt τὸ *qualis eſt dilectus tuus ex dilecto*, quia *quò ardentiùs diligunt*, ait S. Gregorius, *eò dulciùs verba de eo repetunt, vt per repetitionem dilectionis maximus amor oſtendatur.*

## VOX SPONSÆ.

Verſ. 10. *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.*

SEPTVAGINTA & Arabicus, *ex myriadibus*. Hebr. מרבבה *merevava*, id eſt, *præ myriade*, id eſt, præ decem millibus.

Sponſa interrogatione verſ.9.icta, in laudes Sponſi omnes ſui amoris ſinus, omnes linguæ & vocis ſonos expandit. Diligens enim non poteſt cogitare, loqui, laudare aliud, quàm dilectum.

Pro *candidus* Hebr. eſt צח *tſach*, id eſt, candidus, nitidus, limpidus, ſudus, ſerenus, purus, inſtar ſolis meridiani. Symmach. λαμπρὸς, id eſt ſplendens. Nimius enim candor, qualis eſt niuiũ, præſertim à radiis ſolis ictus effulget, & quaſi effulgurat. Pro *rubicundus*, Hebr. eſt אדם *adom*, id eſt, rufus, qualis fuit Eſau, qui ideo dictus eſt Edom. Hinc & protoplaſtus Noſter dictus eſt Adam, quia è terra rufa à Deo plaſmatus eſt, Geneſ. 2. Septuag. πυῤῥὸς, id eſt fuluus, igneus, ſiue facie vel oculis igneis, rutilus, rufus.

*Pro electus Hebr. eſt vexillatus.*

Pro *electus*. Hebr. eſt, דגול *dagul*, id eſt antiſtans, princeps excellens, & inſtar vexilli cæteris eminens. Sic *Saül* dicitur *electus & bonus*, id eſt, ſpecioſus: *Et non erat vir de filiis Iſraël melior*, id eſt ſpecioſior illo: *ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum*. 1. Reg. 9. 2. *Dagul* enim dicitur à דגל *deghel*, id eſt vexillum, *dagul* ergo ad verbum, idem eſt ac ſi dicas *vexillatus*, magnificatus, inſignitus. Marinus vertit, *vexillo inſignitus myriadis*, ſiue decem millium, hoc eſt dux ſub ſe habens decem millia. Alius: *Signifer inter decem millia*, qui vexillum decem millibus præfert. Tigur. *Sub ſignis habens exercitum decem millium*. R. Salomon: *Multis ſtipatus exercitibus*. Vatabl. *Vexillatus in decem millibus*, hoc eſt, inquit, *gerens vexillum* (crucis) *inter omnes Chriſtianos*.

1.Reg.9.2.

Marin.

Tigurina.

R.Salomon.
Vatabl.

PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

*Pulchritudo ſita in duobus.*

PVlchritudo, ait Plato, in duobus conſiſtit, primò in ſuauitate coloris, ſecundò in apta membrorum harmonia. Sponſa ergo pulchritudinis Sponſi elogia inchoat à colore faciei, docétque eum eſſe pulcherrimũ, ſcilicet candidũ rubore mixtum & vermiculatum, hoc eſt, roſeum, qualẽ Adonidi pulcherrimo dant Poëtæ. Vnde Statius lib. 1. Achil.

*Roſeus color pulcherrimus.*

*--- Niueo natat ignis in ore*
*Purpureus.*

*Puis Heroum.*
*Stat.*

Et alter:

*Candor erat, qualem præfert Latonia Luna,*
*Et color in niueo corpore purpureus.*

Sidonius.

Sidonius de ſuo Theodorico libr. 1. Ep. 2. *Lactea cutis, quæ propiùs inſpecta iuuenili rubore ſuffunditur; namq; hunc illi crebrò colorem non ira, ſed verecundia facit.* Plutarchus de Alexandro: *Alexandrum pingens fulmen tenentem, non repræſentauit Apelles colorem eius, magis fuſcum & ſordidiorem reddidit: cùm fuerit, vt aiunt, candidus, qui color in pectore & facie potiſſimum purpuraſcebat*; Atque eam candirubri coloris *optimam temperaturam* Galenus docet; notam verò *bonæ indolis & ingenioſi* Ariſtoteles: *quã acrem & promptum in diſciplinis capeſſendis* ait Polemon; *continentem, grauem, modeſtum, magnanimum effecit Alexandrum*, ait Plutarchus.

Plutarch.

Galen.
Ariſtot.
Polemon.
Plutarch.

Hæc noſter Pineda lib. 6. de rebus Salomonis cap. 40. Talis fuit Chriſti color, teſte Nicephoro lib. 1. cap. vlt. Vnde Pſaltes: *Specioſus forma*, inquit, *præ filiis hominum*. Pſalm. 44. Rurſum Nyſſenus hom. 13. Chriſtus, ait, dicitur candidus propter candidiſſimam carnem, rubicundus propter ſanguinem.

*Chriſtus fuit roſeus.*

Pſalm.44.

Symbolicè, Chriſtus eſt candidus, ob puriſſimam & ſplendidiſſimam Deitatem, quam ab æterno habet; rubicundus propter humanitatem cum ſanguine rubro, quam ex Adam, qui creatus eſt ex Adama, id eſt, ex terra rubra; & ex Dauide, qui erat rufus, in tempore aſſumpſit. Ita Theodor. Iuſtus & Gillebertus, qui hîc ſermones ſuos continuans, expoſitionem S. Bernardi terminat, ac S. Ambroſius lib. 1. de Virginib. & Anaſtaſ. Sinaita lib. 4. Hexam. vbi Chriſtum vocat Solem mundi puriſſimum & fulgidiſſimum: ipſe enim eſt increatum lumen de lumine, Deus de Deo, vt habet Symbolum Nicænũ. Ipſe enim eſt *candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius.* Sap. 7. 26. Ipſe eſt *ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius*. Hebr. 1. 3.

*Symbolicè.*

Sap 7.26.

Hebr. 1.3.

Secundò & magis appoſitè, Chriſtus candidus & ſplendidus eſt ob puritatem innocentiæ, & ſplendorem ſanctitatis, quâ ex puriſſima Virgine natus ſanctiſſimus extitit: rubicundus propter paſſionem, quâ ſanguine ſuo fuit purpuratus, iuxta illud: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra?* &c. *iſte formoſus in ſtola ſua*, &c. *quare ergo rubrum eſt veſtimentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?* Iſaïæ 63. 1. Ita Caſſiod. S. Gregor. Philo, Anſelm. Rupertus, S. Hieron. in cap. 53. Iſaiæ, qui & lib. 1. contra Iouin. addit: Chriſtus, inquit, candidus dicitur in virginitate, rubicundus in paſſione.

*Chriſtus candidus fuit per innocentiam rubicundus per paſſionem.*

Iſai.63.1.

Rubicundus ergo color miſtus candido notat Chriſtum paſſum & cruentatum fuiſſe candidum, id eſt, purum, innocen

innocentem & impeccabilem, imò ob innocentiam & innocentem veritatem, qua ſe docebat eſſe Chriſtum, paſſum eſſe mortem & martyrium, qui ſummus eſt decor & gloria, Chriſtianis imitanda, imò ambienda. Pati enim nocentem dedecus eſt culpæ, pati verò innocentem decus eſt ſanctimoniæ, ſanctæque patientiæ. Tunc enim verè dici poteſt *electus ex millibus*, qualis fuit Chriſtus, qui quaſi dux & ſignifer patientiæ & martyrij, eius vexillum omnibus gentibus & ſæculis prætulit, quod alacres ſecuti ſunt & in dies ſequuntur tot millia Martyrum, Virginum, Confeſſorum, qui calumnias, probra, flagella, tentationes & ærumnas quaſlibet amore & exemplo Chriſti forti animo ſuſtinuerunt & ſuperarunt, ac in dies ſuperant; adeò vt Chriſtus vocari poſſit *ſignifer patientiæ & patientum*. Hæc eſt imago Chriſti, inquit, S. Ambroſ. de obitu Valentiniani Imperatoris: *Valentinianus*, ait, *meus candidus & rubicundus, habens in ſe imaginem Chriſti*, in quo ſcilicet innocentia fuit purpurata & occiſa, atque hac ratione Chriſtus, non tantùm in ſe fuit candidus & ſplendidus, ſed & omnes in ſe credentes ſuo ſanguine purpurauit & candidauit, ac ſuo patri reconciliauit, dum eos in baptiſmo & pœnitentia à peccatis omnibus per gratiam ſuam abluit, puróſque & ſanctos, imò Martyres, & in calumniis aduerſiſque quibuſlibet exultantes & gloriantes efficit, iuxta illud Pauli, *Gloriamur in tribulationibus*, Rom. 5. v. 3. Chriſto ergo competit illud Eccleſiaſtæ capit. 7. *Virum de mille vnum reperi*, qui ipſe eſt vnicus Dei filius ab ipſo electus & dilectus, in quo ipſe ſibi complacuit. Matthæi 3. Quocirca lib. 4. Eſdræ cap. 2. v. 43. ita cum pingit ſanctos coronantem: *Et in medio*, inquit, *eorum erat iuuenis ſtaturâ celſus, eminētior omnibus illis, & ſingulis eorum capitibus imponebat coronas, & magis exaltabatur*: cúmque interrogaret, qui viſionem videbat, Angelum: *Ille iuuenis, quis eſt, qui eis coronas imponit, & palmas in manibus tradit?* reſponſum accepit ab Angelo: *Ipſe eſt filius Dei, quem in ſæculo confeſſi ſunt*. Ita Caſſiodorus, S. Gregor. Philo, Beda, Anſel. Richard. Rupertus. Sic S. Agnes Præfecti Romani filio ſe in ſponſam ambienti, Chriſti Sponſi ſui longè maiorem pulchritudinem, dignitatem, & præſtantiam obiecit, aitque: *Diſcede à me fomes peccati, pabulum mortis: quia iam ab alio amatore præuentā ſum, qui longè te nobilior, annulo fidei ſuæ ſubarrauit me: cuius eſt generoſitas celſior, poſſibilitas fortior, aſpectus pulchrior, amor ſuauior, & omni gratiâ elegātior*. Et paulò pòſt: *Cuius mater virgo eſt, cuius pater fœminam neſcit: cui Angeli ſeruiunt, cuius pulchritudinem ſol & luna mirantur, cuius odore reuiuiſcunt mortui, cuius tactu ſanantur infirmi, cuius opes nunquam deficiunt: Ipſi ſoli ſeruo fidem, ipſi me totâ deuotione committo: quem cùm amauero caſta ſum, cùm tetigero munda ſum, cùm accepero virgo ſum*. Ita S. Ambr. Epiſt. 34. Addit S. Bernardus ſerm. 28. Chriſtum dici electum ex millibus, quia millia millium dilecto, & decies centena millia circa dilectum & nemo ad dilectum. Hac de cauſa Chriſtianos vt Chriſtum imitentur exhortans S. Petrus Epiſt. 1. cap. 4. v. 15. *Nemo veſtrûm*, ait, *patiatur vt homicida, aut fur*, &c. *Si autem vt Chriſtianus, non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine*. Et v. 14. *Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis; quoniam quod eſt honoris, gloriæ & virtutis Dei, & qui eſt eius ſpiritus, ſuper vos requieſcit*.

Electus ex millibus, quia Dux innocentiæ & patientiæ omnibus ſanctis.

Ambroſ.

Rom. 5. 3.

Eccles. 7.

4. Eſdr.

S. Agnes.

Ambroſ.

1. Petr. 4. 15. & v. 14.

Myſticè Pſellus, Chriſtus, ait, dicitur candidus & rubicundus, quia ex eius latere in cruce lanceâ aperto fluxit ſanguis & aqua. — *Myſticè.*

Anagogicè S. Hieronymus in cap. 63. Iſaiæ: Chriſtus, inquit, rubicundus fuit in Paſſione, candidus in Reſurrectione, ideóque electus ex millibus, quia primogenitus ex mortuis. — *Anagogicè.*

## SECVNDVS SENSVS

### *De Chriſto & Anima Sancta.*

ANima ſancta candida eſt per fidem, rubicunda per charitatem, & vt Philo ait, per Spiritum ſanctum. Rurſum candida per innocentiam, rubicunda per patientiam, ideóque electa ex millibus, vix enim vnus è mille hominibus (ſi omnes qui in mundo ſunt computes) ad veram ſanctitatem & patientiæ perfectionem aſſurgit: vnde Tres Anonymi apud Theod. Chriſtus, aiunt, eſt candidus illis, qui ab omni peccatorum ſorde ſunt mundati: rubicundus verò illis, qui per tentationes vt igneus auri fulgor, probati fuerint.

*Anima eſt candida per innocētiam, rubicunda per patientiam.*

Denique quia hîc deſcribitur perfecta, imò ſeneſcens ætas Eccleſiæ, quando poſt Conſtantinum totus penè orbis ſub labaro & vexillo crucis Chriſti militabat, valdè appoſitè ſic exponas: Chriſtus eſt candidus in Virginibus & Confeſſoribus, rubicundus in Martyribus,

*Chriſtus cādidus in Virginibus, rubicundus in Martyribus.*

Digitized by Google

bus, ideóque electus ex millibus, id eſt, vt Hebr. vertas, *ſignifer, & dux myriadum*, hoc eſt, innumerorum fidelium, qui ſunt in toto orbe, ſub vexillo crucis Chriſti militantium, quia vt ait S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ, tam in pace, quàm in prælio eadem vincentibus præmia tribuit. *Secura*, ait, *eſto Euſtochium, magnâ hæreditate ditata es. Pars tua Dominus, & quo magis gaudeas, mater tua longo martyrio coronata eſt, non ſolùm enim effuſio ſanguinis in confeßione reputatur; ſed deuotæ quoque mentis ſeruitus immaculata, quotidianum martyrium eſt: illa corona de roſis, iſta de liliis: vnde & in Cantico ſcribitur Canticorum: fratruelis meus candidus, & rubicundus, & in pace & in bello eadem præmia vincentibus tribuens.* Et S. Bernard. ſerm. 28. in Cant. *Chriſtus*, ait, *dicitur candidus & rubicundus, quem circundant flores roſarum & lilia conuallium, hoc eſt, Martyrum Virginúmque chori, & qui medius reſidet; non vtique diſſidet Virgo & Martyr.*

Hieron.

Bernard.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

B. Virgo candida & rubicunda.

CHriſtus ſuas dotes & laudes communicat matri ſuæ. Igitur B. Virgo candida fuit virginitate, rubicunda charitate & martyrio, quod ſubiit in Chriſto & cum Chriſto, quare ipſa fuit electa ex millibus, vt eſſet Virgo Deipara, Chriſti Mater, Virginum vexillifera, Martyrum anteſignana, Confeſſorum ſignifera. Audi Nyſſenum de Chriſto: *Inter omnes hominum myriades, ex quo illi eſſe cœperunt, & quouſque naſcentur, ſolus hic nouâ partus ſpecie in hanc lucem prodiit, cui ad naſcendum natura non eſt cooperata, ſed ſeruiit: cuius natiuitas de duorum coniunctione orta non eſt, partus minimè inquinatus, niſus doloris expers; thalamus, Altißimi poteſtas, quaſi quædam nubes virginitatem ipſam inumbrans; fax nuptialis, Spiritus ſancti ſplendor; cubile, vitiorum expers; conditio, nuptiæ; puritas incorrupta, nec voluptate cœpit exiſtera, nec cum dolore in lucem prodiit. Matrem mortis* (Euam) *decuit propter peccatum in dolore concipere & parere: matrem vitæ* (Mariam) *vtrumque dedecabat, quæ gratiâ plena fuit. Sic Electus vocatur, propter partum omnis doloris expertem. Ille primogenitus omnis creaturæ, ex patre genitus ſine dolore. Ille regenerationis primogenitus, per baptiſmi aquam renatus ſine dolore. Ille primogenitus reſurrectionis ex mortuis, natus ex ſepulchro ſine dolore. Sic in omnibus generationibus ſuis partus expers doloris. Et ſic optimè dicitur, electus ex millibus.*

Nyſſen.

Verſ. 11. *Caput eius aurum optimum.*

Aurum Paz quid?

PRo *optimum*. Hebr. eſt פז *pax*, quod per Aphæreſim idem eſt quod *ophaz*, puta aurum allatum ex regione Ophaz. (In Septuag. legitur nunc *cephaz*, ſed videntur ipſi olim vertiſſe *ophaz*: ſic enim habent Hebr.) vel Ophir, quod erat optimum; Alij *aurum paz* vertunt aurum ſoliditatis: פזז *pazaz* enim eſt ſolidare, roborare; aurum autem eſt ſolidiſſimum. Alij cum noſtro Pineda *aurum paz* vertunt *aurum ductile*; optimum enim aurum eſt, quod lenteſcit & in bracteas ſubtiles eſt ductile. Vide dicta Ieremiæ 10. verſ. 9.

Caput Sponſi aureum.

1. Tripliciter hæc verba exponi queunt. Primò, vt caput accipias pro corona capitis. q. d. Coma & cæſaries Sponſi, puta Salomonis & Chriſti, erat aurea vel aureis ramentis inſperſa: hoc enim ephebos Salomonis feciſſe teſtatur Ioſephus lib. 8. Antiq. cap. 7. *Equis*, ait, *optimis Salomonis inſidebant equites, flos iuuentutis, procerâ ſtaturâ prolixóque capillitio conſpicui; ad hæc ramentis auri capillos quotidie ſpargebant, vt ad ſolarium radiorum contactum, fulgur è capitibus eorum reflecteretur.* Idem factitaſſe Commodum, Lucium Verum, & Gallicium Imperatores docent Lampridius, Spartianus & Trebellius in eorum vita. Verùm de coma Sponſi mox hìc ſubdit: *Coma eius ſicut elatæ*: quare potiùs ipſi capiti, quàm comæ hoc aurum tribuendum videtur.

Fl. Ioſeph.

2. Secundò, q. d. Caput Sponſi erat aurum non reipſa, ſed ſimilitudine, id eſt, ſimile auro optimo, puta fulgidum, purum, ſpecioſum inſtar auri.

Tertiò, q. d. Caput Sponſi redimitum erat diademate, vel coronâ ex auro optimo fabrefactâ. Hebr. enim כתם *ketem*, non tam aurum, quàm aureum monile, puta diadema aut torquem ſignificat. Id ita eſſe liquet primò ex Pſalmo 44. 10. *Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato*. Hebr. בכתם אופיר *beketem Ophir*, quod S. Hieronymus, æquè ac Theodotion, vertit, *in diademate aureo*. Secundò, quia Quinta Editio teſte Theod. vertit: *Caput eius inſigne auro*. Sic & Theodotion. Aquila verò & Symmach. *Caput eius lapideum auri*. Syrus: *Caput eius petra auri*, id eſt, *maſſa auri*, vel potius *gēma auri*. q. d. Caput eius veſtitum erat lapidibus pretioſis, ſiue gemmis aureo diademati intertextis. Vatabl. *Caput eius redimitum eſt auro obrizo.*

Pſal. 44. 10.

Hieron.
Theodot.

Aquila.
Symmach.
Syrus.

Vatabl.

Tertiò,

Digitized by Google

Tertiò, quia Sponſus hic eſt Rex Salomon, regij autem capitis inſigne & decus eſt aureum diadema: Vnde cap. 3.
Cant. 3. 11. v. 11. dixit: *Videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua*: Et Pſalm. 20. 4. *Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo.* Pſal. 20. 4.

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

Grammaticè videtur hîc forma & figura ſpecioſa Salomonis, & eius antitypi Chriſti Domini deſcribi: Salomoni enim perſimilis fuiſſe videtur Chriſtus; vterque ergo fuit colore roſeo, id eſt, candido & rubicundo, vterque habuit caput auro redimitum, comam inſtar palmæ copioſam & nigram inſtar corui, oculos columbinos, niridos & lacteos, genas roſeas & odoratas inſtar areolarum aromatum, labia purpurea ſicut lilia; manus & digitos tornatiles, id eſt, elegantes & delicatos, amictos annulis aureis cum pala hyacinthorum; ventrem fortem & ſolidum inſtar eboris & lucentem inſtar ſapphiris; crura robuſta velut columnas marmoreas. Ita Pineda lib. 6. de rebus Salomonis, cap. 4. *Forma Salomonis & Chriſti.*

Parabolicè caput Chriſti hominis eſt
1 Cor. 11. 3. diuinitas, iuxta illud: *Caput Chriſti Deus*, 1. Corinth. 11. 3. Senſus ergo eſt, q. d. Humanitas Chriſti aureo Deitatis, quaſi capitis, diademate coronatur. Ita S. Gregorius, Caſſiodorus, Theodoretus, Beda, Philo, Anſelm. Rupert. Richard. & cæteri paſſim. Vnde Ioannes Carmelita ſic explicat, q. d. *Diuina hypoſtaſis aſſum-*
Ioan Carm. *pta à Sponſo naturæ, vt caput corpori præſidens, motúmque diuinum impertiens, eſt aurum, quia regiam habet maieſtatem auro notatam. Eſt aurum optimum ſeu obrizum, hoc eſt, omni mixturâ carens; licèt enim hypoſtaſis Verbi naturæ humanæ intimè vnita ſit, non tamen vllo modo permiſta.* Prima enim & propria Verbi Sponſa, eſt humanitas ab eo aſſumpta, cuius nuptias hoc Canticorum Epithalamio decantat Salomon, vti dixi in Procemio cap. 2.

*Deitas eſt caput Chriſti aureum.* 1. Porrò Deitas Chriſti rectè comparatur auro *paz*, id eſt, ſolido & ductili, ideóque optimo: Primò, quia ſicut aurum omnia metalla, ſic Deus omnia creata in infinitum tranſcendit. Quod ergo eſt aurum in metallis, hoc eſt Deus in creaturis. Rurſum aurum fulgidiſſimum eſt; Quid ſplendidius Deitate? Ita Beda, Philo, Iuſtus, Caſſiodor. & S. Gregor. quem audi: *Sponſi caput aurum dicitur, quia eius humanitas ex diuinitatis ſuæ claritate nobis principatur.* Gregor.

2. Secundò, quia vt ait Philo (lib. *quis rerum diuinarum heres*:) *Inter laudes auri multas duæ referuntur præcipuæ. Vna, quòd non ſentit rubiginis iniuriam; altera, quòd in tenuiſſimas bracteas ſine ſciſſura deducitur. Meritò ergo maiorem naturam ſignificat, quæ diffuſa & protenſa vſquequaque tota per totum plena eſt aptiſſimè contexens cætera.*

Deitas ergo ſimilis eſt auro, tum quia nullum ſentit corruptionis & mutationis rubiginem, ſed eadem, ſempérque impaſſibilis & immutabilis ab æterno perſeuerat; tum quia ſicut aurum, quò melius eſt, eò in ſubtiliores bracteas deducitur, quæ res quaſlibet tegunt, ornant, & exhilarant, túmque magis fulget & radiat: Sic Deus ſuas dotes omnibus creaturis communicat, præſertim Angelis & hominibus, maximè dum eos peccato ſordidos, gratiâ ſuâ venuſtos & fulgidos efficit, perinde ac vile lignum ſculptoris arte politum auro veſtitur, & longè latéque radiat; qua in re maximè deitatis beneficentia, magnificentia & gloria reſplendet. Proinde hoc aurum nobis omni ſtudio quærendum eſſe docet Chriſtus Apocal. 3.
*Suadeo*, inquit, *tibi emere à me aurum ignitum & probatum, vt locuples fias:* Vide ibi dicta. Ita Theodoret. Anſelm. Rupertus, Richard. & alij. Apocal. 3.

3. Tertiò, deitas in Chriſto humanitati ab eo aſſumptæ haſce ſuas dotes communicauit: Quocirca ipſa omnes creatas hominum & Angelorum naturas ſuâ dignitate longè ſuperat: ipſa ſolida eſt & impeccabilis: ipſa ſe per gratiam omnibus hominibus communicat, *quia in ipſo* (Chriſto homine, puta in humanitate Chriſti) *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Coloſſ. 2. 9. Ita Nyſſen. Coloſſ. 2. 9.

## SECVNDVS SENSVS

### *De Chriſto & Anima ſanctâ.*

Sancta anima per gratiam auream Chriſti deitatem participat. Audi S. Paulinum Epiſt. 4. ad Seuerum: *De quo* (ſcilicet Chriſto) *dicitur: Caput eius vt aurum paz, id eſt, purum; hoc enim aurum forma ſanctorum eſt, qui in capite corporis vt lumina micant, & ſunt aurum ignitum Deo, quia videlicet eos per examina paſſionum in huius mundi fornace conflatos inuenit, vt ſcriptum eſt,* Paulin.

*eſt, dignos ſe, & in his ſacram imaginis ſuæ percuſſit monetam, imprimens cordibus & linguis eorum veritatis ſua verbum, eoſdémque ipſos ſtatuens nummularios, vt ſecundùm ſuam formam probabiles Domino cuderent nummos, & abolitâ de nobis figurâ Cæſaris, viuum Regis æterni numiſma ſignarent, vt ſpiritu redemptionis inſcripti, ceruice iam iugo liberâ, & ſalutis titulo præmunitâ fronte caneremus: ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui. Summâ igitur ope enitamur ita nos comparare, vt diuini capitis, quod nobis per gratiam Dei Chriſtus eſt, crines & aurum eſſe mereamur.* Porrò Philo

*S. Petrus caput aureum Eccleſiæ.*

Carpath. caput Eccleſiæ ait eſſe Patriarchas & Doctores, qui velut aurum ſapientiæ in fornace tribulationis excocti reſplenduerunt, ac præſertim S. Petrum, qui poſt Chriſtum fuit caput Eccleſiæ. Vnde ipſe dictus eſt *Cephaz*, id eſt, petra Eccleſiæ, perinde ac Septuag. hîc vertunt, aurum *Cephaz*. Deſcribitur enim hîc Chriſtus, vt caput, dux & Rector Eccleſiæ propagatæ per totum orbem, quale vice Chriſti fuit S. Petrus, eiúſque ſucceſſores Romani Pontifices, ac præſertim tempore Conſtantini S. Sylueſter eiúſque poſteri.

Symbol. Tres Anonymi apud Theod: caput Eccleſiæ inquiunt, eſt fides, quia ſicut animalia & ſerpentes pro capite tuendo omnia membra periculo exponunt, ſic fideles pro fidei puritate tuendâ omnia ſua, quin & vitam exponere

*Charitas, caput Eccleſiæ aureum.*

debet. Pari, imò potiori iure caput Eccleſiæ eſt charitas; hæc enim omnium virtutum eſt princeps & regina: hæc vt aurum optimum radiat & effulgurat. Denique Chaldæus per caput aureum

Chald.

accipit legem Dei: *Lex eius*, inquit, *deſiderabilior eſt auro obrizo.*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

*Latria quædam competit B. Virgini.*

BEata Virgo eſto non ſit Deus, nec Dea, tamen præ omnibus Angelis & creaturis proximè ad Deitatē acceſſit, quia mater eſt Dei: nulla enim maior eſt coniunctio, imò conſanguinitas, quàm maternitas. Quocirca ipſa ſola colitur Hyperduliâ, quam nonnulli Latriam quamdam eſſe cenſent, vt cultus B. Virginis proficiſcatur ab eodem habitu Religionis, à quo oritur Dei & Chriſti adoratio. Id valde probabile eſſe cenſet Franc. Suarez 3. part. q. 37. diſput. 22. ſect. 3. ſub finem, & ex eo Mendoza in viridario lib. 2. Problem. 4. licèt contrarium ſentiat Gabriel Vaſquez lib. 1. de
Adorat. diſput. 8. cap. 2. probántque pri- Prob. 1.
mò, quia licèt excellentia matris creata
ſit, tamen reſpicit excellentiam increatam, à qua ſumit ſuum valorem. Vnde à S. Thoma 1. part. quæſt. 25. art. 6. ad 4. dicitur in ſuo genere eſſe infinita, quia eſt ſuprema coniunctio cum perſona in-
finita. Secundò, quia hæc dignitas per- 2.
tinet ad ordinem vnionis hypoſtaticæ, ob quam humanitati Chriſti debetur adoratio latriæ. Ergo ratione eiuſdem B. Virgini vt matri Dei eadem adoratio tribuetur; ſed inferior: vnde Caiet. 2. 2. q. 103. art. 4. ad 2. docet B. Virginem ha-
bere conſanguinitatem cum Chriſto vt Caietan.
Deo, & ideo illi deberi ſpecialem adorationem, quia *propriâ*, inquit, *operatione attigit fines diuinitatis*, id eſt, quia concepit, peperit ac nutriuit Deum. Et Patres ſæpe aſſerunt *totū honorem matris ad filium referri.*
Tertiò, quia in humanis idem habitus, 3.
qui inclinat ad adorādum Regem inclinat etiam ad honorandam matrem Regis vt ſic. Verùm hæc adoratio non eſt abſoluta, quæ ſoli Deo debetur, ſed diminuta, participata & reſpectiua; reſpicit enim dignitatem & diuinitatem filij, ob quam mater Dei vt ſic honoratur: quare hic honor non ſiſtit in matre, ſed per eam tēdit in filium, nec tam mater in ſe, quàm filius in matre adoratur.

---

*Comæ capitis eius ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi coruus.* Verſ. 11.

PRo *ſicut elata palmarum.* Hebraic. eſt תַּלְתַּלִּים *taltallim*, id eſt, tumuli, cumuli, aceerui. Septuaginta vertunt ἐλάται, quod noſter Latinus retinuit vertens *elatas*, addiditque *palmarum.* Complut. ἐλάται vertunt *ductiles* ἀπὸ τοῦ ἐλαύνειν. Syrus vertit: *Crines eius extenſi.* Arabicus hîc tacet. Vatabl. *denſi*; Clarius, *condenſi.* Agathius: *aceruati*; Pagnin. *criſpi.* Vnde quidam vertunt: *Extremitates capillorum eius eleuata vt tumulus*, id eſt, *criſpa.* Tigurina: *Cincinni eius vt tilia.* Nyſſenus, *vt abies:* nam ἐλάτη abietem quoque ſignificat. Vnde S. Ambroſ. lib. 2. de Spiritu S. legens: *Crines eius abietes*, bene comparatos abieti ait ſanctos, è Chriſto Eccleſiæ capite pullulātes, cùm ex abiete ſint naues Tharſis, quæ fluctibus ſupernatant mūdi, & tutum remigium ſalutis exhibent.

LXX. Complut. Syrus. Vatabl. Clarius. Agathius. Pagnin. Tigurin. Nyſſen. Ambroſ.

*Elata quid? Reſp. 1.*

Quæres, quænam ſunt *elata palmarum*? Primò, Rupertus, Palmæ elatæ, inquit,

dicuntur

dicuntur rami palmarum erecti & eleuati. (Hebr. enim תלתלים taltallim deriuatur à תלל talal, id eſt, eleuare, ſuſpendere) vt diſtinguantur ab iis, qui depreſſi ſunt & incuruati. Dicuntur ergo *elatæ*, quaſi *eleuatæ* ſurſum. Ita Rupert.

2. Secundò, meliùs alij cenſent ἐλάτη eſſe vocem Græcam, & ſignificare germen palmæ nouellæ, quod grati coloris eſt, & perpetuò virens. Ita Galenus lib. 8. ſimplic. Heſychius Genebrard. Vnde & Plinius lib. 3. cap. 4. nouella germina, quæ erecta pullulant à cacumine, eo-

Plin. mam vocat: *Coma*, inquit, *huius arboris in cacumine eſt*. Palma enim à radice vſque ad cacumen nullos habet ramos, ſed nodoſo ſtipite aſſurgit & craſceſcit vſque ad ſummum, vbi ramos ſuos multos denſóſque profert, eóſque ſemper virentes & perdurantes illâ formâ & ſerie, vt planè comæ ſpeciem referant; adeò vt palma cum ſuis ramis videatur eſſe homo ſuâ comâ redimitus. Ita per *elatas*, palmæ ramos, qui quaſi coma verticem eius tegunt, & ornant, accipiunt Caſſiodor. Philo Carpath. Beda, Rupert. & alij. Aduerte Heſychium, Galenum & priſcos Græcos ſcribere ἐλάτας, cum accentu in penultima: hoc enim ſignificat palmas, vel germina palmarum, vel abietes: nam ἐλάτη cum accentu in vltima propriè ſignificat *ductiles*; ſed & rami palmarum ſunt ductiles, ideóque ἐλάτη.

3. Gemmnd. Tertiò & propriè *elata* eſt inuolucrũ, ſiue vaginula fructuum palmæ florentis, ex quâ diffiſsâ prodeunt flores numeroſi, appenſi longis & modicè denſis villis, qui cappillorum & comæ ſpeciem exhibent; flores deinde in fructus, puta in dactylos deſinunt. Ita Dioſcorid. lib. 1. cap. 126. vbi Matthiolus ideam palmæ elatæ in icone ſpectandam exhibet. Itẽ Æthius, Oribaſius & Rembertus Dodoneus de ſtirpibus Pemptade 6. lib. 3. cap. 27. Audi Proſperum Alpinum

Proſper. Alpin. lib. de Plantis Ægypti in palma: *Martio menſe inuolucra ſuis alis adligata aperiuntur, è quibus globus filorum infinitorum proſilit, floréſque his filis vel capillamentis appenſi cernuntur, à quibus dactyli parui virides vuarum racemos imitantes producuntur.*

Hoc loco per *elatas*, tam ramos palmæ, quàm inuolucra villorum, florum & dactylorum iam dicta accipias. Rami enim ſpeciem comæ exhibent, inuolucra verò, quæ vltra ramos propendent, ſpeciem dant criſpationis nodorum, gemmarum, monilium, quæ ſubinde ab extremitate comæ dependentes, eam exornant: atque hi Hebraicè dicuntur *taltallim*, id eſt, tumuli, quia prolixa coma in ſui extremitate, puta circa collum vel humeros; in tumulos & cumulos coaceruatur.

*Coma Sponſi ſimilis elatis palmis.* Igitur Sponſi crines & coma comparantur *elatis*, id eſt, ramis & fructibus palmarum. Primò, quia earum ad inſtar longi & prolixi ſunt: ſecundò, quia à capite in humeros defluunt, ibique copioſi: tertiò, quia in orbem rotundi, itáque pexi & compoſiti: quartò, quia quaſi in tumulos cumulóſque colliguntur: quintò, quia ibidem criſpantur; criſpi ergo babent ſpeciem florum palmæ: hi enim ſimiles ſunt cincinnis retortulis; itáque Sponſi caput primò ornabat coma & cæſaries elegans; cæſariem verò decorabat corona aurea illi impoſita, de qua paulò ante dixi. 1. 2. 3. 4. 5.

*Nigra quaſi coruus* Arabicus: *Cincinni eius nigri ſicut nigredo corui*, quia in regionibus calidis maximè probatur coma & barba nigra, ait Vatabl. ac præſertim in Syria & Iudæa, vti mibi Romæ aſſeruerunt Maronitæ incolæ montis Libani. Ruſum nigredo, æque ac coma & criſpatio capillorum indicat bonam valetudinis habitudinem, caloris robur, iuuentutem, & virilitatem (nigri euim capilli iuuenum longè abſunt à canis ſenum) vti docet Galenus & Medici, vnde Martial. lib. 5. Elog. 90. Martial.

*Mentiris iuuenem tinctis Lentine capillis:*
*Tam ſubitò coruus, qui modò cygnus eras.*

Et Horatius lib. 1. Ode 32. Horat.

*Et Lycum nigris oculis nigróque*
*Crine decorum.*

Idem de arte Poetica. Idem.

*Spectandus nigris oculis nigróque capillo.*

Pro *nigri* Hebr. eſt שחורות *ſchechoret*, quod noſter Pineda lib. 6. de rebus Salomonis vertit *aurorantes* (שחר *Schachar* enim eſt *aurora*) id eſt, inſtar auroræ fuſcæ trãſlucẽte Sole refulgent is. Nã vt ait Pœta.

*Aurea fulgebat roſeis aurora capillis.*

Sic & corui nigri mirificè illuminantur Sole, & quam radiis percuſſi accipiunt lucem, multiplicatis reuerberatione radiis reddunt maiorem. Hæc Pineda, qui contendit Salomonis æque ac Chriſti capillos fuiſſe flauos, ſed nigricantes: *aurorantes* enim idem eſt, inquit, quod inſtar auroræ flaueſcentes: hi enim ſpecioſi ſunt, & egregiam naturæ animíque indolem, magnúmque inge- *Coma flaua ingenij ſignum.*

nium indicant, vti docet Apuleius & Phyſici. Vnde Suetonins de Auguſto Cæſare: *Quid non*, inquit, *regalium virtutum promitteret ſubflaua Auguſti cæſaries?* Talis quoque fuit cæſaries Veſpaſiani & Conſtantini magni, qui inde flauij ſunt cognominati. Vnde dicta cap. 4. v. 1. ad illa: *Capilli tui ſicut greges tonſarum.*

*Fuit Cæſarum. Sueton.*

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

*Chriſti effigies.*

GRammaticè ad literam Chriſtus comam geſſit prolixam, copioſam, rotundam, à capite in humeros defluentem, ibíque ſe criſpantem inſtar Nazaræi, vti dixi num. 6. v. 9. Audi Nicephorum lib. 1. Hiſtor. cap. vlt. Chtiſti formam depingentem: *Egregio viuidóque vultu fuit; corporis ſtatura ad palmos planè ſeptem, cæſariem habuit ſubflauam* (qualis eſt color dactylorum) *ac non admodum denſam, leniter quodammodo ad criſpos declinantem.* Et mox: *Barba capillus flauus, nec, admodum demiſſus: Capitis porrò capillos tulit prolixiores. Nouacula enim in caput eius non aſcendit, neq; manus aliqua hominis præterquam matris in tenera dumtaxat ætate eius.* Porrò prolixa coma ſiue cæſaries hominis eſt decus. Audi S. Ambroſ. 5. Hexam. *Etiam cæſaries veneranda eſt in ſenibus, veneranda in ſacerdotibus, terribilis in bellatoribus, decora in adoleſcentibus, compta in mulieribus, dulcis in pueris.*

*Ambroſ.*

*Capilli Chriſti ſunt eius diuina cogitationes & affectus.*

Parabolicè, capilli hi Chtiſti notant ſancta & diuina conſilia Chriſti, cogitationes & affectus: quia ſicut capilli ex capite, ſic cogitationes ex mente oriuntur. Chriſti autem caput eſt Deus: Quare mens eius erat diuina, atque ex Deo diuinas hauriebat cogitationes, affectus, amores & ardores, qui inſtar capillorum erant prolixi, copioſi, ritè compoſiti, inter ſe connexi, & per criſpationem quaſi in ſe reuoluti, ac flores & fructus non dactylorum, ſed ſanctarum & diuinarum operationum producebant, vt omnis ſermo, cogitatio, & actio Chtiſti eſſet cæleſtis & diuina.

*Nigri, quia viriles.*

Iidem *nigri* erant *vt coruus*, tum quia fortes, viriles & heroïci; tum quia calore charitatis ardebant, & quaſi torrebantur ac nigreſcebant: ſicut enim capilli à capite, ſic beneficia à Deo & Chriſto prolixiſſima, denſiſſima, copioſiſſima & maxima in homines promanant. Deus enim & Chriſtus eſt ipſa increata, ardens & immenſa charitas, ac beneficentia.

*Myſticè.*

Myſticè Theodoret. capilli, ait, ſunt
gratiæ omnis generis, quæ à Chriſto in
fideles profluunt. Tres verò Anonymi 1.
apud ipſum: Capilli, inquiunt, Dei
ſunt varia eius attributa, vt omnipotentia, omniſcientia, bonitas, iuſtitia, &c. quæ Deitatem, ſicut capilli caput, ornant, ac homines eadem imitantes, diuinos & quaſi Deos efficiunt Lucas Ab-
bas autem capilli Dei, ait, ſunt Angeli 2.
innumeri, qui Deum ſtipant vti capilli caput, ac inſtar palmarum ſemper virent, & in alta nituntur. Denique Ru-
pertus: Capilli Chriſti, ait, ſunt omnes 3.
veritates Sacrarum Scripturarum, quæ ipſum declarant & decorant. Hæc omnia nigra ſunt, quia obſcura & ſubinde imperueſtigabilia. Ita Theodor. Rupert. & alij.

Denique Beda, S. Magdalena, inquit, in caput Chriſti affundens alabaſtrum vnguenti nardini, capillos eius in magnæ deuotionis myſterium, , elatis palmarum, id eſt, arboribus aromaticis ſimiles effecit.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

*Capilli Chriſti ſunt Apoſtoli & Religioſi cæteri*

CApilli Chtiſti ſunt viri ſancti, præſertim Religioſi & Apoſtolici, hi ſimiles ſunt elatis palmarum, quia inſtar palmæ oneri tentationis non ſuccumbunt; ſed omnes vincunt, ac altius in cælum orando & meditando ſe erigunt: *nigri* ſunt *vt coruus*, quia viles & peccatores ſe reputant, ideóque magis à Deo exaltantur. Ita Iuſtus Orgelit. Beda, Nyſſenus, Caſſiodor. S. Gregor. & Richard. Victor. quem audi: *Elatæ palmarum* ſunt ſpatulæ, id eſt, rami pulchriores ſemper ad excelſa tendentes. Palma inferiùs aſpera eſt, & arctioribus corticibus obuoluta, ſuperiùs tam viſu quàm fructu pulchra. Sic iuſti inferiùs dura agũt, & aduerſa patiuntur, & ſuperiùs in oculis pulchri ſunt & fructuoſi: per dura quippe corporis ſe purgant, & proficiunt ad pulchritudinem. In imis, vita eorum quaſi multis corticibus voluitur, dum innumeris tribulationibus anguſtatur, in ſummis vero quaſi pulchræ viriditatis foliis, amplitudine retributionis dilatatur: atque dulcedinem ſupernæ ſuauitatis (quam repræſentant palmarũ dactyli) deguſtãt, ait Caſſiod. Hinc Pſellus comam Chriſti ait eſſe S. Petrum & Paulum, intellige cum ſuis aſſeclis.

Huc

Huc accidit Nyſſen. qui legens *comæ eius ſicut abietes*, per eas intelligit Apoſtolos, quòd ſublimes inſtar abietum facti, inquit, & ad cælum tendentes, non parum Sponſi decorem augent, agitati ab aura Spiritus ſancti. Addit Paulinus Epiſt. 4. ad Seuerum: *Quia in Eccleſia, hoc eſt, in monte Dei verticibus meritorum emi-*
Paulin. *nent, vt abietes in ſuis montibus. Et ſicut illæ aptæ nauibus contexendis: ita illi Principes populi de monte legis, vt à Libano exciſi, arcam Domini, ſiue nauem, hoc eſt, Eccleſiam per huius mundi diluuia nauigaturam, è dolatis verbo Dei gentibus texuerunt, & in compagem charitatis fide ſtringente coniunctam, fluctus mundi iſtius imputribiliter ſecare docuerunt.* Addit deinde continuè: *Sed & nunc erudita ad Apoſtolicam fidem animæ, abietes ſunt nigræ & bonæ: nigræ verò iam non de peccato, vt puto, magiſque adhuc vel de inhabitatione corporea, vel de exercitationis internæ quaſi bellico puluere, vel puluerulento ſudore nigrantes. Bonæ tamen, propter ſpiritalem etiam in voctibus corporum conuerſationem. Sic & naues quæ fluctibus mundi ſupernatant, & fide veri atque opere initi à dextris ( vt ſcriptum eſt ) & ſiniſtris velut remis armantur, qui verbo Dei quaſi gubernaculo diriguntur, & ad auram Spiritus ſancti ſenſuum ſuorum ſinus pandunt, & cordis ſui velum vinculis charitatis, vt funibus antennam crucis ſtringunt.* Plura de capillis hiſce dixi cap. 4. v. 1.

Huc facit Chald. qui per caput accipiens legem, totum huc verſum ſic reddit: *Lex eius deſiderabilior eſt auro obrizo, & interpretatio verborum, quæ in ea ſunt coaceruata,*
Chald. *& eloquia & præcepta, cuſtodientibus ea ſunt alba ſicut nix: his autem qui non cuſtodiunt ea, ſunt nigra ſicut alæ corui.*

## TERTIVS SENSVS

### *De Chriſto & B. Virgine.*

*Cauſa nigra coma eſt color.*

De capillis S. Virginis Literalibus & Myſticis dixi cap. 4. 1. Capilli ergo Deiparæ ex Alberto & Conſtantino Medico fuêre temperatè nigri: quoniam perfectiſſima corporis humani diſpoſitio quâ prædita fuit Deipara, exigit cerebrum calidum & ſiccum: à calore enim oritur velocitas apprehendendi, à ſiccitate verò firmitas retinendi: ex tali autem cerebri diſpoſitione color niger in capillis, & in oculis oritur: oculi porrò nigri ſunt clariores ad videndum, ac proinde nobiliores propter ſenſuum vtilitatem. Vide S. Antoninum 4. p. tit. 15. cap. 11. vbi fusè de pulchritudine capillorum, cutis oculorum B. Virginis differit.

---

Verſ. 12. *Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima.*

Vox *columbæ* non eſt genitiuus ſingularis, ſed nominatiuus pluralis, vt patet ex Hebræo יונים *ionim*, & Græco περιστεραί: vnde & ſubditur, *quæ lotæ ſunt* in plurali, non *quæ lota eſt*. Comparantur ergo duo oculi Sponſi duabus columbis, quæ reſident ſuper riuulos aquarum & fluenta pleniſſima; tum quia columbæ delectantur aquis, vt in iis ſeipſas velut in ſpeculo ſpeculentur, vtque iis ſe abluant; ſunt enim nitoris amantiſſimæ; tum vt in iis videant vmbram accipitris, itaque eius vngues auolando effugiant: tum quia oculus in ſuo orbe & cauitate humida reſidens & innatans, ſimilis eſt columbæ reſidenti & innatanti aquis, ex orbe enim hoc oculorum ſtillant lachrymæ, ceu aquæ ex fonte Vnde Hebræum עין *ayn*, tam oculum, quàm fontem ſignificat; quod enim fons eſt in terra, hoc oculus eſt in homine, ille ſtillat aquam, hic lachrymas: ille orbicularis eſt, hic rotundus: Dicit ergo oculos Sponſi explere ſignificatum nominis ſui *ayn*, quia ſimiles ſunt fonti; nam in orbe ſiue cauitate ſua natant, quaſi aquæ in fonte; ex eóque aquas lachrymarum amanant. Vnde Ouid. 6. Faſtor.

*Duo Oculi Sponſi ſimiles duabus columbis.*

--- *Animique oculique natabant.*

Et Virgil. 5. Æneid.

--- *Natantia lumina ſoluit.*

Humidi oculi notant homines faciles, flexiles, benignos, miſericordes, qui facilè aliorum poſtulatis condeſcendant, compatiantur, ſuccurrant. Rurſum τὸ *Super riuulos aquarum*, notat Sponſi oculos eſſe cæſios, id eſt, coloris aquei & marini, ideòque vitrei, cryſtallini & cæleſtis. Hinc cæſius dicitur quaſi cælius, & cæruleus quaſi cœluleus; cæſius enim color cæli habet ſpeciem. Vnde cæſares quidem dictos putant. Cæſij oculi ſymbolum ſunt ſenſus, prudentiæ & ſapientiæ. Vnde Minerua ſiue Pallas Dea ſapientiæ ab Homero & Cicerone lib. 1. de natura Deorũ vocatur γλαυκῶπις, id eſt, glaucos ſiue cæſios habens oculos, quales habent feles, Huc facit quod Chriſtus fuerit albus

*Sponſi oculi cæſij, hoc eſt, prudentes.*

albus & candidus, vti dixit v. 10. Albi autem homines magna ex parte cæſiis ſunt oculis, ait Ariſt. in problem ſect. 10. num. 13. Cauſámque addit: *cum oculi*, inquit, *triplici coloris genere diſtinguantur nigro, caprino, & cæſio, corporis totius colorem oculi quoque color conſequitur, itáque haud immeritò cæſius eſt.*

Albi ſunt cæſiis oculis. Curt

*Quæ lacte ſunt lota*, id eſt, quæ puriſſimæ ſunt & candidiſſimæ, perinde ac ſi lacte lotæ lacteum colorem & candorem imbibiſſent. Lac notat candorem non tam colorum, quàm morum: nam in oculis licèt vna pars ſit candida, tamen altera & potior, in qua pupilla & vis cernendi reſidet, eſt nigra: quare ſicut partem oculi candidam laudat à lacteo candore, ita alteram eius partem à nigrore laudandam relinquit, ait, Genebr. Addit Pineda lib. 6. de rebus Salomonis cap. 4. §. 8. oculi Salomonis & Chriſti referebant lacte lotas columbas, quia non erant ſanguinei, qui ebrioſorum ſunt & petulantium; non valde nigri, qui timidorum & doloſorum; non rubentes ac flammantes, quales iracundorum, cùm *rutilis ardeſcunt lumina flammis*: qui enim iniurias non ferat, ſed acriter vlciſcatur, appellamus virum ſanguinei oculi: non igniti, qui inuerecundorum & proacium, quales canum: ſed modicè flaueſcentes, qui magnanimorum, quales Cæſaris ex Suetonio, quales & columbarum oculi, quales Conſtantini, cuius oculi leonini ex Cedreno.

Oculorum phyſionomia. 1.

*Et reſident iuxta fluenta pleniſſima.* Hebr. *reſidentes ſuper plenitudinem.* R. Salomon, Aben Ezra, aliíque Rabbini per plenitudinem accipiunt cauitatem, palam & ſinum, in qua reconduntur gemmæ, v. g. adamantes in pala annuli; hæc Hebr. dicitur plenitudo, quia à gemma impletur, vt patet Exodi 28. num. 17. vbi pro *incluſi auro* Hebr. eſt, *erunt lapides in ſuis plenitudinibus*, id eſt, in ſuis palis. Hunc ergo dant ſenſum q. d. Oculi ſponſi in ſuis finibus micabant & radiabant, ſicut adamantes in ſuis palis: Sic ergo duplex eſt hîc ſimilitudo, prior quâ oculi ſponſi comparantur columbis ſuper riuos aquarum: Secunda, qua iidem comparantur gemmis in auro relucentibus. Verùm Septuag. noſter & alij priorem duntaxat ſimilitudinem hîc aſſignant. In Hebræo enim non eſt τὸ *gemmæ*: vel *adamantes.* Vnde Syrus pro *ſuper fluenta* vertit *ſuper quietem*. q. d. quæ quietiſſimè & placidiſſimè reſident in loco ſuo, v. g. iuxta aquas: Senſus ergo eſt q. d. oculi ſponſi ſimiles ſunt columbis, quæ reſident iuxta riuos aquarum, ſiue iuxta fluenta pleniſſima, id eſt, quæ reſident iuxta plenos & puros fontes, hoc eſt cæſij ſunt, clari, limpidi, micantes & fulgidi; item quieti & conſtantes, non vagi, oberrantes & furioſi, quales fuêre Iuliani Apoſtatæ, teſte Nazianzeno, ſed placidi, lenes, benigni, qui animi lenitatem & probitatem repræſentant.

Exod. 28.

Porrò noſter Pineda lib. 6. de rebus Salomonis cap. 5. §. 8. Sponſus, Salomon inquit, & eius antypus Chriſtus habuit oculos *iuxta plenitudinem ſuam*, hoc eſt opportunâ & idoneâ quantitate implentes ſuum orbem, ita vt neque multum prominerent turgiduli, nec intus recederent foucati & concaui: quorum illud ſtolidorum & inuerecundorum eſt; hoc triſtium, pauidorum, maleficorum; quales Caligulæ fuerunt. Non valde magni, qui pigrorum & flegmate atque humiditate abundantium, quales Domitiano: non valde parui, qui vulpium & puſillaminium: Ergo mediocres *iuxta plenitudinem ſuam*, ſummâ totius corporis magnitudini concinnitate reſpondentes; qui optimæ conſtitutionis ſunt. Iidem referebant binas & æquales columbas, quippè minimè erant inæquales; qui vel ſtolidorum, vel nefariorum hominum ſunt; ſed æquales, qui æqualitatis, æquitatis & iuſtitiæ amãtium ſunt. 2.

Denique Nicephor. lib. 1. c. 40. *Ex oculis* Chriſti, inquit, *ſub flaueſcentibus mirifica prominebat gratia; acres y erant, & naſus lõgior.* Nicephor.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

Oculi limpidi, cæſij & cæleſtes ſignificant eximiam, cæleſtem & diuinam vigilantiam & prouidentiam Chriſti, quâ tum per ſe, tum per ſuos Epiſcopos, Paſtores, Prophetas, Doctores, &c. (quales poſt Conſtantinum fuêre S. Baſilius, Nazianzenus, Chryſoſtomus, S. Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, Gregorius, &c.) prudentiſſimè gubernat Eccleſiam ſingulóſque fideles, qui lacte, id eſt, ſimplicitate ſunt loti & candidati. Hi reſidẽt iuxta fontes S. Scripturæ, vt inde puritatẽ & candorẽ doctrinæ, vitæque Chriſtianæ hauriant, quã in ſubditos emanẽt, & transfundãt: vnde per oculos intelligunt Doctores, S. Gregor. Caſſiodor. Nyſſen. Beda, Iuſt. Philo, S. Ambroſius, & alij. Quocirca his

Ocul. ſymbolum vigilantiæ & prouidentiæ.

ait

Matth.10.16. ait Chriſtus: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Matth. 10: 16.

Videt ergo per Doctores Chriſtus, quid in doctrina vel moribus in Eccleſia corrigendum, aut perficiendum ſit. Videant igitur ipſi, quàm in vtroque mundi & ſinceri eſſe debeant, quos Chriſtus in facie ſua quaſi oculos geſtat, ne eam dedecorent & obnubilent. Quare reſideant iuxta riuos puriſſimos aquarum S. Scripturæ, non in cœnoſis paludibus, nec in turbidis aquis ſtagnantibus Philoſophorum, Hæreticorum, Politicorum, &c. vt ſacra Biblia potius terant, quàm Platonem, Plutarchum, Machiauellum. Horum ergo velut accipitrum vmbram & inſidias, in limpidis S. Scripturæ aquis peruideant & præuideant Doctores, vt eas à ſe & à cæteris fidelibus docendo & monendo amoliantur: Lacte ſunt loti, quia candorem in Baptiſmo acceptum omni ſtudio conſeruare ſatagunt. Vnde S. Ambroſ. in Pſal. 118. ſerm. 16. ad v. 5. *Baptizat*, inquit,

Ambroſ. *in lacte Dominus, id eſt, in ſinceritate. Et iſti ſunt, qui verè baptizantur in lacte, qui ſine dolo credunt & puram fidem deferunt, immaculatam induunt gratiam, ideo candida Sponſa aſcendit ad Chriſtum, quia in lacte baptizata eſt, quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata?* Cant. 8. 5. iuxta Septuag. Audi Nyſſen. *Hi omnem vitioſitatis lippitudinem aquâ abluere debent:*

Nyſſen. *aquæ autem non vna eſt, ſed plures ſunt aquarum riui: quot enim virtutes ſunt, tot & luſtrales aquæ: temperantia luſtrat intemperantiam, humilitas ſuperbiam*, &c. *Si autem oculi ad aquarum copias ſunt loti, quæ ob ſimplicitatem & puritatem columbæ comparantur, lacte loti dicuntur: quia in lacte nulla videtur imago, nulla apparet vmbra; & in hiſce oculis nihil erroneum, ſed ipſa rei veritas abſque vmbratili aliquo ſimulachro repræſentatur. Sedentes ſunt iuxta copias aquarum, ob perpetuam attentionem in diſcendis rebus diuinis: tametſi per id & modus pariter inducitur, quo pulchritudinem oculorum conſequi paſſimus, nimirum ſemper ad aquarum copias ſedendo, non ad fluenta Babylonis, & ex quæ Dei, non quæ mundi ſunt quærendo.* Huc facit verſio Chaldæi licet Iudaïca, qui per oculos accipit prouidentiam Dei erga iuſtos Ieroſolymitas, qui legem eius ſeruant: *Oculi eius*, inquit, *contemplantur ſemper Ieruſalem, vt*

Chald. *benefaciat ei & benedicat ei à principio anni vſque ad finem eius, ſicut columbæ quæ ſtant & aſpiciunt ad exitum aquarum, propter meritum eorum, qui habitant in Concilio, qui laborant in lege, & illuminant iudicium, vt ſit lene ſicut lac, & habitant in domo doctrinæ, & di-*

*Cornel. à Lapide in Cant. Canticor.*

*ſceptant in iudicio, donec conſumment, vt iuſtificent, & vt eum condemnent.*

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

Anima ſancta, quæ vni Deo orando & meditando intendit, eſt oculus Chriſti, qui non niſi ſurſum ad cæleſtia & diuina aſpicit recto ſanctæ intentionis oculo. Vide quæ de hiſce oculis dixi cap. 1. v. 15. & cap. 3. v. 1.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

Beata Virgo, ait Nicephor. lib. 2. c. 23. *oculis erat acribus, ſubflauas & tan-* Nicephor.
*quam oleæ colore pupillas in eis habens.*

Symbolicè, columba ob puritatem Symbolicè.
notat Spiritum ſanctum, eiúſque ſeptem dona. Ita Caſſiod. Beda, Philo, Theod. Rupert. Richard. & alij. Vnde in ſpecie columbæ Spiritus ſanctus deſcendit in Chriſtum, cùm baptizaretur à Ioanne in fluentis Iordanis: quot ergo ſunt gratiæ Spiritus ſancti in ſancto, tot quaſi in eo reſident columbæ cæleſtes & diuinæ: hæ aquis ſuis à mente detergunt omnes ſordes & maculas, eáſque lacte ſuo cæleſti alunt & nutriunt. His ergo aquis in puris caſtíſque mentibus incubat Spiritus ſanctus, eáſque fœcundas reddit bonorum operum, ac præſertim vt iiſdem aquis alios à peccatis abluant, & quaſi lacte paſcant.

Porrò hæc dona copioſiſſimè requierunt ſuper Chriſtum, & ab ipſo in fideles, ſed maiori copiâ in matrem ſunt infuſa. Hoc eſt quod ait Iſaias cap. 11. v. 1.
*Et egredietur virga de radice Ieſſe; & flos de* Iſai. 11. 1.
*radice eius aſcendet. Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ*, &c. Hinc hæc ſeptem Spiritus ſancti dona vocantur oculi Chriſti. Zachar. 3. 9. Et Apocal. 5. 6. *Vidi*, inquit, *Agnum haben-* Apocal. 5. 6.
*tem oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem Spiritus Dei, qui diſcurrunt ſuper omnem terram.* Vide vtrobique dicta.

---

Verſ. 13. *Genæ eius ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis.*

Pro *areola.* Hebr. eſt ערוגת *aruga*, quod Septuag. vertunt *phiala.* Hebr.
Aquila *ſulci*, quibus diſtinguun- Aquila.

 tur,

tur, & irrigantur areolæ herbarum & florum in hortis. Pagnin. *linea ſulci.* Arab. Syrus. Arabicus *lacus* vel *piſcina.* Syrus: *Strata aromatum.* Noſter Tigurin. Marinus & Vatabl. *areola*, quæ ordine pulchro diſponuntur & ordinantur: ערך *arach* enim eſt ordinare, diſponere. Literæ autem *caph*, quæ eſt in ערך *arach*, & *ghimel*: quæ eſt in ערגה *aruga*, ſunt affines, & eiuſdem penè ſoni.

Pro *conſitæ à pigmentariis.* Hebraïcè eſt מגדלות מרקחים *migdelot merkachim*, quod Septuag. (Lxx.) vertunt *germinantes vnguentaria.* R. David & Pagnin. (R. Dauid. Pagnin.) *flores aromatum.* Tigur. *Maxillæ eius ſimiles ſunt turribus* (id eſt, *pyxidibus turritis*, quæ quaſi paruæ turres eſſe videntur) *ſeplaſiariæ officinæ.* Marinus (Marin.): *Sicut turres pigmentorum*, vel *aromatum.* Vatabl. & Hortulanus (Vatabl. Hortulan.): *Genæ eius ſimiles ſunt pyxidibus* vel *loculis, quales ſunt in officinis vel tabernis vnguentariis.* Syrns & Arabicus vertunt vt Vulgata. Forſterus (Forſter.): *Genæ eius ſicut turres longinquitatum.* Additque, eſt genus aromatis, quod à turribus habet nomen, eò quod è longinquo fragret, quaſi per Metatheſin מרקחים *merkachim*, id eſt, aromatum vel aromatariorum, ponatur pro מרחקים *merchakim*, id eſt, longinquorum. Alij: *Genæ tuæ ſunt ſicut confectiones aromatum.* Noſter pro מרקחים *merkachim*, id eſt pigmentariorum, alio puncto legit מרקחים *merokechim*, id eſt, à pigmentariis. Rurſum pro מגדלות *migdelot*, id eſt, turres, cum Septuaginta legit מגדלות *meguddalot*, id eſt, *conſita* creſcentes, germinantes.

*Genæ ſimiles areolis aromatum.* Comparantur genæ Sponſi areolis aromatum; primò in forma, quia ſicut areolæ ſunt tumidæ & cæteræ terræ
1. eminent, ſic & genæ iuuenis Sponſi ſunt tumidæ & carnoſæ, ac præ oculis, temporibus & mento extant eminéntque.

2. Secundò, in pretio, quia areolæ hæ ſunt non olerum vel herbarum, ſed aromatum: ſic genæ Sponſi ſunt pretioſiſſimæ.

3. Tertiò, in diſpoſitione, quia areolæ hæ affabrè in rotunditatem compoſitæ, ſpeciem genarum exhibent: vnde & ſubinde ab oſſibus maxillarum, ab ouibus, bobus, aliiſue animalibus occiſis acceptarum pulchrè diſpoſitis, circumcirca ſepiuntur & cinguntur, quales ſæpe in Belgio vidi.

4. Quartò, in odore, quia aromaticum, id eſt, efficaciſſimum & ſuauiſſimum expirant odorem.

5. Quintò, in colore, quia genæ Sponſi roſeæ ſunt, id eſt, candidæ & rubicundæ, ideóque vermiculatæ, ſicut areolæ variis floribus candidis & purpureis vermiculantur.

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

QVinque haſce areolarum & genarum analogias, facilè eſt adaptare ad literam Chriſto. Ipſius enim, vtpote à Spiritu ſancto optimè efformati, ac in iuuenili flurentíque ætate conſtituti, genæ erant tumidæ, pretioſæ, rotundæ, odoratæ & roſeæ. Alexander Magnus teſte Plutarcho in eius vita, ex genis, cute, totóque corpore miram emittebat fragrantiam, prupter concoctos calore humores in corpore exiſtentes. Multò magis fragrabat corpus Chriſti, vtpote in quo ſumma eſſet humorum harmonia, ac calor optimè eos concoquens. Genæ ergo roſeæ in Sponſa pudorem & verecundiam virginalem ſignificant: in Chriſto verò Sponſo, primò iuuentutis & florentis ætatis ſunt ſignum: ſecundò honeſtatis: tertiò hilaritatis: quartò ingenuitatis: quintò grauitatis & maieſtatis coniunctæ cum lenitate, modeſtiâ & pietate exteriore, ab interiore promanante, quæ eum fidelibus ſummè amabilem æquè ac venerabilem efficiebat. *(Genæ roſeæ Chriſti ſignum quinque dotium.)* Ita Caſſiodor. Beda, Rupertus, Lucas Abbas & alij. Chriſto ergo multò magis competit id, quod Maximiano Imperat. tribuit Claudius in Panegyrico dicens: *in ipſo vultu tuo videbam omnia ſigna virtutum, in fronte grauitatis, in oculis lenitatis, in rubore verecundiæ, in ſermone iuſtitiæ.* Huc accedit S. Hieronymus, in calce Comment. in Zachariam, qui per genas accipit ſermonem Chriſti pietate & maieſtate plenum, qui inſtar aromatis præſtantiſſimi omnibus animæ morbis medetur, atque eſt velut ſuis areolis diſtinctus, id eſt, ſuis materiis ex ordine diſpoſitus: ac ſuis locis & temporibus ſine confuſione & perturbatione enunciatus: *Laudat Sponſa in Cantico Canticorum Sponſum ſuum: Maxilla eius phialæ aromatum. In maxillis ſermo accipitur, qui prolatus à Domino varia vnguenta depromit, & tanta erit boni odoris fragrantia; vt faciat ſibi Dominus flagellum de ſcripturarum textum teſtimoniis, & eiiciat de templo vendentes & ementes; & dicat ad eos: ſcriptum eſt; domus patris mei, domus orationis vocabitur cunctis gentibus, vos autem feciſtis eam domum negotiationis.* (Hieron.)

*(Genæ ſunt miſericordia & iuſtitia.)* Parabolicè, genæ binæ Chriſti ſunt miſericordia & iuſtitia, iuxta illud:

*Vniuerſa*

Pſal. 24. 10. *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas.* Pſal. 24. 10. Et: *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Pſal. 100. 1. Et: *Miſericordia & veritas præcedent faciem tuam.* Pſal. 88. 15. Vtraque enim in Chriſto inſignis eſt, ſpecioſa, adæquata, odorata & efficax inſtar aromatum. Rurſum Tres Anonymi apud Theodoretum, per genas & areolas accipiunt diuinæ prouidentiæ rationes, quibus Deus homines aſpicit, ſeque amabilem æquè ac venerabilem efficit, vt omnes eum timeant & colant.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

Genæ 1. ſunt Virgines. GEnæ Chriſti ſunt Virgines, Virginumque pudor & prudentia, vti dixi cap. 1. 10.

2. Martyres. Secundò, genæ Chriſti ſunt Martyres, qui non erubuerunt coram Tyrannis confiteri nomen Chriſti; ſed pro eo genas alapis, manus cruci, corpus flagellis, caput gladio conſtanter expoſuerunt, ac ſuo ſanguine Chriſti faciem & genas ornarunt & purpurarunt. Ita S. Gregorius.

3. Doctores. Tertiò, genæ notant Doctores, inquit Nyſſen. & S. Anſel. qui inſtar maxillarum cibos ſpirituales, id eſt, Sacræ Scripturæ ſenſus mandunt & ruminant, vt eos fidelibus proponant & porrigant. Hi ſunt quaſi *areolæ aromatum*, id eſt, quaſi terra hortenſis exculta, proferens orationem, contemplationem, aliaſque cæleſtes virtutes, *conſitæ à pigmentariis*, id eſt, ab Apoſtolis & Prophetis inſtructi, qui quaſi pigmentarij piſtillo humilitatis omnia conterunt, & ad ſui mundique deſpicientiam reducunt, vti notat S. Anſelm. Vnde Hortulanus pro *conſitæ* vertens pyxides, & per eas accipiens Prophetas: Prophetæ, inquit, in quibus quaſi in genis & facie Chriſti, futura oſtendere antevertit, intus quidem ſancti Spiritus donis, ceu pyxides vnguentariorum optimis vnguentis pleni, optimeque olentes, foris verò pudibundi, cùm ſint ingenuo pudore ſuffuſi, quaſi pyxides minio aut purpuriſſo pictæ rubent.

Chald. Huc facit verſio Chaldæi, qui per duas genas accipit duas tabulas Decalogi: *Duæ tabulæ, inquit, lapideæ, quas dedit populo ſuo, ſcriptæ erant decem lineis, ſimilibus lineis horti aromatum, quæ germinant acutiſſimos ſenſus & ſuaues, ſicut hortus germinat aromata.*

Addit Theodoret. Doctores à Septuag. vocari phialas, propter doctrinæ omnibus apertæ & expoſitæ claritatem & ſuauitatem. Denique Philo Carpath. per genas duas accipit S. Scripturam vtriuſque teſtamenti, quia in eis maximè diuini Sponſi natura cognoſcitur.

4. Omnes ſancti. Quartò Philo & Iuſtus per genas & areolas accipiunt omnes ſanctos aromatibus, id eſt, virtutibus fragrantes, à pigmentariis, id eſt, à probis Prædicatoribus conſitas.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

CHriſtus genarum ſuarum, id eſt, honeſtæ conuerſationis, modeſtiæ, grauitatis, pietatis decorem & fragrantiam transfudit in ſuam Matrem, vtpote cum qua conuerſatus eſt familiariſſimè à puero vſque ad annum ætatis trigeſimum. Vide plura, quæ de genis eius dixi cap. 3. v. 3. & cap. 1. v. 10.

---

*Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam.* Verſ. 13.

PRo *primam* Septuag. vertunt *plenam*. Aquila *electam*. Hebr. עבר over, id eſt *tranſeuntem*, quæ ſcilicet per omnium manus & ora tranſit quia vt prima & probatiſſima ab omnibus laudatur, expetitur & comparatur. Arabicus, *rorem plenum myrrhâ*. Syrus *myrrham & nardum*. Almonacius per lilia intelligit flores, qui vulgo Irides vocantur ob ſimilitudinem Iridis, id eſt, arcus cæleſtis quoad varietatem colorum. Veteres enim Iridem ponebant Deam eloquentiæ. Verùm alij flores ſunt lilia, alij Irides.

Labia Sponſi comparat liliis, primò ob decorem, quia elegantia ſunt vt lilia. Labia Chriſti vt lilia ob ſex analogias. Vnde liliũ eſt inſigne Regum Franciæ, ac olim dicabatur Iunoni dicebaturque flos Iunonis, æquè ac Nymphis. Vnde Propertius:

*Sæpe tulit blandis argentea lilia Nymphis.* Propert.

Secundò ob formam, quia leuiter repanda ſunt vt lilia. Tertiò ob colorem: nam exteriùs candida, interiùs rubra & ſplendida ſunt, vt lilia: quia in Syria lilia purpurea cæteris excellunt, teſte Plinio lib. 21. cap. 5. & Dioſcor. lib. 3. cap. 99. Quartò odore, quia odorata ſunt vt lilia, ac ſuauiſſimum oris anhelitum expirant. Quintò ſubtilitate, quia tenuia & mollia ſunt, vt lilia, quod magnanimitatis

tur, & irrigantur areolæ herbarum & florum in hortis. Pagnin. *linea ſulci.* Arabicus *lacus* vel *piſcina*. Syrus: *Strata aromatum*. Noſter Tigurin. Marinus & Vatabl. *areolæ*, quæ ordine pulchro diſponuntur & ordinantur: ערך *arach* enim eſt ordinare, diſponere. Literæ autem *caph*, quæ eſt in ערך *arach*, & *ghimel*: quæ eſt in ערוגה *aruga*, ſunt affines, & eiuſdem pene ſoni.

*Arab. Syrus.*

Pro *conſita à pigmentariis*. Hebraïcè eſt מגדלות מרקחים *migdelot merkachim*, quod Septuag. vertunt *germinantes vnguentaria*. R. Dauid & Pagnin. *flores aromatum*. Tigur. *Maxillæ eius ſimiles ſunt turribus* (id eſt, *pyxidibus turritis*, quæ quaſi paruæ turres eſſe videntur) *ſeplaſiariæ officinæ*. Marinus: *Sicut turres pigmentorum*, vel *aromatum*. Vatabl. & Hortulanus: *Genæ eius ſimiles ſunt pyxidibus* vel *loculis*, *quales ſunt in officinis vel tabernis vnguentariis*. Syrus & Arabicus vertunt vt Vulgata. Forſterus: *Genæ eius ſicut turres longinquitatum*. Additque, eſt genus aromatis, quod à turribus habet nomen, eò quod è longinquo fragret, quaſi per Metatheſin מרקחים *merkachim*, id eſt, aromatum vel aromatariorum, ponatur pro מרחקים *merchakim*, id eſt, longinquorum. Alij: *Genæ tuæ ſunt ſicut confectiones aromatum*. Noſter pro מרקחים *merkachim*, id eſt pigmentariorum, alio puncto legit מרקחים *merokechim*, id eſt, à pigmentariis. Rurſum pro מגדלות *migdelot*, id eſt, turres, cum Septuaginta legit מגדלות *meguddalot*, id eſt, *conſitæ* creſcentes, germinantes.

*LXX. R. Dauid. Pagnin. Tigur. Marin. Vatabl. Hortulan. Forſter.*

*Genæ ſimiles areolis aromatum.*

Comparantur genæ Sponſi areolis aromatum; primò in forma, quia ſicut areolæ ſunt tumidæ & cæteræ terræ
1. eminent, ſic & genæ iuuenis Sponſi ſunt tumidæ & carnoſæ, ac præ oculis, temporibus & mento extant eminentque.

2. Secundò, in pretio, quia areolæ hæ ſunt non olerum vel herbarum, ſed aromatum: ſic genæ Sponſi ſunt pretioſiſſimæ.

3. Tertiò, in diſpoſitione, quia areolæ hæ affabrè in rotunditatem compoſitæ, ſpeciem genarum exhibent: vnde & ſubinde ab oſſibus maxillarum, ab ouibus, bobus, aliiſue animalibus occiſis acceptarum pulchrè diſpoſitis, circumcirca ſepiuntur & cinguntur, quales ſæpe in Belgio vidi.

4. Quartò, in odore, quia aromaticum, id eſt, efficaciſſimum & ſuauiſſimum expirant odorem.

5. Quintò, in colore, quia genæ Sponſi roſeæ ſunt, id eſt, candidæ & rubicundæ, ideóque vermiculatæ, ſicut areolæ variis floribus candidis & purpureis vermiculantur.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

QVinque haſce areolarum & genarum analogias, facilè eſt adaptare ad literam Chriſto. Ipſius enim, vtpote à Spiritu ſancto optimè efformati, ac in iuuenili florentique ætate conſtituti, genæ erant tumidæ, pretioſæ, rotundæ, odoratæ & roſeæ. Alexander Magnus teſte Plutarcho in eius vita, ex genis, cute, totóque corpore miram emittebat fragrantiam, propter concoctos calore humores in corpore exiſtentes. Multò magis fragrabat corpus Chriſti, vtpote in quo ſumma eſſet humorum harmonia, ac calor optimè eos concoquens. Genæ ergo roſeæ in Sponſa pudorem & verecundiam virginalem ſignificant: in Chriſto verò Sponſo, primò iuuentutis & florentis ætatis ſunt ſignum: ſecundò honeſtatis: tertiò hilaritatis: quartò ingenuitatis: quintò grauitatis & maieſtatis coniunctæ cum lenitate, modeſtiâ & pietate exteriore, ab interiore promanante, quæ eum fidelibus ſummè amabilem æquè ac venerabilem efficiebat. Ita Caſſiodor. Beda, Rupertus, Lucas Abbas & alij. Chriſto ergo multò magis competit id, quod Maximiano Imperat. tribuit Claudius in Panegyrico dicens: *in ipſo vultu tuo videbam omnia ſigna virtutum, in fronte grauitatis, in oculis leuitatis, in rubore verecundiæ, in ſermone iuſtitiæ*. Huc accedit S. Hieronymus, in calce Comment. in Zachariam, qui per genas accipit ſermonem Chriſti pietate & maieſtate plenum, qui inſtar aromatis præſtantiſſimi omnibus animæ morbis medetur, atque eſt velut ſuis areolis diſtinctus, id eſt, ſuis materiis ex ordine diſpoſitus: ac ſuis locis & temporibus ſine confuſione & perturbatione enunciatus. *Laudat Sponſa in Cantico Canticorum Sponſum ſuum: Maxillæ eius phialæ aromatum. In maxillis ſermo accipitur, qui prolatus à Domino varia vnguenta depromit, & tanta erit boni odoris fragrantia; vt faciat ſibi Dominus flagellum de ſcripturarum textum teſtimoniis, & eiiciat de templo vendentes & ementes; & dicat ad eos: ſcriptum eſt; domus patris mei, domus orationis vocabitur cunctis gentibus, vos autem feciſtis eam domum negotiationis.*

*Genæ roſeæ Chriſti ſignum quinque dotium.*

*Hieron.*

Parabolicè, genæ binæ Chriſti ſunt miſericordia & iuſtitia, iuxta illud:

*Genæ ſunt miſericordia & iuſtitia.*

*Vniuerſa*

Digitized by Google

Pſal. 24. 10. *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas.* Pſal. 24. 10. Et: *Miſericordiam & iudicium*
Pſal. 100. 1. *cantabo tibi Domine.* Pſal. 100. 1. Et: *Miſericor-*
Pſal. 88. 15. *dia & veritas præcedent faciem tuam.* Pſal. 88. 15. Vtraque enim in Chriſto inſignis eſt, ſpecioſa, adæquata, odorata & efficax inſtar aromatum. Rurſum Tres Anonymi apud Theodoretum, per genas & areolas accipiunt diuinæ prouidentiæ rationes, quibus Deus homines aſpicit, ſeque amabilem æquè ac venerabilem efficit, vt omnes eum timeant & colant.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

Genæ 1. ſunt Virgines. GEnæ Chriſti ſunt Virgines, Virginúmque pudor & prudentia, vti dixi cap. 1. 10.

2. Martyres. Secundò, genæ Chriſti ſunt Martyres, qui non erubuerant coram Tyrannis confiteri nomen Chriſti; ſed pro eo genas alapis, manus cruci, corpus flagellis, caput gladio conſtanter expoſuerunt, ac ſuo ſanguine Chriſti faciem & genas ornarunt & purpurarunt. Ita S. Gregorius.

3. Doctores. Tertiò, genæ notant Doctores, inquit Nyſſen. & S. Anſel. qui inſtar maxillarum cibos ſpirituales, id eſt, Sacræ Scripturæ ſenſus mandunt & ruminant, vt eos fidelibus proponant & porrigant. Hi ſunt quaſi *areolæ aromatum*, id eſt, quaſi terra hortenſis exculta, proferens orationem, contemplationem, aliáſque cæleſtes virtutes, *conſitæ à pigmentariis*, id eſt, ab Apoſtolis & Prophetis inſtructi, qui quaſi pigmentarij piſtillo humilitatis omnia conterunt, & ad ſui mundíque deſpicientiam reducunt, vti notat S. Anſelm. Vnde Hortulanus pro *conſitæ* vertens pyxides, & per eas accipiens Prophetas: Prophetæ, inquit, in quibus quaſi in genis & facie Chriſti, futura oſtendère anteuertit, intus quidem ſancti Spiritus donis, ceu pyxides vnguentariorum optimis vnguentis pleni, optiméque olentes, foris verò pudibundi, cùm ſint ingenuo pudore ſuffuſi, quaſi pyxides minio aut purpuriſſo pictæ rubent.

Chald. Huc facit verſio Chaldæi, qui per duas genas accipit duas tabulas Decalogi: *Duæ tabulæ*, inquit, *lapideæ, quas dedit populo ſuo, ſcriptæ erant decem lineis, ſimilibus lineis horti aromatum, quæ germinant acutiſſimos ſenſus & ſuaues, ſicut hortus germinat aromata.*

Addit Theodoret. Doctores à Septuag. vocari phialas, propter doctrinæ omnibus apertæ & expoſitæ claritatem & ſuauitatem. Denique Philo Carpath. per genas duas accipit S. Scripturam vtriuſque teſtamenti, quia in eis maximè diuini Sponſi natura cognoſcitur.

Quartò Philo & Iuſtus per genas & areolas accipiunt omnes ſanctos aromatibus, id eſt, virtutibus fragrantes, à pigmentariis, id eſt, à probis Prædicatoribus conſitas. 4. Omnes ſancti.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

CHriſtus genarum ſuarum, id eſt, honeſtæ conuerſationis, modeſtiæ, grauitatis, pietatis decorem & fragrantiam transfudit in ſuam Matrem, vtpote cum qua conuerſatus eſt familiariſſimè à puero vſque ad annum ætatis trigeſimum. Vide plura, quæ de genis eius dixi cap. 3. v. 3. & cap. 1. v. 10.

---

*Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam.* Verſ. 13.

PRo *primam* Septuag. vertunt *plenam.* Aquila *electam.* Hebr. עֹבֵר *over*, id eſt *tranſeuntem*, quæ ſcilicet per omnium manus & ora tranſit quia vt prima & probatiſſima ab omnibus laudatur, expetitur & comparatur. Arabicus, *rorem plenum myrrhâ.* Syrus *myrrham & nardum.* Almonacius per lilia intelligit flores, qui vulgo Irides vocantur ob ſimilitudinem Iridis, id eſt, arcus cæleſtis quoad varietatem colorum. Veteres enim Iridem ponebant Deam eloquentiæ. Verùm alij flores ſunt lilia, alij Irides.

Labia Sponſi comparat liliis, primò ob decorem, quia elegantia ſunt vt lilia. Labia Chriſti velut lilia ob ſex analogias. Vnde liliũ eſt inſigne Regum Franciæ, ac olim dicabatur Iunoni dicebatúrque flos Iunonis, æquè ac Nymphis. Vnde Propertius:

*Sæpe tulit blandis argentea lilia Nymphis.* Propert.

Secundò ob formam, quia leuiter repanda ſunt vt lilia. Tertiò ob colorem: nam exteriùs candida, interiùs rubra & ſplendida ſunt, vt lilia: quia in Syria lilia purpurea cæteris excellunt, teſte Plinio lib. 21. cap. 5. & Dioſcor. lib. 3. cap. 99. Quartò odore, quia odorata ſunt vt lilia, ac ſuauiſſimum oris anhelitum expirant. Quintò ſubtilitate, quia tenuia & mollia ſunt, vt lilia, quod magnanimitatis

tur, & irrigantur areolæ herbarum & florum in hortis. Pagnin. *linea ſulci*. Arabicus *lacus* vel *piſcina*. Syrus: *Strata aromatum*. Noſter Tigurin. Marinus & Vatabl. *areola*, quæ ordine pulchro diſponuntur & ordinantur: ערך *arach* enim eſt ordinare, diſponere. Literæ autem *caph*, quæ eſt in ערך *arach*, & *ghimel*: quæ eſt in ערוגה *aruga*, ſunt affines, & eiuſdem penè ſoni.

Arab. Syrus.

Pro *conſita à pigmentariis*, Hebraïcè eſt מגדלות מרקחים *migdelot merkachim*, quod Septuag. vertunt *germinantes vnguentaria*. R. Dauid & Pagnin. *flores aromatum*. Tigur. *Maxillæ eius ſimiles ſunt turribus* (id eſt, *pyxidibus turritis*, quæ quaſi paruæ turres eſſe videntur) *ſeplaſiariæ officinæ*. Marinus: *Sicut turres pigmentorum*, vel *aromatum*. Vatabl. & Hortulanus: *Genæ eius ſimiles ſunt pyxidibus* vel *loculis, quales ſunt in officinis vel tabernis vnguentariis*. Syrus & Arabicus vertunt vt Vulgata. Forſterus: *Genæ eius ſicut turres longinquitatum*. Additque, eſt genus aromatis, quod à turribus habet nomen, eò quod è longinquo fragret, quaſi per Metatheſin מרקחים *merkachim*, id eſt, aromatum vel aromatariorum, ponatur pro מרחקים *merchakim*, id eſt, longinquorum. Alij: *Genæ tuæ ſunt ſicut confectiones aromatum*. Noſter pro מרקחים *merkachim*, id eſt pigmentariorum, alio puncto legit מרקחים *merokechim*, id eſt, à pigmentariis. Rurſum pro מגדלות *migdelot*, id eſt, turres, cum Septuaginta legit מגדלות *meguddalot*, id eſt, *conſitæ* creſcentes, germinantes.

LXX. R. Dauid. Pagnin. Tigur. Marin. Vatabl. Hortulan. Forſter.

Comparantur genæ Sponſi areolis aromatum; primò in forma, quia ſicut areolæ ſunt tumidæ & cæteræ terræ eminent, ſic & genæ iuuenis Sponſi ſunt tumidæ & carnoſæ, ac præ oculis, temporibus & mento extant eminéntque.

*Genæ ſimiles areolis aromatum.*

1. (margin)

2. Secundò, in pretio, quia areolæ hæ ſunt non olerum vel herbarum, ſed aromatum: ſic genæ Sponſi ſunt pretioſiſſimæ.

3. Tertiò, in diſpoſitione, quia areolæ hæ affabrè in rotunditatem compoſitæ, ſpeciem genarum exhibent: vnde & ſubinde ab oſſibus maxillarum, ab ouibus, bobus, aliiſue animalibus occiſis acceptarum pulchrè diſpoſitis, circumcirca ſepiuntur & cinguntur, quales ſæpe in Belgio vidi.

4. Quartò, in odore, quia aromaticum, id eſt, efficaciſſimum & ſuauiſſimum expirant odorem.

5. Quintò, in colore, quia genæ Sponſi roſeæ ſunt, id eſt, candidæ & rubicundæ, ideóque vermiculatæ, ſicut areolæ variis floribus candidis & purpureis vermiculantur.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

QVinque haſce areolarum & genarum analogias, facilè eſt adaptare ad literam Chriſto. Ipſius enim, vtpote à Spiritu ſancto optimè efformati, ac in iuuenili florentíque ætate conſtituti, genæ erant tumidæ, pretioſæ, rotundæ, odoratæ & roſeæ. Alexander Magnus teſte Plutarcho in eius vita, ex genis, cute, totôque corpore miram emittebat fragrantiam, propter concoctos calore humores in corpore exiſtentes. Multò magis fragrabat corpus Chriſti, vtpote in quo ſumma eſſet humorum harmonia, ac calor optimè eos concoquens. Genæ ergo roſeæ in Sponſa pudorem & verecundiam virginalem ſignificant: in Chriſto verò Sponſo, primò iuuentutis & florentis ætatis ſunt ſignum: ſecundò honeſtatis: tertiò hilaritatis: quartò ingenuitatis: quintò grauitatis & maieſtatis coniunctæ cum lenitate, modeſtiâ & pietate exteriore, ab interiore promanante, quæ eum fidelibus ſummè amabilem æquè ac venerabilem efficiebat. Ita Caſſiodor. Beda, Rupertus, Lucas Abbas & alij. Chriſto ergo multò magis competit id, quod Maximiano Imperat. tribuit Claudius in Panegyrico dicens: *in ipſo vultu tuo videbam omnia ſigna virtutum, in fronte grauitatis, in oculis lenitatis, in rubore verecundiæ, in ſermone iuſtitiæ*. Huc accedit S. Hieronymus, in calce Comment. in Zachariam, qui per genas accipit ſermonem Chriſti pietate & maieſtate plenum, qui inſtar aromatis præſtantiſſimi omnibus animæ morbis medetur, atque eſt velut ſuis areolis diſtinctus, id eſt, ſuis materiis ex ordine diſpoſitus: ac ſuis locis & temporibus ſine confuſione & perturbatione enunciatus: *Laudat Sponſa in Cantico Canticorum Sponſum ſuum: Maxillæ eius phialæ aromatum. In maxillis ſermo accipitur, qui prolatus à Domino varia vnguenta depromit, & tanta erit boni odoris fragrantia, vt faciat ſibi Dominus flagellum de ſcripturarum textum teſtimoniis, & eiiciat de templo vendentes & ementes; & dicat ad eos: ſcriptum eſt; domus patris mei, domus orationis vocabitur cunctis gentibus, vos autem feciſtis eam domum negotiationis.*

*Genæ roſeæ Chriſti, ſignum quinque dotum.*

Hieron.

Parabolicè, genæ binæ Chriſti ſunt miſericordia & iuſtitia, iuxta illud: *Vniuerſæ*

*Genæ ſunt miſericordia & iuſtitia.*

Pſal.24 10. *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas.* Pſal. 24.10. Et: *Miſericordiam & iudicium* Pſal 100.1. *cantabo tibi Domine.* Pſal. 100.1. Et: *Miſericor-* Pſal.88 15. *dia & veritas præcedent faciem tuam.* Pſal.88. 15. Vtraque enim in Chriſto inſignis eſt, ſpecioſa, adæquata, odorata & efficax inſtar aromatum. Rurſum Tres Anonymi apud Theodoretum, per genas & areolas accipiunt diuinæ prouidentiæ rationes, quibus Deus homines aſpicit, ſéque amabilem æquè ac venerabilem efficit, vt omnes eum timeant & colant.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

Genæ 1. ſunt Virgines. GEnæ Chriſti ſunt Virgines, Virginúmque pudor & prudentia, vti dixi cap. 1. 10.

2. Martyres. Secundò, genæ Chriſti ſunt Martyres, qui non erubuerunt coram Tyrannis confiteri nomen Chriſti; ſed pro eo genas alapis, manus cruci, corpus flagellis, caput gladio conſtanter expoſuerunt, ac ſuo ſanguine Chriſti faciem & genas ornarunt & purpurarunt. Ita S. Gregorius.

3. Doctores. Tertiò, genæ notant Doctores, inquit Nyſſen. & S. Anſel. qui inſtar maxillarum cibos ſpirituales, id eſt, Sacræ Scripturæ ſenſus mandunt & ruminant, vt eos fidelibus proponant & porrigant. Hi ſunt quaſi *areolæ aromatum*, id eſt, quaſi terra hortenſis exculta, proferens orationem, contemplationem, aliáſque cæleſtes virtutes, *conſitæ à pigmentariis*, id eſt, ab Apoſtolis & Prophetis inſtructi, qui quaſi pigmentarij piſtillo humilitatis omnia conterunt, & ad ſui mundíque deſpicientiam reducunt, vti notat S. Anſelm. Vnde Hortulanus pro *conſitæ* vertens pyxides, & per eas accipiens Prophetas: Prophetæ, inquit, in quibus quaſi in genis & facie Chriſti, futura oſtendere anteuertit, intus quidem ſancti Spiritus donis, ceu pyxides vnguentariorum optimis vnguentis pleni, optiméque olentes, foris verò pudibundi, cùm ſint ingenuo pudore ſuffuſi, quaſi pyxides minio aut purpuriſſo pictæ rubent.

Huc facit verſio Chaldæi, qui per duas genas accipit duas tabulas Decalo- Chald. gi: *Duæ tabulæ*, inquit, *lapideæ, quas dedit populo ſuo, ſcriptæ erant decem lineis, ſimilibus lineis horti aromatum, quæ germinant acutiſſimos ſenſus & ſuaues, ſicut hortus germinat aromata.*

Addit Theodoret. Doctores à Septuag. vocari phialas, propter doctrinæ omnibus apertæ & expoſitæ claritatem & ſuauitatem. Denique Philo Carpath. per genas duas accipit S. Scripturam vtriuſque teſtamenti, quia in eis maximè diuini Sponſi natura cognoſcitur.

Quartò Philo & Iuſtus per genas & 4.
areolas accipiunt omnes ſanctos aromaribus, id eſt, virtutibus fragrantes, à pigmentariis, id eſt, à probis Prædicatoribus conſitas. Omnes ſancti.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

CHriſtus genarum ſuarum, id eſt, honeſtæ conuerſationis, modeſtiæ, grauitatis, pietatis decorem & fragrantiam transfudit in ſuam Matrem, vtpote cum qua conuerſatus eſt familiariſſimè à puero vſque ad annum ætatis trigeſimum. Vide plura, quæ de genis eius dixi cap. 3. v. 3. & cap. 1. v. 10.

---

*Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam.* Verſ. 13.

PRo *primam* Septuag. vertunt *plenam*. Aquila *electam*. Hebr. עֹבֵר *over*, id eſt *tranſeuntem*, quæ ſcilicet per omnium manus & ora tranſit quia vt prima & probatiſſima ab omnibus laudatur, expetitur & comparatur. Arabicus, *rorem plenum myrrhâ*. Syrus *myrrham & nardum*. Almonacius per lilia intelligit flores, qui vulgo Irides vocantur ob ſimitudinem Iridis, id eſt, arcus cæleſtis quoad varietatem colorum. Veteres enim Iridem ponebant Deam eloquentiæ. Verùm alij flores ſunt lilia, alij Irides.

Labia Sponſi comparat liliis, primò ob decorem, quia elegantia ſunt vt lilia. Vnde liliũ eſt inſigne Regum Franciæ, ac olim dicabatur Iunoni dicebatúrque flos Iunonis, æquè ac Nymphis. Vnde Propertius: Labia Chriſti vt lilia ob ſex analogias.

*Sæpe tulit blandis argentea lilia Nymphis.* Propert.

Secundò ob formam, quia leuiter repanda ſunt vt lilia. Tertiò ob colorem: nam exteriùs candida, interiùs rubra & ſplendida ſunt, vt lilia: quia in Syria lilia purpurea cæteris excellunt, teſte Plinio lib. 21. cap. 5. & Dioſcor. lib. 3. cap. 99. Quartò odore, quia odorata ſunt vt lilia, ac ſuauiſſimum oris anhelitum expirant. Quintò ſubtilitate, quia tenuia & mollia ſunt, vt lilia, quod magnanimitatis

tur, & irrigantur areolæ herbarum & florum in hortis. Pagnin. *linea ſulci.* Arabicus *lacus* vel *piſcina.* Syrus: *Strata aromatum.* Noſter Tigurin. Marinus & Vatabl. *areolæ*, quæ ordine pulchro diſponuntur & ordinantur: ערך *arach* enim eſt ordinare, diſponere. Literæ autem *caph*, quæ eſt in ערך *arach*, & *ghimel*: quæ eſt in ערוגה *aruga*, ſunt affines, & eiuſdem penè ſoni.

Arab. Syrus.

Pro *conſita à pigmentariis.* Hebraïcè eſt מגדלות מרקחים *migdelot merkachim*, quod Septuag. vertunt *germinantes vnguentaria.* R. Dauid & Pagnin. *flores aromatum.* Tigur. *Maxillæ eius ſimiles ſunt turribus* (id eſt, *pyxidibus turritis*, quæ quaſi paruæ turres eſſe videntur) *ſeplaſiariæ officinæ.* Marinus: *Sicut turres pigmentorum*, vel *aromatum.* Vatabl. & Hortulanus: *Genæ eius ſimiles ſunt pyxidibus* vel *loculis, quales ſunt in officinis vel tabernis vnguentariis.* Syrus & Arabicus vertunt vt Vulgata. Forſterus: *Genæ eius ſicut turres longinquitatum.* Additque, eſt genus aromatis, quod à turribus habet nomen, eò quod è longinquo fragret, quaſi per Metatheſin מרקחים *merkachim*, id eſt, aromatum vel aromatariorum, ponatur pro מרחקים *merchakim*, id eſt, longinquorum. Alij: *Genæ tuæ ſunt ſicut confectiones aromatum.* Noſter pro מרקחים *merkachim*, id eſt pigmentariorum, alio puncto legit מרוקחים *merokechim*, id eſt, à pigmentariis. Rurſum pro מגדלות *migdelot*, id eſt, turres, cum Septuaginta legit מגדלות *meguddalot*; id eſt, *conſita* creſcentes, germinantes.

LXX. R. Dauid. Pagnin. Tigur. Marin. Vatabl. Hortulan. Forſter.

*Genæ ſimiles areolis aromatum.*

Comparantur genæ Sponſi areolis aromatum; primò in forma, quia ſicut areolæ ſunt tumidæ & cæteræ terræ

1. eminent, ſic & genæ iuuenis Sponſi ſunt tumidæ & carnoſæ, ac præ oculis, temporibus & mento extant eminéntque.

2. Secundò, in pretio, quia areolæ hæ ſunt non olerum vel herbarum, ſed aromatum: ſic genæ Sponſi ſunt pretioſiſſimæ.

3. Tertiò, in diſpoſitione, quia areolæ hæ affabrè in rotunditatem compoſitæ, ſpeciem genarum exhibent: vnde & ſubinde ab oſſibus maxillarum, ab ouibus, bobus, aliiſue animalibus occiſis acceptarum pulchrè diſpoſitis, circumcirca ſepiuntur & cinguntur, quales ſæpe in Belgio vidi.

4. Quartò, in odore, quia aromaticum, id eſt, efficaciſſimum & ſuauiſſimum expirant odorem.

5. Quintò, in colore, quia genæ Sponſi roſeæ ſunt, id eſt, candidæ & rubicundæ, ideóque vermiculatæ, ſicut areolæ variis floribus candidis & purpureis vermiculantur.

## PRIMVS SENSVS

*De Christo & Eccleſia.*

QVinque haſce areolarum & genarum analogias, facilè eſt adaptare ad literam Chriſto. Ipſius enim, vtpote à Spiritu ſancto optimè efformati, ac in iuuenili florentique ætate conſtituti, genæ erant tumidæ, pretioſæ, rotundæ, odoratæ & roſeæ. Alexander Magnus teſte Plutarcho in eius vita, ex genis, cute, totóque corpore miram emittebat fragrantiam, propter concoctos calore humores in corpore exiſtentes. Multò magis fragrabat corpus Chriſti, vtpote in quo ſumma eſſet humorum harmonia, ac calor optimè eos concoquens. Genæ ergo roſeæ in Sponſa pudorem & verecundiam virginalem ſignificant; in Chriſto verò Sponſo, primò iuuentutis & florentis ætatis ſunt ſignum: ſecundò honeſtatis: tertiò hilaritatis: quartò ingenuitatis: quintò grauitatis & maieſtatis coniunctæ cum lenitate, modeſtiâ & pietate exteriore, ab interiore promanante, quæ eum fidelibus ſummè amabilem æquè ac venerabilem efficiebat. Ita Caſſiodor. Beda, Rupertus, Lucas Abbas & alij. Chriſto ergo multò magis competit id, quod Maximiano Imperat. tribuit Claudius in Panegyrico dicens: *in ipſo vultu tuo videbam omnia ſigna virtutum, in fronte grauitatis, in oculis lenitatis, in rubore verecundiæ, in ſermone iuſtitiæ.* Huc accedit S. Hieronymus, in calce Comment. in Zachariam, qui per genas accipit ſermonem Chriſti pietate & maieſtate plenum, qui inſtar aromatis præſtantiſſimi omnibus animæ morbis medetur, atque eſt velut ſuis areolis diſtinctus, id eſt, ſuis materiis ex ordine diſpoſitus: ac ſuis locis & temporibus ſine confuſione & perturbatione enunciatus. *Laudat Sponſa in Cantico Canticorum Sponſum ſuum: Maxilla eius phiala aromatum. In maxillis ſermo accipitur, qui prolatus à Domino varia vnguenta depromit, & tanta erit boni odoris fragrantia; vt faciat ſibi Dominus flagellum de ſcripturarum textum teſtimoniis, & eiiciat de templo vendentes & ementes, & dicat ad eos: ſcriptum eſt; domus patris mei, domus orationis vocabitur cunctis gentibus, vos autem feciſtis eam domum negotiationis.*

*Genæ roſeæ Chriſti, ſignum quinque dotum.*

Hieron.

Parabolicè, genæ binæ Chriſti ſunt miſericordia & iuſtitia, iuxta illud: *Vniuerſa*

*Genæ ſunt miſericordia & iuſtitia.*

Pſal.24.10. *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas.* Pſal. 24. 10. Et: *Miſericordiam & iudicium*
Pſal.100.1. *cantabo tibi Domine.* Pſal. 100. 1. Et: *Miſericor-*
Pſal.88.15. *dia & veritas præcedent faciem tuam.* Pſal. 88. 15. Vtraque enim in Chriſto inſignis eſt, ſpecioſa, adæquata, odorata & efficax inſtar aromatum. Rurſum Tres Anonymi apud Theodoretum, per genas & areolas accipiunt diuinæ prouidentiæ rationes, quibus Deus homines aſpicit, ſéque amabilem æquè ac venerabilem efficit, vt omnes eum timeant & colant.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

Genæ 1. ſunt Virgines. GEnæ Chriſti ſunt Virgines, Virginúmque pudor & prudentia, vti dixi cap. 1. 10.

2. Martyres. Secundò, genæ Chriſti ſunt Martyres, qui non erubuerunt coram Tyrannis confiteri nomen Chriſti; ſed pro eo genas alapis, manus cruci, corpus flagellis, caput gladio conſtanter expoſuerunt, ac ſuo ſanguine Chriſti faciem & genas ornarunt & purpurarunt. Ita S. Gregorius.

3. Doctores. Tertiò, genæ notant Doctores, inquit Nyſſen. & S. Anſel. qui inſtar maxillarum cibos ſpirituales, id eſt, Sacræ Scripturæ ſenſus mandunt & ruminant, vt eos fidelibus proponant & porrigant. Hi ſunt quaſi *areola aromatum*, id eſt, quaſi terra hortenſis exculta, proferens orationem, contemplationem, aliáſque cæleſtes virtutes, *conſita à pigmentariis*, id eſt, ab Apoſtolis & Prophetis inſtructi, qui quaſi pigmentarij piſtillo humilitatis omnia conterunt, & ad ſui mundíque deſpicientiam reducunt, vti notat S. Anſelm. Vnde Hortulanus pro *conſita* vertens pyxides, & per eas accipiens Prophetas: Prophetæ, inquit, in quibus quaſi in genis & facie Chriſti, futura oſtendere anteuertit, intus quidem ſancti Spiritus donis, ceu pyxides vnguentariorum optimis vnguentis pleni, optiméque olentes, foris verò pudibundi, cùm ſint ingenuo pudore ſuffuſi, quaſi pyxides minio aut purpuriſſo pictæ rubent.

Chald. Huc facit verſio Chaldæi, qui per duas genas accipit duas tabulas Decalogi: *Duæ tabulæ*, inquit, *lapideæ, quas dedit populo ſuo, ſcripta erant decem lineis, ſimilibus lineis horti aromatum, quæ germinant acutiſſimos ſenſus & ſuaues, ſicut hortus germinat aromata.*

Addit Theodoret. Doctores à Septuag. vocari phialas, propter doctrinæ omnibus apertæ & expoſitæ claritatem & ſuauitatem. Denique Philo Carpath. per genas duas accipit S. Scripturam vtriuſque teſtamenti, quia in eis maximè diuini Sponſi natura cognoſcitur.

Quartò Philo & Iuſtus per genas & areolas accipiunt omnes ſanctos aromatibus, id eſt, virtutibus fragrantes, à pigmentariis, id eſt, à probis Prædicatoribus conſitas. 4. Omnes ſancti.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

CHriſtus genarum ſuarum, id eſt, honeſtæ conuerſationis, modeſtiæ, grauitatis, pietatis decorem & fragrantiam transfudit in ſuam Matrem, vtpote cum qua conuerſatus eſt familiariſſimè à puero vſque ad annum ætatis trigeſimum. Vide plura, quæ de genis eius dixi cap. 3. v. 3. & cap. 1. v. 10.

---

*Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam.* Verſ. 13.

PRo *primam* Septuag. vertunt *plenam*. Aquila *electam*. Hebr. עבר *over*, id eſt *tranſeuntem*, quæ ſcilicet per omnium manus & ora tranſit quia vt prima & probatiſſima ab omnibus laudatur, expetitur & comparatur. Arabicus, *rorem plenum myrrhâ*. Syrus *myrrham & nardum*. Almonacius per lilia intelligit flores, qui vulgo Irides vocantur ob ſimilitudinem Iridis, id eſt, arcus cæleſtis quoad varietatem colorum. Veteres enim Iridem ponebant Deam eloquentiæ. Verùm alij flores ſunt lilia, alij Irides.

Labia Sponſi comparat liliis, primò ob decorem, quia elegantia ſunt vt lilia. Vnde liliũ eſt inſigne Regum Franciæ, ac olim dicabatur Iunoni dicebatúrque flos Iunonis, æquè ac Nymphis. Vnde Propertius: Labia Chriſti veliliis ob ſex analogias.

*Sæpe tulit blandis argentea lilia Nymphis.* Propert.

Secundò ob formam, quia leuiter repanda ſunt vt lilia. Tertiò ob colorem: nam exteriùs candida, interiùs rubra & ſplendida ſunt, vt lilia: quia in Syria lilia purpureâ cæteris excellunt, teſte Plinio lib. 21. cap. 5. & Dioſcor. lib. 3. cap. 99. Quartò odore, quia odorata ſunt vt lilia, ac ſuauiſſimum otis anhelitum expirant. Quintò ſubtilitate, quia tenuia & mollia ſunt, vt lilia, quod magnanimitatis

tur, & irrigantur areolæ herbarum & florum in hortis. Pagnin. *linea ſulci.* Arab. Syrus. Arabicus *lacus* vel *piſcina.* Syrus: *Strata aromatum.* Noſter Tigurin. Marinus & Vatabl. *areola*, quæ ordine pulchro diſponuntur & ordinantur: ערך *arach* enim eſt ordinare, diſponere. Literæ autem *caph*, quæ eſt in ערך *arach*, & *ghimel*: quæ eſt in ערוגה *aruga*, ſunt affines, & eiuſdem pene ſoni.

Pro *conſita à pigmentariis*, Hebraïcè eſt מגדלות מרקחים *migdelot merkachim*, quod Septuag. vertunt *germinantes vnguentaria.* R. Dauid & Pagnin. *flores aromatum.* Tigur. *Maxillæ eius ſimiles ſunt turribus* (id eſt, *pyxidibus turritis*, quæ quaſi paruæ turres eſſe videntur) *ſeplaſiaria officinæ.* Marinus: *Sicut turres pigmentorum*, vel *aromatum.* Vatabl. & Hortulanus: *Genæ eius ſimiles ſunt pyxidibus* vel *loculis, quales ſunt in officinis vel tabernis vnguentariis.* Syrus & Arabicus vertunt vt Vulgata. Forſterus: *Genæ eius ſicut turres longinquitatum.* Additque, eſt genus aromatis, quod à turribus habet nomen, eò quod è longinquo fragret, quaſi per Metatheſin מרקחים *merkachim*, id eſt, aromatum vel aromatariorum, ponatur pro מרחקים *merchakim*, id eſt, longinquorum. Alij: *Genæ tuæ ſunt ſicut confectiones aromatum.* Noſter pro מרקחים *merkachim*, id eſt pigmentariorum, alio puncto legit מרקחים *merokechim*, id eſt, à pigmentariis. Rurſum pro מגדלות *migdelot*, id eſt, turres, cum Septuaginta legit מגדלות *meguddalot*, id eſt, *conſitæ* creſcentes, germinantes.

*Genæ ſimiles areolis aromatum.* Comparantur genæ Sponſi areolis aromatum; primò in forma, quia ſicut areolæ ſunt tumidæ & cæteræ terræ
1. eminent, ſic & genæ iuuenis Sponſi ſunt tumidæ & carnoſæ, ac præ oculis, temporibus & mento extant eminentque.

2. Secundò, in pretio; quia areolæ hæ ſunt non olerum vel herbarum, ſed aromatum: ſic genæ Sponſi ſunt pretioſiſſimæ.

3. Tertiò, in diſpoſitione, quia areolæ hæ affabrè in rotunditatem compoſitæ, ſpeciem genarum exhibent: vnde & ſubinde ab oſſibus maxillarum, ab ouibus, bobus, aliiſue animalibus occiſis acceptarum pulchrè diſpoſitis, circumcirca ſepiuntur & cinguntur, quales ſæpe in Belgio vidi.

4. Quartò, in odore, quia aromaticum, id eſt, efficaciſſimum & ſuauiſſimum expirant odorem.

5. Quintò, in colore, quia genæ Sponſi roſeæ ſunt, id eſt, candidæ & rubicundæ, ideóque vermiculatæ, ſicut areolæ variis floribus candidis & purpureis vermiculantur.

# PRIMVS SENSVS

## *De Chriſto & Eccleſia.*

QVinque haſce areolarum & genarum analogias, facilè eſt adaptare ad literam Chriſto. Ipſius enim, vtpote à Spiritu ſancto optimè efformati, ac in iuuenili florentique ætate conſtituti, genæ erant tumidæ, pretioſæ, rotundæ, odoratæ & roſeæ. Alexander Magnus teſte Plutarcho in eius vita, ex genis, cute, totóque corpore miram emittebat fragrantiam, propter concoctos calore humores in corpore exiſtentes. Multò magis fragrabat corpus Chriſti, vtpote in quo ſumma eſſet humorum harmonia, ac calor optimè eos concoquens. Genæ ergo roſeæ in Sponſa pudorem & verecundiam virginalem ſignificant: in Chriſto verò Sponſo, primò iuuentutis & florentis ætatis ſunt ſignum: ſecundò honeſtatis: tertiò hilaritatis: quartò ingenuitatis: quintò grauitatis & maieſtatis coniunctæ cum lenitate, modeſtia & pietate exteriore, ab interiore promanante, quæ eum fidelibus ſummè amabilem æquè ac venerabilem efficiebat. Ita Caſſiodor. Beda, Rupertus, Lucas Abbas & alij. Chriſto ergo multò magis competit id, quod Maximiano Imperat. tribuit Claudius in Panegyrico dicens: *in ipſo vultu tuo videbam omnia ſigna virtutum, in fronte grauitatis, in oculis lenitatis, in rubore verecundiæ, in ſermone iuſtitiæ.* Huc accedit S. Hieronymus, in calce Comment. in Zachariam, qui per genas accipit ſermonem Chriſti pietate & maieſtate plenum, qui inſtar aromatis præſtantiſſimi omnibus animæ morbis medetur, atque eſt velut ſuis areolis diſtinctus, id eſt, ſuis materiis ex ordine diſpoſitus: ac ſuis locis & temporibus ſine confuſione & perturbatione enunciatus: *Laudat Sponſa in Cantico Canticorum Sponſum ſuum: Maxilla eius phialæ aromatum. In maxillis ſermo accipitur, qui prolatus à Domino varia vnguenta depromit, & tanta erit boni odoris fragrantia; vt faciat ſibi Dominus flagellum de ſcripturarum textum teſtimoniis, & eiiciat de templo vendentes & ementes; & dicat ad eos: ſcriptum eſt; domus patris mei, domus orationis vocabitur cunctis gentibus, vos autem feciſtis eam domum negotiationis.* Hieron.

Parabolicè, genæ binæ Chriſti ſunt miſericordia & iuſtitia, iuxta illud: *Genæ ſunt miſericordia & iuſtitia.*

*Genæ roſeæ Chriſti, ſignum quinque dotum.*

*Vniuerſa*

Pſal.24.10. Pſal.100.1. Pſal.88.15. *Vniuerſæ via Domini miſericordia & veritas.* Pſal.24.10. Et: *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine* Pſal.100.1. Et: *Miſericordia & veritas præcedent faciem tuam.* Pſal.88.15. Vtraque enim in Chriſto inſignis eſt, ſpecioſa, adæquata, odorata & efficax inſtar aromatum. Rurſum Tres Anonymi apud Theodoretum, per genas & areolas accipiunt diuinæ prouidentiæ rationes, quibus Deus homines aſpicit, ſéque amabilem æquè ac venerabilem efficit, vt omnes eum timeant & colant.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

Genæ 1. ſunt Virgines. GEnæ Chriſti ſunt Virgines, Virginúmque pudor & prudentia, vti dixi cap.1.10.

2. Martyres. Secundò, genæ Chriſti ſunt Martyres, qui non erubuerunt coram Tyrannis confiteri nomen Chriſti; ſed pro eo genas alapis, manus cruci, corpus flagellis, caput gladio conſtanter expoſuerunt, ac ſuo ſanguine Chriſti faciem & genas ornarunt & purpurarunt. Ita S. Gregorius.

3. Doctores. Tertiò, genæ notant Doctores, inquit Nyſſen. & S. Anſel. qui inſtar maxillarum cibos ſpirituales, id eſt, Sacræ Scripturæ ſenſus mandunt & ruminant, vt eos fidelibus proponant & porrigant. Hi ſunt quaſi *areola aromatum*, id eſt, quaſi terra hortenſis exculta, proferens orationem, contemplationem, aliáſque cæleſtes virtutes, *conſita à pigmentariis*, id eſt, ab Apoſtolis & Prophetis inſtructi, qui quaſi pigmentarij piſtillo humilitatis omnia conterunt, & ad ſui mundíque deſpicientiam reducunt, vti notat S. Anſelm. Vnde Hortulanus pro *conſita* vertens pyxides, & per eas accipiens Prophetas: Prophetæ, inquit, in quibus quaſi in genis & facie Chriſti, futura oſtendere anteuertit, intus quidem ſancti Spiritus donis, ceu pyxides vnguentariorum optimis vnguentis pleni, optiméque olentes, foris verò pudibundi, cùm ſint ingenuo pudore ſuffuſi, quaſi pyxides minio aut purpuriſſo pictæ rubent.

Chald. Huc facit verſio Chaldæi, qui per duas genas accipit duas tabulas Decalogi: *Duæ tabulæ*, inquit, *lapideæ, quas dedit populo ſuo, ſcriptæ erant decem lineis, ſimilibus lineis horti aromatum, quæ germinant acutiſſimos ſenſus & ſuaues, ſicut hortus germinat aromata.*

Addit Theodoret. Doctores à Septuag. vocari phialas, propter doctrinæ omnibus apertæ & expoſitæ claritatem & ſuauitatem. Denique Philo Carpath. per genas duas accipit S. Scripturam vtriuſque teſtamenti, quia in eis maximè diuini Sponſi natura cognoſcitur.

Quartò Philo & Iuſtus per genas & areolas accipiunt omnes ſanctos aromatibus, id eſt, virtutibus fragrantes, à pigmentariis, id eſt, à probis Prædicatoribus conſitas. 4. Omnes ſancti.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

CHriſtus genarum ſuarum, id eſt, honeſtæ conuerſationis, modeſtiæ, grauitatis, pietatis decorem & fragrantiam transfudit in ſuam Matrem, vtpote cum qua conuerſatus eſt familiariſſimè à puero vſque ad annum ætatis trigeſimum. Vide plura, quæ de genis eius dixi cap.3.v.3. & cap.1.v.10.

---

*Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam.* Verſ. 13.

PRo *primam* Septuag. vertunt *plenam*. Aquila *electam*. Hebr. עבר *over*, id eſt *tranſeuntem*, quæ ſcilicet per omnium manus & ora tranſit quia vt prima & probatiſſima ab omnibus laudatur, expetitur & comparatur. Arabicus, *rorem plenum myrrhâ*. Syrus *myrrham & nardum*. Almonacius per lilia intelligit flores, qui vulgo Irides vocantur ob ſimitudinem Iridis, id eſt, arcus cæleſtis quoad varietatem colorum. Veteres enim Iridem ponebant Deam eloquentiæ. Verùm alij flores ſunt lilia, alij Irides.

Labia Sponſi comparat liliis, primò ob decorem, quia elegantia ſunt vt lilia. Vnde liliũ eſt inſigne Regum Franciæ, ac olim dicabatur Iunoni dicebatúrque flos Iunonis, æquè ac Nymphis. Vnde Propertius: Labia Chriſti veluti ob ſex analogias.

*Sæpe tulit blandis argentea lilia Nymphis.* Propert.

Secundò ob formam, quia leuiter repanda ſunt vt lilia. Tertiò ob colorem: nam exteriùs candida, interiùs rubra & ſplendida ſunt, vt lilia: quia in Syria lilia purpureâ cæteris excellunt, teſte Plinio lib.21. cap.5. & Dioſcor. lib.3. cap.99. Quartò odore, quia odorata ſunt vt lilia, ac ſuauiſſimum oris anhelitum expirant. Quintò ſubtilitate, quia tenuia & mollia ſunt, vt lilia, quod magnanimitatis

& eloquentiæ eſt indicium, cùm labia craſſa labeonum hebetudinem, & tarditatem iudicandi dicendique ſignificent. Vnde Moſes Exodi 6. 12. vocat ſe incircumciſum labiis, id eſt, craſſiloquum & tardiloquũ. Hinc & Sidonius ſuo Theodorico tribuit *Labia ſubtilia, nec dilatatis oris angulis ampliata.* Sextò lilium ſuâ venuſtate omnes in ſui amorem allicit: ſic & labia venuſta, quæ ſpeciem habent liliorum mitam habent vim perſuadendi. Vnde Homerus ait, Troianorum legatos eloquentiſſimos comediſſe lilia; & de eloquente & blandiloquo vulgò dicitur: *Roſas loquitur & lilia.* Adde, lilia ſuauem labiis & ori dant anhelitum, pellúntque venena: idem faciunt labia diſerti, piíque Oratoris.

Sidon.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

Labia Chriſti lilia per puritatem, ſtillant myrrham mortificationis.

CHriſtus habuit quinque dotes labiorum iam aſſignatas, indéque pariter in dicendo, docendo & perſuadendo lilialem candorem puritatémque, ac miram habuit gratiam & efficaciam. Senſus ergo eſt q. d. Eloquia Chriſti caſta ſunt, & ad omnimodam corporis mentiſque puritatem inflammantia, & crucis mortificationem prædicantia: Labia Chriſti igitur diſtillant myrrham primam, quia docent pœnitentiam, continentiam, mortificationem & auſteritatem vitæ, quæ concupiſcentiæ & carnis voluptatibus è diametro aduerſatur. Prima enim prædicationis eius hæc fuit vox: *Pœnitentiam agite.* Item: *Beati pauperes ſpiritu. Beati qui lugent. Beati qui perſecutionem patiuntur. Diligite inimicos veſtros & benefacite his, qui oderunt vos.* Matth. 5. Ad hæc: *Non veni pacem mittere ſed gladium. Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus*: Matth. 10. Ita Caſſiodor. Beda, Theodor. Rupert. & alij.

Matth. 5.

Matth. 10.

Ex aduerſo mundus & caro labiis ſuis diſtillant mel voluptatis, iuxta illud Prouerb. 5. 3. *Fauus diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur illius: nouiſſima autem illius amara ſunt vt abſinthium, & acuta quaſi gladius biceps.*

Prou. 5. 3.

Symbolicè.

Symbolicè, labia Dei Patris ſimilia liliis, ſunt Filius incarnatus & Spiritus ſanctus: hi enim Dei Patris voluntatem, puritatem, ſanctimoniam nobis annunciarunt, & inſtillarunt per myrrham mortificationis & pœnitentiæ.

Rurſum lilia ſymbolum ſunt ſpei, tum quia lilia ſiccâ viuunt, creſcúntque in ſpe cæleſtis ſolis & pluuiæ: inde enim aſſiduè hauriunt ſuum ſuccum, odorem, pulchritudinem, incrementum: tum quia lilia eximiè florentia prænunciaſunt futuræ fertilitatis, ait Themiſtius. Vnde Virgil. 6. Æneid.

Lilia ſymbolum ſpei.

*Tu Marcellus eris, manibus date lilia plenis.* Virgil.

Vide Pierium Hierogl. 55. cap. 9. Sic Prædicatores habent labia liliata, quia prædicant futuram felicitatem & gloriam; ac proinde eius intuitu & ſpe incitant homines ad capeſſendam myrrham, id eſt, amaritudinem omnem huius vitæ, quæ via eſt ad gloriam.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima ſancta.*

ANimæ ſanctæ & puræ vt lilia, ſunt quaſi labia Chriſti, quia per illas ea quæ ſalutis ſunt, puta cæleſtia & diuina eloquitur & operatur Chriſtus, qui in eorum mente habitat. Vnde Chald. vertit: *Et labia ſapientum qui laborant in lege, fluunt ſententiis ex omni parte, & eloquium oris eorum ſicut myrrha electa.* Maximè verò labia Chriſti ſunt Prædicatores, ait S. Gregor. Nyſſen. Philo, Beda, Rupert. & alij. Hi dicuntur lilia, tum ob candorem vitæ, tum quia prædicant Chriſti puritatem, innocentiam, ſanctimoniam, eiúſque pariter ſtillant myrrham, id eſt, mortificationem, quæ mentes à putredine concupiſcentiarum & peccatorum inſtar myrrhæ conſeruat; *quia Chriſti paſſionem loquuntur*, ait S. Ambroſ lib. de inſtit. Virg. cap. 14. *ac mortificationem illius in ſuo corpore circumferunt.* 2. Corinth. 4. 12. Myrrha enim prima eſt paſſio Chriſti, ait Richard. Vnde Paulus: *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum.* 1. Corinth. 1. 23. Rurſum myrrha prima eſt patientia in tormentis, ait Philo, & martyrium: hæc enim prima eſt dignitate, *quia nullus ſic mortificatur, quomodo ille, qui pro Chriſto martyrio finitur*, ait S. Greg. Addit Lucas Abbas, labia Chriſti eſſe Confeſſarios, quia per illos loquitur Chriſtus ad cor pœnitium, eiſque myrrham pœnitentiæ vitæque auſteræ inſtillat, vt vitia emendent, & emendata conſeruent.

Chald.

Ambroſ.

1. Cor. 1. 23.

Gregor.

Nota; τὸ *diſtillantia* ſignificat pretium horum labiorum & myrrhæ, ſcilicet labia prædicantia & inſtillantia pœnitentiam, mortificationem & tribulationem & martyrium, nobis communicare paſſionem Chriſti, adeò enim hæc pretioſa

ſunt,

ſunt, vt non inſtar aquæ profundantur, ſed inſtar myrrhæ per guttas diſtillent, & à Chriſto colligantur, nc vel punctum earum diſpereat. Hoc eſt, quod ait S. Petrus: *Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete*. 1. Petr. 4. 13, Et Paulus: *Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis; ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra*. 2. Cor. 1. 5.

1. Petr. 4. 13.
2. Cor. 1. 5.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

DE labiis B. Virginis dixi, cap. 3. v. 3. de myrrha cap. 1. 13. Breuiter ſic labia Deiparæ pingit Niceph. lib. 2. cap. 23. *Labia*, ait, *florida & verborum ſuauitate plena*.

Nicephor.

Verſ. 14. *Manus eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.*

TORNATILES, hoc eſt vt Septuag. τορευταὶ, id eſt, *tornata*, hoc eſt, affabrè elaboratæ, ideóque rotundæ politæ, concinnæ, elegantes. Hebr. eſt גְּלִילֵי זָהָב *galile zahav*, id eſt, *reuolutiones, rotunditates, vel circuli auri*. Tigur. *Manus eius orbes* (Vatabl. *annuli*) *aurei, habentes incluſum hyacinthum*. Marinus: *Manus eius ſunt*, vel potiùs *habent annulos aureos*, in digitis *in quorum talis incluſi erant hyacinthi*. Annulos enim aureos in ſignum decoris, ſapientiæ & maieſtatis geſtant coniugati & Reges, qualis hic eſt Sponſus. Verùm quia non dicit digiti, ſed manus, hinc videntur non ſoli digiti Sponſi, ſed & ipſæ manus vocari *tornatiles auri*, quia ita affabrè erant elaboratæ, politæ, perfectæ, vt aurum torno elaboratum referre viderentur: opus enim tornatum, eſt ad amuſſim circinatum, & perfectum, in quo nil eſt quod elimes vel deteras. Sic ab Horatio vocantur verſus tornati, id eſt, plenè elaborati & perfecti, quibus nil addas vel demas. Simili modo vocantur teretes digiti, id eſt, tornati & rotundi, in quibus nihil eſt exuberans, nodoſum, aſperum, ſcabrum. Manus ergo tornatiles ſunt carnoſæ, ſucculentæ, molles, plenæ, politæ, perfectæ, in quibus nulla eſt aſperitas, ſcabrities, macies, nodoſitas, durities, &c.

Lxx.
Hebr.
Tigur.
Vatabl.
Marin.

Pro *hyacinthis*, vti vertit & Symmach. Hebr. eſt תַּרְשִׁישׁ *tharſis*, quod mare, & gemmam marini coloris ſignificat. Noſter alibi paſſim vertit chryſolithum, qui eſt partim aurei, partim marini coloris. Ita vertit Exodi 28. 20. & cap. 39. 13. Ezech. 10. v. 9. & cap. 28. 13. Sic & Aquila & Sexta editio. Septuag. verò *tharſis* in Exodo vertunt *chryſolithum*, in Ezechiëli verò *carbunculum*. Nimirum apud Hebræos nomina gemmarum, arborum, animalium communia ſunt multis, pluréſque eorum ſpecies ſignificant.

Quanquã hîc per hyacinthos accipi poſſent chryſolithi. Licèt enim priſcorũ hyacinthi fuerint Sapphiri, qui cæleſtis ſunt coloris; Vnde mox venter Sponſi hîc dicitur diſtinctus ſapphiris; tamen moderni hyacinthi (qui ſcilicet vulgò iam vocantur hyacinthi) cùm ſint coloris aurei & mellei, verè chryſolithi ſunt, vti oſtendi Apocal. 21. 20. in hyacintho, chryſolithus autem eſt aurei & vitrei, id eſt, marini coloris; quia enim aureus color in eo non opacatur, ſed pellucet; hinc quaſi vitreus eſt & marinus.

*Hyacinthi moderni sũt chryſolithi.*

Porrò Septuag. hîc vocem Hebræum *tharſis*, retinent, vertúntque *plena tharſis*. Arabicus: *plena auro tharſis*. Syrus: *lapidibus auri*.

Lxx.
Arabic.
Syrus.

Iam Chald. per *tharſis* accipit duodecim gemmas, indices duodecim tribuum Iſraël. Sic enim vertit: *Et duodecim tribus Iacob ſerui eius, diſpoſitæ erant per circuitum in lamina corona aureæ ſanctæ, ſculptæ in duodecim margaritis cum tribus patribus mundi, Abraham, Iſaac & Iacob; Ruben ſculptus erat in lapide ſardio, Symeon in lapide topazio, leui in Sapphiro, Iuda in carbunculo, Iſachar in ſmaragdo, Zabulon in Iaſpide, Dan in beryllo, Neptalim in achate, Gad in amethyſto, Aſer in chryſolytho, Ioſeph in onychimo, Beniamin in Ligurio, qui ſimiles erant duodecim ſignis cæleſtibus lucidi ſicut lampæ, & politi in operibus ſuis ſicut dentes elephalitis, & ſplendentes ſicut gemmæ.*

Chald.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

AD literam ſignificatur, Salomonis, ac magis Chriſti manus fuiſſe nitentes, elegantes & quaſi torno politas, hoc eſt, delicatas & molles, quales habent ingenioſi & liberales, digitis paulò longioribus, & inuicem diſtantibus orbiculis, vel articulis digitorum geneross; ad hæc brachiis paulò diductioribus, qualia habuiſſe Alexandrum Magnum, Artaxercem, Darium, qui longimani fuêre, tradunt Strabo cæteríque Hiſtorici. Ita Pineda lib. 6. de rebus Salomonis cap. 4. num. 10.

*Manus Chriſti tornati-es, id eſt, elegantes.*

Symbolicè,

Digitized by Google

*Manus, id eſt, opera Christi erãt perfecta.* Symbolicè, manus eſt Chriſtus, eiuſque operatio & beneficentia diuina. Manus enim dicitur *à manendo*, quòd manet è brachio, & ex ipſa manent digiti: ſic Chriſtus qua Deus manat à Patre,& ex eo manat Spiritus S. auctor bonorum omnium. Hinc manus Chriſti ſunt tornatiles, id eſt, opera Chriſti ſunt vndique, omníque ex parte polita & perfecta, ita vt nil eis poſſis adimere vel addere, iuxta illud: *Confeſſio & magnificentia opus eius.* Pſal. 110.3. Et illud: *Bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.* Marci 7. 37. licèt enim Phariſæi aſſiduè per dies & noctes non aliud cogitarent, quàm calumniari opera Chriſti, in eiſque aliquem næuum inuenire, tamen nullum reperire potuerunt. Vnde gloſſa interlinealis: Manus Chriſti *tornatiles*, hoc eſt, inquit, *in nullo reprehenſibiles*.

Pſal. 110. 3. Marc 7. 37.

*Tornatiles, id eſt, verſatiles ad omne bonum.* Maximè verò manus Chriſti dicuntur *tornatiles*, id eſt, verſatiles גלל *galal* enim eſt *voluere, verſare, reuoluere*, & agiles ad omne bonum omnémque beneficentiam, ait Iuſtus Orgel. quia aſſiduè ſe verſabant & voluebant ad varia, & omnigena opera miſericordiæ: nunc enim ſuſcitabant mortuos, nunc illuminabant cæcos, nunc multiplicabant panes, nunc aquam mutabant in vinum, nunc Euchariſtiam dabant, &c. Tales debent eſſe manus Chriſtianorum, quales fuêre B. Thereſiæ, quæ votum edidit ſe in omni opere facturam id, quod foret melius & perfectius. Manus ergo Chriſti tornatiles ad omne bonum indicabant latentem in eis omnipotentiam & beneficentiam diuinitatis.

Addit Caſſiodor. Beda & Rupertus, tornatiles dici ob velocitatem operãdi, & benefaciendi, quia quod torno fit velociſſimè fit. Nam *bis dat, qui citò dat.*

Sunt *aureæ*, quia plenæ charitate, & quia manant à diuinitate, quæ rebus omnibus eminet, vti aurum cæteris metallis. Vnde S. Gregor. *Manus Chriſti ſunt aureæ*, inquit, *quia quicquid exteriùs operabatur, interiùs in diuinitatis pulchritudine diſponebatur.*

Gregor.

*Vngues Christi hyacinthini.* Sunt *plenæ hyacinthis*, ſcilicet vngues digitorum in carne Chriſti, roſei & quaſi pellucentes erant, velut hyacinthi in annulo. Manibus ergo Chriſti pulcherrimis venuſtatem addunt, ait Pineda, vngues inſtar gemmarum, florúmue purpuraſcentium, qui non liuidi aut obſcuri, non pallidi, nigri, recurui, quales rapacium, liuidorum & malignorum; ſed ſubtiles, delicatiores, pellucidi, paulò latiores, & ſanguinem, animúmque clariorem deliteſcentem, purpureo nitore repræſentantes.

Vnde Polemon: Vngues ait, lati, albi & ſubruſi, indices ſunt boni ingenij; item animi liberalis & benefici, adeò vt ſe depauperet, vt alios locupletet, vti fecit Chriſtus pauperrimè natus in ſtabulo & viuens in mundo, vt nos ſuâ paupertate ditaret, vt ait Apoſt. 2. Cor. 8. 9. Hoc notat Hebr. *tharſis*, quod deriuatur à רשש *raſchaſch*, id eſt, depauperauit: hinc Pineda vertit: *Manus eius* (adeò liberales & omnia erogantes) *plenæ ſunt tharſis*, id eſt, paupertate. Symbolicè, manus Chriſti plenæ ſunt hyacinthis, quia opera Chriſti erant cæleſtia, ait Angelomus, ac homines ad ſpem & amorem cæleſtium excitarunt: hyacinthus enim cæleſtis eſt coloris.

Ruſum, hyacinthi ſignificant opera Chriſti, cur ſcilicet tali loco, tempore, modo, &c. fierint, fuiſſe plena cœleſtibus diuiniſque rationibus, conſiliis, intentionibus, quòd nimirum omnia faceret ad gloriam Patris, & vt homines excitaret ad bona cœleſtia ambienda, promittendo eis vitam æternam, ſi ſuam doctrinam & vitam ſequerentur. Pſaltes canit Pſal. 110. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in conſilio iuſtorum & congregatione. Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius.* Et Pſal. 138. 14. *Mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcit nimis.* Ita S. Gregorius, Caſſiodor. Philo, Beda, Iuſtus, Rupert. & alij. Pſal. 110 1. Pſal. 138 14.

Addit Theodor. *Manus*, inquit, *eas virtutes vocat, quæ in actione conſiſtunt, quas omnibus affectis ſigillatim ita diligenter excolui, vt inde veluti concentus quidam reſultaret. Quamobrem ad Ioannem, ſine ait, modò: ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam: Aureas appellat, vt pretioſas & eximias: Nam & Tharſis propter auri præſtantiam poſuit, illinc enim dicit Scriptura ſincerum & purum, ac probatum aurum deferri.* *Concentus operum Chriſti.* Theodor. Matth 3. 15.

Allegoricè Philo Carpath. hæc applicat manibus Chriſti crucifixi: *Tunc*, inquit, *tornatiles factæ ſunt Chriſti manus, quando is illas extendit in cruce, quando ex clauis perforatæ fuerunt, quæ ob Chriſti diuinitatem, puritatem atque potentiam aureæ dicuntur; plenæ verò dicuntur Tharſis ob multitudinem Gentilium conuerſorum. Tharſis enim*, inquit Philo, *conuerſio gaudij interpretatur, & cum Chriſtus in cruce manus extendit, Gentium Eccleſia magno cum gaudio conuerſa eſt.* *Manus Chriſti tornatiles in cruce.* Phil Carp.

Addit Caſſiodor. manus Chriſti ſanguine purpuratas, fuiſſe ſimiles flori hyacin-

hyacintho, qui eſt purpurei coloris. Verùm hic hyacinthus gemmam, non florem ſignificat: ſed & inter gemmas ſunt hyacinthi rubeſcentes, teſte Dioſcor. qui repræſentant ſanguinem Chriſti. Adde Hebr. *tharſis* à Septuag. in Ezechiële verti *carbunculum*. Si ſic hoc loco vertas, dicas Chriſti manus plenas fuiſſe tot carbunculis, quot inſignitæ erant plagis vibicilibúſque funium & flagellorum.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

*Eleemoſyna ſit tornatilis, id eſt pura & perfecta.*

MAnus Chriſti tornatiles ſunt manus fidelium, qui vacant actioni, inſtar ſanctæ Marthæ, puta eleemoſynis cæteriſque operibus miſericordiæ; vnde olim manus Chriſti & Eccleſiæ erant S. Stephanus, cæteríque Diaconi: per hos enim bona Eccleſiæ in fideles & pauperes diſtribuebantur. Hæ manus debent eſſe *tornatiles*, vt nil in eis ſit vitioſi affectus vel reſpectus, ſed vndequaque ſint perfectæ virtutis, vt ſint opera torno, id eſt, æternitati elaborata. Æternitas enim eſt circulus, in quo nihil inæquale eſt, nihil eminet vel deficit, ſed omnia in orbem perfectum eunt, & eodem redeunt. Qui ergo dat eleemoſynam, illam dat æternitati Deóque æterno, vt ab homine non quærat retributionem, ſed à ſolo Deo immenſam & ſempiternam: ſic habebit eleemoſyna colorem hyacinthi, Hebr. *tharſis*, qui nil habet terrenum, ſed ab omni fæce terrena torno quaſi reſectus & politus, totus eſt lucidus & cæleſtis, ait Nyſſenus: Vnde horum manus ſunt *aureæ*, quia lucent per diuinam ſapientiam; & *plenæ hyacinthis*, quia quidquid agunt, id agunt ſpe & amore bonorum cęleſtium, non terrenorum, ait Richad. Victor.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

OMnia hæc adaptes B. Virgini, quales enim fuêre manus Chriſti, tales fuêre & B. Virginis, imò ipſa in vtero manus Chriſto iuxta ſuas efformauit. Vnde Niceph. lib. 2. cap. 23. docet B. Virginem manus & digitos habuiſſe longiores, quales ſunt tornatiles, & tales nobis exhibent imagines Deiparæ à S. Luca depictæ, quas Romæ in Baſilica S. Mariæ maioris, & in templo B. Virginis in via lata, &c. conſpicimus, & veneramur. Quocirca Dionyſ. Carth. lib. 1. de laud. Virg. art. 35. *A planta*, inquit, *pedis vſque ad verticem capitis nihil penitus fuit in Virgine, neque in corpore, neque in anima indecens, reprehenſibile, indecorum, imò totum fuit diuinæ ſapientiæ circino formatum, pulcherrimè circumciſum ab omni ſuperfluitate, pleniſſimè ac ſpecioſiſſimè operatum. Nempe ſicut Chriſti humanitatem propter eius perſonalem cum Deo vnionem, decuit omni perfectione naturæ & gratiæ perfulgere, ita ipſius genitricis perſonam poſt vnigeniti ſui humanitatem, oportebat in omnibus ſic ornari, quoniam poſt hypoſtaticam cum Deo coniunctionem non eſt alia tam vicina, vt vnio matris Dei cum Deo filio ſuo.* Dionyſ. Carthuſ. Rurſum manus, id eſt, omnia opera B. Virginis erant tornata, id eſt, exacta & perfecta, aurea per charitatem, hyacinthina per cæleſtium deſiderium, imò manus eius erant quaſi manus Spiritus ſancti, qui per manus eius operabatur. *Manus Virginis manus Spiritus ſancti.* Spiritus ſanctus enim eſt digitus & manus Dei patris & filij; hi enim per Spiritum ſanctũ opera ſanctitatis in hominibus & Angelis operantur. Vnde Chriſtus ait: *Si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.* Lucæ 11. 20. Luc. 11. 20. *In digito Dei*, id eſt, *in ſpiritu Dei*, vti explicat S. Matth. cap. 12. 28. puta vi & virtute Spiritus ſancti.

Denique manus B. Virginis ſunt tornatiles, id eſt, verſatiles, agiles & expeditæ ad præſtanda quæuis beneficia, hominibus præſertim deuotè eam colentibus & inuocantibus, vti exempla innumera teſtantur.

---

*Venter eius eburneus, diſtinctus Sapphiris.* Verſ. 14.

HEBR. *Viſcera eius*, עֶשֶׁת *eſceth*, id eſt, *nitor, candor, polities eboris* (Marinus *ebur perpolitum*. R. Abraham, *Vas eboris*. S. Hieron. in cap. 2. Ezech. *tabula eburnea*) *coopertus Sapphiris*. *Viſcera*, id eſt, inteſtina, putà venter qui continet cor, iecur, hepar, &c. Septuag. *Venter eius pixis*, vel *tabula* (vtrumque enim ſignificat πυξίον) *eburnea ſuper lapidem ſapphirum*, vel *in lapide ſapphiro*. Arabicus: *Venter eius vt tabula eburnea* (Syrus, *opus eburneum*) *in gemma ſuccini & margaritarum*. Pagnin. *Venter eius vt candidum ebur, obductus Sapphiris*. Vatabl. *Viſcera eius vt alabaſtrum eburneum contectum Sapphiris.*

Hebr. Marinus. R. Abrah. Hieron. L x x. Arabic. Syrus. Pagnin. Vatabl.

Per

Per ventrem ergo totum pectus cum viſceribus accipe. Sapphirus gemma eſt cærulei ſiue cæleſtis coloris, aureis punctis quaſi ſtellis collucens, ait Plinius lib. 37. cap. 2. Vide plura, quæ de Sapphiro dixi Apocal. 21. 19.

*Sapphirus.*

Grammaticè hæc de Salomone, qui typus, imò parens fuit Chriſti, ita exponit, noſter Pineda lib. 6. de rebus Salomonis, cap. 4. num. 7. Pectus & thorax, in quo vitalia omnia candida velut pyxidicula eboris, aptiſſimâ formâ efficta ad ſeruanda viſcera, cor vitalia omnia: ſi quid enim vitij foret in pectore, dorſo, coſtis & aliis partibus, quæ circa cor ſunt, inſigniter dehoneſtaret pulchritudinem corporis & in orum: Ergo quemadmodum pyxidicula non eſt valde lata, non ſtricta nimium & neque nimiũ craſſa, neque nimium gracilis; ita ſane pectus Sponſi ventre paulò laxiori refert ventrem pyxidis, pectore verò ſtrictiori refert partem ſuperiorem pyxidis paulò anguſtiorem. Ariſtot. ad Alexand. *Mediocritas ventris & pectoris ſtrictura ſignificat altitudinem intellectus, & boni conſilij.* Itaque neque habuit pectus valde carnoſum, neque fuit ventricoſus, quæ ſunt hebetum, inertium & minimè ſolertium: non nimium gracile, nimiúmque ſtrictum, quod puſillanimium, ſed idoneum ſapientiæ & cordis domicilium: tum & ventrem ad partem cinguli caſtigatum, vt ſtrictius cingi poſſet, quod animoſorum & ſolertium, & qualem Sidonius in ſuo Theodorico: *In ſuccinctu regnat vigor ilibus*, &c. & rurſus in Panegyr. Maiorani: *Anguſtam ſuſpendit baltheus aluum*; Et verò quid in pectore Sapphiri? certè ſi ad naturæ ornamenta referantur, erunt in candido pectore næui aliqui: quis enim ſine næuo etiam perfectiſſimus, ſi tamen homo? at næui in Sponſo videbantur Sapphiri, & maculæ illi erant lumina: quare & de illo dici potuit,

*Forma pectoris in Salomone, & Chriſto.*

*Ariſtot.*

*Sidon.*

*Nullus in egregio corpore nænus erat.*

Rurſum pectus continens ventrem in Chriſto erat nitidum vt ebur & alabaſtrum, idem tamen pulchrè inſperſum erat venulis ac muſculorum & coſtarum vmbris liuentibus, & quaſi lucentibus, ita vt Sapphiris interpunctum & diſtinctum videretur. Alij cum Lyrano & Aben Ezra ventrem intelligunt non nudum; hunc enim oſtendere vel pingere coram puellis adoleſcentulis, ad quas hic eſt ſermo, inuerecundum videtur, ſed tectum & veſtitum, vel zonâ eburneâ Sapphiris diſtinctâ, vt vult Aben Ezra, vel ſimili ornamento; Sicut Reges Perſarum medium veſtis purpureæ albo, & quaſi eburneo intexebant, teſte Curtio, vti cenſet noſter Sanchez: vnde Giſlerius, thorax, inquit, quo Sponſus induebatur erat candidus inſtar eboris, ſed Segmentis ſericis coloris cærulei ornabatur, ita vt Sapphiris diſtinctus videretur; aut q. d. Thorax erat albus nitidúſque vt ebur, ſed zonâ Sapphiris plenâ cingebatur.

Malim ego vtrumque iungere, ſcilicet laudari Salomonem tum à pectore cãdido, ſed venulis velut Sapphiris inſperſo; tũ à thorace pectus veſtiẽte pariter candido, ſed Sapphiris diſtincto: hunc enim videre poterant adoleſcentulæ. q. d. qualis eſt veſtis ſiue thorax Sponſi, tale pariter eſt eius pectus. Vnde Pineda lib. 6. de rebus Salomonis cap. 5. docet veſtes Salomonis fuiſſe auratas, ſed intertexta liliorum candidatas & liliatas.

Plus ſatis hæc de cortice literæ quoad ſpeciem ventris, ne homines animales in ventrem proni, hîc carnalia cogitent & concipiant. Ad ſpiritum ergo & ſpiritualia tranſeamus.

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

VEnter. i. pectus & viſcera Chriſti notant Chriſti paſſiones & affectus omnes internos fuiſſe puros & cãdidos, caſtos & virgineos, æq; ac oſſeos & fortes inſtar eboris, imò diuinos & cæleſtes inſtar Sapphiri, ita vt nulla in eis eſſet inordinatio, perturbatio, pugna, vel lucta, æquè ac nulla debilitas vel infirmitas, ſed omnes ſinceri forent, compoſiti, conſtantes & ſolidi. In viſceribus enim eſt hepar, in quo reſidet ſanguis, indéque appetitus concupiſcibilis eiúſque affectus & concupiſcentiæ; & fel, in quo reſidet cholera, ideóque appetitus iraſibilis eiúſque iræ & indignationes; & ſplen, in quo reſidet humor melancholicus, indéque triſtitia; & cor, in quo reſidet vitalis ſpiritus indéque ſapiẽtia, q. d. in corpore Chriſti omnia viſcera, indéque omnes affectus, tam facultatis concupiſcibilis, quàm iraſcibilis erant puri & candidi, ideóque inter ſe compoſiti, pacifici, conſtantes & firmi, quia omnes regebat ſapientia cordis, quod ipſe in pectore regium & diuinum geſtabat. Hinc erat diſtinctum Sapphiris, id eſt,

*Venter, id eſt, affectus omnes Chriſti compoſiti, puri & cæleſtes.*

id eſt, cœleſtibus cogitationibus , deſideriis & intentionibus, vt quicquid cogitaret,diceret,ageret,cœlum & Deum, Deique gloriam ac hominum amorem ſpectare videretur. Sapphirus enim eſt gemma cœleſtis coloris,aureis guttis interlucentibus. Quocirca Chriſtus non erat triſtis, vt ait Iſaias c. 44.4. nec in riſum effuſus, ſed moderatè lætus; non iracundus, nec phlegmaticus, ſed moderatè grauis, &c.adeóque totus compoſitus & cæleſtis, vt non tam homo, quàm Angelus eſſe videretur. Ita Nyſſen.hom.14.Caſſiodor.Beda & alij.

*Venter, ſunt viſcera miſericordia.* Hinc multi per Chriſti ventrem, vel vt Hebr. eſt viſcera, accipiunt Chriſti miſericordiam : huius enim ſedes & ſymbolum ſunt viſcera: vnde in commiſeratione viſcera commouentur. q.d. Venter & viſcera Chriſti ſunt quaſi pyxis eburneæ miſericordiæ, in qua contra omnes miſerias remedia & pharmaca efficaciſſima continentur,quæ ipſe in miſeros quoſlibet ſe inuocantes, imò ſæpe non inuocantes,ſed incurios & incogitantes effundit, vt eos mentis ſanitati ſanctitatique reſtituat. Chriſti ergo venter eſt quaſi vnguentarium narthecium continens medicinas , aromata & vnguenta omnis generis,ad ſanandas quaſlibet corporis & animi ægritudines. Hoc eſt quod Zacharias in ortu Ioannis Baptiſtæ, qui Chriſti fuit præcurſor & index,canit de Chriſto iam in
Luc.1.78. Virgine incarnato : *Per viſcera miſericordia Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto.*

*Symbolicè.* Symbolicè, primò, filius quà Deus
1. Deitatem à patre accepit, eſt quaſi pyxis diuina; in qua Deus omnia ſua diuina attributa collocauit, iuxta illud: *Ex*
Pſalm. 109. *vtero ante Luciferum genui te.* Pſalm. 109. Vterus enim, ſiue venter Dei patris eſt mens & ſapientia, qua Verbum concepit, id eſt, filium ab æterno generauit.
Ioan Carm. Ita Ioannes Carmelita : *Verbum æternum,* inquit, *rerum vniuerſarum rationes in ore cuiuſdam vteri conceptas habens, eſt velut venter candidus,leuis & prægnans,& in eo quaſi plures Sapphiri, diſtincta rerum rationes lucent.* Sic & Almonacirius.

2. Secundò, humanitas Chriſti licet ex natura ſua carnea,terrea,atra & infirma, in Chriſto tamen per gratiam Spiritus ſancti & inhabitantem diuinitatem facta eſt, quaſi ebur candida per innocentiam & virginitatem; oſſea & fortis per conſtantiam & robur diuinum, iuxta il-
Hebr. lud Hebr. 4. 15. *Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato; oportebat enim, vt nobis eſſet Pontifex ſanctus,innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus,& excelſior cælis factus.* Ita Caſſiod. Beda & Rupert. qui ſic explicant. q. d. *Fragilitas quidem in illo ſubſtantia mortalis vera erat, ſed hac laſciuia mortalitatis penitus expers,diuinorum potius operum ſplendida clareſcit inſignibus; Et bene diſtinctus hic venter Sapphiris aſſeritur,quia inter paſſiones aſſumpta humanitatis crebra exhibebat indicia perpetua diuinitatis.*

Hinc aliqui per ventrem Chriſti accipiunt plebem Chriſtianam,quæ tenera eſt, craſſa & rudis vt venter; hæc tamen per gratiam Chriſti fit candida & robuſta vt ebur, ac ſpiritualis & cæleſtis vt Sapphirus. Sicut enim per Chriſti caput Prælatos, per comam Religioſos, per labia prædicatores, per genas virgines, ſic per ventrem accipit fideles plebeios præſertim coniugatos,qui in coniugio ſeruant candorem pudicitiæ & fœcunditatem coniugij,vt proles Chriſto generent & educent. Venter enim ſedes eſt generationis & virtutis generatiuæ. Coniuges ergo diſtincti ſunt Sapphiris, quia cæleſtia cogitant; diuiſi igitur ſunt, quia partim carni, partim Deo ſeruiunt. Ita S Anſelm. Richard. de S. Victore & Coſmas Damianus. *Venter Chriſti ſunt coniugati.*

Anagogicè S. Gregor. per ventrem Chriſti accipit eius mortalitatem, per ebur immortalitatem, quam ſibi & nobis promeruit: *Ebur, quippe,* inquit, *valde durabile os habetur,& in ornamenta Regum aſſumitur.Venter ergo Chriſti eburneus eſſe dicitur, quia mortalitas Chriſti ad immortalitatem perducitur, dum per reſurrectionem ad gloriam patris ſui, Regis videlicet æterni, in vita æterna collocatur.* Et poſt nonnulla : *Qui verè in ornamento* Regum *aſſumitur: quia quiſquis carnis ſuæ Rex & Dominus eſſe probatur, ipſius Chriſti mortalitate & reſurrectione, amore cognitionis & ſpe immortalitatis ornatur. Vnde alibi dicitur: Quia gloriatur,in Domino glorietur; ſed venter diſtinctus Sapphiris eſſe perhibetur,quia in noſtra corruptione, quam portauit cæleſtia opera per miracula, quæ faciebat paſſionibus noſtris inſeruit.* *Anagogicè.*

Myſticè tres Anonymi apud Theodor. per ventrem accipiunt ſapientiam Dei, quæ cùm in ſe ſit cæleſtis & diuina vt Sapphirus, tamen à Deo impreſſa, & quaſi deſcripta eſt in hoc vniuerſo à ſe creato, velut in tabula eburnea puriſſima & nitidiſſima.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

ANima ſancta habet pectus & ventrem eburneum, cùm omnes animæ appetitus iuxta rationem & legem Dei ordinat, componit & corroborat, imò excolit & expolit. Hebr: enim עשת *eſcet* ſignificat nitorem & opus politum, quale eſt ebur; hoc enim nitiſſimum & politiſſimum eſt. Animæ ergo ſanctæ ſtudent, non tantùm honeſtè & ſanctè, ſed & politè ac eleganter omnes ſuos affectus in mente componere, in eáque omnia opera ſua diſponere, vt licet communia faciant, quæ & cæteri, tamen præ cæteris in actionibus eorum reluceat quædam ſingularis elegantia & gratia, vt opus commune in eis politum, ſingulare & eximium eſſe videatur, iuxta illud: *In omnibus operibus tuis præcellens eſto.* Eccleſ. 33. 23. ita videmus in Religione nonnullos accuratos & inſignes, qui in vita communi, & regularum obſeruatione excellunt. Singula enim obeunt mira alacritate, dexteritate, elegantia, perfectione, vt etiamſi idem agant quod alij, tamen præ illis excellant, imò nouum quid & ſingulare agere videantur, quia commune agunt nouo quodã & ſingulari modo ac decore.

*Anima pia ſua agat politè.*

*Stimuli.*

Cogita, quàm politè, exactè & concinnè in omnibus ſuis actionibus Clerici ſeruiunt Pontifici, Aulici Imperatori, famuli Principi & Regi: quid ergo te facere decet, qui ſeruis diuinæ maieſtati, quæ eſt Rex Regum & Dominus dominantium? Apelles rogatus cur tam moroſè & exactè pingeret reſpondit: *pingo æternitati:* ita & tu agis & viuis æternitati: vide ergo vt opus tuum ſit nitidum vt ebur, fulgidum vt Sapphirus, quod in æternum coram Deo & Angelis reſplẽdeat oportet. Cogita qua venuſtate, quo decore Deo miniſtrant Archãgeli, Cherubini & Seraphini, eadem & tu miniſtra eidem Deo: quod enim Angeli agunt in cælo, hoc tu agis in terra.

Nyſſen.
*Cor iuſti tabula eburnea.*

Hinc Nyſſen. legens ex Septuag. *Venter eius tabella eburnea in lapide Sapphiro*, docet cor iuſti eſſe tabulam, in qua deſcripta eſt lex Dei quaſi in ebore & Sapphiro, id eſt in mente puriſſima & cæleſti. Huc accedit Theodor. qui pro *tabula* vertens, *pyxidem* (vtrumque enim ſignificat Græcum πυξίον) per eam accipit Sacram Scripturam, quæ profunda eſt inſtar pyxidis ob myſteria arcana, quæ continet; Et Philo Carpath. qui per pyxidem eburneam accipit legem veterem, per Sapphirum verò legem nouam, quæ tantum præcellit veteri, quantum Sapphirus ebori. Addit Philo ventrem eſſe mentem iuſti, in qua quaſi in pyxide eburnea nitidiſſima, eloquia Sacræ Scripturæ & ſapientiæ diuinæ recondita ſunt.

Theodor.

Symbolicè Iuſtus & Lucas Abbas, per ventrem eburneum accipiunt prædicatores, quia ipſi & multi alij per omnia hæc emblemata capitis, comę genarum, labiorum, &c. accipiunt prædicatores, qui prædicando Eccleſiam propagant. Verùm hoc nimis generale & amplum videtur; quare præſtat hæc diſpertiri, & ſingula ſingulis ſtatibus apposité accommodare: quid enim habet venter commune cum prædicatoribus? niſi dicas in ventre eſſe pulmones, qui quaſi folles Spiritum ſubminiſtrando, formationi vocis, & conſequenter prædicationi ſubſeruiunt: Aut prædicatores cibum verbi Dei in mente ruminare, vt eum fidelibus prædicando diſpertiant, ſicut eſcã in ventre concoquitur, & concocta per membra diſtribuitur: Vnde hoc ventris Apologo Menenius Agrippa plebem à Senatu diſſidentem, illi reconciliauit Romæ in Monte Auentino.

*Symbolicè venter eburneus ſunt prædicatores.*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

SI Chriſti venter eſt eburneus diſtinctus Sapphiris, ergo & talis fuit venter B. Virginis, vtpote ex quo totus Chriſtus quantus quantus prodiit; quocirca omnes eius cogitatus & affectus, indéque prodeuntes actiones, erant candidiſſimi & puriſſimi vt ebur, ac fulgidiſſimi vt Sapphirus. Addit Rupertus ventrem & carnem Chriſti (ac conſequenter & B. Virginis) mundiorem fuiſſe carne cæterorum hominum, quia ipſe fuit pulchritudo generis humani: *Verè pulcher*, inquit, *& decorus venter eburneus, quia ſicut ebur magni corporis, ſcilicet elephantis, tota pulchritudo totúmque pretium eſt: ſic iſte venter, videlicet humanitas ſiue caro, quam ex genere humano aſſumpſit, totius mundi, maximéque generis Abraha, de cuius ſemine naſci voluit, decus & gloria eſt. Pulchrius nimirum atque pretioſius eſt ebur carne vel corpore reliquo, de quo ſumptum eſt; & nihilominus caro dilecti huius pulchrior, mundior & incomparabiliter ſanctior*

*Qualis Chriſti, talis B. Mariæ Virginis venter.*

Rupert.

*ſanctior eſt omni maſſâ, cuius ex ſemine ſumpta eſt.*

Rupert.

Sapphiri ſunt Chriſti virtutes.

Subiicit deinde, quòd exinde B. Virgo fuerit *mater in conceptu intacta, in partu, & poſt partum illæſa & integra*: Per Sapphiros accipit Chriſti virtutes & miracula, quibus licet patiens in carne & crucifixus; ſuam tamen diuinitatem orbi oſtendebat. Nam *dum compungeretur*, inquit, *hic venter clauis & lancea militis, cælum obſcuratum eſt, & tenebræ factæ ſunt, & velum templi ſciſſum eſt, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ, & monumenta aperta ſunt.*

---

Verſ. 15. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas. Species eius vt Libani, electus vt cedri.*

HEBR. [10] *paz*, id eſt, ex auro Paz vel *Ophaz*, quod erat præſtantiſſimũ, vt ſuperius dixi.

Parius lapis vnde dictus?

Pro *marmoreæ* Aquila & Theodotion vertunt *Pariæ*, Paros enim inſula eſt vna ex Cycladibus, ex qua Parius lapis marmoreus candidiſſimus & præſtantiſſimus eruitur: vnde Virgilius 1. Æneid.

Virgil.

*Pariúſue lapis circundatur auro.*

Priſci incedebant nudis tibiis.

Actor.12.8.

Crura Sponſi commendat à candore, rectitudine, iuſta craſſitudine & robore, quòd candida ſint, recta, craſſa & robuſta inſtar columnæ è marmore & Pario lapide; illáque adoleſcentulæ facilè videre poterant: quia olim veteres Hebræi, Græci & Romani ſine femoralibus & tibialibus nudis incedebant tibiis; & genibus, ac plantam dumtaxat pedis tegebant calceis, ſiue ſandaliis, quos caligas vocabant, vti oſtendi Actor. 12. 8. ad illa: *Calcea te caligas tuas.* Sponſus ergo tibias habebat candidas & fortes, vt videantur eſſe binæ columnæ Pariæ fundatæ ſuper baſes aureas, id eſt, ſuper pedes, qui quaſi fulcra & baſes ſunt tibiarum; pedes, inquam, veſtitos, & ornatos calceis auratis, ſiue auro, gemmíſque diſtinctos. Veteres enim calceos auro, gẽmíſque decoraſſe, docet Plin. lib. 9. c. 35. & lib. 37. c. 2. Sic Demetrium auratis inceſſiſſe calceis teſtatur Plutarch. in eius vita, Heliogabalum eiſdem addidiſſe gemmas teſtatur Lampridius, Diocletianum Eutropius, Caninium Vopiſcus.

Priſci calceis induebantur deauratis. Plin.

Inceſſus inſtrumenta ſunt crura,

Porrò crura inſtrumenta ſunt inceſſus: quare crura marmorea fundata in baſibus, id eſt, pedibus, & calceis auratis, ſignificant inceſſum grauem, elegantem & regium, qualis erat Salomonis, in quo ſcilicet ſit *ſpecies auctoritatis & grauitatis*

*Cornel. à Lapide in Cant. Canticorum.*

*veſtigium*, vt ait S. Ambroſ. lib. 1. Officior. Nam vt ait Eccleſ. c. 19. 27. *Ingreſſus hominis enuntiat de illo*, & internam animi grauitatem, vel leuitatem, prudentiam, vel ſtultitiam, virtutẽ, vel vitium ſignificãt.

Ambroſ. Eccl. 19. 27.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

Crura notant itinera Chriſti pura & valida.

CRura ſymbolum ſunt ingreſſus & progreſſus; ſignificant ergo Chriſti itinera, inceſſus & profectiones, quibus per ſe Iudæam, per Apoſtolos verò & viros Apoſtolicos, omnes gentes euangelizando obiuit & circumiuit, fuiſſe puras, rectas, fortes & validas; ita vt nemo eas ſiſtere, remorari vel impedire poſſet: Chriſtus enim ſua vi & potentia omnes Euangelij hoſtes, remoras & impedimenta diſiecit, adeóque ipſos tyrãnos & Principes illi obſiſtẽtes ad ſe conuertit, & Chriſtianos effecit. Horum enim Chriſti pedum baſes erant aureæ, quia innixæ diuinitati eiuſdem (hanc enim repræſentat aurum) eiúſque diuinis conſiliis, decretis & prædeſtinationibus æternis & immobilibus.

Apoſtoli per columnas ſignificantur.

Matt. 16. 18.

Hinc multi per columnas haſce accipiunt Apoſtolos & viros apoſtolicos, qui quaſi pedes Chriſtum detulere per totum orbem, adeo fortes & robuſti, vt columnæ marmoreæ eſſe viderentur, fundatæ ſuper baſes aureas, tum Chriſti Epheſ. 2. 20. tum charitatis: charitas enim eſt quaſi aurum ſolidiſſimũ, quod pedes hoſce ſuffulciit, eóſque robuſtos & inuictos inſtar marmoris effecit. Ita S. Gregor. Nyſſen. Philo & S. Ambroſ. in Pſal. 118. ſerm. 5. Hinc Apoſtoli vocantur columnæ & fundamenta Eccleſiæ. Galat. 2. 9. Epheſ. 2. 20. ac nominatim S. Petro (de quo hæc accipit Theud.) promiſit Chriſtus: *Tu es Petrus, & ſuper hanc* (id ſuper te) *Petrã ædificabo Eccleſiam meam.* Matth. 16. 18.

Symbolicè duo crura ſunt miſericordia & iuſtitia.

Symbolicè, duo crura Chriſti ſunt miſericordia & iuſtitia: miſericordia enim conuertit, & beauit credentes ſibique obſequentes: iuſtitia reprobauit & damnauit incredulos ſibiq; inobedientes. Rurſum iuſtitia caſtigauit ſeneſcentis Eccleſiæ defectus, vt illam priori nitori & ſanctitati reſtitueret. Agitur enim hîc de Eccleſia ſenecta, vti ſuperius dixi. Caſtigauit, inquam, per religioſos, & viros Apoſtolicos, quos quaſi reformatores Eccleſiæ ſuſcitauit, vti fuêre S. Baſil. S. Auguſt. S. Benedictus, S. Bernar.



Digitized by Google

Sanctus Romualdus, S.Franciſcus,S.Dominicus. Audi Rupertum: *Crura illius viæ ſunt illius, ſcilicet miſericordia & iudicium, ſiue miſericordia & veritas, ſicut ait Pſalmiſta: Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas. Nam veritas ipſa eſt iudicium verum. Crura iſta, viæ iſtæ, columnæ marmoreæ, id eſt, rectiſſimæ ſunt atque firmiſſimæ, nec eſt qui poſſet eas infirmare, aut iuſtè reprehendere: Nam iudicia Domini vera iuſtificata in ſemetipſa. Exempli gratia: Loco vel tempore ſupradicto, cùm penderet dilectus iſte crucifixus latronum duorum medius, alterum ex eis pœnitentem miſericorditer ſuſcepit, ſecúmque in Paradiſum aſſumpſit, alterum blaſphemantem iudicio iuſto reprobauit.* Et poſt nonnulla: *Baſes aureæ conſilia ſunt diuinæ ſapientiæ.* Eorum deinde ſubdit exemplum: *Flere potuit ſuper ciuitatem Ieruſalem, ſubuerſionem & damnationem ſuæ gentis prævidens, & tamen animum ſuum inducere non potuit, vt auerteret ab eis iram imminentem: Stabant quippe inflexibilia crura eius tanquam columbæ marmoreæ ſuper baſes aureas, id eſt, non qualis eſſet humanitatis ſuæ voluntas, ſed diuinæ iuſtitiæ rationes attendebat.*

Rupert. Pſal.24. Pſal.18.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

*Crura Chriſti ſunt viri Apoſtolici.*

CRura Chriſti & Eccleſiæ, quæ eius fidem, religionem & virtutem ſuſtentant, docendo, prædicando, confeſſiones audiendo, &c. ad hæreticos, Iapones & Indos conuertendos proficiſcendo, &c. propagant & promouent, ſunt viri religioſi & Apoſtolici, hi per conſtantiam ſunt erecti quaſi columnæ, vt nulla ſpe vel metu à recto deflectant: per fortitudinem ſunt robuſti vt marmor, per charitatem fulgent vt aurum, ac ſimul per eandem ſolidantur, ita vt alios in fide & pietate conſolident. Ita Richard. de ſancto Victore.

*Humiles.* Huc accedit Lucas Abbas, qui per crura Eccleſiæ accipit humiles: hi enim inquit, ſe humiliando tantæ efficiuntur fortitudinis, vt omnia membra ſubuehant capitis, vt ſignificauit per Prophetam dicens: *Super quem reſpiciam niſi ſuper humilem?* & in ſe continent ſimilitudinem illius petræ, de qua Paulus: *Petra autem erat Chriſtus.* Humilium verò baſes aureas eſſe aſſerit humilitatem Prophetarum veterúmque ſanctorum. Hiſce enim baſibus poſterorum, & ſequacium humilitas innititur & fulcitur.

*Sancti.* Denique Iuſtus & S. Anſelm. per crura accipiunt quoſlibet ſanctos, qui Eccleſiam ſua ſanctitate & charitate ſuffulciunt: in quibus proiude inhabitat & graditur Chriſtus: Vnde S. Ambroſ. lib. 3. de fide cap. 5. *Crura*, inquit, *columnæ marmoreæ.* &c. *ſolus enim Chriſtus inambulat animis & graditur in mente ſanctorum, in quibus veluti aureis baſibus fundamentiſque pretioſis, ſolidata veſtigia verbi cæleſtis hæſerũt.* Ambroſ.

Hinc Symbolicè Nyſſen. hom. 14. & tres Anonymi apud Theodor. per duo crura accipiunt duo præcepta charitatis, ſcilicet: Diliges Deum ex toto corde, & diliges proximum ſicut teipſum: per hæc enim Chriſtus ambulat in anima, eámque promouet ad culmen ſanctitatis. *Symbolicè ſunt duo præcepta Charitatis.*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

CAſſiodor. & Beda per crura Chriſti accipiunt eius itinera, quibus in vterum Virginis deſcendere, & pro nobis homo fieri dignatus eſt: hæc fuère marmorea, quia recta & robuſta: Fundata ſuper baſes aureas, quia omnia quæ per Chriſtum, vel in Chriſto agenda erant, diuinitatis conſilio præordinata fuere ab æterno. Aurum enim vtpote præſtantiſſimum ſignificat Dei conſilium. Addit Beda, vt hoc ſignificaretur, idcirco Chriſto in cruce crura non fuiſſe confracta, vti fuère latronum. *Chriſti crura quid apud Caſſiod. ſignificant.*

Rurſum, crura B. Virginis fortiter proceſſerunt ad omne bonum, & propulſarunt omne malum. Quocirca Damaſcenus Orat. de Natiu. B. Mariæ, ita mores eius pingit: *Honeſtus veſtitus, mollitiem omnem ac luxum fugiens. Greſſus grauis ac ſedatus, ab omni mollitie remotus. Mores ſeueri, atque hilaritate temperati. Ita comparata eras, vt nullus ad te viris acceſſus pateret*, &c. *Animus humilis in ſublimiſſimis cõtemplationibus, ſermo iucundus ex leni anima progrediens. Denique quid aliud quàm Dei Domicilium? meritò te beatam prædicant omnes generationes, vt eximium humani generis decus. Tu ſacerdotum gloria, Chriſtianorum ſpes, virginitatis feraciſſima planta. Per te enim virginitatis pulchritudo latiſſimè ſeſe diffudit.* Damaſcen. *Mores B. Virginis.*

Rurſum, ſi humiles, ſi ſancti, ſi Apoſtoli habent pedes marmoreos per fortitudinem fundatos in baſi aurea charitatis, multò magis eoſdem habet B. Virgo. Vnde eius typus fuit columna ignis per noctem & nubis per diem, deducens & protegens Hebræos per deſertum vſque in terram promiſſam. Simili

enim

Digitized by Google

enim modo B. Virgo deducit fideles ſi-
bi deuotos per deſertum huius vitæ in
cælum. Ita Patres, quos audi S. Epipha-
*B. Virgo columna ignis & nubis.* nius ſerm. de laudibus Virginis: *Aue,* in-
quit, *gratia plena, nubis columnæ ſimilis, quæ*
Ambroſ. *Deum habes, qui populum deduxit per deſer-*
Hieron. *tum.* S. Hieron. in Pſalm. 77. ad illa: *Et*
*deduxit eos in nube diei,* per nubem, hoc
eſt columnam nubis, intelligit B. Virgi-
Andreas. nem. Andreas Epiſc. Cretenſ. Orat. 2. de
Deipara: *O columna,* inquit, *viuifica, non*
*carnalem per lucem deducens Iſraëlem, ſed ſpi-*
Ambroſ. *ritualem, qui deducitur ad increatam lucem*
*cognitionis, diuinis illuminans facibus.* S. Am-
broſ. in Pſalm. 118. ſerm. 5. ſub initum:
*Illa columna nubis,* inquit, *ſpecie quidem præ-*
*cedebat filios Iſraël, myſterio autem ſignificabat*
*Dominum Ieſum in nube venturum leui, ſicut*
Iſai. 19. 1. *dixit Iſaias,* cap. 19. 1. *hoc eſt, in Virgine Ma-*
Beda. *ria.* Vener. Beda in Exodi cap. 13. *Colum-*
*na ignis in nocte,* ait, *eſt diuinitas in carne*
*Virginis Mariæ.* S. Bonau. in ſpeculo cap. 3.
Bonauent. *Maria,* inquit, *nobis columna eſt nubis, quia*
*tanquam nubes protegit ab æſtu diuinæ indigna-*
*tionis, protegit etiam ab æſtu diabolicæ tentatio-*
*nis. Maria quoq; eſt columna ignis illuminãs nos,*
*imò illuminans mundũ multis miſericordiæ ſuæ*
*beneficiis.* S. Bernardin. tom. 3. ſer. 11. art. 1.
Bernardin. cap. 3. *Columna nubis,* inquit, *aliquando præ-*
*cedebat, aliquando ſequebatur, aliquando ſuper-*
*ferebatur, vt myſticè patrocinia multa B. Virgi-*
*nis indicentur erga populum electorum, & om-*
*nium Chriſtianorum.* Celebris eſt Cæſarau-
guſtæ columna, in qua B. Virgo adhuc
viuens apparuit S. Iacobo Apoſtolo, in-
dicans ſe eo loci coli velle foréque Hi-
ſpaniæ protectricem.

*Species eius vt Libani, electus vt cedri.*
Hebr. *Aſpectus eius vt Libani.* Septuaginta
Lxx. εἶδος, id eſt, *forma eius vt Libanus.*

Enarratis nonnullis Sponſi membris
elegantibus, cæterorum deinde, ne lon-
gior ſit, elegantiam verbo perſtringit
dicens: *Species,* id eſt, forma & pulchri-
*Iudæorum prouerbium.* tudo eius eſt inſtar Libani. In Iudæa
enim erat prouerbium, vt cùm quid
pulcherrimum ſignificare vellent, dice-
rent: *Pulcher vel pulchrum eſt vt Libanus,*
quia Iudæa nil pulchrius habet Libano.

Hic enim omnium Syriæ montium
eſt altiſſimus, amœniſſimus & fœcundiſ-
ſimus. Vnde mons montium vocatur:
*Nihil Libano in terra repromiſſionis excelſius*
Hieron. *eſt, nec nemoroſius atq; condenſius,* ait S. Hier.
in Oſee cap. 14. Hinc de Eccleſia canit
Iſai. 15. Iſaias c. 35. *Gloria Libani data eſt ei.* Dictus
*Libani etymon.* eſt Libanus à לָבָן *Lavan,* id eſt albus, quòd
toto anno niuibus in cacumine albeſcat;
vel à לְבוֹנָה *Levona,* id eſt thus, quòd thure,

pinis, abietibus, cedris, cypreſſis aliiſque
reſinoſis arboribus abundet: quarum
gummi electum, olibanum à Medicis
nuncupatur. Quare Libanus thuris, re- *Fertilitas.*
ſinæ, ſacchari, olei, &c. eſt ferax: om-
ne Sylueſtrium ferarum canorarúmque
auium genus in eo admodum frequens
eſt. Valles Libani optimo tritico, vi-
neis, pomariis, hortis & vberrimis pa-
ſcuis abundant. Vnde in iis paſceban-
tur animalia in templo Deo offerenda
Denique ex Libano erumpunt plura &
& magna flumina, puta Iordanis, Chry-
ſorrhoas, Eleutherus, Leon, Lycus, Ado-
nis, & fons hortorum. Libanus enim
oritur à tergo Sidonis, ac verſus Orien- *Situs Libani.*
tem vltra Damaſcum tendit 1500. ſta-
diis ait Plinius lib. 5. cap. 20. hoc eſt 187.
millibus paſſuum, ſiue 187. milliaribus
Italicis. Vide Oſee cap. 14. & Adricho-
mium in Libano.

Porrò quia in Libano eminent eno-
des, imputribiles & odoratæ cedri, hinc
addit *electus,* id eſt, præſtans & excellens,
*vt cedri.* Chaldæus ad Libani etymon
reſpiciens vertit: *Et ipſe impletur ſuper eos* Chald.
*miſerationibus ſicut ſenis, & dealbat peccata do-*
*mus Iſraël ſicut niuem, & paratus eſt, vt faciat*
*victorias in bello contra populos, qui tranſgre-*
*diuntur verbum eius ſicut iuuenis fortis, qui ro-*
*buſtus eſt ſicut cedri.*

Grammaticè ergo Salomon Sponſus *Salomon & Chriſtus ſimiles Libano.*
comparatur hîc Libano & cedro. Pri-
mò, ob ſtaturæ proceritatem: hæc enim
digna eſt Imperio, vnde: *Staturam Impe-* 1.
*ratariam* vocat Capitolinus in Pertinace.
Hinc Saul *ab humero & ſurſum eminebat* Capitol. Saul.
ſupra omnem populum. 1. Reg. 9. Simili-
ter proceri fuère priſci Heroës & Re-
ges, Romulus teſte Plutarch. Priamus,
Hector, Aiax teſte Homero, Iulius Cæ-
ſar, Tiberius & Domitianus, teſte Sue-
tonio; Theodoricus, ait Sidonius, lon-
giſſimis erat breuior, procerior, eminen-
tiórque breuioribus. Enormis enim pro-
ceritas, qualis fuit Caligulæ, ſolet eſſe
mentis inops, hebes & ſegnis; medio-
cris verò & iuſta ingenioſa eſt & animo-
ſa, vtpote ſpiritibus abundans. Hinc
Ariſtot. 4. Ethic. cap 3. *pulchritudo,* ait, *in* Ariſt.
*magno corpore conſiſtit.* Et Virgil. 8. Æneid. Virgil.

*Sed cunctis altior ibat*
*Anchiſes.*

Secundò, Salomon comparatur Li- 2.
bano in amœnitate, quia eius ad inſtar
erat vultu, oculis, totóque corpore de-
coro, amœno & iucundo.

Tertiò, in odore, quia inſtar Ale- 3.
xandri magni ſuauiſſimum ore anheli-

tum, & è reliquo corpore odorem expirabat.

4. Quartò, in fœcunditate. Cùm enim mille habuerit vxores, plurimos ex eis genuit filios.

5. Quintò, in fabrica, quia Salomon ex lignis Libani ædificauit templum, orbis miraculum, indéque ipſum templum vocatur Libanus, vt à Zachar. cap. 11.
Zachar. 11. *Aperi Libane portas tuas.*

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

CHriſtus æquè, imò magis, quàm Salomon fuit ſpecioſo & procero corpore, puta altitudine ſeptem cubitorum, ait Nicephor. lib. 1. cap. vlt. item amœno, iucundo, odorato & fœcundo filiorum non carnalium, ſed ſpiritualium.

Rurſum, templum factum ex lignis Libani omniáque eius vaſa, typus erant Chriſti: vnde ipſe ait Iudæis: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Hoc autem dicebat de templo corporis ſui.* Iohan. 2. quia ſicut templum fuit caput, decus & ſanctum ſanctorum Ieruſalem terreſtris; ſic Chriſtus caput, decus & ſanctus ſanctorum eſt Ieruſalem cæleſtis, ait Rupert.

Denique Chriſtus *ſpecioſus fuit præ filiis*
Pſalm. 44. *hominum.* Pſal. 44. ſpecioſus corpore, ſpecioſior mente, ſpecioſiſſimus diuinitate.

Rurſum Libanus idem eſt quod candidus & candidatio. Quid candidius Chriſto, qui omnes peccatores in Baptiſmo dealbat, eóſque gratia odoratos & virtutibus florentes, bonorúmque operum fertiles efficit? Ita S. Gregor. Philo & Richard. Victor.

*Thure & Cedro duplex Dei natura ſignificatur.* Porrò Theodor. per Libanum intelligit thus, vt duplex hîc ſignificetur Chriſti natura, ſcilicet diuina per thus: thus enim Deo adoletur: & humana per cedrum, quæ non ſentit cariem nec corruptionem. Vnde Plinius: *Cedrum commendat æternitas.* Lucas Abbas verò: *ſpecies Chriſti*, inquit, *fuit vt thus: quia omnis illius actus ſacrificium eſt acceptabile patri æterno. Thus quippe à Pontifice ſuper hoſtiam pro peccato & holocauſtum, quod peculiare erat ſacrificium, videbatur imponi, & ipſe nihil de contagione peccati conuerſando inter impios contraxit.* Sic ſapientia, id eſt Chriſtus comparatur cedro. Eccleſ. 24. 17. *quaſi cedrus*, inquit, *exaltata ſum in Libano.*

Plin. Luc. Abb. Eccl. 24. 17.

*Electus vt cedri.* Primò, quia *ſicut cedrus pulchrior eſt & procerior cæteris arboribus, ita & Chriſtus diuinitatis gratia* (adde & gratia infuſa, vtpote quæ fuit gratia capitis deriuanda in cætera membra, id eſt, in omnes fideles) *præcellit omnes ſanctos*, ait Caſſiod. — *Chriſtus quare cedrus.* 1. Caſſiod.

Secundò, quia cedrus odorata eſt & imputribilis: ſic & Chriſtus: Vnde Sponſa cap. 1. 3. *Curremus*, inquit, *in odorem vnguentorum tuorum.* ita S. Gregor. & Philo. 2.

Tertiò, Lucas Abbas cenſet cedro notari Chriſti humilitatem & patientiam, quæ ipſum exaltauit inſtar cedri, iuxta illud: *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen ſuper omne nomen*, &c. Philip. 2. 3. Philip. 2.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima ſancta.*

ANima Sancta ſpecioſa eſt vt Libanus, ac excelſa, odorata & imputribilis vt cedrus: quia ſi adhæremus Chriſto, per eum ſublimes efficimur, ait S. Gregor. cæleſtes & immortales. Vnde Rupertus: Chriſtus, inquit, fuit electus vt cedri, quia ſimilis extitit Patriarchis omnibus eorum omnium virtutibus decorus; & quia ex ipſo ſancti omnes vt cedri è Libano prodeunt. Vide plures analogias cedri & iuſti quas recenſui Eccleſ. cap. 24.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

RIchard. Victor. per Libanum accipit Chriſtum, per Cedrum B. Virginem: *Denique*, inquit, *ipſa cedrus, quæ creuit in Libano, id eſt, Chriſto, & dum Chriſtum ipſa genuit, quaſi Libanum cedrus produxit, & mons proceſſit ex arbore, cùm Deus prodiit ex homine. Hoc eſt nouum & inauditum, quòd Deus fecit ſuper terram, vt cedrus proferret Libanum, arbor montem, mulier circundaret virum, id eſt, Deum, & quem mundus non caperet, hunc virgo in vtero ſuo concluderet. Species itaque Chriſti ſunt Virgines, ſed beata Virgo ſpecialis eius quæ ſpeciem ſuam nunquam per aliquod peccatum mortale vel veniale maculauit. Vnde ſpeciem eius rex cæleſtis concupiuit in ea carnem ſumens amplius hanc ſpeciem decorauit, quia ampliori eam gratia repleuit.* — Richard. Victor.

Et poſt nonnulla: *Ipſa igitur ſingulari-*

*ter*

*ter ſpecies Chriſti, præ omnibus ſpecioſa, Chriſtóque ſimillima, non ſolùm ſpeciem Chriſti ipſa habens, ſed etiam in aliis hanc reſtituens.* Denique docet B. Virginem, quæ cum Chriſto ſummè ſe humiliauit, meritò humilitatis ſuæ cum eodem ſummè fuiſſe ſublimatam: *Exaltata eſt*, inquit, *hæc Beata quaſi cedrus, ſublimata eſt ſicut Chriſtus; & ſi tantum quantum Chriſtus, Chriſtus minimus fuit in Regno cælorum, id eſt, in præſenti Eccleſia, Maria humillima fuit omnium, quæ fuerunt in terra, ideò ad hoc ſublimata, vt ſummum omnium conciperet, & poſt eum ſumma omnium fieret.*

*In quo Beata Virgo Libano aſſimilatur.* Rurſum ſpecies & decor Libani conſiſtit in continua germinatione florum, herbarum, thuris, cedrorum, pinorum, aliarúmque arborum amœniſſimarum, ſummè odoratarum & ſalubrium: ſic ſpecies B. Virginis conſiſtit in aſſidua productione Virginum, Martyrum, Doctorum, Religioſorum, & ſanctorū quorumlibet in humilitate, charitate, patiētia, odore, mortificatione, & quauis alia virtute præcellentium.

---

Verſ. 16. *Guttur illius ſuauiſſimum, & totus deſiderabilis: talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus, filiæ Ieruſalem.*

Hebr. HEBR. *Palatum*, vel *guttur eius dulcedines, & totus ipſe deſideria.* q.d. Sponſus ita eſt formoſus, & gratioſus, vt ſummè ſit amabilis & deſiderabilis, imò vt ipſe vnus, non tantùm in ſe deſiderium, ſed omnium rerum deſideria eſſe videatur: continet enim in ſe eminenter omne id, quod in qualibet re eſt deſiderabile & expetibile, ac rurſum nihil in eo eſt, quod non ſit ſummè deſiderabile & cōcupiſcibile. Hinc

Iacob. Chriſtus à Iacob Patriarcha vocatur, *deſiderium collium æternorum* Geneſ. 49. 27.

Aggæus. Et ab Aggæo cap. 1. 8. *Deſideratus cunctis*

Hebr. *gentibus.* Hebr. *Deſiderium omnium gentium.*

LXX. Hebræo concentiunt Septuag. niſi quod

Hieronym. pro *deſideria* vertant *deſiderium.* S. Hieron. lib. 1. contra Iouin. legit: *Guſtus eius dul-*

Vatabl. *cedines, & totus concupiſcentia*, Vatabl. *Et quantus quantus eſt, res ſunt expetibiles.* Arabicus. *Anhelitus illius ſuauitas, & totus eſt*

Syrus. *deſiderium.* Syrus: *Guttur illius ſana dulciſ-*

Chald. *ſima, & veſtimenta eius deſideratiſſima.* Chal. *Verba gutturis eius dulcia ſicut mel, & omnia præcepta eius deſiderabilia ſapientibus eius ſuper aurum & argentum.* Per *guttur* tum anhelitum, qui per guttur è pulmone & ſtomacho prodit, tum vocem & ſermonem intellige; Anhelitus ergo indicat ſtomachum ſponſi cibis odoriferis, & valido calore optimè concoctis eſſe refertum: hi enim ſuauem & odoratum expirant anhelitum. Vnde v. 13. Verſ. 13.
dixit: *Genæ eius ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis.* Et verſ. 14. *Venter eius ebur-* Verſ. 14.
*neus, diſtinctus ſapphiris.*

Senſus ergo eſt: Anhelitus, æquè ac vox, vocíſque ſonus Salomonis ac multo magis Chriſti ſuauiſſimus & dulciſſimus eſt, vt mella fundere videatur. Sic *Neſtoris oratio erat melle dulcior*, ait Homerus Homer.
*Vox igitur eius*, ait Pineda lib. 6. de rebus Salomonis cap. 4. num. 14. *non fuit rauceſcens, qualis eſt libidinoſorum; non aſpera & ab-* Pineda.
*ſona, quæ agreſtium; non acuta & intenſa, quæ timidorum; non grauis & magna, quæ comminatorum: ſed media & temperata, & fortè etiam paulò gracilior, ſed cum dulcedine & ſuauitate;* quales Ariſtotelem & Platonem fuiſſe ſcribunt Laërtius & Plutarchus, quum dicunt eam ſignum eſſe pacati animi, ſuauium & compoſitorum morum.

Hanc dulcedinem Sponſus aſpirauit Sponſæ. Vnde cap. 4. 11. ait illi: *Fa-* Cap. 4. 11.
*uus diſtillans labia tua*; ideóque vt hanc animæ & ſpiritus Sponſi ſuauitatē hauriret Sponſa, petebat eius oſculum, dicens cap. 1. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Cap. 1. 1.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

GVttur, id eſt, anhelitus Chriſti notat internos eius affectus, amores, & ardores diuinos fuiſſe ſuauiſſimos, imò ipſiſſimam ſuauitatem, quæ in verba ſuauiſſima erumpebat: hinc & præcepta ac conſilia eius Euangelica ſuauiſſima ſunt, non carni, ſed rationi, menti & ſpiritui. Ita Caſſiod. S. Gregor. Philo, Theodor. Beda & alij. Vnde S. Gregor. & Philo addunt nouum teſtamentum eſſe guttur Chriſti ſuauiſſimum.

Rurſum Chriſtus *eſt totus deſiderabilis* & amabilis: tum quia pulcherrimus, tum quia ipſe prior tenerrimè & ardentiſſimè amat omnes homines. Vnde S. Auguſt. in Pſal. 44. *Pulcher*, inquit, *Deus verbum apud Deum, pulcher in vtero virginis, vbi non amiſit diuinitatem & ſumpſit humani-* Auguſt.
*tatem, pulcher in cælo, pulcher in terra, pulcher in vtero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher inuitans ad vitam, pulcher non curans mortem,*

*pulcher deponens omnia, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in ſepulchro. Ibi illum non videbis pulchrum, vbi deprehenderis iniuſtum. Si vbique iuſtus, vbique decorus.*

Si de placenta mellea aut ſaccharea, ſi de cibo quopiam vel fructu ſapidiſſimo, v.g. de ficu, quæ nullos habet acinos, ſed tota eſt edulis & delicata, dicimus hæc placenta, hæc ficus eſt appetibilis, tota irritat orexin: ſi de vino ſuauiſſimo, v.g. Falerno, Cretico, Lachryma, Moſcatellato, quod intima animæ penetrat & oblectat, dicimus, hoc vinum ſummè eſt deſiderabile: hoc vinum ſua dulcedine replet os, ſtomachum, totúmque hominis appetitum; quid dicemus de Chriſto, qui omne deſiderium, non tantùm ſatiat, ſed & longè ſuperat, qui nectar eſt & ambroſia Angelorum & Sanctorum omnium? Si opponas Iſaiam dicentem cap. 53. *Vidimus eum deſpectum & nouiſsimum virorum, vnde nec reputauimus eum*; Iſai. 53. huic calumniæ facilè reſpondet Iſaias dicens: Iſaias. *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, cuius liuore ſanati ſumus.* Cùm ergo intueris Chriſtum crucifixum, & illius ſacroſanctum caput ſpinis acutiſſimè pungentibus coronatum, oculos vigiliis exhauſtos, & lachrymis cruore permixtis ſuffuſos, genas alapis cæſas & ſordidis ſputis deformatas, os illud ſuauiſſimum felle amariſſimo oppletum, manus tot miraculorum effectrices clauis perforatas, humeros crucis pondere attritos, tergum flagris diſciſſum, pedes clauis etiam tranſfixos, & totum corpus vulneribus liuidum atque cruentum, meritò dixeris Chriſtum etiam in cruce pendentem totum deſiderabilem: quoniam membra omnia illa tot cruciatibus affecta, noſtræ ſalutis efficaciſſima quædam medicamenta fuêre, & media atque inſtrumenta noſtræ felicitatis. Eſt ergo Chriſtus totus deſiderabilis. ita Almonacirius. Vnde S. Petrus, ait Chriſto: Ioan. 6. *Domine quò ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Ioan. 6.

Hanc ſuauitatem Deus & Chriſtus aſpirat animæ, cùm ei interiùs loquens cæleſtes cogitationes, diuinos impulſus, conſolationes & amores ſuauiſſimos, ideóque inexplicabiles, nec niſi experto cognitos inſpirat: Vnde Dauid: *Quàm magna*, inquit, *multitudo dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te?* Pſalm. 30. 20. Et: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo.* Pſalm. 118. 103. Hinc illius auidus Samuel: *Loquere*, inquit, *Domine, quia audit ſeruus tuus.* 1. Reg. 3. 10. ita S. Anſelm. Richard. Rupert. & alij.

Dauid. Pſal. 30. 20. Pſal. 118. 1. Reg 3. 10.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

Viri ſancti, præſertim prædicatores pleni diuina ſapientia & ſuauitate, eam eructant, aliiſque inhalant, vt mella diuina eis inſtillare videantur, adeóque vt Deus & Chriſtus per guttura eorum loqui, ac ſuam ſuauitatem effundere videatur; *Et ideò*, inquit, Nyſſen. *Magnus ille Ioannes rogatus, quis eſſet, vocem ſe appellauit: & beatus ille Paulus documentum* Nyſſen. *edebat loquentis in ſe Chriſti, cui vocem ſuam locauerat, ex qua nimirum Chriſtus fingeret verba.* Nyſſeno fauet explicatio Pſelli, qui Ioannem Baptiſtam guttur dicit eſſe Chriſti, quia ipſius præcurſor & præco, & quaſi vox fuit. Concionator ergo, ac vir ſanctus aſſiduus ſit in oratione & meditatione, vt ſpiritum Dei hauriat, quem aliis aſpiret, vt ipſe velut os & guttur Chriſti, nil leue aut vanum, nil niſi ſanctum, cæleſte & diuinum, à Chriſto probatum, illíque ſuggeſtum eloquatur; vt qui eum audit, Chriſtum in eo reſonantem audire ſe æſtimet.

Anagogicè, Beatis vox Dei eſt ſuauiſſima, Deúſque ab eis viſus totus eſt Anagogicè. deſiderabilis, vt præter eum nil cogitare, amare aut deſiderare queant. Deus, ait Rupert. totus eſt deſiderabilis, quia cum habetur, tunc magis deſideratur; Eſtque viſio eius in deſiderio, & deſiderium in viſione: viſione enim Dei ſatiantur beati, ſed ita vt ſemper eum vlterius videre deſiderent. Viſio enim licèt duret per millia annorum, tamen in eis non parit faſtidium, ſed ſummum cum plena ſatie deſiderium. Audi hic Richard. Victorin. *Deſiderabilis humanitatis eius viſio in terris, ſed multum deſiderabilior* Richard. Victorin. *glorificata eius humanitas in cælis, deſiderabilis vultu, quem deſiderat vniuerſitas ciuium ſupernorum: deſiderabiliſſima verò diuinitatis eius contemplatio, cui omne quod deſideratur non valet comparari.* Et B. Petrus Damiani opuſc. 50. cap. 4. *Totus*, inquit, *deſiderabilis, quia humanitatis eius myſterium* Petrus Damian. *omne deſiderium accendit in mentibus Electorum, vt eos videlicet non modo reſurrectionis gloria prouocet, ſed ad imitationis exemplum ipſa quoque ignominia paſſionis inuitet.*

TER

Digitized by Google

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

*Chriſtus præ alijs ſeſe ſuæ Matri communicauit.*

CHriſtus ſi cui mortalium, certè Matri ſuæ dulciſſimâ & diuiniſſima loquebatur, tum voce exteriùs, tum potiùs interiùs in mente; quare ipſa viuẽs cum eo per triginta annos, præ omnibus hominibus & Angelis diuinos illius ſenſus, ac cæleſtes dulcedines hauriebat, vt ipſi præ omnibus Chriſtus ſuus totus eſſet deſiderabilis.

*B. Virgo ſecundùm ſe totam deſiderabilis eſt, Apoſtoli verò ſecundùm quid.*

Rurſum in Apoſtolis, cæteríſque Sanctis multa ſunt deſiderabilia: at non omnia; laborarunt enim concupiſcentiâ & peccatis venialibus. At B. Virgo tota eſt deſiderabilis, quia omnis concupiſcẽtiæ & peccati expers; ac gratiâ omníque virtute plena. Vnde Damaſcen. ſermon. de

Damaſc.

Natiu. B. Mariæ exclamat: *O deſiderabilis, ac ter beata femina! O diuinum ſimulacrum, ad quod opifex Deus intentus eſt, mentem quidem diuinitùs gubernatam habens, ac Deo ſoli operam dantem, cupiditatem autem omnem ad id, quod ſolùm expetendum atque amandum eſt, intentam, iram verò aduerſus peccatum duntaxat, ipſiúſque parentem.* Deinde id particulatim per inductionem ſingulorum corporis, virtutíſque ipſius membrorum demonſtrat: *Oculi*, inquit, *tui ſemper ad Dominum, perenne atque inacceſſum lumen intuentes. Aures diuinum ſermonem audiunt, ac ſpiritus citharâ oblectantur; per quas Verbum carnem aſſumpturum ingreſſum eſt. Nares vnguentorum Sponſi odore deliniuntur, quod quidem diuinum vnguentum eſt ſponte exhauſtum, atque humanitatem ſuam vngens. Vnguentum enim effuſum nomen tuum*, inquit Scriptura. *Porrò labia tibi ſunt Dominũ laudantia, ipſiúſque labris adhærentia. Lingua & fauces Dei verba diſcernentes, ac diuinâ ſuauitate ad ſatietatem vſque fruentes. Cor purum, ac labis expers, Deum ſpurcitie omni carentem cernens, ipſiúſq; cupiditate flagrans. Venter in quo habitauit is, qui nullo loco capi poteſt. Lactis vbera, quæ Deum puerum Ieſum aluerunt.* Ac paucis interiectis: *Manus Deum geſtantes, & genua (thronus Cherubinis ſublimior) quorum ope, atque adiumento manus languentes, ac genua diſſoluta robur contraxerunt. Pedes Dei lege tanquam lucerna deducti, ac poſt eam irretorto curſu properantes, quoadúſque amatum ad amantem pertraxerunt. Tota ſpiritus thalamus es, gratiarum pelagus. Tota pulchra, tota Deo propinqua. Ipſa namque Cherubinos ſuperans, ac ſupra Seraphinos euecta propinqua Deo extitit. O miraculum omnium miraculorum maximè nouum!*

Chald.

*Talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus, filiæ Ieruſalem.* Chaldæus: *Hæc eſt laus dilecti mei, & hæc fortitudo virtutis Domini dilecti mei, ô Propheta, qui prophetatis in Ieruſalem.*

Concludit Sponſa elogia Sponſi, hoc quaſi Epiphonemate, q. d. Vos ô filiæ Ieruſalem adiuratæ à me cap. 5. v. 8. vt quæratis Sponſum, qui à me ſe ſe ſubduxit, rogaſtis dotes & ſigna Sponſi, ex quibus eum quæſitum agnoſcere poſſetis, dicentes: *qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, &c. quia ſic adiuraſti nos?* Reſpondt: dotes eius vobis hucuſque deſcripſi; ſcitote ergo talem, támque pulchrũ & eximium eſſe dilectum meum, quem per plagas & vulnera quæro, de cuius abſentia doleo, & cuius amore langueò.

Notat Caſſiod. Chriſtum dici dilectũ, dum Eccleſiæ & animæ ſanctæ charitatem, quâ eum diligat & viciſſim ab eo diligatur, inſpirat; amicum verò, dum ei ſecreta ſua cõmunicat, iuxta illud Chriſti: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Ioann. 15. 15. Ioan. 15. 15.

---

## VOX FILIARVM Ieruſalem.

Verſ. 17. *Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? quò declinauit dilectus tuus? & quæremus eum tecum.*

QVO *abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? quò declinauit* (Heb. פנה *pana*, id eſt, *reſpexit.* ita LXX. LXX. Arabicus, *diſceſſit*) *dilectus tuus? & quæremus eum tecum.*

Adoleſcentulæ, ſiue filiæ Ieruſalem auditis à Sponſa ſignis & notis Sponſi, ex quibus eum cognoſcant, inſtant vlterius, rogántque, qua viâ ſuſpicetur abiiſſe Sponſum, cùm ſe ſubduxit, vt eâdem illum quærant ipſa comitatè.

Chriſtus, vt dixi v. 2. ſubduxit ſe quaſi ab Eccleſia, cùm ob Prælatorum negligentiam, vel prauitatem permiſit graſſari hæreſes & ſcandala, fidémque & pietatem in nonnullis prouinciis calcari & peſſundari, vti in Oriẽte factum eſt poſt Conſtantinum graſſante hęreſi Arriana; adeò vt plerique Epiſcopi Orientales fierent Arriani. Tũc enim Chriſtus abiit in Occidentem, atque Orthodoxam Homuſij ſui fidem & cultum tranſtulit in Italiam, Galliam, Germaniam. Vnde Occidentales, ſiue Latini Epiſcopi Orthodoxi,

*Chriſtus abit ex Oriente in Occidentem ob Arrianos.*

Google

thodoxi Orientalibus, ſiue Græcis Arrianis conſtanter ſeſe oppoſuerunt. Sic Chriſtus ex Aphrica abiit in Hiſpaniam, cùm illa vaſtata eſt, hæreſique infecta à Gothis, Alanis, Vvandalis ſic ſuccedentibus ſæculis ſucceſſiuè à variis Prouinciis receſſit, ac hoc noſtro æuo, ex Dania, Suecia, Anglia, Scotia, Saxonia, &c. ob hęreſim abiit ad Indos, ibíque fundauit fidem & pietatem Chriſtianam.

Tunc ergo filiæ Ieruſalem, id eſt, animæ ſanctæ, præſertim doctorum & prædicatorum, condolentes Eccleſiæ de hoc Chriſti ex prouinciis Chriſtianis receſſu, quęrunt ab ea, id eſt, ab eius prælatis, quò abierit Chriſtus, id eſt, quò ſui fidem, cultum & gratiam tranſtulerit, vt eam partim ibi ſtabiliant, partim inde ad ſuos populares reuocent & reducant.

Vnde S. Gregor. Coſmas Damianus & alij hæc accipiunt de Synagogæ, id eſt, Iudæorum (hi enim propriè ſunt filij & filiæ Ieruſalem) conuerſione in fine mundi. Tunc enim vltima erat Eccleſiæ ſenectus, quæ mox ab Elia, Enoch eorúmque aſſeclis reformabitur, & renouabitur per Iudæorum omniúmque gentium fidem, feruorem & zelum. Vnde tunc inuenietur, & paſcetur Chriſtus inter lilia virginum: tunc enim erunt 144. millia Virginum, qui Antichriſti libidini & impietati vſque ad mortem reſiſtent. Apocal. 14. verſ. 1. & ſeq. Vide ibi dicta.

Cenſet ergo, S. Gregor. & Coſmas, hæc eſſe verba Synagogæ audita Euangelij prædicatione, volentis conuerti ad Chriſtum in fine mundi, ideóque interrogantis Eccleſiam, vbinam ſit Meſſias, ſiue Chriſtus Eccleſiæ Sponſus? cui reſpondet Eccleſia, id eſt, Eccleſiæ Doctores: *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum*, &c. Id facere cœpère Iudæi mox à morte Chriſti, cum miſſo Spiritu ſancto in Pentecoſte, ad prædicationem Sancti Petri illico compuncti, & conuerſi ad Chriſtum fuère Iudæi, primò ad tria, deinde ad quinque millia. Actor 2.

*Quadruplex Eccleſiæ ætas.* Huc accedit Almonacirius, qui hac Chriſti effigie cenſet deſcribi quadruplicem Eccleſiæ Chriſti ætatem & ſta-
1. tum, perinde ac in ſtatua Nabuchodonoſoris deſcribitur quatuor monarchia-
2. rum mundi vicaria ætas, & ſucceſſio. Daniel 2. Chriſtus enim & Eccleſia ſe habent vt caput & membra, vt Sponſus & Sponſa: quare quod de Chriſto dicitur, hoc & Eccleſiæ competit iuxta regulam Ticonij. Igitur per aureum Chriſti caput accipit primam Eccleſiæ ætatem, quæ fluxit à Chriſto vſque ad Conſtantinum: hæc enim fuit feliciſſima, & aurea ſub Apoſtolis eorúmque diſcipulis, S. Dionyſio, Clemente, Ignatio, Polycarpo, Iuſtino, Quadrato, Irenæo, &c. Hi habebant oculos columbarum, id eſt limpidos reſidentes ad fluenta S. Scripturæ, atque capillos fuluos, quia religioſè viuentes cæleſtem in terris vitam
agebant. Huic ſucceſſit ſecunda Eccleſiæ ætas à Conſtantino vſque ad S. Gregorium, qui floruit anno Domini 600. qua Eccleſia per omnes gentes, etiam barbaras mirè fuit propagata: hæc per pectus, brachia, ventrem & femora repræſentatur, ventrem, inquam, non aureum vt caput, ſed eburneum: cœpit namque fulgor ille ardentiſſimæ charitatis nonnihil obſcurari, quanquam doctrinæ & ſapientiæ puritas maximè vigeret, quæ per ebur optimè exprimitur. Retinebat præterea ſæculum illud multum de priſtina illa & apoſtolica morum integritate: vnde pectus, brachia, manus, venter & femora, auro, gemmis, hyacinthis & ſapphiris diſtinguebantur: fuère namque illa ætate, quæ ipſo ebore ſatis beata erat, S. Athan. Baſil. Gregor. Nazian. Gregor. Nyſſen. Chryſoſt. Hieron. Ambroſ. Auguſt. Cyrillus & multi alij Eccleſiæ ſplendidiſſima ornamenta. Secundæ huic ſucceſſit tertia 3.
ætas, non iam aurea, nec eburnea, ſed lapidea inſtar marmoris quidem, ſignificata per crura, conſtans in fide, ſed deficiente charitate frigidior. Hæc eſt à S. Gregorio vſque ad tempora Antichriſti, quæ à duarum præcedentium feruore multum degenerauit. Quarta 4.
& vltima erit tempore Antichriſti ſub finem mundi, quando Elias & Enoch Iudæos gentéſque conuertent, ſuúmque eis feruorem & zelum inſtillabunt: Vnde hæc notatur per pedes aureos. Quare ſicut Eccleſia habuit caput aureum ſub Apoſtolis, ſic & deſinet in pedes aureos ſub Elia & Enoch, qui primæuum Eccleſiæ primitiuæ feruorem & ſpiritum, tam Iudæis quàm gentibus reſtituent. Ita ipſe.

Huc quoque facit verſio Chaldæi: *Reſponderunt Prophetæ, cùm audierunt laudes Domini ex ore cœtus Iſraël, & ita dixerunt:* Chald.
*Propter quod peccatum ſublata eſt de medio tui maieſtas Domini, ô tu qua pulchra es in operibus tuis ſuper omnes nationes? & ad quem locum declinauit dilectus tuus, quando eleuatus eſt de ſanctuario tuo? dixit cœtus Iſraël propter peccata &*

*& rebelliones & proditionem, quæ inuenta ſunt in me? dixerúntque Propheta: Nunc conuertere ad pœnitentiam, & ſurgamus tu & nos, & oremus coram eo, & quæramus miſericordiam tecum.* Notat Beda τὸ *tecum* cùm aiunt, *quæremus eum tecum*: Nam qui Chriſtum, inquit, ſine Eccleſia quærit, errare & fatigari poteſt, at inuenire non poteſt.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima ſancta.*

POenitens, vel pia anima cognoſcens quanta ſit pulchritudo & gratia Chriſti, eum omnibus modis quærit, vt eum in dies ſibi magis magíſque, ac tandem intimè vniat, cum eo verſetur iugiter, de illo meditetur aſſiduè, &c. Vnde inuocat filias Ieruſalem, id eſt, Angelos & ſanctos, tum beatos in cæleſti Ieruſalem, tum adhuc militantes in terreſtri. Hi inuocati rogant quonam abierit Sponſus, non quod id ignorent, ſed vt indicent animæ quærenti, vt recogitet vbi ſit locus Sponſi, in quo inueniendus ſit, ac ſi ibi eum quærat, ſe eam omni ope adiututos: ſi enim eum quæreret, vbi non eſt, puta in voluptatibus, honoribus, opibus, &c. neutiquam illi auxiliarentur Angeli & ſancti, ſed in caſtitate, humilitate, paupertate, mortificatione, mundi contemptu eum veſtiget, vbi eſt, & inuenitur, tunc vtique prompti omnes accurrent, vt illi in quærendo & inueniendo opitulentur. Sic fecit Magdalena tum pœnitens, cùm Chriſtum quæſiuit in domo Simonis, ibique pedes eius lauans & rigans, plenam omnium peccatorum remiſſionem accepit; tum iam conuerſa, cum poſt reſurrectionem Chriſti eum quæſiuit in ſepulcro, ideóque prima inuenit ſpecie hortulani ſibi apparentem, colloquentem & conſolantem.

Notat Caſſiodor. primò, Chriſtum quandoque ſubducere ſe ab anima, vel potiùs in mente eius ſe abſcondere, vt eius virtutem probet, acuat & perficiat. Secundò, animam probam quærere conuerſationem ſanctorum, in quorum anima Chriſtus requieſcit, vt Chriſtum in ea inueniat, eiúſque particeps fiat. Sancti enim colloquendo Chriſtum, quem in mente & ore gerunt, audientibus inhalant & inſpirant.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

QVomodo B. Virgo quæſierit Chriſtum perditum, inuenerítque in templo aliáque plura in hanc rem dixi, cap. 3. verſ. 1. & ſeq. & cap. 5. verſ. 6. & ſeq.

CAPVT

Sanctus Romualdus, S. Franciſcus, S. Dominicus. Audi Rupertum: *Crura illius viæ ſunt illius, ſcilicet miſericordia & iudicium, ſiue miſericordia & veritas, ſicut ait Pſalmiſta: Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas. Nam veritas ipſa eſt iudicium verum. Crura iſta, viæ iſtæ, columnæ marmoreæ, id eſt, rectiſſimæ ſunt atque firmiſſimæ, nec eſt qui poſſet eas infirmare, aut iuſtè reprehendere: Nam iudicia Domini vera iuſtificata in ſemetipſa. Exempli gratia: Loco vel tempore ſupradicto, cùm penderet dilectus iſte crucifixus latronum duorum medius, alterum ex eis pœnitentem miſericorditer ſuſcepit, ſecúmque in Paradiſum aſſumpſit, alterum blaſphemantem iudicio iuſto reprobauit.* Et poſt nonnulla: *Baſes aureæ conſilia ſunt diuinæ ſapientiæ.* Eorum deinde ſubdit exemplum: *Flere potuit ſuper ciuitatem Ieruſalem, ſubuerſionem & damnationem ſuæ gentis præuidens, & tamen animum ſuum inducere non potuit, vt auerteret ab eis iram imminentem: Stabant quippe inflexibilia crura eius tanquam columnæ marmoreæ ſuper baſes aureas, id eſt, non qualis eſſet humanitatis ſuæ voluntas, ſed diuina iuſtitia rationes attendebat.*

Rupert.

Pſal. 24.

Pſal. 18.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

CRura Chriſti & Eccleſiæ, quæ eius fidem, religionem & virtutem ſuſtentant, docendo, prædicando, confeſſiones audiendo, &c. ad hæreticos, Iapones & Indos conuertendos proficiſcendo, &c. propagant & promouent, ſunt viri religioſi & Apoſtolici, hi per conſtantiam ſunt erecti quaſi columnæ, vt nulla ſpe vel metu à recto deflectant: per fortitudinem ſunt robuſti vt marmor, per charitatem fulgent vt aurum, ac ſimul per eandem ſolidantur, ita vt alios in fide & pietate conſolident. Ita Richard. de ſancto Victore.

*Crura Chriſti ſunt viri Apoſtolici.*

Huc accedit Lucas Abbas, qui per crura Eccleſiæ accipit humiles: hi enim inquit, ſe humiliando tantæ efficiuntur fortitudinis, vt omnia membra ſubuehant capitis, vt ſignificauit per Prophetam dicens: *Super quem reſpiciam niſi ſuper humilem?* & in ſe continent ſimilitudinem illius petræ, de qua Paulus: *Petra autem erat Chriſtus.* Humilium verò baſes aureas eſſe aſſerit humilitatem Prophetarum veterúmque ſanctorum. Hiſce enim baſibus poſterorum, & ſequacium humilitas innititur & fulcitur.

*Humiles.*

Denique Iuſtus & S. Anſelm. per crura accipiunt quoſlibet ſanctos, qui Eccleſiam ſua ſanctitate & charitate ſuffulciunt: in quibus proinde inhabitat & graditur Chriſtus: Vnde S. Ambroſ. lib. 3. de fide cap. 5. *Crura*, inquit, *columnæ marmoreæ, &c. ſolus enim Chriſtus inambulat animis & graditur in mente ſanctorum, in quibus veluti aureis baſibus fundamentiſque pretioſis, ſolidata veſtigia verbi cæleſtis hæſerũt.*

*Sancti.*

Ambroſ.

Hinc Symbolicè Nyſſen. hom. 14. & tres Anonymi apud Theodor. per duo crura accipiunt duo præcepta charitatis, ſcilicet: Diliges Deum ex toto corde, & diliges proximum ſicut teipſum: per hæc enim Chriſtus ambulat in anima, eámque promouet ad culmen ſanctitatis.

*Symbolicè ſunt duo præcepta Charitatis.*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

CAſſiodor. & Beda per crura Chriſti accipiunt eius itinera, quibus in vterum Virginis deſcendere, & pro nobis homo fieri dignatus eſt: hæc fuere marmorea, quia recta & robuſta: Fundata ſuper baſes aureas, quia omnia quæ per Chriſtum, vel in Chriſto agenda erant, diuinitatis conſilio præordinata fuere ab æterno. Aurum enim vtpote præſtantiſſimum ſignificat Dei conſilium. Addit Beda, vt hoc ſignificaretur, idcirco Chriſto in cruce crura non fuiſſe confracta, vti fuere latronum.

*Chriſti crura quid apud Caſſiod. ſignificant.*

Rurſum, crura B. Virginis fortiter proceſſerunt ad omne bonum, & propulſarunt omne malum. Quocirca Damaſcenus Orat. de Natiu. B. Mariæ, ita mores eius pingit: *Honeſtus veſtitus, mollitiem omnem ac luxum fugiens. Greſſus grauis ac ſedatus, ab omni mollitie remotus. Mores ſeueri, atque hilaritate temperati. Ita comparata eras, vt nullus ad te viris acceſſus pateret, &c. Animus humilis in ſublimiſſimis cõtemplationibus, ſermo iucundus ex lenta anima progrediens. Denique quid aliud quàm Dei Domicilium? meritò te beatam prædicant omnes generationes, ve eximium humani generis decus. Tu ſacerdotum gloria, Chriſtianorum ſpes, virginitatis feraciſſima planta. Per te enim virginitatis pulchritudo latiſſimè ſeſe diffudit.*

Damaſcen. *Mores B. Virginis.*

Rurſum, ſi humiles, ſi ſancti, ſi Apoſtoli habent pedes marmoreos per fortitudinem fundatos in baſi aurea charitatis, multò magis eoſdem habet B. Virgo. Vnde eius typus fuit columna ignis per noctem & nubis per diem, deducens & protegens Hebræos per deſertum vſque in terram promiſſam. Simili enim

enim modo B. Virgo deducit fideles ſi-
bi deuotos per deſertum huius vitæ in
cælum. Ita Patres, quos audi. S. Epipha-
B. Virgo columna ignis & nubis. nius ſerm. de laudibus Virginis: *Aue*, in-
quit, *gratia plena, nubis columnæ ſimilis, quæ*
Ambroſ. *Deum habes, qui populum deduxit per deſer-*
Hieron. *tum*. S. Hieron. in Pſalm. 77. ad illa: *Et*
*deduxit eos in nube diei*, per nubem, hoc
eſt columnam nubis, intelligit B. Virgi-
Andreas. nem. Andreas Epiſc. Cretenſ. Orat. 2. de
Deipara: *O columna*, inquit, *viuifica, non*
*carnalem per lucem deducens Iſraëlem, ſed ſpi-*
Ambroſ. *ritualem, qui deducitur ad increatam lucem*
*cognitionis, diuinis illuminans facibus*. S. Am-
broſ. in Pſalm. 118. ſerm. 5. ſub initum:
*Illa columna nubis*, inquit, *ſpecie quidem præ-*
*cedebat filios Iſraël, myſteria autem ſignificabat*
*Dominum Ieſum in nube venturum leui, ſicut*
Iſai 19. 1. *dixit Iſaias*, cap. 19. 1. *hoc eſt, in Virgine Ma-*
Beda. *ria*. Vener. Beda in Exodi cap. 13. *Colum-*
*na ignis in nocte*, ait, *eſt diuinitas in carne*
*Virginis Mariæ*. S. Bonau. in ſpeculo cap. 3.
Bonauent. *Maria*, inquit, *nobis columna eſt nubis, quia*
*tanquam nubes protegit ab æſtu diuinæ indigna-*
*tionis, protegit etiam ab æſtu diabolicæ tentatio-*
*nis. Maria quoq; eſt columna ignis illuminãs nos,*
*imò illuminans mundũ multis miſericordiæ ſuæ*
*beneficiis*. S. Bernardin. tom. 3. ſer. 11. art. 1.
Bernardin. cap. 3. *Columna nubis*, inquit, *aliquando præ-*
*cedebat, aliquando ſequebatur, aliquando ſuper-*
*ferebatur, vt myſticè patrocinia multa B. Virgi-*
*nis indicentur erga populum electorum, & om-*
*nium Chriſtianorum*. Celebris eſt Cæſarau-
guſtæ columna, in qua B. Virgo adhuc
viuens apparuit S. Iacobo Apoſtolo, in-
dicans ſe eo loci coli velle ſoréque Hi-
ſpaniæ protectricem.

*Species eius vt Libani, electus vt cedri.*
Hebr. *Aſpectus eius vt Libani*. Septuaginta
LXX. εἶδος, id eſt, *forma eius vt Libanus*.

Enarratis nonnullis Sponſi membris
elegantibus, cæterorum deinde, ne lon-
gior ſit, elegantiam verbo perſtringit
dicens: *Species*, id eſt, forma & pulchri-
Iudæorum proverbium. tudo eius eſt inſtar Libani. In Iudæa
enim erat prouerbium, vt cùm quid
pulcherrimum ſignificare vellent, dice-
rent: *Pulcher vel pulchrum eſt vt Libanus*,
quia Iudæa nil pulchrius habet Libano.

Hic enim omnium Syriæ montium
eſt altiſſimus, amœniſſimus & fœcundiſ-
ſimus. Vnde mons montium vocatur:
*Nihil Libano in terra repromiſſionis excelſius*
Hieron. *eſt, nec nemoroſius atq; condenſius*, ait S. Hier.
in Oſee cap. 14. Hinc de Eccleſia canit
Iſai. 35. Iſaias c. 35. *Gloria Libani data eſt ei*. Dictus
Libani etymon. eſt Libanus à לָבָן *Lauan*, id eſt albus, quòd
toto anno niuibus in cacumine albeſcat;
vel à לְבוֹנָה *Leuona*, id eſt thus, quòd thure,

*Cornel. à Lapide, in Cant. Canticorum.*

pinis, abietibus, cedris, cypreſſis aliíſque
reſinoſis arboribus abundet: quarum
gummi electum, olibanum à Medicis
nuncupatur. Quare Libanus thuris, re- Fertilitas.
ſinæ, ſacchari, olei, &c. eſt ferax: om-
ne Syluestrium ferarum canorarúmque
auium genus in eo admodum frequens
eſt. Valles Libani optimo tritico, vi-
neis, pomariis, hortis & vberrimis pa-
ſcuis abundant. Vnde in iis paſceban-
tur animalia in templo Deo offerenda
Denique ex Libano erumpunt plura &
& magna flumina, puta Iordanis, Chry-
ſorrhoas, Eleutherus, Leon, Lycus, Ado-
nis, & fons hortorum. Libanus enim
oritur à tergo Sidonis, ac verſus Orien- Situs Libani.
tem vltra Damaſcum tendit 1500. ſta-
diis ait Plinius lib. 5. cap. 20. hoc eſt 187.
millibus paſſuum, ſiue 187. milliaribus
Italicis. Vide Oſee cap. 14. & Adricho-
mium in Libano.

Porrò quia in Libano eminent eno-
des, imputribiles & odoratæ cedri, hinc
addit *electus*, id eſt, præſtans & excellens,
*vt cedri*. Chaldæus ad Libani etymon
reſpiciens vertit: *Et ipſe impletur ſuper eos* Chald.
*miſerationibus ſicut ſenis, & dealbat peccata do-*
*mus Iſraël ſicut niuem, & paratus eſt, vt faciat*
*victorias in bello contra populos, qui tranſgre-*
*diuntur verbum eius ſicut iuuenis fortis, qui ro-*
*buſtus eſt ſicut cedri.*

Grammaticè ergo Salomon Sponſus Salomon & Chriſtus ſimiles Libano.
comparatur hîc Libano & cedro. Pri-
mò, ob ſtaturæ proceritatem: hæc enim
digna eſt Imperio, vnde: *Staturam Impe-* 1.
*ratoriam* vocat Capitolinus in Pertinace. Capitol.
Hinc Saul *ab humero & ſurſum eminebat* Saul.
ſupra omnem populum. 1. Reg. 9. Simili-
ter proceri fuere priſci Heroës & Re-
ges, Romulus teſte Plutarch. Priamus,
Hector, Aiax teſte Homero, Iulius Cæ-
ſar, Tiberius & Domitianus, teſte Sue-
tonio; Theodoricus, ait Sidonius, lon-
giſſimis erat breuior, procerior, eminen-
tiórque breuioribus. Enormis enim pro-
ceritas, qualis fuit Caligulæ, ſolet eſſe
mentis inops, hebes & ſegnis; medio-
cris verò & iuſta ingenioſa eſt & animo-
ſa, vtpote ſpiritibus abundans. Hinc
Ariſtot. 4. Ethic. cap. 3. *pulchritudo*, ait, *in* Ariſt.
*magno corpore conſiſtit*. Et Virgil. 8. Æneid. Virgil.

*Sed cunctis altior ibat*
*Anchiſes.*

Secundò, Salomon comparatur Li- 2.
bano in amœnitate, quia eius ad inſtar
erat vultu, oculis, totóque corpore de-
coro, amœno & iucundo.

Tertiò, in odore, quia inſtar Ale- 3.
xandri magni ſuauiſſimum ore anheli-



Digitized by Google

tum, & è reliquo corpore odorem exſpirabat.

4. Quartò, in fœcunditate. Cùm enim mille habuerit vxores, plurimos ex eis genuit filios.

5. Quintò, in fabrica, quia Salomon ex lignis Libani ædificauit templum, orbis miraculum, indéque ipſum templum vocatur Libanus, vt à Zachar. cap. 11.

Zachar. 11. *Aperi Libane portas tuas.*

## PRIMVS SENSVS

*De Christo & Eccleſia.*

CHriſtus æquè, imò magis, quàm Salomon fuit ſpecioſo & procero corpore, puta altitudine ſeptem cubitorum, ait Nicephor. lib. 1. cap. vlt. item amœno, iucundo, odorato & fœcundo filiorum non carnalium, ſed ſpiritualium.

Rurſum, templum factum ex lignis Libani omniáque eius vaſa, typus erant Christi: vnde ipſe ait Iudæis: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Hoc autem dicebat de templo corporis ſui.* Iohan. 2. quia ſicut templum fuit caput, decus & ſanctum ſanctorum Ieruſalem terreſtris; ſic Chriſtus caput, decus & ſanctus ſanctorum eſt Ieruſalem cæleſtis, ait Rupert.

Pſalm. 44. Denique Chriſtus *ſpecioſus fuit præ filiis hominum.* Pſal. 44. ſpecioſus corpore, ſpecioſior mente, ſpecioſiſſimus diuinitate.

Rurſum Libanus idem eſt quod candidus & candidatio. Quid candidius Chriſto, qui omnes peccatores in Baptiſmo dealbat, eóſque gratia odoratos & virtutibus florentes, bonorúmque operum fertiles efficit? Ita S. Gregor. Philo & Richard. Victor.

*Thure & Cedro duplex Dei natura ſignificatur.* Porrò Theodor. per Libanum intelligit thus, vt duplex hîc ſignificetur Chriſti natura, ſcilicet diuina per thus: thus enim Deo adoletur: & humana per cedrum, quæ non ſentit cariem nec corruptionem. Vnde Plinius: *Cedrum commendat æternitas.* Lucas Abbas verò: *ſpecies Chriſti*, inquit, *fuit vt thus: quia omnis illius actus ſacrificium eſt acceptabile patri æterno. Thus quippe à Pontifice ſuper hoſtiam pro peccato & holocauſtum, quod peculiare erat ſacrificium, videbatur imponi, & ipſe nihil de contagione peccati conuerſanda inter impios contraxit.* Sic ſapientia, id eſt Chriſtus comparatur cedro. Eccleſ. 24. 17. *quaſi cedrus*, inquit, *exaltata ſum in Libano.*

Plin. Luc. Abb. Eccl. 24. 17.

*Electus vt cedri.* Primò, quia *ſicut cedrus pulchrior eſt & procerior cæteris arboribus, ita & Chriſtus diuinitatis gratia* (adde & gratia infuſa, vtpote quæ fuit gratia capitis deriuanda in cætera membra, id eſt, in omnes fideles) *præcellit omnes ſanctos*, ait Caſſiod. *Chriſtus quare cedrus.* 1. Caſſiod.

Secundò, quia cedrus odorata eſt & imputribilis: ſic & Chriſtus: Vnde Sponſa cap. 1. 3. *Curremus*, inquit, *in odorem vnguentorum tuorum.* ita S. Gregor. & Philo. 2.

Tertiò, Lucas Abbas cenſet cedro notari Chriſti humilitatem & patientiam, quæ ipſum exaltauit inſtar cedri, iuxta illud: *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen ſuper omne nomen*, &c. Philip. 2. 3. Philip. 2.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima ſancta.*

ANima Sancta ſpecioſa eſt vt Libanus, ac excelſa, odorata & imputribilis vt cedrus: quia ſi adhæremus Chriſto, per eum ſublimes efficimur, ait S. Gregor. cæleſtes & immortales. Vnde Rupertus: Chriſtus, inquit, fuit electus vt cedri, quia ſimilis extitit Patriarchis omnibus eorum omnium virtutibus decorus; & quia ex ipſo ſancti omnes vt cedri è Libano prodeunt. Vide plures analogias cedri & iuſti quas recenſui Eccleſ. cap. 24.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

RIchard. Victor. per Libanum accipit Chriſtum, per Cedrum B. Virginem: *Denique*, inquit, *ipſa cedrus, quæ creuit in Libano, id eſt, Chriſta, & dum Chriſtum ipſa genuit, quaſi Libanum cedrus produxit, & mons proceſſit ex arbore, cùm Deus prodiit ex homine. Hoc eſt nouum & inauditum, quod Deus fecit ſuper terram, vt cedrus proferret Libanum, arbor montem, mulier circundaret virum, id eſt, Deum, & quem mundus non caperet, hunc virgo in vtero ſuo concluderet. Species itaque Chriſti ſunt Virgines, ſed beata Virgo ſpecialis eius qua ſpeciem ſuam nunquam per aliquod peccatum mortale vel veniale maculauit. Vnde ſpeciem eius rex cæleſtis concupiuit in ea carnem ſumens amplius hanc ſpeciem decorauit, quia ampliori eam gratia repleuit.* Richard. Victor.

Et poſt nonnulla: *Ipſa igitur ſingulariter*

Digitized by Google

*ter ſpecies Chriſti, præ omnibus ſpecioſa, Chriſtóque ſimillima, non ſolùm ſpeciem Chriſti ipſa habens, ſed etiam in aliis hanc reſtituens.* Denique docet B.Virginem, quæ cum Chriſto ſummè ſe humiliauit, meritò humilitatis ſuæ cum eodem ſummè fuiſſe ſublimatam: *Exaltata eſt*, inquit, *hæc Beata quaſi cedrus, ſublimata eſt ſicut Chriſtus; & ſi tantum quantum Chriſtus, Chriſtus minimus fuit in Regno cælorum, id eſt, in præſenti Eccleſia, Maria humillima fuit omnium, quæ fuerunt in terra, ideò ad hoc ſublimata, vt ſummum omnium conciperet, & poſt eum ſumma omnium fieret.*

*In quo Beata Virgo Libano aſſimilatur.*

Rurſum ſpecies & decor Libani conſiſtit in continua germinatione florum, herbarum, thuris, cedrorum, pinorum, aliarúmque arborum amœniſſimarum, ſummè odoratarum & ſalubrium: ſic ſpecies B. Virginis conſiſtit in aſſidua productione Virginum, Martyrum, Doctorum, Religioſorum, & ſanctorũ quorumlibet in humilitate, charitate, patiẽtia, odore, mortificatione, & quauis alia virtute præcellentium.

---

Verſ. 16. *Guttur illius ſuauiſſimum, & totus deſiderabilis: talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus, filiæ Ieruſalem.*

Hebr.

HEBR. *Palatum*, vel *guttur eius dulcedines, & totus ipſe deſideria.* q.d. Sponſus ita eſt formoſus, & gratioſus, vt ſummè ſit amabilis & deſiderabilis, imò vt ipſe vnus, non tantùm in ſe deſiderium, ſed omnium rerum deſideria eſſe videatur: continet enim in ſe eminenter omne id, quod in qualibet re eſt deſiderabile & expetibile, ac rurſum nihil in eo eſt, quod non ſit ſummè deſiderabile & cõcupiſcibile. Hinc Chriſtus à Iacob Patriarcha vocatur, *deſiderium collium æternorum* Geneſ.49.27. Et ab Aggæo cap. 1. 8. *Deſideratus cunctis gentibus.* Hebr. *Deſiderium omnium gentium.* Hebræo concentiunt Septuag. niſi quod pro *deſideria* vertant *deſiderium.* S. Hieron. lib.1. contra Iouin. legit: *Guſtus eius dulcedines, & totus concupiſcentia*, Vatabl. *Et quantus quantus eſt, res ſunt expetibiles.* Arabicus: *Anhelitus illius ſuauitas, & totus eſt deſiderium.* Syrus: *Guttur illius fauus dulciſſima, & veſtimenta eius deſideratiſſima.* Chal. *Verba gutturis eius dulcia ſicut mel, & omnia præcepta eius deſiderabilia ſapientibus eius ſuper aurum & argentum.* Per *guttur* tum anhelitum, qui per guttur è pulmone & ſtomacho prodit, tum vocem & ſermonem intellige; Anhelitus ergo indicat ſtomachum ſponſi cibis odoriferis, & valido calore optimè concoctis eſſe refertum: hi enim ſuauem & odoratum expirant anhelitum. Vnde v.13. Verſ. 13.
dixit: *Genæ eius ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis.* Et verſ. 14. *Venter eius eburneus, diſtinctus ſapphiris.* Verſ. 14.

(Margin, left column: Iacob. — Aggæus. Hebr. LXX. — Hieronym. — Vatabl. — Syrus. Chald.)

Senſus ergo eſt: Anhelitus, æquè ac vox, vocíſque ſonus Salomonis ac multo magis Chriſti ſuauiſſimus & dulciſſimus eſt, vt mella fundere videatur. Sic *Neſtoris oratio erat melle dulcior*, ait Homerus. Homer.
*Vox igitur eius*, ait Pineda lib. 6. de rebus Salomonis cap.4.num. 14. *non fuit rauceſcens, qualis eſt libidinoſorum; non aſpera & abſona, quæ agreſtium; non acuta & intenſa, quæ timidorum; non grauis & magna, quæ conuitiatorum: ſed media & temperata, & fortè etiam paulò gracilior, ſed cum dulcedine & ſuauitate;* Pineda.
quales Ariſtotelem & Platonem fuiſſe ſcribunt Laërtius & Plutarchus, quum dicunt eam ſignum eſſe pacati animi, ſuauium & compoſitorum morum.

Hanc dulcedinem Sponſus aſpirauit Sponſæ. Vnde cap. 4. 11. ait illi: *Fauus diſtillans labia tua*; ideóque vt hanc animæ & ſpiritus Sponſi ſuauitatẽ hauriret Sponſa, petebat eius oſculum, dicens cap. 1. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Cap. 4. 11. Cap. 1. 1.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

GVttur, id eſt, anhelitus Chriſti notat internos eius affectus, amores, & ardores diuinos fuiſſe ſuauiſſimos, imò ipſiſſimam ſuauitatem, quæ in verba ſuauiſſima erumpebat: hinc & præcepta ac conſilia eius Euangelica ſuauiſſima ſunt, non carni, ſed rationi, menti & ſpiritui. Ita Caſſiod. S. Gregor. Philo, Theodor. Beda & alij. Vnde S. Gregor. & Philo addunt nouum teſtamentum eſſe guttur Chriſti ſuauiſſimum.

Rurſum Chriſtus *eſt totus deſiderabilis* & amabilis: tum quia pulcherrimus, tum quia ipſe prior tenerrimè & ardentiſſimè amat omnes homines. Vnde S. Auguſt. in Pſal.44. *Pulcher*, inquit, *Deus verbum apud Deum, pulcher in vtero virginis, vbi non amiſit diuinitatem & ſumpſit humanitatem, pulcher in cælo, pulcher in terra, pulcher in vtero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher inuitans ad vitam, pulcher non curans mortem,* Auguſt.

*pulcher deponens omnia, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in ſepulchro. Ibi illum non videbis pulchrum, vbi deprehenderis iniuſtum. Si vbique iuſtus, vbique decorus.*

Si de placenta mellea aut ſaccharea, ſi de cibo quopiam vel fructu ſapidiſſimo, v.g. de ficu, quæ nullos habet acinos, ſed tota eſt edulis & delicata, dicimus hæc placenta, hæc ficus eſt appetibilis, tota irritat orexin: ſi de vino ſuauiſſimo, v.g. Falerno, Cretico, Lachryma, Moſcatellato, quod intima animæ penetrat & oblectat, dicimus, hoc vinum ſummè eſt deſiderabile: hoc vinum ſua dulcedine replet os, ſtomachum, totúmque hominis appetitum; quid dicemus de Chriſto, qui omne deſiderium, non tantùm ſatiat, ſed & longè ſuperat, qui nectar eſt & ambroſia Angelorum & Sanctorum omnium? Si opponas Iſaiam dicentem cap. 53. *Vidimus eum deſpectum & nouiſſimum virorum, vnde nec reputauimus eum;* huic calumniæ facilè reſpondet Iſaias dicens: *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, cuius liuore ſanati ſumus.* Cùm ergo intueris Chriſtum crucifixum, & illius ſacroſanctum caput ſpinis acutiſſimè pungentibus coronatum, oculos vigiliis exhauſtos, & lachrymis cruore permixtis ſuffuſos, genas alapis cæſas & ſordidis ſputis deformatas, os illud ſuauiſſimum felle amariſſimo oppletum, manus tot miraculorum effectrices clauis perforatas, humeros crucis pondere attritos, tergum flagris diſciſſum, pedes clauis etiam tranſfixos, & totum corpus vulneribus liuidum atque cruentum, meritò dixeris Chriſtum etiam in cruce pendentem totum deſiderabilem: quoniam membra omnia illa tot cruciatibus affecta, noſtræ ſalutis efficaciſſima quædam medicamenta fuêre, & media atque inſtrumenta noſtræ felicitatis. Eſt ergo Chriſtus totus deſiderabilis. ita Almonacirius. Vnde S. Petrus, ait Chriſto: *Domine quò ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Ioan. 6.

Iſai. 53. — Iſaias. — Ioan. 6.

Hanc ſuauitatem Deus & Chriſtus aſpirat animæ, cùm ei interiùs loquens cæleſtes cogitationes, diuinos impulſus, conſolationes & amores ſuauiſſimos, ideóque inexplicabiles, nec niſi experto cognitos inſpirat: Vnde Dauid: *Quàm magna*, inquit, *multitudo dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te?* Pſalm. 30. 20. Et: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo.* Pſalm. 118. 103. Hinc illius auidus Samuel: *Loquere*, inquit, *Domine, quia audit ſeruus tuus.* 1. Reg. 3. 10. ita S. Anſelm. Richard. Rupert. & alij.

Dauid. — Pſal. 30. 20. — Pſal. 118. — 1. Reg. 3. 10.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

Viri ſancti, præſertim prædicatores pleni diuina ſapientia & ſuauitate, eam eructant, aliíſque inhalant, vt mella diuina eis inſtillare videantur, adeóque vt Deus & Chriſtus per guttura eorum loqui, ac ſuam ſuauitatem effundere videatur; *Et ideò*, inquit, Nyſſen. *Magnus ille Ioannes rogatus, quis eſſet? vocem ſe appellauit: & beatus ille Paulus documentum edebat loquentis in ſe Chriſti, cui vocem ſuam locauerat, ex qua nimirum Chriſtus fingeret verba.* Nyſſeno fauet explicatio Pſelli, qui Ioannem Baptiſtam guttur dicit eſſe Chriſti, quia ipſius præcurſor & præco, & quaſi vox fuit. Concionator ergo, ac vir ſanctus aſſiduus ſit in oratione & meditatione, vt ſpiritum Dei hauriat, quem aliis aſpiret, vt ipſe velut os & guttur Chriſti, nil leue aut vanum, nil niſi ſanctum, cæleſte & diuinum, à Chriſto probatum, illíque ſuggeſtum eloquatur; vt qui cum audit, Chriſtum in eo reſonantem audire ſe æſtimet.

Nyſſen.

Anagogicè, Beatis vox Dei eſt ſuauiſſima, Deúſque ab eis viſus totus eſt deſiderabilis, vt præter eum nil cogitare, amare aut deſiderare queant. Deus, ait Rupert. totus eſt deſiderabilis, quia cum habetur, tunc magis deſideratur; Eſtque viſio eius in deſiderio, & deſiderium in viſione: viſione enim Dei ſatiantur beati, ſed ita vt ſemper eum vlterius videre deſiderent. Viſio enim licèt duret per millia annorum, tamen in eis non parit faſtidium, ſed ſummum cum plena ſatie deſiderium. Audi hic Richard. Victorin. *Deſiderabilis humanitatis eius viſio in terris, ſed multum deſiderabilior glorificata eius humanitas in cælis, deſiderabilis vultu, quem deſiderat vniuerſitas ciuium ſupernorum: deſideratiſſima verò diuinitatis eius contemplatio, cui omne quod deſideratur non valet comparari.* Et B. Petrus Damiani opuſc. 50. cap. 4. *Totus*, inquit, *deſiderabilis, quia humanitatis eius myſterium omne deſiderium accendit in mentibus Electorum, vt eos videlicet non modo reſurrectionis gloria prouocet, ſed ad imitationis exemplum ipſa quoque ignominia paſſionis inuitet.*

Anagogicè. — Richard. Victorin. — Petrus Damian.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

*Chriſtus præ alius ſeſe ſuæ Matri communicauit.*

CHriſtus ſi cui mortalium, certè Matri ſuæ dulciſſima & diuiniſſima loquebatur, tum voce exteriùs, tum potiùs interiùs in mente; quare ipſa viuẽs cum eo per triginta annos, præ omnibus hominibus & Angelis diuinos illius ſenſus, ac cæleſtes dulcedines hauriebat, vt ipſi præ omnibus Chriſtus ſuus totus eſſet deſiderabilis.

*B. Virgo ſecundùm ſe totam deſiderabilis eſt, Apoſtoli verò ſecundùm quid.*

Rurſum in Apoſtolis, cæteríſque Sanctis multa ſunt deſiderabilia: at non omnia; laborarunt enim concupiſcentiâ & peccatis venialibus. At B. Virgo tota eſt deſiderabilis, quia omnis concupiſcẽtiæ & peccati expers; ac gratiâ omníque virtute plena. Vnde Damaſcen. ſermon. de Natiu. B. Mariæ exclamat: *O deſiderabilis, ac ter beata femina! O diuinum ſimulacrum, ad quod opifex Deus inuentus eſt, mentem quidem diuinitùs gubernatam habens, ac Deo ſoli operam dantem, cupiditatem autem omnem ad id, quod ſolùm expetendum atque amandum eſt, intentam, iram verò aduerſus peccatum duntaxat, ipſiúſque parentem.* Deinde id particulatim per inductionem ſingulorum corporis, virtutíſque ipſius membrorum demonſtrat: *Oculi,* inquit, *tui ſemper ad Dominum, perenne atque inacceſſum lumen intuentes. Aures diuinum ſermonem audiunt, ac ſpiritus citharâ oblectantur; per quas Verbum carnem aſſumpturum ingreſſum eſt. Nares vnguentorum Sponſi odore deliniuntur, quod quidem diuinum vnguentum eſt ſponte exhauſtum, atque humanitatem ſuam vngens. Vnguentum enim effuſum nomen tuum,* inquit Scriptura. *Porrò labia tibi ſunt Dominũ laudantia, ipſiúſque labris adhærentia. Lingua & fauces Dei verba diſcernentes, ac diuinâ ſuauitate ad ſatietatem vſque fruentes. Cor purum, ac labis expers, Deum ſpurcitie omni carentem cernens, ipſiúſq; cupiditate flagrans. Venter in quo habitauit is, qui nullo loco capi poteſt. Lactis vbera, quæ Deum puerum Ieſum aluerunt.* Ac paucis interiectis: *Manus Deum geſtantes, & genua (thronus Cherubinis ſublimior) quorum ope, atque adiumento manus languentes, ac genua diſſoluta robur contraxerunt. Pedes Dei lege tanquam lucerna deducti, ac poſt eam irretorto curſu properantes, quoaduſque amatum ad amantem pertraxerunt. Tota ſpiritus thalamus es, gratiorum pelagus. Tota pulchra, tota Deo propinqua. Ipſa namque Cherubinos ſuperans, ac ſupra Seraphinos euecta propinqua Deo extitit. O miraculum omnium miraculorum maximè nouum!*

Chald.

*Talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus, filiæ Ieruſalem.* Chaldæus: *Hæc eſt laus dilecti mei, & hæc fortitudo virtutis Domini dilecti mei, ô Prophetæ, qui prophetatis in Ieruſalem.*

Concludit Sponſa elogia Sponſi, hoc quaſi Epiphonemate, q. d. Vos ô filiæ Ieruſalem adiuratæ à me cap. 5. v. 8. vt quæratis Sponſum, qui à me ſe ſe ſubduxit, rogaſtis dotes & ſigna Sponſi, ex quibus eum quæſitum agnoſcere poſſetis, dicentes: *qualis eſt dilectus tuus ex dilecto,* &c. *quia ſic adiuraſti nos?* Reſpondt: dotes eius vobis hucuſque deſcripſi; ſcitote ergo talem, támque pulchrũ & eximium eſſe dilectum meum, quem per plagas & vulnera quæro, de cuius abſentia doleo, & cuius amore langueò.

Notat Caſſiod. Chriſtum dici dilectũ, dum Eccleſiæ & animæ ſanctæ charitatem, quâ eum diligat & viciſſim ab eo diligatur, inſpirat; amicum verò, dum ei ſecreta ſua cõmunicat, iuxta illud Chriſti: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Ioan. 15. 15. Ioan. 15. 15.

---

## VOX FILIARVM Ieruſalem.

Verſ. 17. *Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? quò declinauit dilectus tuus? & quæremus eum tecum.*

*QVO abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? quò declinauit* (Heb. פָּנָה *pana*, id eſt, *reſpexit.* ita LXX. LXX.
Arabicus, *diſceſſit*) *dilectus tuus? & quæremus eum tecum.*

Adoleſcentulæ, ſiue filiæ Ieruſalem auditis à Sponſa ſignis & notis Sponſi, ex quibus eum cognoſcant, inſtant vlterius, rogántque, qua viâ ſuſpicetur abiiſſe Sponſum cùm ſe ſubduxit, vt eâdem illum quærant ipſa comitati.

*Chriſtus abiit ex Oriente in Occidentem ob Arrianos.*

Chriſtus, vt dixi v. 2. ſubduxit ſe quaſi ab Eccleſia, cùm ob Prælatorum negligentiam, vel prauitatem permiſit graſſari hæreſes & ſcandala, fidémque & pietatem in nonnullis prouinciis calcari & peſſundari, vti in Oriẽte factum eſt poſt Conſtantinum graſſante hęreſi Arriana; adeò vt plerique Epiſcopi Orientales fierent Arriani. Tũc enim Chriſtus abiit in Occidentem, atque Orthodoxam Homuſij ſui fidem & cultum tranſtulit in Italiam, Galliam, Germaniam. Vnde Occidentales, ſiue Latini Epiſcopi Orthodoxi,

Google

thodoxi Orientalibus, ſiue Græcis Arrianis conſtanter ſeſe oppoſuerunt. Sic Chriſtus ex Aphrica abiit in Hiſpaniam, cùm illa vaſtata eſt, hæreſique infecta à Gothis, Alanis, Vvandalis ſic ſuccedentibus ſæculis ſucceſſiuè à variis Prouinciis receſſit, ac hoc noſtro æuo, ex Dania, Suecia, Anglia, Scotia, Saxonia, &c. ob hęreſim abiit ad Indos, ibiſque fundauit fidem & pietatem Chriſtianam.

Tunc ergo filiæ Ieruſalem, id eſt, animæ ſanctæ, præſertim doctorum & prædicatorum, condolentes Eccleſiæ de hoc Chriſti ex prouinciis Chriſtianis receſſu, quęrunt ab ea, id eſt, ab eius prælatis, quò abierit Chriſtus, id eſt, quò ſui fidem, cultum & gratiam tranſtulerit, vt eam partim ibi ſtabiliant, partim inde ad ſuos populares reuocent & reducant.

Vnde S. Gregor. Coſmas Damianus & alij hæc accipiunt de Synagogæ, id eſt, Iudæorum (hi enim propriè ſunt filij & filiæ Ieruſalem) conuerſione in fine mundi. Tunc enim vltima erat Eccleſiæ ſenectus, quæ mox ab Elia, Enoch eorúmque aſſeclis reformabitur, & renouabitur per Iudæorum omniúmque gentium fidem, feruorem & zelum. Vnde tunc inuenietur, & paſcetur Chriſtus inter lilia virginum: tunc enim erunt 144. millia Virginum, qui Antichriſti libidini & impietati vſque ad mortem reſiſtent. Apocal. 14. verſ. 1. & ſeq. Vide ibi dicta.

Cenſet ergo, S. Gregor. & Coſmas, hæc eſſe verba Synagogæ audita Euangelij prædicatione, volentis conuerti ad Chriſtum in fine mundi, ideóque interrogantis Eccleſiam, vbinam ſit Meſſias, ſiue Chriſtus Eccleſiæ Sponſus? cui reſpondet Eccleſia, id eſt, Eccleſiæ Doctores: *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum*, &c. Id facere cœpêre Iudæi mox à morte Chriſti, cum miſſo Spiritu ſancto in Pentecoſte, ad prædicationem Sancti Petri illico compuncti, & conuerſi ad Chriſtum fuêre Iudæi, primò ad tria, deinde ad quinque millia. Actor 2.

Quadruplex Eccleſiæ ætas.
Huc accedit Almonaclrius, qui hac
Chriſti effigie cenſet deſcribi quadru-
plicem Eccleſiæ Chriſti ætatem & ſta-
1. tum, perinde ac in ſtatua Nabuchodo-
noſoris deſcribitur quatuor monarchia-
2. rum mundi vicaria ætas, & ſucceſſio.
Daniel 2. Chriſtus enim & Eccleſia ſe habent vt caput & membra, vt Sponſus & Sponſa: quare quod de Chriſto dicitur, hoc & Eccleſiæ competit iuxta regulam Ticonij. Igitur per aureum Chriſti caput accipit primam Eccleſiæ ætatem, quæ fluxit à Chriſto vſque ad Conſtantinum: hæc enim fuit feliciſſima, & aurea ſub Apoſtolis eorúmque diſcipulis, S. Dionyſio, Clemente, Ignatio, Polycarpo, Iuſtino, Quadrato, Irenæo, &c. Hi habebant oculos columbarum, id eſt limpidos reſidentes ad fluenta S. Scripturæ, atque capillos fuluos, quia religioſè viuentes cæleſtem in terris vitam
agebant. Huic ſucceſſit ſecunda Eccle- 2.
ſiæ ætas à Conſtantino vſque ad S. Gregorium, qui floruit anno Domini 600. qua Eccleſia per omnes gentes, etiam barbaras mirè fuit propagata: hæc per pectus, brachia, ventrem & femora repræſentatur, ventrem, inquam, non aureum vt caput, ſed eburneum: cœpit namque fulgor ille ardentiſſimæ charitatis nonnihil obſcurari, quanquam doctrinæ & ſapientiæ puritas maximé vigeret, quæ per ebur optimè exprimitur. Retinebat prætcrea ſæculum illud multum de priſtina illa & apoſtolica morum integritate: vnde pectus, brachia, manus, venter & femora, auro, gemmis, hyacinthis & ſapphiris diſtinguebantur: fuêre namque illa ætate, quæ ipſo ebore ſatis beata erat, S. Athan. Baſil. Gregor. Nazian. Gregor. Nyſſen. Chryſoſt. Hieron. Ambroſ. Auguſt. Cyrillus & multi alij Eccleſiæ ſplendidiſſima or-
namenta. Secundæ huic ſucceſſit tertia 3.
ætas, non iam aurea, nec eburnea, ſed lapidea inſtar marmoris quidem, ſignificata per crura, conſtans in fide, ſed deficiente charitate frigidior. Hæc eſt à S. Gregorio vſque ad tempora Antichriſti, quæ à duarum præcedentium
feruore multum degenerauit. Quarta 4.
& vltima erit tempore Antichriſti ſub finem mundi, quando Elias & Enoch Iudæos gentéſque conuertent, ſuúmque eis feruorem & zelum inſtillabunt: Vnde hæc notatur per pedes aureos. Quare ſicut Eccleſia habuit caput aureum ſub Apoſtolis, ſic & deſinet in pedes aureos ſub Elia & Enoch, qui primæuum Eccleſiæ primitiuæ feruorem & ſpiritum, tam Iudæis quàm gentibus reſtituent. Ita ipſe.

Huc quoque facit verſio Chaldæi: *Reſponderunt Prophetæ, cùm audierunt laudes Domini ex ore cætus Iſraël, & ita dixerunt:* Chald.
*Propter quod peccatum ſublata eſt de medio tui maieſtas Domini, ô tu quæ pulchra es in operibus tuis ſuper omnes nationes? & ad quem locum declinauit dilectus tuus, quando eleuatus eſt de ſanctuario tuo? dixit cætus Iſraël: propter peccata &*

*& rebelliones & proditionem, quæ inuentæ ſunt in me? dixerúntque Propheta: Nunc conuertere ad pœnitentiam, & ſurgamus tu & nos, & oremus coram eo, & quæramus miſericordiam tecum.* Notat Beda τὸ *tecum* cùm aiunt, *quæremus eum tecum*: Nam qui Chriſtum, inquit, ſine Eccleſia quærit, errare & fatigari poteſt, at inuenire non poteſt.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima ſancta.*

POenitens, vel pia anima cognoſcens quanta ſit pulchritudo & gratia Chriſti, eum omnibus modis quærit, vt eum in dies ſibi magis magiſque, ac tandem intimè vniat, cum eo verſetur iugiter, de illo meditetur aſſiduè, &c. Vnde inuocat filias Ieruſalem, id eſt, Angelos & ſanctos, tum beatos in cæleſti Ieruſalem, tum adhuc militantes in terreſtri. Hi inuocati rogant quonam abierit Sponſus, non quod id ignorent, ſed vt indicent animæ quærenti, vt recogitet vbi ſit locus Sponſi, in quo inueniendus ſit, ac ſi ibi eum quærat, ſe eam omni ope adiuturos: ſi enim eum quæreret, vbi non eſt, puta in voluptatibus, honoribus, opibus, &c. neutiquam illi auxiliarentur Angeli & ſancti, ſed in caſtitate, humilitate, paupertate, mortificatione, mundi contemptu eum veſtiget, vbi eſt, & inuenitur, tunc vtique prompti omnes accurrent, vt illi in quærendo & inueniendo opitulentur. Sic fecit Magdalena tum pœnitens, cùm Chriſtum quæſiuit in domo Simonis, ibique pedes eius lauans & rigans, plenam omnium peccatorum remiſſionem accepit; tum iam conuerſa, cum poſt reſurrectionem Chriſti eum quæſiuit in ſepulcro, ideóque prima inuenit ſpecie hortulani ſibi apparentem, colloquentem & conſolantem.

Notat Caſſiodor. primò, Chriſtum quandoque ſubducere ſe ab anima, vel potiùs in mente eius ſe abſcondere, vt eius virtutem probet, acuat & perficiat. Secundò, animam probam quærere conuerſationem ſanctorum, in quorum anima Chriſtus requieſcit, vt Chriſtum in ea inueniat, eiúſque particeps fiat. Sancti enim colloquendo Chriſtum, quem in mente & ore gerunt, audientibus inhalant & inſpirant.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

QVomodo B. Virgo quæſierit Chriſtum perditum, inuenerítque in templo aliáque plura in hanc rem dixi, cap. 3. verſ. 1. & ſeq. & cap. 5. verſ. 6. & ſeq.

CAPVT

Digitized by Google

# CAPVT SEXTVM.

## SYNOPSIS.

*Sponſa adoleſcentibus rogantibus quonam abierit Sponſus? Reſpondet ſe ſuſpicari eum more ſuo iuiſſe in hortum, ibique paſci inter lilia: ipſum enim hiſce delectari, ideóque frequentem eſſe in horto. Mox Sponſus intelligens quanto deſiderio eum quæſierit Sponſa, quanta in quærendo paſſa ſit, ſcilicet flagella, vulnera & ſpolium, quantáque ei elogia dederit, vicem ei rependit, ac maiores ei quàm ante laudes dotéſque aſſignat. Id audientes adoleſcentulæ,* Verſ. 10. *Sponſæ pulchritudinem admirantur. Inde,* Verſ. 11. *Ait Sponſus ſe deſcendiſſe in hortum, vt fructus inſpiceret. Subiungit Sponſa ſe id neſciſſe. Denique adoleſcentulæ Sponſam ita laudatam rogant, vt reuertatur, ſéque eis videndam & conſiderandam præbeat, vt in eius amorem, admirationem & venerationem magis accendantur.*

Vers. 1. DILECTVS meus deſcendit in hortum ſui ad areolam aromatum, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat.

2. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia.

3. Pulchra es amica mea, ſuauis, & decora ſicut Ieruſalem: terribilis vt caſtrorum acies ordinata.

4. Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt. Capilli tui ſicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.

5. Dentes tui ſicut grex ouium, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt in eis.

6. Sicut cortex mali punici, ſic genæ tuæ abſque occultis tuis.

7. Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus.

8. Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matris ſuæ, electa genitrici ſuæ. Viderunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicauerunt; reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam.

9. Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol terribilis vt caſtrorum acies ordinata?

10. Deſcendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium, & inſpicerem ſi floruiſſet vinea, & germinaſſet mala punica.

11. Neſciui: anima mea conturbauit me propter quadrigas Animadab.

12. Reuertere, reuertere, Sulamitis: reuertere, reuertere, vt intueamur te.

## VOX SPONSÆ.

Verſ. 1. *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat.*

*DILECTVS meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat.* Arabicus: *vt lilia congreget.* Pro *areolam*, Hebr. eſt, ערגת *arugot*, quod Aquila & Symmach. πρασιάς, id eſt, *ſulcos, areolas.* Pagnin. *lineas*

LXX. *ſulcorum.* Septuag. verò vertunt *phialas*, per quas Nyſſen. hom. 15. accipit animas ſanctas, quæ virtutum aromata proferunt: hæ enim tales ſunt, vt ſapientiæ crateres factæ, diuinum & incorruptum vinum in ſe ſuſcipiant, per quod omnem conſequãtur lætitiam. Vnde S. Hieron. Pſal. 41. 1. pro eo quod Septuag. vertunt: *Quemadmodũ deſiderat ceruus ad fontes aqua-*

Hieronym. *rum, ita deſiderat anima mea ad te Deus*; vertit: *Sicut areola præparata ad irrigationes aquarum, ſic anima mea præparata ad te Deus.* Vide dicta cap. 5. v. 13. Sponſa adoleſcentulis interrogantibus quonam abierit Sponſus? Reſpondet eum abiiſſe in hortum ſuum. Ita S. Gregorius, Nyſſen. Theod. & alij.

*Ratio cur primo dixit hortum deinde hortos.*

Nominat primò hortum, deinde hortos in plurali; quia ſicut in magno vaſtóque horto plures ſunt minores, ſic in vna generali Eccleſia multæ ſunt particulares. Ita Gregorius, Beda & alij.

Porrò Sponſa indicato adoleſcentulis Sponſi loco, quòd ſcilicet eſſet in horto ſuo, illico eò cum ipſis profecta eſt, ibíque Sponſum inueniens, ab eo excepta & laudata eſt, cùm dixit: *Tota pulchra es*, vt audiemus v. 3. in Dramate enim verbali actiones ſilentur, eæque ex ſequentibus legentibus intelligendæ relinquuntur.

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

CHriſtus ſuam fidem & pietatem ab Arrianis aliiſque impiis in Oriente excluſam, tranſtulit in Occidentem, à Græcia in Italiam, ab Aphrica in Hiſpaniam, ab Aſia in Indiam, maximè verò in fine mundi eam ab omnibus prouinciis transferet in Iudæam, cùm eam per Eliam & Enoch conuertet, vt dixi in fine cap. præced. Iudæa enim propriè eſt hortus Chriſti, vtpotè in qua ipſe ex Abraham, Dauid, cæteriſque Regibus fidelibus natus, & educatus, primò fidem & religionem Chriſtianam in eadem fundauit. Vnde in ea Apoſtoli & primi fideles mirâ ſanctitate floruere: maior tamen Iudæorum pars manſit in Iudaiſmo obſtinata, & Chriſto inimica: Vnde in fine mundi Chriſtus à gentibus ſceleratis & impiis excluſus, migrabit ad Iudæos, eóſque per Eliam conuertet: Et tunc *omnis Iſraël ſaluus fiet.* Rom. 11. Hinc & Antichriſtus regni ſui ſedem figet Ieroſolymæ, vt verus habeatur Meſſias & Chriſtus, Dauidis & Salomonis filius, ſed ab Elia de falcitate & hæreſi conuincetur. Quare Iudæi ab Antichriſto ad Chriſtum ſe transferent. Dicit ergo hîc Eccleſia, vt Chriſtum Sponſum, eiúſque fidem & cultum ex Oriente & aliis Prouinciis exulantem, adoleſcentulæ, id eſt, piæ animæ requirant in Occidente, quaſi in horto ſuo, putà Romæ in Italia, Hiſpania, Germania, ac in fine mundi, in Iudæa, indéque fidei & religionis reformatores in alias Prouincias, infidelitate & ſcelere deformatas euocent, vt eas priſtino decori & ſplẽdori reſtituãt: areolæ aromatum ergo ſunt Eccleſiæ & fideles addicti orationi, mortificationi, cæteríſque virtutibus, quibus quaſi aromatibus Chriſtus oblectatur, & paſcitur, ibíque colligit lilia caſtorum & virginũ. Vide dicta cap. 5. v. 1. & 13. vbi nota fidei & religionis Chriſtianæ propriam, & peculiarem odorem & florem eſſe lilium, id eſt, caſtitatẽ & virginitatẽ; quare vbi deficit fides, ibi mox deficit caſtitas, regnátq; libido: ex aduerſo vbi viget fides, ibi floret & caſtitas, vti alibi fuſiùs oſtẽdi.

*Iudæa verus Chriſti hortus.*

Rom. 11.

Porrò Chald. hæc Iudaicè more ſuo accipit de reditu Iudæorum ex Babylone: hæc enim Iudæorum & Synagogæ reformatio fuit typus reformationis Eccleſiæ; *Dominator ſæculi, ait, ſuſcepit voluntariè orationem eorum, & deſcendit in Babylonem ad concilium ſapientum, & dedit populo ſuo requiem, & eduxit eos de captiuitate ipſorum per manum Cyri, & Eſdræ, & Nehemiæ, & Zorobabel filij Salathiel, & ſeniorum Iudæorum, & ædificauerunt domum Sanctuarij, & conſtituerũt Sacerdotes ſuper oblationes, & Leuitas ſuper cuſtodiam verbi ſanctitatis: & miſit ignem de cælis, & ſuſcepit voluntariè oblationem & incenſum aromatum; & ſicut vir, qui nutrit filium ſuum dilectum in delitiis, ita delicatè nutriuit eos: & ſicut vir, qui colligit roſas de conuallibus, ita congregauit eos de Babylonia.*

Chald.



Digitized by Google

Myſticè S. Hieron. ſub finem Comment.in Zachariam, per hortum accipit S.Scripturam: *Hortus*, inquit, *& paradiſus, in quem Sponſus deſcendit ad Sponſam, ſanctarũ lectio Scripturarum eſt, de quibus lilia, & violas, & roſas, & varia decerpit aromata, vt impleat phialas animarum credentium, & Domino ex eis lilia defundat.*

Hieronym.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

*Hortus Chriſti eſt anima ſancta.*

HOrtus & paradiſus Chriſti eſt anima ſancta, quæ crebrò in areola aromatum, id eſt, in paſſione Chriſti omnibus virtutibus refertiſſima meditando verſatur: maximè verò paradiſus Chriſti eſt animarum ſanctarum cœtus, qualis eſt in cœnobiis & familiis Religioſis: ibi enim ſunt areolæ aromatum, id eſt, ordines virtutum omnium, ac lilia caſtitatis, cùm in mundo & ſæculari vita omnia plena ſunt ſpinis vitiorum & vrticis libidinum: vnde ab iis ſeſe ad Religioſos transfert Chriſtus, eorúmque caſtitate & virtutibus delectatur & paſcitur. Quare Religioſus qui ſe totum conſecrat dicátque Deo, dicere poteſt: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Hinc & deuergentis Eccleſiæ ſenectutem per florentem Religioſorum in ſpiritu iuuentutem reformare ſolet Chriſtus, vti ſuperiùs dixi, túncque impletur illud: *Renouabitur vt aquilæ iuuentus*, imò ſenectus *tua.* Pſal.102, 5. Quocirca Deus cùm vult reformare Eccleſiam, nouam Religionem ſpiritu Apoſtolico feruentem inſtituit, aut iam inſtitutam reformat, & ad primæuam obſeruantiam & feruorem reducit: lilia quoque, id eſt, virginum cœtus inſtituit, aut inſtitutos renouat & expolit. Reformatio enim Eccleſiæ maximè conſiſtit in reformatione Cleri, Religioſorum & virginum: hi enim deinde reformant laicos & plebem Chriſtianam. Exempla ſunt in S.Baſilio, S.Auguſtino. S.Benedicto, S.Romualdo, S.Brunone, S.Bernardo, Sancto Dominico, S. Franciſco, S. Ignatio.

*Item Religio.*

*Deus reformat Eccleſiã per Religioſos.*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

*Hortus Chriſti B.Virgo.*

BEata Virgo eſt hortus deliciarum & paradiſus Chriſti: vnde in eius corpore corporaliter nouem menſibus, in anima verò & mente ſpiritualiter, quaſi in templo ſuo iugiter habitauit. Quocirca Nyſſen Theod. & Iuſtus Orgel. dicũt Chriſtum deſcendiſſe in hortum ſuum, cùm è cœlo deſcendit in vterum Virginis, & carnem ex ea aſſumpſit. Chriſtus ergo dum viueret in terra, paſcebatur inter lilia virginum, quia delectabatur virginitate B. Virginis, S.Ioſephi, & S. Ioannis Apoſtoli, ac viciſſim eos pauit caſtiſſimis virginitatis, & cœleſtis vitæ amoribus & delectationibus. Hoſce ergo colat et inuocet, qui eorum caſtitatē imitari, itaque Chriſtum ad animã ſuam, quaſi ad virgineum thalamum pellicere cupit. Exemplum memorabile eſt in S. Eduardo Rege Angliæ, qui eorum inſpiratione & dono virginitatē perpetuam cum coniuge ſua Editha, vſque ad mortem coluit & ſeruauit. Fuit ergo mirè deuotus S.Ioanni, adeò vt nulli eius nomine eleemoſynam petenti denegaret. Probauit Regis animum ipſe S.Ioannes, ac ſpecie pauperis ei ſoli apparens, petiit ab eo nomine S.Ioannis ſtipem, cúmque Rex aliud ad manum non haberet, annulum è digito detractum ipſi donauit: quare ingens ab eo liberalitatis præmiũ tulit. Nam S.Ioannes duobus Anglis Ieroſolymam peregrinantibus apparens, per eos annulũ Regis remiſit, dixítque: *Ego ob amorem Regis veſtri, in omni via firmabo ſuper vos oculos meos. Ego enim ſum Apoſtolus Chriſti Ioannes, qui Regem veſtrum ob meritum caſtitatis ſumma dilectione complector. Hunc ergo annulum, quem mihi in habitu peregrini apparenti tribuit, reportate, denuntiantes ei obitus ſui diem inſtare, quem intra ſex menſes viſitans viſitabo, vt mecum ſequatur agnum quocumque ierit* Ita factum: Rex enim è vita hac à S.Ioanne euocatus, anno Domini 1066. die 5. Ianuarij in cælum conſcendit. Ita Alredus Abbas in eius vita apud Surium, qui & multa, magnáque ab eo poſt mortem edita miracula recenſet.

*Exemplum S.Eduardi.*

S Ioann.

Porrò Philo Carpath. & Lucas Abbas, per deſcenſum Chriſti in hortum accipiunt deſcenſum Chriſti ad inferos: de eo enim Latroni dixit Chriſtus: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Areolæ aromatum fuère priſci Patriarchæ & Sancti, vt Noë, Abraham, Iſaac, Iacob, Iob, Dauid, &c. Addit Philo: *Inde factum eſt, vt in fragrantiſſimis mentium humanarum hortis, Chriſtianâ fide & charitate flagrantium paſceretur ipſe Deus, ex iiſque candidiſſima liliorum odoramenta, ac ſerta Apoſtolorum, Martyrum & omnium*

Philo.

*omnium*

Digitized by Google

*nium beatorum, ad cæleſtem thalamum adornandum legeret.*

*Anagogicè.* Anagogicè, Chriſtus collegit lilia, cùm virgines puráſque & perfectas animas, ex hac vita, velut ex horto terreſtri decerpit, ac eas in cæleſtem paradiſum transfert, vbi Angelis ſociatæ, miro ſplendore in æterna gloria effulgeant.

---

Verſ. 2. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia.*

Chald. HVNC verſum explicui c. 2. verſ. 16. Chald. vertit: *Et in illo die ſeruiui Domino ſeculi dilecto meo, & dilectus meus habitare fecit maieſtatem ſuam in medio mei, & nutriuit me delicijs.* Sponſa enim, quia amore Sponſi plena erat, identidem eum repetit & inculcat, præſertim hîc, vbi cum adoleſcentulis pergebat ad hortum ad quærendum Sponſum: vnde fortè eo viſo, & adoleſcentulis oſtenſo, in hæc amoris erga eum verba prorupit.

Nyſſen. homil. vlt. (hîc enim finit ipſe Comment. in Cantica) docet Sponſam ita ſe per omnia conformare Sponſo, vt planè eius ſimilitudinem in ſe exprimat, eiúſq; formam induat, adeò vt qui eam videat, Sponſum videre ſe æſtimet; perinde ac qui imaginem cernit, exemplar ad quod expicta eſt imago, cernere ſe cenſet; & qui effigiem in ſpeculo aſpicit, rem effigiatam non tantùm ſe aſpicere putat, ſed & reipſa aſpicit. Ibi enim res ipſa ſe exhibet per ſui ſpeciem, & radium non directum, ſed à ſpeculo reflexum: Quare qui hāc imaginem Chriſti in mente ſuſcipere cupit, omnes aliarum rerum imagines ex ea eradat, oportet vt inſtar ſpeculi terſi & puri, Chriſti illuminantis colores & radios in eodem excipiat. Talis erat Paulus dicens 1. Co-

1. Cor. 3. rinth. 3. *Nos verò reuelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur*, id eſt, ſpeculorum more Chriſti in nobis imaginem recipimus, ac reddi-

Galat. 20. 20. mus. Et Galat. 20. 20. *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus, id eſt, abraſis quaſi poliendo vniuerſis, quæ in Chriſti naturam non cadunt, nihil in me habeo, quod non in ipſo ſit, & ea de cauſa mihi vita Chriſtus eſt, qui eſt ſanctificatio, & puritas, & immortalitas, & lumen, & veritas, & huiuſmodi alia quæcumque animam meam paſcunt, nō in gramine, vel virgultis, ſed in ſplendoribus Sanctorum; id enim ſignificant lilia, cùm ſplendido quodam ſint ornata colore.* Hucuſque Nyſſenus.

*Extaſis modo fit.* Myſtici, ſiue contemplatiui hæc accipiunt de extaſi & raptu, quo anima irradiante Dei luce quaſi fulgurata, per eam immenſam Dei pulchritudinem, bonitatem, ſapientiam, &c. quaſi per vmbram conſpicit, ad eámque obſtupeſcit; ita vt tota in illam rapiatur & abſorbeatur, adeò vt nulli alteri rei intendere queat: vnde præſentia non videt, non audit, nec vllo ſenſu vtitur. Ita D. Thomas 2. 2. q. 175. art. 2.

Porrò Richard. de ſancto Victore lib. 5. de Contemplat. cap. 5. & ſequent. docet tribus cauſis animam in hanc extaſim, ſiue alienationem abduci: Scili-
cet primò ob magnitudinem deuotio- *Tres cauſæ extaſis.*
nis: amor enim vehemens facit extaſim 1.
ait Sanctus Dionyſius. Secundò ob ma- 2.
gnitudinem admirationis. Tertiò, ob 3.
magnitudinem exultationis. Oritur ergo extaſis ex magna deuotione, quando anima tanto deſiderij cæleſtis & diuini amoris igne ſuccenditur, vt ad ceræ ſimilitudinem liqueſiat, & quaſi à proprio ſtatu dimota, & inſtar fumi attenuata ad ſuperna conſcendat. Cui deuotioni & amori aliquando magnitudo lucis adiungitur, aliquando ſolus deuotionis affectus alienationem operatur. Oritur deinde ex ingenti admiratione, quando anima diuino lumine irradiata, & ſummæ pulchritudinis & perfectionis diuinæ cognitione ſuſpenſa tam vehementi ſtupore concutitur, vt in ſimilitudinem fulguris coruſcantis, tranſcurſis ſenſibus in ſumma eleuetur. Et hæc quidem admiratio, & perfecta cognitio interdum animæ non præuentæ aduenit; interdum in eam in affectus amoris, vel in profundam meditationem incumbentem irruit: interdum à lumine incipiens in ardentiſſimum feruorem deſinit. Oritur tandem ex ineffabili exultatione, quando anima internæ ſuauitatis abundantia potata, imò & planè inebriata, quid ſit, & quid fuerit, penitus obliuiſcitur, & in alienationis exceſſum, lætitiæ nimietate transfertur.

Talis fuit raptus S. Franciſci, de quo ita ſcribit S. Bonauent. in vita eius c. 10. *Viſus eſt nocte manibus ad modum crucis protenſis, toto corpore ſubleuatus à terra, & nubecula quadam fulgente circundatus, vt illuſtrationis mirabilis intra mentem mira circa corpus perluſtratio teſtis eſſet.* Tale quid accidit S. Dominico, qui cum in Miſſa corpus Chriſti puriſſimis manibus in altum eleuaret, cunctis qui aderant ſpectantibus, & ſtu- *Bonauent. exempla.*

pentibus, ipſe pariter cubiti vnius altitudine à terra eleuatus, corpus terrenũ & graue animi deuotione, & ſpiritu gratiæ ſurſum attollente. Talis quoque fuit extaſis S. Ignatij fundatoris Societatis Ieſu, de quo ita ſcribit Maffeius in vita eius, cap. 7. *Factum eſt aliquando, vt alienatus à ſenſibus, à Completorio Sabbathi ad alterum vſque proximi Sabbathi Completoriũ, in altiſſimo quodam exceſſu perſtiterit; in quo de S. Trinitate per viſionem intellectualem ita inſtructus eſt, vt de ea, licet adhuc idiota, librum ſcribere auſus ſit.* Talis quoque fuit B. Thereſiæ, de qua ita legimus in eius vita, cap. 74. *Erat eius oratio non ſolùm aſſidua, ſed adeò feruens, quò ſtatim ac ſe ſe in orationem recipiebat, confeſtim extra ſe raperetur; ſæpe etiam abſque vlla præparatione, Spiritus efficacia percuſſa, ab vſu ſenſuum abſtrahebatur; aliquando etiam ex his raptibus cum ſummis exclamationibus & lachrymis reuertebatur, in quibus magnam noctis partem inſumebat.* Eadem dictitabat animam perfectè amantis, & contemplantis fieri vnum cum Deo ſpiritum, eo modo & ſimilitudine, quo pluuia è cælo pluens in fluuium cum eius aqua miſcetur, vnúmque quid cum ea fit; aut quo duæ lucernæ duo fundunt lumina, quæ in eodem cubiculo coëuntia vnum lumen efficiunt; vbi nota non per omnia hæc eſſe ſimilia: horum enim vnio eſt quaſi eſſentialis; animæ verò cum Chriſto vnio eſt accidentalis per contemplationem & amorem. Error enim Almarici, & contemplatiuorum rudium tempore Ruiſbrochij fuit, in extaſi animam annihilari, & tranſire in eſſentiam Dei, vti recenſet & refutat Gerſon tract. de Contemplat.

Maffeius.

*Error eſt, animam in ecſtaſi tranſire in Dei eſſentiam.*

* * *

QVINTA

Google

# QVINTA
## ET
# VLTIMA PARS
## LIBRI, ET DRAMATIS,

In qua Eccleſiæ ſeneſcentis reformatio, renouatio, perfectio, ac tandem felicitas & glorificatio, aut potius ad felicitatem & gloriam æternam anhelatio deſcribitur. Vide dicta in Prooemio, Cap. III.

### VOX SPONSI.

Verſ. 3. *Pulchra es amica mea, ſuauis & decora ſicut Ieruſalem, terribilis vt Caſtrorum acies ordinata.*

PRO ſerie, & decore dramatis nota Sponſam, mox vt Sponſum inuenit in horto, vel in via ad hortum ſibi occurrentem, eum reuerenter & amanter ſalutaſſe: eíque narraſſe, quanto dolore & ſtudio eum quæſierit; quanta idcirco probra, verbera, & ſpolia à circitoribus perpeſſa ſit; quibus notis & elogiis adoleſcentulis eum quæſituris inſignierit, quæ omnia, vtpote iam recenſita, hîc ſubticentur; quibus auditis Sponſus eam conſolatur, ac viciſſim laudes & dotes ei, cap. 4. aſſignatas confirmat, aliáſque inſuper adiicit. Ait ergo: *Pulchra es amica mea*, &c.

Pro *ſuauis* Hebr. eſt כְּתִרְצָה *ketirtſa*, quod primò planè & appoſitè cum Hebræis, Pagnino, Vatabl. Marino & aliis vertas, *ſicut Tirtſa*, q. d. Pulchra es ſicut Tirtſa, & decora ſicut Ieruſalem: Tirtſa enim, ſiue Terſa, vt vertit. Noſter in libr. Regum, erat vrbs admodum ſpecioſa in Tribu Manaſſe, in alto monte ſita. Vnde Ieroboam primus Rex Iſraël, ſiue decem tribuum, thronum ſuum in ea collocauit, illámque regni caput effecit. Ieroboam ſequuti ſunt eius poſteri, & ſucceſſores vſque ad Amri patrem Achab, qui ædificata vrbe in monte Somer, indéque nuncupata Samaria, quæ poſtea Sebaſte, id eſt, Auguſta, in honorem Cæſaris Auguſti, ab Herode appellata eſt, in illam regni caput ſedémque tranſtulit, vt patet 3. Reg. 14. 17. & cap. 16. v. 6. 8. 9. 15. 23. & 24. Licèt enim Tirſa tempore Salomonis necdum eſſet metropolis regni Iſraël, tamen pulchra admodum erat & amœna. Vnde paulò poſt ſub Roboam à Ieroboam facta eſt metropolis, ídque mox futurum præuidebat Spiritus ſanctus, qui hæc Salomoni dictauit. *Tirſa vrbs amœna.*

Secundò, Septuag. תִּרְצָה *tirtſa* vertunt εὐδοκία, id eſt, beneplacitum, complacitum, beneuolentia: רָצָה *ratſa* enim eſt velle complacere, beneplacitum eſſe; vnde transferunt: *Pulchra es amica mea vt beneplacitum.* Symmach. *benè accepta.* Quinta editio, *quonſque bene probo.* Syrus: *pulchra es ſecundùm meam voluntatem.* Hinc noſter vertit *ſuauis*, quia quæ alicui bene placent, LXX. Symmach. Syrus.

placent, hæc illi grata, ſuauia, & iucunda ſunt. Alij vertunt *ſuauitas* in abſtracto q.d. ſuauis adeo es, vt ipſa ſuauitas eſſe videaris, hoc eſt ſuauiſſima & iucundiſſima es.

Porro Noſter Interpres, æquè ac Septuag. ſæpè pro nominibus propriis vertunt eorum ſignificata, cum illa rei, de de qua agitur, conueniunt, aut quid myſterij in eis latet: ſic pro Simon Chananæus vertit Simon Zelotes, pro Thomas vertit Didymus, pro Cephas vertit Petrus, pto Boanerges vertit filij tonitrui. Sic 1. Paral. 4. 22. pro nominibus

1. Paral. 4. 22. propriis *Iochim, chozeba, Ioas* & *Saraph* vertit: *Qui ſtare fecit ſolem virique mendacij, & ſecurus & incendens.*

*Sicut Ieruſalem.* Ieruſalem enim erat pulcherrima, ſiue templum, ſiue domum regiam, ſiue muros, ſiue plateas, ſiue ædes, fora, vicos, ſiue homines, ac præſertim fœminas & Sponſas ſpectes. Solent Hebræi homines comparare arboribus, hortis, vrbibus, ac viciſſim vrbes hominibus, & cœtibus hominum. Vnde Ieruſalem cæleſtis comparatur Sponſæ Apocal. 21. 2. *Vidi*, inquit, *ciuitatem nouam*

Apoc. 21. 2. *Ieruſalem deſcendentem de cælo, à Deo paratam, ſicut Sponſam ornatam viro ſuo.*

Chald. Porrò Chald. hæc de duplici Iudæorum templo accipit: *Pulchra es*, inquit, *hodie tempore ſecundi templi, ſicut accepta fuiſti olim tempore primi.* Verùm tempore Salomonis necdum erat templum ſecundum.

Syrus. *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata*; Syrus *vt electa.* q.d. Sponſa mihi Sponſo eſt ſuauis, & amabilis, ſed hoſtibus ſæua & terribilis, iuxta illud c. 1. 9. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea* Hebr. eſt, *terribilis* כנדגלות *cannidgaloth*, id eſt, *ſicut vexillata*, ſcilicet acies & cohortes, hoc eſt *vt caſtrorum* acies ordinata, vt vertit Noſter. Sub vexillis enim ordinantur cohortes & acies, atque in recta earum diſpoſitione & ordine conſiſtit caſtrorum robur, & fortitudo: pauci enim milites rectè diſpoſiti, & ordinati profligabunt multos malè diſpoſitos, palantes & inordinatos.

L x x. Septuag. pro אימה *aiumma*, id eſt, *terribilis*, legentes aliis punctis אימה *ema*, vertunt θάμβος, id eſt, *pauor*, *ſtupor*, *admiratio.* Vnde Vaticani transferunt: *pauor vt ordinatæ acies*, *pauor*, id eſt, pauenda &

Nyſſen. pauorem hoſtibus incutiens. Nyſſeni, æquè ac S. Anthanaſij in Synopſi Interpres, pro *pauor*, vertit *ſtupor*. Nam pauor parit ſtuporem, facitque ſtupidos. S. Ambroſ. lib. de virgin. vertit, *admiratio ordinata, eo quòd*, inquit, *ciuitatis æternæ vniuerſa habet myſteria*, *& admirationi ſit omnibus intuentibus eam, quia plena vt æquitas, atque perfecta eſt*, *& fulgorem de verbi lumine mutuata*, *dum in id ſemper intendit: ſit etiam terribilis ordine quodam ad ſummam prouecta virtutum.* Ambroſ.

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

Eccleſia pulchra effecta eſt, æquè ac fortis, & terribilis vt caſtrorum acies ordinata, quando errores & vitia per Arrianos aliοſque impios in fideles ſuos inducta, per zeloſos Imperatores & Principes, Pontifices & Epiſcopos in Concilio Nyceno, Epheſino, Calcedonenſi, Lateranenſi, Florentino, Tridentino, aliiſque, tum Oecumenicis, tum Prouincialibus extirpauit, & Eccleſiam vel vniuerſalem, vel Prouincialem priſtino fidei & virtutum nitori reſtituit. Hic enim incipit Spiritus ſanctus deſcribere ſeneſcentis Eccleſiæ renouationem, quæ ſæpius, & variè diuerſis temporibus & locis facta eſt per Epiſcopos, & Reges eximios, quos Deus Eccleſiæ reformatores ſuſcitauit. Sic S. Athanaſius reformauit Eccleſiam Alexandrinam vt in omni ſanctitate florceret, Deique paradiſus eſſe videretur. Sic Lucifer Calaritanus reformauit Sardiniam, Euſebius Vercellēſis Italiam, S. Hilarius Galliam; Dionyſius, & mox S. Ambroſius Mediolanum, ab Auxentio Arriano Epiſcopo paulò antè deformatum; S. Paulinus Treuiros: ſic aliis ſæculis prolapſos Eccleſiarum particularium mores inſtaurarunt. Quibus particulares Eccleſiæ inſtaurabantur.

Maximè verò in fine mundi id facient Elias & Enoch cum ſuis aſſeclis, vti paulò ante dixi: vnde tunc Eccleſia erit pulchra vt Terſa in gentibus, & decora vt Ieruſalem in Iudæis. Terſa enim erat Metropolis Samaritarum, qui à Iudæis vilipendebantur, vt gentes & idolatræ: Ieruſalem verò Iudæorum. Eccleſia enim ſimilis eſt vrbibus Terſæ, & Ieruſalem, quia ſicut in his erat congregatio & multitudo ciuium, ſic in Eccleſia eſt fidelium. Rurſum *Terſa* idem eſt, quod complacentia, ſuauitas, decor, pulchritudo, qualis eſt in Eccleſia gentium reformata. Ieruſalem, idem eſt quod viſio pacis, qualis erit in Iudæis, quando ipſi ad Chriſtum conuerſi, cum gentibus Eccleſia eſt ſimilis Terſæ & Ieruſalē vrbibus.

in

in vnam Eccleſiam pacificè conſpirabunt, ideóque in vnam Ieruſalem cæleſtem transferentur. Hinc Eccleſia à S. Paulo Galat. 4.26.& à S.Ioanne Apocal. 21. 1. vocatur Ieruſalem ob cauſas, quas ibidem recenſui. Audi S. Gregor. *Pulchra & amica, ſuauis & decora ſicut Hieruſalem, ſynagoga eſſe perhibetur, quia ſancta quatuor Euangelia aliquando conuerſa, ſicut Eccleſia ſectabitur. Hieruſalem quippe viſio pacis interpretatur. Per quam bene ſancta Eccleſia figuratur, quia dum in mundo ſemper preſſuram patitur, viam faſtidiens, quæ ſit pax patriæ cæleſtis, currendo contemplatur, confidens in eo qui diſcipulis ſuis dicebat: In mundo quidem preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum. Dignè autem Synagoga conuerſa ſicut Hieruſalem pulchra & amica & ſuauis, & decora dicitur; quia dum ſanctam Eccleſiam imitatur, quatuor Euangeliorum præcepta operatur, à quibus pulchritudinem morum accipit, vt placeat; exercitium ſanctæ operationis colligit, vt in amicitia hæreat; ſuauitatem manſuetudinis diſcit, vt permaneat; ſpeciem decoræ conuerſationis oſtendit, vt per exemplum trahat.*

*Ambroſ. Eccleſia pulchra vt Ieruſalem.*

*Ioan 16.*

Porrò Eccleſiæ pulchritudo, æquè ac fortitudo, quæ eam dæmonibus, hæreticis & impiis facit terribilem, conſiſtit in ordine Hierarchico, quo Pontifici ſubſunt & ſubſeruiunt Epiſcopi, Epiſcopis Preſbyteri, Preſbyteris Diaconi, Diaconis cæteri Clerici & laici, quique in ordine & gradu ſuo: Hos omnes enim Pontifex per Epiſcopos regit & dirigit, ſicut Angelus cæli primi, quod primum mobile dicitur, illud mouens ab Oriente in Occidentem, eodem conſequenter & mouet cælos inferiores primò ſubiectos; vnde ei nulla vis reſiſtere, aut motum hunc inhibere poteſt. Tanta eſt vis obedientiæ & ordinis; ob illum enim Eccleſia dicitur terribilis vt caſtrorum acies. Hoc eſt quod præcinnuit Iſaias, cap.26.1. *Vrbs fortitudinis noſtræ Sion Saluator, ponetur in ea murus & antemurale.* Cauſam affert cap. 54. 11. dicens: *Sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Sapphiris, & ponam iaſpidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos, & omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles:* quinam ſint hi lapides explicant ſubdens: *Vniuerſos filios tuos doctos à Domino, & multitudinem pacis filiis tuis.*

*Fortitudo ita in ordine.*

*Iſai.26.1.*

Rurſum pro *vt caſtrorum acies ordinata*, Hebr. eſt *ſicut vexillata*, ſcilicet phalanges & acies: quia in Eccleſia vniuerſali multæ ſunt particulares, & in particularibus multi clericorum & laicorum gradus; multi Religioſorum ordines, qui omnes licèt vexillis particularibus diſcreti, omnes tamen militant ſub vexillo crucis Chriſti: Quare ab eo, puta à Chriſto crucifixo, manat omnis eorum pulchritudo, æquè ac fortitudo: Vnde S. Anſelm. *Terribilis es*, inquit, *quia in te milito, & tu militas in ſeruitio meo; ſicut in caſtris militatur; & es ordinata per inſtitutionem.* In Eccleſia enim ſunt validi cunei martyrum, fortia agmina Virginum, inuicta agmina Doctorum, &c.

*Hebr.*

*Anſelm.*

Addit Caſſiodor. Eccleſiam dici pulchram & ſuauem in virtutibus, terribilem in imperio, quod profert vſque ad terminos terræ.

Porrò ordo hîc vnit omnes fideles inter ſe, æquè ac cum capite Chriſto: atque hæc eſt cauſa, cur Eccleſia ſit fortiſſima, & inimicis terribilis vt caſtrorum acies ordinata; quia ſcilicet ſummè per charitatem vnita eſt: vnio autem tot fidelium eſt inuicta, omniáque peruincit. Audi S. Gregor. *Notum expertis eſt, quòd milites cum in procinctu contra hoſtes vadunt, ſi ſtrictim & concorditer gradiuntur, ab hoſtibus contrauenientibus timentur; quia dum in eis aditum per ſciſſuram non aſpiciunt, qualiter eos penetrent haſitantes non inueniunt; Illiſque hoc impenetrabile munimen efficitur; quod concorditer ordinati ſeipſis ſemetipſos tuentur. Dum enim de ſeipſis ſibi vallum efficiunt, intrandi ad ſe aditum hoſtibus non relinquunt; & vt occidantur appetiti, ipſi facilius occidunt. Sic in multitudine fidelium contingit, quæ dum contra malignos Spiritus pugnare non deſinit; neceſſe eſt, vt pace charitatis conſtringatur, quæ ſalua ſit; Si enim pacem tenet, terribilis hoſtibus apparet; ſi per diſcordiam ſcinditur, vndique ab hoſtibus leuiter penetratur. Pace itaque ſe muniat, vnitate ſe vinciat, charitate ſe vniat; vt dum in ſeipſa per ſciſſuram damnum non patitur, ducem ſuum ſemper exultans ſine confuſione ſequatur.*

*Vnio fidelium reddit Eccleſiam inuincibilem.*

*Gregor.*

## SECVNDVS SENSVS

### *De Chriſto & Anima Sancta.*

ANima ſancta pulchra eſt per gratiam, ſuauis per comitatem, charitatem, & beneuolentiam; terribilis per zelum; quia in omnibus Dei voluntati ſe conformat, eiúſque gloriam promouere ſatagit; talis terribilis eſt, ait Beda, quia vniuerſam virtutum aciem in ſe habet inſtructam: ſi ergo eum tentet gula, reſiſtet temperantia; ſi libido, reſiſtet caſtitas; ſi ira, reſiſtet patientia; ſi ſuperbia, reſiſtet humilitas; ſi auaritia,

*Anima cur terribilis?*

ritia, reſiſtet liberalitas; ſi acedia, reſiſtet zelus. Audi Hugonem de S. Victore erudit. Theolog. ex Micellan. 2. lib. 1. *ſuauis eſt*, ait, *hominibus*, *decora numinibus*, *terribilis dæmonibus*. *Quare? quia ambulat vt caſtrorum acies ordinata, non diſſipata per inuidiam, ſed conſtipata per charitatem. Acies eſt per conuentum, caſtrorum per procinctum, ordinata per conſenſum: Conuentum facit pœnitentia, procinctum ponit vigilantia, conſenſum præbet concordia.* Vnde Chald. vertit: *Quam pulchra es tu dilecta mea in tempore, quo vis facere voluntatem meam: pulchra eſt domus ſanctuarij, quam ædificaſti mihi ſimilem priori domui ſanctuarij, quam ædificauit mihi Salomon Rex Ieruſalem: & terror tuus fuit ſuper omnes populos in die, quo ambulauerunt vexilla tua per deſertum.*

Hugo.

Chald.

Nota, fortitudo Eccleſiæ, ac animæ piæ oritur ex eius pulchritudine, ideo enim terribilis eſt hoſtibus, quia decora eſt ſicut Ieruſalem, id eſt, ſicut viſio pacis; pax ergo facit eam terribilem: pax enim omnes eius motus ac affectus componit, & ordinat iuxta legem & voluntatem Dei, vt ſint quaſi caſtrorum acies ordinata, id eſt, denſa, concors, & compoſita, quam nulla vis perrumpere valet. Hinc anima compoſita & pacifica eſt inuicta, & inſuperabilis.

*Fortitudo animæ oſt ex pulchritudine.*

Porrò Nyſſen. legit: *Pulchra es proxima vt beneplacitum vel beneuolentia, decora ſicut Ieruſalem, ſtupor ſicut inſtructa acies*, ſicque explicat: pia anima, inquit, primò eſt ſimilis beneuolentiæ Chriſti, qua ipſe ſe exinaniuit formam ſerui accipiens, deditque in pretium pro mundi vita: ſic enim anima pia ſe impendit pro ſalute proximorum, vti faciebat Paulus: atque in hoc conſiſtit eius pulchritudo

Nyſſen.

Secundò, *Formoſa eſt tanquam Ieruſalem*, ſcilicet cæleſtis; quia cum habeat in ſe inhabitantem Deum, qui omnem decorem tribuit cæleſti Ieruſalem, huic quoque in decore ſimilis eſſe perhibetur.

Tertiò, eadem *Stupor eſt ſicut inſtructa acies*, quia cum omnia, inquit, faciat ordinatè & decorè, talem ſui excitat admirationem, qualem Angelorum exercitus, qui in omnibus ſuis miniſteriis ſunt ordinatiſſimi. Sic & Theodor. qui tamen εὐδοκίας, id eſt, beneplacitum, vertit probationem; vt ſicut Sponſa Sponſum cap. 5. verſ. 16. vocauit deſiderium, id eſt, ſummè deſiderabilem: ſic Sponſus hîc viciſſim Sponſam vocat probationem, id eſt, ſummè probatam, puram & perfectam. Tres verò Anonymi cenſent animam piam vocari ſtuporem, eo quòd contemplando immenſam Dei pulchritudinem, admirando obſtupeſcat, vt faciunt Angeli.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

Beata Virgo pulchra eſt complacentia, quia vnicè præ omnibus creaturis placet toti S. Trinitati, Angelis & ſanctis iuxta illud Gabriëlis: *Inueniſti gratiam apud Deum, ô Beata virgo?* inquit Rupert. *Suauis & decora es ſicut Ieruſalem in eo, quòd anima tua ſemper ſupernam vides pacem, & ex viſitatione tui diſcunt animæ plurimæ cæleſtem ducere conuerſationem, vnde & dicuntur, vel ſunt filiæ Hieruſalem, quia optimam eligunt partem, iuxta illud: Vacate & videte, quoniam ego ſum Dominus*, &c. *Tu quoque terribilis es dæmonibus, Hæreticis, & impiis, ſicut caſtrorum acies ordinata, in qua ſumma omnium eſt concordia; ac proinde nullus in ea per diſcordiam aditus datur hoſti.* Quocirca omnes Hæretici, qui Chriſtum, etiam Beatam Virginem impugnant, ab ea proteruntur: vnde de ea canit Eccleſia: *Cunctas hæreſes ſola in vniuerſo mundo interemiſti.* Addit Sophronius ſerm. de aſſumpt. *B. Virgo*, inquit, *eſt ſicut caſtrorum acies ordinata*, quia ſtipata eſt innumeris Angelorum & ſanctorum agminibus. Hinc Damaſcenus, Orat. 1. de Natiuit. *O ſanctiſſima*, ait, *filia, quæ materni vberis lacte aleris, & ab Angelis vndique cingeris.* Hinc & S. Bonau. in ſpeculo B. Virginis cap. 3. *Maria*, inquit; *interpretatur Domina; hoc quoque optimè competit Imperatrici, quæ reuera Domina eſt cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, Domina, inquam, Angelorum, hominum, & dæmonum*, &c. Vnde S. Auguſtinum, ait, *Michaël Dux & Princeps militiæ cæleſtis cum omnibus ſpiritibus adminiſtratoriis, tuis, Virgo, paret præceptis in defendendis in corpore, & in ſuſcipiendis de corpore animabus fidelium ſpecialiter tibi Domina, & die ac nocte ſe tibi commendantium.*

Gabriel.

Rupert.

Sophron.

Damaſcen.

Bonauent.

Auguſt.

Idem in Cantico: *Te matrem Dei laudamus, tibi*, inquit, *omnes Angeli & Archangeli; tibi throni & principatus fideliter deſeruiunt; Tibi omnes poteſtates & omnes virtutes cæli cælorum, & vniuerſæ dominationes obediunt.*

B. Gertrudis lib. 4. reuelat. cap. 49. agens de Angelis, quos videbat coram Deipara eos, qui ad feſtum Aſſumptionis ſe parauerant, adducere, eóſque ab inſidiis malignorum ſpirituum defendere, ſubiicit: *Quia ad imperium*, inquit, *Dei genitricis multitudo Angelorum vndique defendendo*

Gertrud.

*defendendo protegit, omnes glorioſam Virginem inuocantes.*

Denique S. Germanus Orat. in zonam Deiparæ: *Tu*, ait, *nequiſſimi hoſtis contra ſeruos tuos inuaſiones, ſola nominis tui inuocatione ſanctiſſima repellens, tutos atque incolumes ſeruas.* Vide dicta c. 1. v. 9. ad illa: *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te.*

man.

---

Verſ. 4. *Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerũt. Capilli tui ſicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.*

Hebr. AVERTE *oculos tuos à me*, (Hebr. *à coram me*, vel *è regione mei*) *quia ipſi me auolare fecerunt.* Hebr. הִרְהִיבֻנִי *hiribuni*, id eſt, *præualuerunt mihi.*
Pagnin. Pagnin. *fortiores me fuerunt.*
Vatabl. Vatab. *quia ipſi vincunt me.*
Tigur. Tigur. *Deflecte oculos tuos, ne directè me contueantur, quia me ſuperbiorem faciunt.*
Salomon. R. Salomon & Anonymus, *extulerunt & ſuperbire me fecerunt.*
Aben. Aben Ezra: *potentiores ſunt me, mihi robur & dominationem adimunt.*
Dauid. R. Dauid: *roborarunt me in amore.*
Ambroſ. S. Ambroſ. lib. de Iſaac cap. 8. *Ipſi me eleuant*; idque ſic explicat, quaſi Chriſtus roget animam perfectam, ne ſe detineat in eleuata contemplatione, ſed ſinat ſe deſcendere ad rudiorum inſtructionem & ſalutem. *Et ſi tu*, inquit, *perfecta es; aliæ tamen adhuc animæ redimendæ ſunt, aliæ fulciendæ: quamobrem auerte oculos tuos à me? eleuas enim me videndo: ego autem ideo deſcendi, vt omnes eleuem. Quanto enim quis ad Dominum intendit, tanto amplius Dominum eleuat, & ipſe eleuatur.*

Diſce ex his omnibus verſionibus, quàm potentes ſint oculi ſinceri, caſti & amabiles Sponſæ, vtpote quæ Sponſo præualeant, dominentur, eúmque quaſi captiuent, ſibíque mancipent. Senſus enim eſt q. d. Tantus eſt decor oculorum tuorum ô Sponſa, tanta támque ignea in eis vis, vt me in ſui amorem rapiant, vt mihi dominentur, vt amori ſuccumbam, vt mihi mentem quaſi eripiãt, vt nimietate amoris fugitiuum cor quaſi auolet, & in te trãſuolet iuxta illud c. 4. v. 9. *Vulneraſti cor meũ in vno oculorum tuorũ.*
Hebr. Hebr. *excordiaſti me.* Vide quæ de vi & illecebra oculorum femineorum c. 4. v. 1. & 9. dixi. Nota eſt illa apud Euripidem in Hecuba lex, ex veterum moribus recepta: *Aduerſa nequa fœmina ſpectet viros.*

Oſtendit quod dixit *pulchra es & decora*, ex pulchritudine oculorum, quæ tanta eſt, vt cor Sponſi in ſui amorem abripiant; adeo vt Sponſus cordis ſui impotens, videat illud auolare in Sponſam. q. d. Oculi tui adeo ſunt pulchri, vt eorum lucem & vim non ſuſtineam: modicum ergo eos deflecte, & ad latus auerte, vt mihi redditus eos, quaſi ex latere liberius & lentiùs intuear. Quare frigida eſt expoſitio Chaldæi; quæ ſic habet: *Fac accumbere magiſtros tuos ſapientes, congregatio magna in circuitu, in conſpectu meo; ipſi enim conſulebant me in captiuitate, & conſtituebant gymnaſium doctrinæ legis meæ.* Chald.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

MVlti cenſent hic notari & retundi audaciam & curioſitatem Eccleſiæ, vel piæ animæ, quæ oculos mentis nimis profundè vult figere in contemplanda Dei eſſentia & maieſtate, vt incomprehenſibilem quaſi penetret & comprehendat; cum potius debeat curare negotia domus cum Martha, & proximorum ſalutem: qua in re non proficit, ſed magis retunditur & hebetatur oculorum eius acies; ſicut qui fixis oculis intuetur ſolem, excæcatur, iuxta illud: *Scrutator maieſtatis opprimetur à* Prou. 25. 27
*gloria.* Prouerb. 25. 27. ita S. Gregorius, Caſſiodor. Theodor. Philo, Beda, Anſelm. Rupert. & S. Ambroſ. cuius verba iam recitaui. Huc accedit Iuſtus Orgelitan. qui accipit hæc de contemplatione humanitatis Chriſti. q. d. *Non me ſemper in corpore conſpiciendum requiras, quem ſpiritu per fidem melius cernis. Idcirco enim in cælos aſcendi; vt non ſemper localis tibi appaream, qui ſic omnia diuinitatis meæ præſentia repleo, vt vbique adſim, cunctáque contineam, & à nullo loco continear.* Iuſt. Orgel.

Verùm hic ſenſus parum contextui, æquè ac Hebrææ phraſi congruit: non enim reprehenditur hîc Sponſa à curioſitate, ſed laudatur à pulchritudine & illicio oculorum, per quos pura Eccleſiæ in Chriſtum intentio & amor ſignificatur, vt dixi cap. 4. v. 1. Hæc enim intentio vni Chriſto placendi, & inhærendi mirè Chriſto placet, & cor eius abripit, vt diligentem ſe viciſſim diligat, & intendenti ſibi totus intendat. Significat ergo Chriſtus charitate Eccleſiæ ſe victum, vt ſui tam amantem mirificè redamet, vtque eius amore curſum, tempúſque mundi abſoluere decernat, quo reliquiæ Iſraël ſaluentur: de iis enim agit in ſequentibus vt hoc facto Eccleſia Chriſto Sponſo ſuo in æternum copuletur,

Digitized by Google

pulcetur, eóque feliciſſima perfruatur in cæleſti gloria, vbi nuptiarum vtriuſque erit conſummatio.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima ſancta.*

QVod dixi de Eccleſia, dic de anima commutato nomine. Porrò noua & paradoxa eſt hîc explicatio Nyſſeni homil. 15. & vltima ( hic enim finit Nyſſen. ) & qui eum ſequitur, imò eius abbreuiator eſt Michaëlis Pſelli. Cenſent enim hæc eſſe verba non Sponſi, ſed Sponſæ ad Sponſum ; atque quod vertunt Septuag. ἀπόστρεψον τοὺς ὀφθαλμούς σου ἀπεναντίον ἐμοῦ, ſic transferunt: *Auerte oculos meos à contrario mihi.* (Interpres Nyſſeni vertit *à me*, vt τὸ ἀπεναντίον ſit idem quod *è regione me*, id eſt, *à me*, ſed aliam eſſe Nyſſeni mentem patet ex iis quæ ſubdit) *Nam illi* ἀνεπτέρωσάν με, id eſt, *auolare fecerunt me*, ſed Nyſſenus vrgens τὸ ἀνὰ vertit, *rurſus alas mihi tradiderunt.* q.d. Auerte, ô Chriſte, oculos tuos ab eo, quod mihi contrarium eſt, eóſque conuerte ad me, quia lux oculorum tuorum alas gratiæ, quas per peccatum perdideram, rurſum mihi reddidit, vt alata, & à terrenis cupiditatibus expedita, ad cælum euolem. Lxx. Nyſſen.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

NOnnulli explicant de B. Virgine Chriſtum concipiente & pariente, q. d. O Virgo, quæ in altiſſima & puriſſima diuinitatis contemplatione verſaris, ab ea oculos mentis auerte, eóſque conuerte ad contemplandum incarnationis Verbi, quod in te peragitur myſteriū. Hi enim puritatis mētis tuæ oculi quaſi me mihi ſurripuerunt, ac è ſinu patris in gremiū tuum euolare fecerunt.

Verùm quia ad literam hic agitur de Eccleſiæ reformatione, & Synagogæ conuerſione, aptiùs ſic exponas q. d. Pura, & ardens intentio tua ô Virgo, qua Eccleſiæ renouationem, & Iudæorum conuerſionem ardentiſſimè intendis, deſideras, oras & procuras, adeò mihi placet, vt illam vlterius ferre nequeam, quin potius illi obſecundem, illíque quaſi me tradam, vt perficiam & opere compleam id, quod tantopere deſideras & flagiras.

Hos occultos mentis B. Virginis oculos prodebant oculi corporis auguſti, & amore Dei flagrātes. Vnde de iis Poëta.

*O chariſſimæ luces,*
*Nitidiſſimi ſoles,*
*Feliciſſimæ faces,*
*Auguſtiſſima ſidera.*

Luces animæ, ſoles mentis, faces cordis, ſidera animi. O vultum, O cælum rot, támque diuinis lucibus facibúſque cælatum. *O facies magni mihi numinis inſtar.* Sanè vidi Romæ imaginem Deiparæ à S. Luca depictam, in qua oculi & vultus maieſtatem auguſtam, & pluſquam humanam repræſentant.

---

*Capilli tui ſicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.* Verſ. 4.

Verſ. 5. *Dentes tui ſicut grex ouium, qui aſcenderunt de lauacro: omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt in eis.*

Verſ. 6. *Sicut cortex mali punici, ſic genæ tuæ abſque occultis tuis.*

HÆc omnia explicata ſunt, cap. 4. verſ. 1. Sponſus enim reperit hæc Sponſæ elogia, vt ea confirmet & adoleſcentulis inculcet. Tantùm nota Septuag. Arabicum, Symmachum, & Aquilam hic addere: *Sicut funiculus coccineus labia tua, & eloquium tuum dulce,* quem verſum ex cap. 4. v. 3. tranſcripſerunt & huc retulerunt. Rurſum pro *ſicut cortex mali Punici*, Syrus vertit: *Sicut corona mali Punici*: hæc enim in corticis vertice coronam patulam geſtat. Ad hæc pro *abſque occultis tuis*, ſiue vt cap. 4. verſ. 3. vertit, *abſque eo quod intrinſecus latet,* Arabicus transfert: *Præter pulchritudinem ſilentij tui.* Lxx. Arab. Symmach. Aquila. Syrus. Arab.

---

Verſ. 7. *Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus.*

Verſ. 8. *Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matris ſuæ, electa genitrici ſuæ. Viderunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicauerunt: reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam.*

VNA *eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matris.* (Septuag. *matri ſuæ, electa genitrici ſuæ. Vnica matris*, id eſt, vnigenita, vel vnicè præ aliis filiabus dilecta à matre. Arabicus: *Perfecta mea vna eſt, & vna matri ſuæ.* Lxx. Arab.

Concubinæ

*Concubinæ ſunt legitimæ vxores licet ſecundariæ.*

Concubinæ vocantur non pellices, & meretrices,ſed legitimæ vxores, licèt ſecundariæ;quia ſcilicet non erant matresfamilias,nec earum filij in patris hæreditatem & regnum ſuccedebant, ſed cum muneribus dimittebãtur, vti Abraham Agar concubinæ ſuæ eiúſque filio Iſmaël dedit munera ; Sarã vero habuit quaſi vxorem primariam & matremfamilias, cuius proinde filius Iſaac Abrahæ fuit hæres ex aſſe. Vide dicta Geneſ. 25.6.

Adoleſcentulas accipe virgines honorarias,quæ reginas & concubinas honoris cauſa comitabantur, earúmque faciebant gynecæum; aut quaſi in gynecæo ſeruabantur, vt morientibus reginis, vel concubinis in earum locum ſuccederent, fieréntque vxores vel primariæ,vel ſecundariæ.

*Reginæ Salomonis.*

Quæres, an hæ reginæ, concubinæ & adoleſcentulæ fuerint Salomonis, an alterius? olim enim licita erat polygamia, non tantùm apud gentiles, ſed & apud Hebræos. Vnde Reges Parthorũ, Perſarum,Medorum,Aſſyriorum,Syrorum multas habebant vxores, vti etiamnum habent Reges Maurorum, Turcarum,Indorum,Tartarorum,&c.

*Delrius.*

Primò,Noſter Delrio cenſet has non fuiſſe Salomonis,ſed alterius, à quo petatur comparatio: *Nunc paſtor noſter*, inquit, *Regum cunctorum opibus fortuniſque ſortem anteponit ſuam.* Non placet accipi de SalomoneRege,cuius feminarum mandræ his longè maiores fuêre, & contra quam hic legimus, plures habuit reginas quàm concubinas (Vide 3.Reg.11.) ſed capio indefinitè de quonis Monarcha potentiſſimo.*Sit aliquis*,ait, *qui in Gynaceo ſuo clauſas habeat plurimas coniuges primarias ingenua conditionis, & plures concubinas (ſic vocantur ſecundaria vxores, ſine cerimoniis & ritualibus nuptiarum copulata,ſeruilis vel libertina conditionis)plurimas verò virgines adoleſcentulas, qui in alteram thalami ſortem mille clauibus aſſeruantur in domus penetralibus,quicquid in tam multis diuiſim, in mea id coniuge confertim omne reperitur;quare & te ô dilecta cunctis illis præfero, & me tali Rege beatiorem dico.* Olim enim Sponſus & Sponſa honeſtabantur nomine regis & reginæ. Vnde Plautus in ſticho: *Suus rex regina placet,ſua cuique Sponſa Sponſo.* Nomine ergo Regis & Reginæ Sponſus & Sponſa, licèt plebei, ſe mutuo honoris & lætitiæ cauſa compellabant & ſalutabant.

*Plautus.*

Secundò,aptiùs alij has cenſent fuiſſe Salomonis: hoc enim ipſe nexus exigere videtur.ita S.Hieron.lib.1. contra Iouin. Genebrar. Sottomaior, Giſlerius & alij hîc, Abulen. 1. Reg. 11. q. 9. & ſeq. Pineda lib.6.de rebus Salomonis cap.5. Salomon enim ſub initia regni, cum caſtior eſſet, & hæc ſcriberet 60. dumtaxat habuit reginas & 80. concubinas, non libidinis, ſed regalis magnificentiæ cauſa, ne vicinis Regibus, qui amplum illarum Gynecæum oſtentabant, dignitate videretur inferior: iſto enim polygamiæ æuo, Regum ſplendor conſiſtebat in Reginarum copia & ſplendore; at ſenior factus,& intemperãtior ſeptingentas ſibi aſciuit reginas & trecentas concubinas.3.Reg.11. Ait ergo: *Ego Salomon 60.habeo reginas & 80,concubinas, qua plurimis ſtipantur adoleſcentulis virginibus: at his omnibus præfero filiam Pharaonis, hac enim mihi prima & ſumma vxor, hac reginarum eſt regina: hac vna mihi plus dilecta quàm catera omnes: vnde de hac dico: Vna eſt columba mea, perfecta mea;ſicut eadem vna eſt matri ſua, electa genitrici ſua; quia ob pulchritudinem tum corporis,tum magis animi moréſque caſtos, modeſtos & compoſitos tam mihi, quàm matri ſua pra ceteris filiabus vnicè eſt chara & dilecta.* Quod ſi hic vxorum numerus in Salomone adhuc ſancto,& Sanctorum Canticorum ſcriptore plus æquo maior videtur,dicito cum Sanchez, reginas haſce & concubinas fuiſſe vicinorum Regum, quæ honoris cauſa comitabantur genialem pompam nuptiarum Salomonis cum filia Pharaonis, ac poſtea ſæpe amicitiæ, & forte homagij cauſa ipſum interuiſebant. Videntur enim hi Reges Salomoni fuiſſe amici vel ſubditi.

*Salomon.*

Nominat reginas 90. concubinas 80. quia poſt initia regni præcisè tot habuiſſe videtur, aut quia ponit numerum definitum pro indefinito. Sexagenarius enim eſt numerus perfectus, quia conflatur ex duobus numeris perfectis, ſcilicet ex ſenario & denario in ſe mutuo ductis & multiplicatis: congruè ergo datur Reginis. Octogenarius verò conflatur ex denario, qui eſt perfectus, & octonario,qui eſt imperfectus: aptè ergo tribuitur concubinis, vt pote vxoribus imperfectis.*Senarius*, ait Iuſtus, *perfectus eſt,quia totis ſuis partibus conſtat: nam ſexta eius pars eſt vnum;tertia,duo; media autem, tria eſſe probatur.*

*Iuſtus.*

Denique Abulenſis 3.Reg. 11.q.12. & Pineda lib.6.de reb.Salomonis cap.5. cenſent, Salomonem plures habuiſſe reginas & concubinas, ſcilicet vſque ad mille,

mille,ſed præcipuas ex eis magíſque familiares Salomoni hic dumtaxat numerari, eáſque fuiſſe 60. è reginis & 80. è concubinis. Verùm difficile eſt creditu, eum cum Cantica tam ſpiritualia ſcripſit,adeo fuiſſe carnalem & mulierorum,vt mille habuerit vxores.

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

*Quid per Reginas, concubinas & adoleſcentulas ſignificatur.*

REginæ,id eſt, Eccleſiæ Patriarchales,Primates & Metropolitanę ſunt 60.id eſt multæ : concubinæ , id eſt, Eccleſiæ Epiſcopales ſunt 80.id eſt,plures: adoleſcentularum , id eſt , Eccleſiarum Patochialiũ & cæterarum nõ eſt numerus:plurimæ enim ſunt & quaſi innumerabiles , at ſupra has omnes eminet Cathedra S. Petri , puta Eccleſia Romana, inquit Coſmas Damian. quæ Reginarũ eſt Regina, totiúſque Eccleſiæ caput & Princeps,quę cęteras omnes moderatur & regit, ne à recta fide & pietate aberrẽt,& cùm aberrãt,eas corrigit & reformat :quare hæc eſt vna columba, id eſt, vna Sponſa Chriſti vnicè ab eo dilecta, perfecta in fide & religione, vnica matri ſuæ, & electa genitrici ſuæ , id eſt, vnicè pariter dilecta primitiuæ Eccleſiæ Ieroſolymitanæ,ait S.Anſelm.hæc enim ceu mater Romanam genuit , dum S. Petrum , Paulum alióſque primos credentes Romam miſit, vt eam conuerterent & caput Eccleſiæ conſtituerent. Quare Romanus Pontifex , qui in ea præſidet,mittit reformatores per totum orbem , qui veram fidem & religionem in particularibus Eccleſiis collapſam, vel corruptam inſtaurarent,vti S.Syluester miſit Hoſium Cotdubenſem , qui præeſſet Conc. Nicæno , vbi damnatus eſt Artius ; Iulius , Liberius & alij miſerunt S.Athanaſium , Euſebium Vercellentem , Luciferum Calaritanũ & alios, qui Orientales Epiſcopos in Arrianam hæreſim prolapſos ad veram fidem reducerent ; imò Pontifices Romani mittunt viros religioſos & Apoſtolicos ad Indos, Tartaros , alióſque Gentiles , vt fidem apud eos prædicent & propagẽt; ac in fine mundi mittent viros eximios in Iudæam & Ieruſalem , qui Antichriſto reſiſtant,& Iudæos conuertant:quare tunc Roma vnietur genitrici ſuæ , id eſt , Ieroſolymæ ; puta Eccleſia Synagogæ,cum filia matrem aberrantem , puta Roma Ieroſolymam à Moſe , æquè ac ab Antichriſto ad Chriſtum traducer. Tunc implebitur illud Iſaiæ cap. 19. oraculum : *In die illa erit Iſraël tertius Ægyptio & Aſſyrio:benedictio in medio terræ,cui benedixit Dominus exercituum dicens : Benedictus populus meus Ægypti , & opus manuum mearum Aſſyrius:hæreditas autem mea Iſraël.* Vide ibi dicta. Et illud Iſaiæ 49. 23. *Erunt Reges nutricij tui , & Reginæ nutrices tuæ vultu in terram demiſſo adorabunt te , & puluerem pedum tuorum lingent.* *Iſaias 19.* *Iſaias 49. 23.*

*Vnius columbæ nomine intelligenda Eccleſia Catholica.*

Huc accedunt patres plerique , qui per vnam columbam intelligunt vnam Eccleſiam Catholicam toto orbe diffuſam. Huius enim caput & princeps eſt Eccleſia Romana. Ita S.Gregor. Nyſſen. Caſſiod. Beda, Anſelm. hic , & S. Auguſt. tract. 5. in Ioannem, ac S.Cyprianus tractat. de vnitate Eccleſiæ. Eccleſiæ ergo proprietas,& nota eſt,quòd ſit vna,licèt Catholica & toto orbe diffuſa : vna, inquam,per vnam fidem, ſpem & charitatem,ac per vnum caput, puta Chriſtum eiúſque Vicarium Romanum Pontificem ; à qua vnitate qui ſe ſeparat , ſciſmaticus eſt vel hæreticus. Vide S.Cyprian. lib. de vnitate Eccleſiæ. Addit Caſſiod. illam dici columbam , quia in eam ſpiritus Sanctus ſpecie columbæ deſcendit in Baptiſmo Chriſti Matth. 3. matrem verò eius eſſe cæleſtem Ieruſalem,ad quam illa à Deo euocata tendit & proficiſcitur ; hanc enim matrem fidelium vocat Paulus Galat 4. 26. Nyſſenus vero per matrem accipit Spiritum ſanctum , qui vt columba ipſam Eccleſiam genuit,velut pullum columbinum, paruámque columbam: S. Gregorius autem per matrem accipit gratiam Spiritus ſancti , quod eodem redit: *Mater noſtra,* inquit, *eſt regeneratrix gratia apud quam vna columba eligitur , quia illos ſolos colligit , qui in ſimplicitate permanent , & ab vnitate non ſcinduntur. Multi quippe fideles dũm in idipſum intendunt , dum vno deſiderio Chriſti ſe inuicem nutriunt , dum habentes cor vnum & animam vnam in charitate ſe vniunt , ex multis membris vnum corpus efficiunt : Omnéſque in vnitatis ſimplicitate & vnitate viuentes, vna columba exiſtunt : Quæ ſola perfecta & electa genetrici ſuæ dicitur , quia extra hanc quam dicimus Eccleſiam , nemo ad perfectionem , nemo ad vitam, niſi per hanc ſolam gratiã fouente nutritur.* *Gregor.* Ioannes Carmelita verò per matrem accipit Chriſtum , qui quaſi mater materno affectu Eccleſiam & animam perfectam vnicè & tenerrimè diligit , iuxta illud quod ipſe ait Iſai. 49. 11. *Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur* *Ioannes Carmel.*

Google

*reatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui: Ecce in manibus meis deſcripſi te. Muri tui coram oculis meis ſemper.* Denique Guilielmus notat reginas, id eſt, perfectas animas numerari 60. quia hæ legi decalogi, quam ſignificat denarius, addunt ſenarium, qui ſymbolum eſt perfectionis, quæ acquiritur per cõſilia Euangelica. Perfectæ enim ſunt, quæ non tantùm præcepta, ſed & conſilia Euangelica obſeruant. Concubinæ notant illas, quæ præcepta decalogi duntaxat cuſtodiunt: vnde his octonarius circumciſionis, id eſt, purgationis peccatorum contra decalogum admiſſorum additur.

Porrò Chald. more ſuo iudaizans, hæc accipit de Regibus & populis oppugnantibus Ieruſalem: *Tunc*, inquit, *ſurrexerunt Græci, & congregauerunt ſexagenta Reges de filiis Eſau, indutos loricis, aſcendentes ſuper equos & equites, & octoginta duces de filiis Iſraël aſcendentes ſuper elephantes, præter reliquos populos & linguas, quorum non erat numerus, & conſtituerunt Alexandrum Regem ſuper eos in Principem, & venerunt, vt pugnarent contra Ieruſalem. Et in illo tempore erat cœtus Iſraël ſimilis columbæ perfectæ, & ſeruiebat vnanimis Domino ſuo, & apprehendebat legem, & laborabat in verbis legis in corde perfecto, & pura erant iuſtitia eius, ſicut in die qua egreſſa eſt de Ægypto.*

Chald.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

*vna columba eſt anima perfectiſſima.*

REginæ, id eſt, animæ perfectæ ſunt 60. id eſt, paucæ; concubinæ, id eſt, proficientes ſunt 80. id eſt plures; adoleſcentulæ, id eſt, incipientes ſunt plurimæ & quaſi innumeræ: at verò vna eſt columba, id eſt, pauciſſimæ, & ex mille vix vna eſt anima perfectiſſima, quæ ſingularis Sponſa Chriſti ſit, ipſique ſoli intendat, ac tota quaſi in ipſum tranſeat, qualis fuit S. Paulus, cuius cor erat mare charitatis, quod totum mundum abſorbebat, ac omnes gentes etiam Iudæos ſibi inimiciſſimos ſaluare ſatagebat; quem vnum proinde pluris faciebat Deus, quam mille ſanctos etiam perfectos, religioſos & Apoſtolicos. Vide S. Chryſoſt. hom. 8. quas ſcripſit de laudibus S. Pauli. Ita Origen. hom 2. Theod. Tres Anonymi apud ipſum, Philo, Iuſtus & S. Ambroſ. lib. de Iſaac & anima cap. 8. *Laudatur*, ait, *quòd cum vna ſit columba habens Spiritus vnitatem, in qua ſit pax, quæ*

Ambroſ.



*fecit vtraque vnum, & quæ non ſit compoſita ex diuerſis elementis diſcretæ compugnantiſque naturæ. Anima benedicta omnis ſimplex, quæ imitatur dicentem: vt omnes vnum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, & ipſi in nobis vnum ſint. Hæc enim conſummatio atque perfectio.* Vnde & addidit: *vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus: ego in his, & tu in me, vt ſint conſummati in vnum. Hæc eſt ergo anima columba atque perfecta, quæ ſimplex atque ſpiritalis neque huius turbatur corporis paſſionibus, in quo foris pugnæ, intus timores ſunt.*

Huc accedunt Nyſſen. S. Gregor. Rupertus & alij, qui per reginas accipiunt animas, quæ ex amore Deo ſeruiunt, & ad cæleſte regnum aſpirant; concubinas, illas quæ ex timore inferni alteriúſue damni, aut ſpe mercedis legem Dei ſeruant; adoleſcentulas, quæ in fide ſunt rudes & in opere remiſſæ. Addit Lucas Abbas: *Recta & perfecta anima, quæ in ſe nobilitatem veram, in qua creata ſunt, reformauerunt, reginæ dicuntur, eo quòd regnent peccato, vel regendus eis populus Chriſto credentium ſit commiſſus, quæ adhærendo verbo Dei & concipiunt, & pariunt Reges.* S. Auguſt. lib. 83. quæſt. q. 55. *Reginæ*, ait, *ſunt animæ regnantes in intelligibilibus & ſpiritualibus; concubinæ, quæ mercedem accipiunt terrenorum, de quibus eſt dictum: acceperunt mercedem ſuam adoleſcentulæ, quarum non eſt determinata ſcientia, & diuerſis dogmatibus peregrinari poſſunt.*

Lucas Abb.

Auguſt.

Symbolicè, vna columba eſt anima, quę vni ſummóque bono tota intendit: perfecta ergo ſummè eſt, ſi vna vni Deo vacet, vti aiebat S. Ægidius ſocius S. Franciſci, imò Chriſtus: *Martha, Martha*, inquit, *ſollicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum eſt neceſſarium: Maria optimam partem elegit* Lucæ 11. Charitas enim mẽtem vni Deo iungens, illam quaſi vnum quid cum Deo efficit, ait S. Gregor. Hinc verè ſapiens ille: *Qui*, inquit, *perfectionem appetit, ad vnitatem aſpirat; quicquid perfici appetit, ad vnitatem contendit. Rara*, inquit B. Laurent. Iuſtin. lib. de caſto connubio verbi & animæ ſub finem, *inquam, eſt anima, quæ ex vitæ merito, ex muneris priuilegio, ex immenſitate amoris Sponſa verbi vocitetur, de qua Sponſus in eius laudem dicat: Vna eſt columba mea, perfecta mea; vna eſt matris ſuæ, electa genitricis ſuæ. Quum talem inuenit, ſingulari eam diligit charitate: Frequenter viſitat, alloquitur familiariter, dulciter amplexatur, & vix ab illa patitur ſe abſentare. Diſcedit interdum ab illa, non vt iratus, ſed vt amore ſucceſſus. Quo enim tardius redit, ipſa dilatione vehementiùs inflammatur; pulſat crebrius, prouocat ardentius, & dicit: Surge amica mea,*

*Perfecti ad vnum aſpirant.*

Lucæ 11.

Laurent.

*ſpecioſa mea, & veni: columba mea in foramina petra, in cauernam maceria: oſtende mihi faciem tuam; ſonet vox tua in curribus meis: Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Praceps namque amor dilationem non patitur: moras neſcit deſiderio fruendi, quem diligit. Amoris artem amandi neſcius non capit: ſolus nouit expertus.*

## TERTIVS SENSVS

### *De Chriſto & B. Virgine.*

VNiecè & maximè propriè competit hæc ſententia B. Virgini, ipſa enim eſt vna columba, id eſt, vna Sponſa S. Trinitatis, præ omnibus hominibus & Angelis electa & dilecta: *Matri ſua, id eſt, Eccleſia Patriarcharum*, ait Rupert. *& Regum iuſtorum, ex qua progenita eſt, quorum ſecundùm fidem benedictionis, qua ad illos repromiſſa erat, ianua vel materia eſt. Et illi matri & huic genitrici vna & electa eſt, quia nec inter Angelos, nec inter homines ſimilem vel primam habet, vel ſequentem habitura eſt: verè columba, quia gratia plena; verè electa, qua non ſolùm ſalua exiſteret, verùm etiam ipſam ſalutem pareret.*

Rupert.

Quocirca S. Trinitas totum ſuum amorem in B. Virginem transfudiſſe videtur, adeò vt eam ſolam plus diligat, quàm totum orbem omnéſque Angelos & homines ſimul ſumptos, vti docet Franc. Suarez aliíque Theologi. Vide Suarez 3.p.q.37.diſp.18.ſect.4. vbi quatuor rationibus, & plurimis patrum teſtimoniis idipſum confirmat. Audi Guilielmum: *Vna eſt columba mea, perfecta mea: Vna eſt regina reginarum, Domina concubinarum, nutrix adoleſcentularum. Hæc eſt columba per fœcunditatem, & mea per ſingularis partus nouitatem; columba mea, cui ego ſingularis pullus ſum, perfecta mea, cui nihil deeſt ad gratiam & ad gloriam, cuius neque fœcunditas virginitatem defflorauit, neque virginitas fœcunditatem ignorauit.* Et poſt nonnulla: *Eſt etiam vnicè electa genitrici ſua, ſingulariter electa ad miniſterium redemptionis & regenerationis gratia. Inſigne quippe & ſingulare miniſterium gratia redemptrici exhibuit in eo, quòd ipſum redemptorem ſibi nobiſque genuit, ſibi nobiſque pio lacte aluit, atque ad annos maturitatis pia materna ſollicitudinis ſedulitate perduxit.* Audi & Honorium: *Tu vna omnium tranſcendis merita, & ideo pra omnibus ſola electa, columba mea, in qua transfudi Spiritus chariſmata; perfecta mea, quam perfudi perfectione per virtutum munera. Hæc vna eſt imitabilis matri ſua, ſcilicet praſenti Eccleſia; electa genitrici ſua, Angelorum frequentia. Viderunt eam oculis cordis filia Sion, id eſt, Eccleſia, & beatiſſimam prædicauerunt, vt ipſa dixit: beatam me dicent omnes generationes. Et regina & concubina, actiui & contemplatiui, ita laudauerunt eam, dicentes. Qua eſt iſta, vt ſequitur verſ. ſeq.*

Guiliel.

Honor.

Porrò Lucas Abbas Aponij continuator per vnam columbam accipit humanitatem Chriſti: hanc enim præ omnibus ſibi deſpondit Verbum æternum, cum illam, factus homo, aſſumpſit ex B. Virgine, cui proinde quaſi matri ſuæ fuit dilectiſſima. Eadem humanitas dicitur fuiſſe *electa genitrici ſua*, quia ipſa electa fuit mediatrix inter robur diuinitatis & carnis fragilitatem. Hæc Lucas. Humanitas enim Chriſti fuit prima & proxima Sponſa Verbi, vti iam ſæpius dixi.

*Per columbam vnam quibuſdam videtur ſignificari humanitas Chriſti.*

*Viderunt eam filia* (adoleſcentulæ,) *& beatiſſimam prædicauerunt: Regina & concubina*, (viderunt eam) *& laudauerunt eam.* Verſ.8.

Arabicus: *Poſt eam regina, concubina, & laudabunt eam:* quod mirum eſt, cùm & ipſæ ſint pulchræ, ac laudem mereantur. Verùm Sponſæ pulchritudinem longè maiorem admirantes, nec ei inuidentes, ſed congaudentes, illam vno ore celebrant & prædicant.

Alludit ad Liam vxorem Iacob, quæ cum ex Zelpha ancilla peperiſſet filium, vocauit eum Aſer, dicens: *Hoc pro beatitudine mea: beatam quippe me dicent omnes mulieres*, Geneſ. 30.13. Gen.30.13.

Senſus eſt clarus. Nam Eccleſiam Romanam velut matricem laudant omnes filiæ, id eſt, Eccleſiæ parochiales; & concubinæ, id eſt, Epiſcopales; & Reginæ, id eſt, patriarchales & Metropolitanæ.

Animam pariter charitate & ſanctitate eminentem, vti fuit Moſis & Pauli, cæteræ fidelium animæ mirantur & celebrant.

Denique B. Virginem Deiparam glorificant omnes Angeli & homines, iuxta illud: *Beatus venter qui te portauit, & vbera, qua ſuxiſti.* Lucæ 11.27. Hoc ipſa præuidens præcinnit: *Beatam me dicent omnes generationes.* Lucæ 1.48. *Pradicauerunt itaque beatam*, ait Guilielmus, *virginitate, beatiorem fœcunditate, beatiſſimam fœcunditate ſimul & virginitate:* Fœcunditate, inquam, tum phyſica Chriſti, tum ſpirituali fidelium & Chriſtianorum præſertim in gloria cæleſti, vbi exclamant id quod ſequitur: *Qua eſt iſta qua progreditur quaſi aurora*, &c. ita Rupert.

Luc.11.27.

Luc.1.48.

Ghilielm.

Rupert.

Porrò

Porrò Lucas Abbas per Sponſam accipiens humanitatem Chriſti Verbo deſponſam: *Viderunt*, inquit, *eam quæcumque virtutes, cæleſtis Ieruſalem ciues charitati paternæ vnitam, naſcentem in terris, pannis inuolutam, maieſtatis gloria coruſcantem, & beatiſſimam prædicauerunt, dicendo: Gloria in excelſis Deo. Qua omnes beatitudines ſola in terra, inter omnes in integro obtinuiſſe moſtratur.*

Luc. Abb.

Denique Chaldæus hæc accipiens de Machabæorum victoriis & triumphis, ſic vertit: *Tunc egreſſi ſunt filij Haſimonæorum, & Mathatias & omnis populus Iſraël, & pugnauerunt contra eos, & tradidit eos Dominus in manus eorum. Et cum hoc vidiſſent habitatores prouinciarum, beatos eos dixerunt, & regna terræ & potentes laudauerunt eos.*

Chald.

---

## Vox Adoleſcentularum.

Verſ. 9. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata?*

Hebr. Ambroſ. Vatabl. Pagnin. Syrus.

QVÆ eſt iſta quæ progreditur. Hebr. eſt נִשְׁקָפָה *niſkapha*, id eſt, *aſpicit*, S. Ambroſ. & Hieron. *proſpicit*. Vatablus, *proſpectat*, Pagnin. *videtur*) *quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa* (Syrus *munda*) *vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata*. Syrus *vt myriades*, ſcilicet, cohortum & militum. Arabicus: *vt caſtra ordinata in horto nucum*. Septuag. *pauor, vel ſtupor* (tam actiuus quàm paſſiuus: vtrumque enim ſignificat. Hebr. אֵימָה *ema*, in quo noſter & Hebræi aliis punctis legunt אֲיֻמָּה *aiumma*, id eſt, *terribilis*) *vt ordinata*, ſcilicet acies. Optimi enim milites in acie pugnaturi initio pauent & contremiſcunt, ſed deinde pugnando pauorem ſuperant eúmque hoſtibus incutiunt, iiſque fiunt terribiles vt leones: ſic iuſtus pauens timénſque Deum terribilis ſit hoſtibus. Symmach. *terribilis pauorémque incutiens ſecundùm acies*. Sexta editio: *terrefaciens inter magnificatas*. Quinta editio: *Illuſtris vt magnificata*.

Arabic. Lxx.

Symmach.

Eſt vox adoleſcentularum, concubinarum & reginarum laudantium Sponſam, qua fatentur, ſuam pulchritudinem omnem vinci à decore Sponſæ tanto interuallo, quanto aurora vincit noctem, ac ſol & luna ſuperant cætera aſtra. Caſſiodor. S. Gregor. Theodor. Beda & alij cenſent hanc eſſe vocem Synagogæ admirantis Eccleſiæ pulchritudinem, de qua mox plura.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

QVia aurora eſt lucis initium, luna autem lucis augmentum, ſol verò lucis plenitudo, hinc hiſce ſymbolis ſignificatur Eccleſiæ initium, progreſſus & perfectio. Vnde Honorius: Eccleſia, inquit, ante legem Moſaicam in ſtatu legis naturæ fuit aurora, quando quoddam initium duntaxat legis & diuinæ cognitionis habuit; Luna fuit ſub lege, quia creſcebat tunc illa cognitio radiorum Solis adhuc indiga; ſol fuit ſub Euangelio, quia tunc Eccleſia robur ſuum & vires inuictas, vero ſole illucente & nocturnas omnes tenebras penitùs diſpellente, vltimo conatu eſt exertura. Nam ad Antichriſti tempora iam orationem vergere, etiam D. Gregorius docuit, nec diſſentit Caſſiodorus, qui vult eſſe vocem Synagogæ in fine ſæculi, per prædicationem Eliæ & Enoch ad Chriſtum conuerſæ.

*Symbolicè, aurorâ, lunâ & ſole ſignificatur initium, progreſſus, & perfectio Eccleſiæ.*

Meliùs alij hæc omnia ad progreſſus Eccleſiæ Chriſtianæ referunt: ipſa enim ſub Chriſto & Apoſtolis exorta eſt tenuiter, occultè & latenter, quaſi aurora in Iudæa; deinde increuit vt luna creſcens ad plenilunium, ſed luce pallida, vtpote per terrores, perſecutiones & martyria innumerorum martyrum ſub decem Imperatoribus eam perſequentibus vſque ad Conſtantinum Magnum; quando facta vt ſol, radios ſuæ fidei & imperij ſparſit per totum orbem: mox cœpit eſſe vt caſtrorum acies ordinata, quando idololatriam & gentiliſmum debellauit, ac Arrij, Neſtorij, Pelagij, aliorumque ſubnaſcentes hæreſes profligauit, atque exorientes inter fideles morum abuſus reformauit: maximè verò talis erit in fine mundi, quando eum Antichriſto fortiſſimè confligens, per Eliam & Enoch eundem ſuperabit, & & Iudæos conuertet, atque mirâ ſanctitatis gloriâ vbique coruſcabit. Vnde ad finem mundi omnia hæc referunt Sanctus Gregorius, Teodor. Beda, Caſſiodor. Coſmas Damianus, Delrio hîc, & Franciſcus Ribera Apocal. 11. verſ. 2. & & rectè; eo enim ſequentia ſpectant. Tunc enim Eccleſia oppreſſa ab Antichriſto & impiis, & penè extincta, ab Elia & Enoch ſuſcitata conſurget quaſi

*Progreſſus Eccleſiæ.*

aurora, ſenſimque increſcet vt luna, ac tandem radiabit vt ſol ſplendidiſſimus, eritque vt caſtrorum acies ordinata, qui omnes Antichriſtianos & impios vel profligabit, vel ſibi ſubiget. Vnde S. Ioann. Apocal. 12. 1. & ſeq. huc alludens, Eccleſiam futuram in fine mundi deſcribit per ſpeciem mulieris coronatæ 12. ſtellis, quæ lunam pedibus premit, & ſole amicitur, paritque maſculum, quem deuorare ſatagens Draco, à Michaële profligatur. Vide ibi dicta. Túncque pariter Chriſtus veniet ad iudicium, quo Eccleſiam militantem faciet triumphantem, ac ſole ſplendidiorem, omnibúſque dæmonibus & reprobis formidabilem. Audi S. Gregor. *Eccleſia ſancta quaſi aurora conſurgens in iudicio vltimo progreditur; quia, relictis tenebris corruptionis claritate innouatur. Quæ benè vt ſol electa dicitur, quia ad eandem gloriam perducitur, ad quam caput eius Chriſtus, qui ſol iuſtitiæ eſſe perhibetur. Vnde eſt quod idem ſol ait: Volo pater, vt vbi ego ſum, illic & miniſter meus ſit.*

Gregor.

Audi & Caſſiodor. ac Bedam cenſentes, hæc eſſe verba Synagogæ in fine mundi, admirantis Eccleſiæ pulchritudinem: *Quæ eſt iſta, quæ quaſi aurora, tranſactis tenebris infidelitatis, lumen veritatis habere oſtendit, proficiens de virtute in virtutem, totúmque orbem cæleſti occupans prædicatione. Pulchra vt luna, quia Chriſti veri ſolis gratiâ illuminatur; & quia in vita præſenti aliquando, conceſſa pace, creſcit; aliquando per aduerſitates decreſcere videtur. Electa vt ſol in alta vita, vbi perpetuo reſplendebit gaudio de viſione conditoris ſui, atque etiam in vita præſenti, quia Chriſtum verum imitatur ſolem: quæque charitatis vnione vnita, terribilis dæmonibus eſt vt caſtrorum acies ordinata.*

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

ANima ſancta oritur vt aurora, cùm à peccati tenebris reſurgit ad lucem gratiæ: creſcit vt luna, quando ad lucem hanc magis magíſque dilatatur, & in omni virtute proficit: denique electa fit vt ſol, cùm plenâ charitate & ſanctitate reſplendet: túncque eſt terribilis dæmonibus & impiis, quaſi caſtrorum acies ordinata. Audi S. Gregor. *Luna quippe dum noctem illuminat, caligantibus oculis iter, per quod homo gradiatur, demonſtrat. Sic nimirum quæque anima, quæ tenebras dimittit & in ſanctam operationem ſe extendit, dum exemplum bene operandi tribuit proximis, quaſi lucem tenebreſcentibus oculis ſpargit. Dum enim peccantes quique bonum opus aſpiciunt, & & ad idem faciendum ſe conuertunt, quaſi errãtes in nocte per lumen lunæ ad viam redeunt. Hæc itaque anima dum peccantibus bona exempla præbet, quaſi luna in nocte lucet. Dum verò magis ac magis creſcit, & de die in diem per conſuetudinem operis lumen iuſtitiæ tam perfectè accipit, vt etiam bonis exempla imitationis præbeat, quæ prius ſolis peccatoribus imitanda apparebat, profectò iam luna ſol efficitur; quia in nocte errantibus nunc lucebat, modo in die ambulantibus lumen veritatis manifeſtat.*

Gregor. *Tres gradus virtutis.*

Idem lib. 16. moral. cap. 25. *Mens iuſti, ait, eſt aurora, quæ peccati ſui tenebras deſerens, ad lucem iam erumpit æternitatis.* Notat Haymo ſolem & lunam nunquam quieſcere, ſed perpetuo moueri, & manè continuò creſcere vſque ad meridiem; idem debere facere fidelem & iuſtum, iuxta illud: *Iuſtorum autem ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectam diem.* Prouerb. 4. 18. Incipientes ergo lucere incipiunt vt aurora; hinc adhuc miſtas habent tenebras cupiditatum & vitiorum proficientes magis lucent, vt luna; quia ſicut hæc noctem, ſic ipſi peccatores illuminant: Perfecti fulgent vt ſol, qui per diem omnes irradiat. Sic enim & perfecti omnes, etiam iuſtos ſuo ſplendore illuſtrant. Ita S. Gregor.

Prou. 4. 18.

Huc facit verſio Chaldæi: *Dixerunt,* inquit, *nationes: quàm ſplendida ſunt opera populi huius ſicut manè: pulchri ſunt iuuenes eius; ſicut luna; & pura ſunt merita eius, ſicut ſol; & terror eius erat ſuper omnes habitatores terræ, quando ambulabant vexilla eius per deſertum.*

Chald.

Porrò Iuſtus Orgelit. hæc accommodat tribus gradibus caſtitatis: *Coniugati enim caſtè viuentes,* inquit, *fulgent, vt auroræ: viduæ & continentes, pulchreſcunt vt luna; virgines radiant vt ſol.* S. Bernard. verò ſerm. 60. inter paruas hæc adaptat tribus Religioſorũ virtutibus, ſcilicet per auroram intelligit humilitatem, per lunam caſtitatem, per ſolem charitatem.

*Tres gradus Caſtitatis.* Orgelit.

Anagog. mens ſancta, quæ in hac vita carnali & corruptibili fulget vt aurora, & vt luna, quæ variis mutationibus eſt obnoxia, atque nunc creſcit, nunc decreſcit; in cælo plena, clara & conſtanti luce coruſcabit vt ſol, iuxta illud Chriſti: *fulgebunt iuſti vt ſol in regno patris eorum.* Matth. 13. 43. ita S. Gregor. Theodor. & S. Ambroſ. de obitu Valentiniani, quem audi: *Quæ eſt iſta, quæ proſpicit ſicut aurora,* &c. *Proſpicit,* ait, *ſancta anima de loco ſuperiore, tanquam inferiora deſpiciens: exiuit de*

Matt. 13. 43. Gregor.

*uit de tenebris iſtius ſaculi, vt luna reſplendens, vt ſol refulgens.* Sic & S. Hieron. epiſt. 22. ad Euſtochium: *Tunc*, ait, *Angeli mirabuntur animam* (ad cælos ſcandentem) *& dicent: qua eſt iſta proſpiciens quaſi diluculum, ſpecioſa vt luna, electa vt ſol?* Hieron.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

RVpertus docet, Beatam Virginem fuiſſe auroram innatiuitate, lunam in conceptione Chriſti; ſolem in Aſſumptione ad cælum: *Quando nata es*, inquit, *ó Virgo Beata, tunc vera nobis aurora ſurrexit, aurora prænuncia diei ſempiterni; quia ſicut aurora quotidiana finis præteritæ noctis eſt, & initium diei ſequentis, ſic natiuitas tua, natiuitas ex ſemine Abrahæ, clara ex ſtirpe Dauid, ad quos cum iuramento Dei facta eſt repromiſſio benedictionis; finis dolorum, & conſolationis fuit initium; finis triſtitiæ, & lætitiæ nobis extitit principium. Pergit deinde ab aurora ad lunam. Quando autem Spiritus ſanctus in te ſuperuenit, & filium Virgo concepiſti, Virgo peperiſti, tunc tu & ex tunc pulchra pulchritudine diuina; pulchra, inquam, non quomodocunque, ſed vt luna: ſicut enim luna lucet & illuminat luce non ſua, ſed ex ſole concepta; ſic tu, ó beatiſſima, hoc ipſum, quòd tam lucida es, non ex te habes, ſed ex gratia diuina, ò gratia plena. Denique à luna tranſit ad ſolem. Quando autem de hoc mundo aſſumpta, atque ad æthereum thalamum tranſlata es, tunc tu & ex tunc electa vt ſol; electa, inquam, nobis, quia ſicut ex te natum Dei filium ſolem verum, ſolem æternum adoramus & colimus, vt Deum verum, ſic & te honoramus atque veneramur, vt veri Dei genitricem, ſcientes quia totus honor impenſus matri, ſine dubio redundat in gloriam filij.* Rupert.

Rurſum S. Bernard. ſerm. 1. de Aſſumptione: *Glorioſa virgo*, ait, *lampas ardentiſſima, ipſis quoque Angelis lucis miraculo fuit, vt dicerent: Qua eſt iſta, quæ progreditur ſicut aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol? clarius enim cæteris rutilabat.* Bernard.

*Analogia Auroræ & Deiparæ.* Audi Analogias Auroræ & Deiparæ, quas è patribus collegit Noſter Spinellus cap. 24. de Deipara num. 18. Aurora terminus eſt noctis, & diei principium, ſolémque adeſſe teſtatur; nocturnas aues effugat; diurnas verò ad concinnẽdum inuitat; iugiter etiam in ſplendorem maiorem proficit, eóque tempore decidit ros albus, quo ab æſtu refrigerantur ſata & fœcundatur terra: Ita Virgo Deipara mundo ignorantiæ, & peccatorum tenebris circumfuſo illuxit, veluti æternæ caliginis exterminiũ: ſolis iuſtitiæ non tantùm prænuncia & geſtatrix, ſed etiam genitrix; dæmones veluti tenebrarũ aues immundas longè expellit: Dei ſeruos & ipſos Angelos, tãquam aues diei ſublimè volantes ad Dei laudes excitat, atque inuitat, multò meliùs, quàm olim tres illi pueri è Babylonicæ fornacis incendio liberi, creaturas omnes ad Deo benedicendum inuitabant: cum longè maiora Dei in humanum genus beneficia per Deiparam innotuerint & obuenerint. Eſt item ſicut aurora iugiter conſurgens cùm in ſuis omnibus actibus, dum viueret, maioribus meritorum incrementis ſemper excreuerit, & nunc eius apud homines cognitio, & in eam pietas in dies magis magíſque perpetuò propagetur, eiúſque precibus diuina gratia in hominum animas deſcendat, veluti ros albus, quo ab æſtu tentationum & concupiſcentiæ refrigerantur, & ad bona opera germinanda fœcundantur. Ideo Deipara ipſa à S. Germano Patriarcha Conſtant. ora. de oblat. virg. vocatur ardoris, qui eſt in nobis) ros diuinus, ac exciccati noſtri cordis diuinitus irrorans aſperſio. Aut potius B. Virgo quaſi aurora peperit rorem Chriſtum, qui quaſi ros æſtum concupiſcentiæ refrigerat, & animæ hortum fœcundat, ac bonorum operum feracem efficit. Vnde Iſaias cap. 45. *Rorate*, ait, *cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum.* puta Chriſtum. Quocira Durandus in Rationali diuin. offic. agens de feſto Natiuit. B. Virginis aſſerit, B. Virginem natam die 8. Septemb. in Sabbatho, ídque illuceſcente aurora, iuxta reuelationẽ cuidam viro religioſo factam, vt ſignificaretur ipſam fore auroram, quæ ſolem iuſtitiæ præiret & pareret. Adhæc B. Virgo cõtra dæmones eſt inuicta, vt caſtrorum acies ordinata. Audi S Bernar. apud S. Bonauent. in ſpecul. cap. 3. *Non ſic timent hoſtes viſibiles caſtrorum aciem copioſam, ſicut aëreæ poteſtates Mariæ vocabulum, patrocinium & exemplum: Fluunt & pereunt ſicut cera à facie ignis, vbicumque inueniunt crebram huius nominis recordationem, deuotam inuocationem, ſollicitam imitationem.* Iſai. 45. Bernard.

Symbolicè Philo Carpath. humanitas (hæc enim prima in Cantico hoc eſt Spõſa Verbi) Chriſti, inquit, fulget vt luna; diuinitas verò radiat vt ſol, iuxta illud: *Thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta.* Pſalm. 88. verſ. 38. Pſal. 88. 38

Lucas Abbas autem omnia hæc adaptat humanitati Chriſti: hæc enim

primò : *Egreditur*, inquit, *quaſi aurora poſt*
*ignorantiæ tenebras, quaſi matutina luce con-*
*ſurgens ad ſacrũ Baptiſma*. Secũdò, *per ſingu-*
*las virtutes pulchra vt luna, quæ tot annis* (puta
triginta) *ſapientia & ætate corporis proficit,*
*quot diebus luna complet orbem & minuit. Quæ*
*vt luna in ortu oſtenſionis ſuæ præſtat lætitiam*
*viatoribus contriſtatis, in nuptiis, exhauſto vi-*
*no, inter exordia adhuc credentium, ſplendens*
*oſtenditur; & in cuius occaſu totum mundum*
*tempeſtas quaſſauit, & amoris luminaribus te-*
*nebris operuit. Electa vt ſol, poſt reſurrectionis*
*gloriam pleniſſimam, paterna claritate conſi-*
*ſtens. Poſſunt ſiquidem tres iſti gradus laudibus*
*pleni in futuro iudicio intelligi. Apparebit iu-*
*Aponius.* *ſtis in pulchritudine lunæ, cælorum virtutibus*
*in maieſtate fulgens; impiis autem deputatis æ-*
*terno igni terribilis vt caſtrorum acies ordinata.*
Hæc Lucas, vel potiùs Aponius; huius
enim abbreuiator eſt Lucas.

---

## VOX SPONSI.

Verſ. 10. *Deſcendi in hortum nucum, vt*
*viderem poma conuallium, & inſpice-*
*rem ſi floruiſſet vinea, & germinaſſent*
*mala punica.*

DESCENDI *in hortum nucum,*
*Lxx.* *vt viderem poma conuallium.* (Se-
ptuag. *genimina torrentis*. Sym-
mach. *ad conſiderandos fructus*
*Symmach.* *conuallis*. Atabicus, *fruges torrentis*) *& inſpi-*
*cerem ſi floruiſſet vinea, & germinaſſent*. (He-
*Hebr.* *Lxx.* bræi, & Septuag. *floruiſſent*) *mala punica*,
puta arbores malorum punicorum. Se-
ptuag. & Atabicus addunt : *ibi dabo tibi*
*vbera mea.*

Theodor. Caſſiodor. Tres Anonymi,
Genebrardus, Coſmas Damianus, cen-
ſent hæc eſſe verba Sponſæ natrantis
Sponſo, cur ad hortum venerit.

Verùm cum vetſ. 1. & 2. Sponſa in-
ſinuet ſe deſcendiſſe in hortum, vt ibi-
dem quæreret Sponſum, impertinens
videtur vt hîc aliam cauſam deſcenſui
ſuo prætexat. Quate aptiùs S. Hieron.
in cap. 12. Zachar. S. Gregor. Philo,
Anſelm. Rupert. Lucas Abbas, Delrio,
Sanchez & alij, cenſent, hæc eſſe verba
Sponſi, qui Sponſæ ſe tam ſollicitè quæ-
renti reconciliatus offenſam diſſimulat,
ac repentini diſceſſus ſui, de quo verſ. 6.
aliam cauſam prætexit, ſcilicet vt horti
fructus inſpiceret, an germinarent, vel
etiam mатureſcerent poma; nam aliqua
poma, vt ceraſa, pruna, quin & poma
quædam propriè dicta matureſcunt ini-
tio æſtatis, cùm florent vineæ & germi-
nant mala punica.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

CHriſtus videns Prælatos Eccleſiæ
Gentilium negligentes in refor-
mandis erroribus & moribus fidelium,
declinat ad hortum nucum, id eſt, ad
Synagogam Iudæorum, ex qua natus
fuit & Apoſtolos collegit, adeóque in
ea fundamenta ſuæ Eccleſiæ poſuit, vt
Iudæos conuertat, atque eorum fructus
conſideret & colligat ſuo tempore; ni-
mirum nuces pœnitẽtiæ & patientiæ, ac
poma conuallium (in conuallibus enim,
vbi ſunt aquæ & torrentes, fertiliùs pro-
ueniunt poma, cæteríque fructus) puta
fructus humilitatis, atque vuas & vina
deuotionis, & mala punica charitatis. Id
fecit variis temporibus & locis, ſed ma-
ximè faciet in fine mũdi, cùm per Eliam
& Enoch, pleróſque Iudæus efficiet
Chriſtianos, imò Sanctos eximios. Hoc
ſuo deſcenſu Chriſtus inuitat Prælatos,
& fideles Eccleſiæ, vt & ipſi deſcendant
curéntque Iudæorum (quos paſſim ne-
gligi videmus) ſalutem, nec de ea deſpe-
rent, ſed eam longanimiter expectant.
Idem dico de quibuſuis obduratis. Ita
Philo Carpath. Rupert. Lucas Abbas,
Coſmas Damianus, Giſlerius, Delrio, &
alij per hortum nucum accipiunt Syna-
gogam Iudæorum, ad Chriſtum con-
uerſorum & conuertendorum, præſer-
tim in fine mundi; horum enim ma-
gnã curam ſe gerere oſtendit hîc Chri-
ſtus, ſicut & Paulus Rom. 9. 1. Nux enim *Hortum nucum eſt Synagoga Iudæorum.*
primò nullum fert fructum, niſi perticis
& lapidibus icta : Sic Iudæi olim nil bo-
ni egerunt, niſi à Deo per plagas & ver- 1.
bera adacti. Secundò, ſicut nux amaro 2.
cortice, ac deinde duro putamine tegi-
tur : ſic Iudæi amarum & durum habent
cor contra Chriſtum, ac in Iudaiſmo
ſuo ſunt obſtinati. ita Rupert. Tertiò, 3.
nux fertur emittere ſpiritum, qui tor-
porem & veternum immittit, ait Cle-
menſ. Alex. lib. 2. pædag. cap. 8. Vnde &
nux Græcis καρύα vocatur à κάρυ, id eſt,
torpore & grauedine, quem inducit : ſi-
cut nux Latinis dicitur à nocendo; ſic
perfidiæ veterno pleróſque Iudæos la-
borare videmus; idque ex Dauide aſſe-
uerat Paulus Roman. 11. v. 9. Quartò, 4.
ſicut nux facilè corrũpitur & putreſcit,
túmque putida eſt & noxia; ſic olim
Scribæ

Digitized by Google

Scribæ & Phariſæi, ac nunc Rabbini nu-
cleum legis prauis ſuis interprerationi-
bus corruperunt, & putidum effecerũt:
qua de re eos redarguit Chriſtus Matth.
5. cap. 5. & cap. 23. Quintò, ſicut arbor nu-
cum, teſte Plinio, lib. 17. cap. 12. proxi-
mas ſegetes & plantas graui ſua lædit
vmbra; ſic gens illa alias nationes, qui-
buſcum verſatur, improbo vitæ ſuæ
exemplo, impiáque doctrina malè affi-
cit, nec fructus vllos Euangelicos ferre
6. permittit. Sextò, lex Moſis comparatur
Phil. Carp. nuci: *Sicut enim nux arbor*, ait Philo Carpathius, *folia amara, eáque trifida, & fructum ipſum, nuces ſcilicet, cortice amariſsimo, quem culeum appellant, & duriore teſta, atque arida circumtectas profert, quæ quidem intus nucleũ non ingratum quadriſpicuum, húcque lignea cartilagine intercurſante, & tenui membranula, dum viridis eſt, ſeptum continent: Ita lex illa digito Dei ſcripta, ex ſacrificiis illis carnalibus & ceremoniis, tanquam nux amara frondibus eſſe videbatur, quanquam trinum Deum & vnum myſticè ſignificantibus, & duro admodum ſenſu, quamquam myſtico, veluti cortice tecta erat; velatum tamen ſuauiſsimum fructum & maximè ſalutarem, Chriſtum Ieſum, cælitus deſcenſurum tenebat incluſum; húncque quadrifido Euangelico ſenſu, per quatuor cardines orbis propalandum, nec niſi rectè & ſanctè enucleantibus eruendum, edendúmque ſanctiſsimè.*

*Tropologicè Nux typus patientiæ. cur?* Tropologicè nux vel potius fractio & comeſtio nucis, ſignificat patientiam, qua Eccleſia & prædicatores conſtanter laborant in vincenda pertinacia Iudæorum: nux enim, vt comedatur, debet primò ex arbore, cui tenaciter adhæret, magna vi deiici, & mox decorticari: tertiò, frangi: quartò, è cortice nucleus eximi, vel potiùs violenter extorqueri: quintò, ſolliculo ſuo, ſiue cute ſua exui: ſic vt Iudæum, & durum quemlibet conuertas, magno longóque labore & patientia opus eſt. *Putamine*, ait Plinius *(Plinius.)* lib. 15. cap. 28. *clauduntur nuces, corio caſtaneæ, cruſta glandes, cute vuæ, corio & membrana punica, carne & ſucco mora conſtant, cute & ſucco caraſa.* Idem cap. 22. ait, *nucem iuglandem gemino protegi operimento; Puluinati primùm calicis, mox lignei putaminis, quæ cauſa eas nuptiis religioſas fecit, tot modis fœtu munito: quod eſt veriſimiliùs, quàm quia cadendo tripudium ſonúmue faciant.* Et poſt nonnulla: *ſolum hoc pomum natura compactili operimento clauſit. Námque ſunt bifida putaminum carinæ; nucleorúmque illis quadripartita diſtinctio, lignea intercurſante membrana.* Sicut ergo nucem parare ad eſum volenti magna eſt opus patientia, ſic eadem opus eſt ſponſis, vt ſponſas ſuis moribus accommodent, ac præſertim ſponſas ſpirituales, vt ſcilicet homines duros & refractos, quales ſunt Iudæi, Chriſtianis legibus informent. Hinc prouerbium, cuius meminit Plautus in Curcul. *Qui è nuce nucleum eſſe* (edere) *vult, frangat nucem*, id eſt, qui commodum appetit, ne fugiat laborem; qui quærit voluptatem, prius experiatur ſudorem, ſine quo non paratur vera voluptas. *Nux*, ait S. Hieron. *foris tum dura eſt, tum amara, ſed intus ſuauiſsimum condit cibum.* *(Hieronym.)* *Sicut Moly herba*, ait Homerus Odyſ. 10. *radicem habet nigram ſed florem lacteum.* *(Homer.)*

Quocirca nux vel potiùs fractio nucis, ſymbolum eſt perfectæ patientiæ illorum, qui animas Chriſto lucrare & deſpondere ſatagunt, præſertim illas, quæ callum in perfidia, aut vitio quopiam longa peccandi conſuetudine obduxere, vt callus hic ſenſim & ſuauiter reſecetur. Nam, vt aiunt Tres Anonymi apud Theodor. virtutis dulcedo & decus conſeruatur in medio amaritudinis, laborum, tentationum & aſperitatum; perinde ac nucleus nucis ſeruatur in medio duræ corticis. Nux ergo ſua duritie in genere duritiem quamlibet repræſentat, quæ ſi circa obiectum bonum verſetur, bona eſt, qualis eſt in patientia, conſtãtia & fortitũdine: ſi circa malum, mala, qualis eſt in pertinacia & obſtinatione: imò ex malo in bonum ſæpe commutatur, vti Iudæi duritiem in perfidia ſua ab Elia conuerſi mutabunt in conſtantiam fidei admirabilem.

Hinc Philo lib. 3. de vita Moyſis: nux, *(Nux eſt virtus perfecta.)* ait, ſignificat perfectam virtutem, vt enim in nuce idem eſt finis & principium, in quantum enim eſt ſemen, eſt principium; in quantum fructus, eſt finis: ſic & in virtutibus, vnaquæque eſt finis & principium: Extremum putamen eſt amarum, ligneus cortex interior eſt ſolidus: ſic labor virtutis durus eſt & difficilis, quo tamen ad felicitatem tam propriam, quàm alienam peruenitur. Rurſum ſapientes & perfecti dum diuinam ſapientiam & virtutem intra corpora ſua conſtanter retinent, quaſi nucleum in fragili teſta portant. Vnde Apoſtolus: *Habemus theſaurum in vaſis fictilibus.*

Huc facit verſio Chald. qui Iudaicè hæc accipit de templo & Iudæis: *Dixit Dominator ſæculi: In domo ſanctuarij ſecunda,* *(Chald.)* *quæ ædificata eſt per manum Cyri, habitare feci maieſtatem meam, vt viderem opera mea po-*

*puli mei, & vt viderem ſi creſcant & multiplicentur ſapientes, qui comparantur viti, & ſi germina eorum plena ſint operibus bonis, ſicut mala punica.*

Symbolicè S.Auguſt. ſerm. de Tempore, ſerm. in Dominica proxima ante feſtum natiuitatis Chriſti docet, nucem trina conſtare ſubſtantia, ſicut Eccleſia conſtat Chriſto, Iudæis, & Gentibus: *Nux*, ait, *trinam habet in ſua corpore ſubſtantiæ vnionem, corium, teſtam & nucleum. In corio caro, in teſta oſſa, in nucleo interior anima comparatur.* Auguſt. *In corio nucis carnem ſignificat Saluatoris, quæ habuit in ſe aſperitatem, vel amaritudinem paſſionis: In nucleo interiorem declarat dulcedinem deitatis, quæ tribuit paſtum, & luminis ſubminiſtrat officium: in teſta lignum interſerens crucis, quod non diſcreuit id quod foris & intus fuit, ſed quæ terrena & cæleſtia fuerunt mediatoris ligni interpoſitione ſociauit, dicente B. Apoſtolo: Quia ipſe per ſanguinem crucis ſuæ pacificauit omnia quæ in cælis ſunt & quæ in terris, cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Huc accedunt Philo Carpath. Rupert. Lucas Abbas, qui Chriſtum aiunt deſcendiſſe in hortum nucum, id eſt, ad Synagogam Iudæorum, cum ex ea carnem aſſumpſit, vt eam omni ſua gratia & virtute cumularet.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima ſancta.*

*Hortus nucum quæ ſit?* HOrtus nucum eſt anima ſancta, patiens & perfecta, præſertim quæ aſſiduè laborat in conuerſione peccatorum durorum, quales ſunt Iudæi, Hæretici, concubinarij, vſurarij, ſimoniaci, &c. Audi S. Gregor. *Quid per nuces, niſi perfectos quoſque intelligimus, qui dum diuinam ſapientiam intra corpora ſua retinent, quaſi nucleum in fragili teſta portant? Sunt enim quamplures in Eccleſia, qui aſſidua diuinæ Scripturæ intendunt, quàm ſuauis ſit Dominus guſtantes, amplius geſtare concupiſcunt, ſancta gaudia in corde ruminant, & ruminantes magis ac magis conualeſcunt; & tamen foris neſcientibus eos viles apparent, quia ignoratur quam dulcem in ſuis interioribus cibum portent.* Gregor. Et nonnullis interiectis: *Dum enim diuina bonitas corda perfectorum illuſtrat, eóſque ad curam proximorum per charitatis ſollicitudinem inſtigat, quid hoc eſt aliud, niſi quod ad hortum veniens, poma conuallis perillos, quibus præſidet, proſpectat. Tunc enim Dominus videre, vel cognoſcere dicitur, cum ſanctos ſuos, quos illuſtrat, ad videndum exhortatur. Sed quid eſt quod non poma montis, ſed poma conuallis vt videat, deſcendit? niſi quod illis reſpectum ſuæ miſerationis tribuit, quos in humilitate perſiſtere cognoſcit.*

Denique florem vineæ & malorum punicorum ſic explicat: *Vineæ florent, quando in Eccleſia filij recenter in fide generantur, & ad ſanctam conuerſationem quaſi ad fructus ſoliditatem præparantur. Mala punica germinant; quando perfecti quique per exempla ſua proximos ædificant, & in nouitatem ſanctæ conuerſationis per prædicationem, & bonorum operum oſtenſionem inuitant. Illud quippe malum punicum, videlicet Apoſtolus Paulus germinauerat, qui dicebat: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Galat. 4. Galat. 4.

*Enucleare nucum eſt examinare conſcientiã.* Symbolicè Caſſiodor. Beda & Theod. per hortum nucum accipiunt conſcientiam cuiuſque, tot operculis & velaminibus, quot habet nux clauſam & obuelatam: quare in eam tum mens ipſa per ſincerum eius internum examen, tum ſuperior & Doctor per externum ſcrutinium deſcendit, cum exquirit & indagat an ritè proueniant nuces patientiæ, & poma conuallium, id eſt, virtutes humilitatis aſſeclæ, vti ſunt pœnitentia, obedientia, patientia; & an floreant vites, ad imitandam paſſionem Chriſti; & an germinent mala punica fraternæ vnionis, concordiæ & charitatis. Deſcendimus ergo ad hortum nucum, cum fundũ cordis noſtri ingredimur, in quo ad ſimilitudinem nucum virtutum fructus dolore, & abnegatione, quaſi cortice protectos poſſidemus, cúmque nuces ipſas, ablatis omnibus corticibus, enucleamus; ait qualis ſit mentis medulla & nucleus inſpiciamus & quod corrigendum eſt, corrigamus, quod addendum, vel demendum, addamus, vel demamus.

Rurſum Iuſtus Orgelit. & S. Athanaſ. in Synopſi, per nucem accipiunt S.Scrip. cuius ſuauis intelligentia paſcens animam, tegitur duro & obſcuro cortice parabolarum, phraſium & ſententiarũ.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

BEata Virgo deſcendit in hortum nucum, cum Iudæos alióſque obſtinatos in peccato conuertit: tunc enim germinare facit in ea poma conuallium humilitatis, pœnitentiæ & obedientiæ, nuces conſtantiæ, vuas & vinum contempla

templa

templationis & mala punica charitatis: quare cum quis obduratum in ſcelere & quaſi deſperatum mollire ſatagit, eundem impensè commendar B. Virgini eiúſque filio, S.Stephano, vri dixi Actor. 7. ſub finem, vbi inter alia ex Seuero narraui, Iudæos Maioricæ Inſulæ anno Domini 412. per Sacra Lipſana S.Srephani fuiſſe conuerſos.

---

Verſ. 11. *Neſciui: anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.*

LXX. SEPTVAGINTA: *Neſciuit anima mea.* Syrus: *Neſciui animam meam*, id eſt, non cognoui meipſum. Pro *conturbauit.* Hebraic.
Hebr. eſt שַׂמַתְנִי *ſcamatni*, pro quo noſter legit שָׁבִין per *ſchin*, illud deriuans à שָׁמַם *ſcamam*, id eſt, obſtupefecit, turbauit, deſolauit, vertit: *conturbauit me*, Et ſym-
Symmach. mach. *anima mea*, inquit, *dubitauit à curribus populi ducentis.*
LXX. Septuag. verò *ſcammatni* deriuantes à שָׂם *ſcam*, id eſt, *poſuit*, ver-
Arabic. tunt: *poſuit me currus Aminadab.* Sic & Arabicus, Ambroſ. lib. de Abraham cap. 8. *Poſuiſti me currus Aminadab.*

Aminadab poreſt hic accipi primò, vr nomen proprium viri, non fratris Dauid, de quo 1. Reg. 17. 13. nec alrerius, in cuius domo Arca Domini requieuit 2. Reg. 6. 3. hic enim dictus eſt *Abinadab*, non *Aminadab*, ſed illius, qui tempore Moyſis fuir dux tribus Iuda, ac filiam ſuam vxorem dedir Aaroni, & poſt ſe filium Naaſon ſibi ſucceſſorem reliquit ducem tribus Iuda. Ita Lyran & Hebræi. Poteſt ſecundò *Aminadab*, vel vr Hebr. eſt, *Amminadib* accipi appellatiuè, vr ſignificet *populum ſpontaneum, liberalem principem.* Hinc Quinta editio vertir: *Po-*
Aquila. *ſuiſti me in currum populi ducis.* Aquila: *Populi ſponte imperantis.* Symmach *populi ducentis.*
Syrus. Alij, *populi nobilis.* Syrus: *in curru populi pa-*
Philo. *rati.* Philo Carpath: *Aminadab* vertit *patris beneplacitum.* q. d. Anima iuſti ex beneplacito Dei eſt currus vehens ſe & alios in cælum.

Hinc nonnulli per currus Aminadab accipiunt currus Salomonis, qui fuit Princeps & dux populi Iſraël. Vnde Rupert. aliique per Aminadab accipiunt Chriſtum, quaſi Salomonis antitypum, qui dux eſt populi fidelis & ſan-
Chald. cti. Iam Chald. vertit: *Cùm autem reuelatum fuerit coram Domino, quòd eſſent iuſti, & quòd laborarent in lege, dixit Dominus in verbo ſuo: Non addam vltra humiliare eos, neque faciam cum eis conſumptionem; ſed conſilium inibo in anima mea, vt benefaciam eis, & vt ponam eos excelſos in curribus Regum, propter merita iuſtorum generationis illius, qui ſimiles ſunt in operibus ſuis Abrahæ patri ſuo.*

Porrò mirè hic in ſenſu variant In- *Senſus.*
rerpreres. Primò, Aben Ezra, R. Salo- 1.
mon & Lyran. vertunt: *Anima mea, poſuit*
*me currum populi imperantis*; Síque expli-
cant de Synagoga & Iſraële. q. d. Dum
neſcirem vbi eſſet Sponſus, dum ſcilicet
colerem idola, non Deum verum, datus
ſum in captiuitatem Aſſyriis & Babylo-
niis, factúſque ſum eis quaſi iumenrum,
& currus vectans & baiulans eorum
onera. Secundò, Luyſius Legion. Gene- 2.
brardus, Vatabl. & Almonacirius expli-
cant, q.d. Sponſa: tanta celeritate rapra
ſum in hortum ex deſiderio Sponſi vt
viderer abrepta quadrigis Aminadab
celerrimis. Tertiò, Sanchez. q. d. Vere- 3.
bar ne Sponſus Aminadab, id eſt, Salo-
mon me Sponſam in currum ſuum nu-
prialem non acciperet, eo quod cap. 5.
verſ. 3. tardaſſem ei pulſanti aperire.
Quartò, Sottomaior. q. d. Verebar ne 4.
Sponſus à me quaſi repulſus, nocte ob-
errans per vicos incurrerer in currus
Aminadab, id eſt, præfecti vrbis: qui no-
ctu vrbem circumit & vagabundos cõ-
prehendit. Quintò, Ioannes Carmelita. 5.
q. d. *Dum te abſentem quærebam fluctibus in-*
*gruentium malorum videbar vt olim Amina-*
*dab, qui currus ſuos ducebat per alueum rubri*
*maris, vbi perturbatus eſt prodigij magnitudi-*
*ne, licet fortitudo præualeret.* Alij aliter.

Verùm dico, Grammaricè quadrigæ 6.
Aminadab (id eſt populi Principis vel *Genuinè.*
ſpontanei) notanr populos Iudææ vicinos, qui illecti fama ſapientiæ & potentiæ Salomonis, ſponte ſe ei ſubdiderunt & tributa detulerunt. 3. Reg. 4. 24. ideóque ad eum miſerunr Legaros cum equis & quadrigis, adeo vt earum copia oppleret aulam Salomonis; quod ægrè ferentes Iudæi qui primas in aula tenere volebant, turbati ſunt: ſicur Macedones indignari ſunt, cùm viderunr ſuum Regem Alexandrum magnum ſubactis Perſis, (vt eos ſibi magis conciliaret) eorum veſtes & habitus aſſumpſiſſe teſte Q. Curtio. Parabolicè verò ſignificarur, quòd Chriſtus in Eccleſia Iudæis gentes aſſecurit, imò prætulerit, ideóque Iudæi turbati ſint. Hinc & Salomon, & magis Chriſtus dictus eſt Aminadab, id eſt princeps populi, ſcilicet gentilis & plurimi.

plurimi. Ergo ſenſus eſt. q.d. Sicut regina videns iuxta Regem peregrinos currus & equites, miratur & turbatur, metuitque, ne is ad peregrinam gentem migrarit, indéque aliam vxorem ſumpſerit: Sic hîc Synagoga videns Meſſiam non vehi curru pompatico Salomonis, Dauidis, aliorúmque Regum Iuda, ſed Aminadab, id eſt, populi ſpontanei, puta gentilis, ac à gentilibus ſtipati, relictis Iudæis miratur & turbatur. Quocirca *iod* in עמי *ammi*, non eſt pronomen affixum ſignificans *meus*, quaſi Synagoga notet populum ſuum Iudaicum: Sed eſt *iod* paragogicum quod ornatus cauſa duntaxat additur. Poteſt tamen *iod* accipi vt pronomen, q. d. populus gentilis, quem Deus nunc vocat *ammi*, id eſt populus meus. Alludit enim ad Oſee 1.v. 11. Hæc de cortice literæ; nunc ad nucleum.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

NOnnulli cenſent hanc eſſe vocem Sponſi Chriſti, alij Sponſæ Eccleſiæ; ſed verius eſt eſſe vocem Synagogæ Iudæorum partim conuerſæ, partim & potius conuertendæ ad Chriſtum ſub finem mundi. Quia enim verſ. præced. Chriſtus deſcenderat in hortum nucum, id eſt, in Synagogam Iudæorum, ad eam per ſuos prædicatores conuertendam, hinc illa hac Chriſti voce & prædicatione excitata, Chriſtum agnoſcit, ac de ſurditate & cæcitate ſua priſtina dolens pœniténſque, eius cauſam aſſignat, & ſuam in credendo Chriſto tarditatem excuſat. q. d. Neſciui Chriſtum eſſe Meſſiam; ideóque eum non colui, quia turbauerunt me quadrigæ Aminadab.

*Quadriga Aminadab quæ? Reſp.* 1. Quæres, quænam hæ? Reſpondetur primò, per eas accipi poſſe Iſraëlem, ac victorias & beneficia Iſraëli à Deo præſtita: Aminadab enim fuit Princeps tribus Iuda tempore Moſis in tranſitu maris rubri, qui, vti tradunt Hebræi, cæteris mare ingredi trepidantibus, primus illud cum ſua tribu ejúſque quadrigis audacter ingreſſus, cæteris ad ſequendum animos addidit, itáque omnes mare tranſierunt; Pharaone inſequente, & demerſo. Quocirca tribus Iuda meruit principatum & regnum Iſraëlis, id eſt, 12. tribuum, ac per eam deinceps Deus Iſraëlem ab hoſtibus per victorias, etiam miraculoſas liberauit & vindicauit. Rurſum Aminadab filiam ſuam Eliſabeth vxorem dedit Aaroni primo Iudæorum Pontifici. Exodi 6. verſ. 23. Quare in Aminadab notatur tam ſacerdotium, quàm regnum Iſraëli conceſſum. Senſus ergo eſt. q. d. Synagoga: neſciui hucuſque Chriſtum eſſe Meſſiam; neſciui Chriſtianam fidem & Eccleſiam eſſe veram & orthodoxam, quia tenuerunt me in Iudaiſmo currus vectrices & triũphales Aminadab, id eſt, regnum, ſacerdotium, victoriæ, beneficia & miracula Deo conceſſa Moſi & Iſraëli, quibus Deus teſtatus eſt ſe auctorem eſſe legis Synagogæ, ac religionis à Moſe inſtitutæ. Ita Titelman.

Secundò magis profundè & appoſitè, quadrigæ *Aminadab*, vel vt Hebr. eſt *Ammi nadib*, id eſt, populi ſpontanei, liberalis & principis, accipiuntur appellatiuè pro quadrigis populi Chriſtiani è gentibus collecti, qui Iudæis fidei reſiſtentibus, vltro credidit Euangelio: quadrigæ autem hæ notant curſum & currum Euangelij, imò quatuor Euangeliorum, quæ inſtar quadrigæ celerrimè per prædicationem Apoſtolorum, & virorum Apoſtolicorũ totum orbem peruolarunt, & quia Iudæi videbant hiſce abrogari ſuam legem à Moſi acceptam, hinc iis & Chriſto credere noluerunt: at tandem ab Elia & Enoch edocti videbunt Chriſtum Moſi, Euangelium legi, Eccleſiam Synagogæ non eſſe contrariam, quin verò Moſen & legem per omnes ſuas functiones & ritus adumbraſſe, & repræſentaſſe Chriſtũ & Euangelium. Videbunt pariter Euãgelij gloriam, miracula, gratias, zelum & ſpiritum à Deo Eliæ & Chriſtianis aſpiratas; quare tunc illi credent, & in eandem Chriſti & Eccleſiæ quadrigam imponẽtur. Vnde ex Hebr. LXX. & alij vertunt: 2.

*Poſuit me currum populi mei ſpontanei, liberalis & principis.* Et S. Athanaſius in Synopſi legens: *Poſuit me currus Aminadab.*, hæc de Synagoga explicat, quaſi ipſa de ſe dicat: *Vidi quod iungenda ſim velut in curru gentium vocationi.* Sic Paulus, inquit Rupert. dicit ſe perſecutum Eccleſiam, ſed miſericordiam conſecutum, quia ignorans id fecit, quia nimirum conturbata eſt anima propter quadrigas Aminadab, videns ſcilicet currum curſúmque Euangelij aduerſari Iudaiſmo. LXX. Athanaſ.

Hic ſenſus communis eſt Patrum. Sic enim explicat S. Gregor. Caſſiod. Beda, Iuſtus, Philo, Rupert. Anſelm. & alij.

Addit

Digitized by Google

Addit Rupertus, Aminadab, qui filiam ſuam dans vxorem Aaroni, copulauit principatum cum ſacerdotio, repræſentaſſe Chriſtum, qui ſimul eſt Pontifex & Princeps Eccleſiæ. Alludit Salomon in voce *Aminadab*, ad illud Pſalm. 109.3.

*Pſal. 109.3.*

*Tecum principium in die virtutis tuæ*, vbi in Hebræo eſt, עַמְּךָ נְדָבֹת *ammecha nedaboth*, quod idem eſt cum *Aminadab*: Vnde S. Hieron. ibidem vertit: *Populi tui ſpontanei erunt in die fortitudinis tuæ*, ô Chriſte. Hinc facit quod Deus Oſee 1. verſ. 9. Iudæos Chriſto rebelles vocat לֹא עַמִּי *lo ammi*, id eſt, non *populus meus*; gentiles verò Chriſto ſe ſubdentes vocat עַמִּי *ammi*, id eſt, *populus meus*: addit hic Salomon נָדִיב *nadib*, id eſt, ſpontaneus, liberalis, hoc eſt, vltrò, ſponte & liberali animo ſubiiciens ſe Chriſto: atque hæc fuit cauſa excæcationis Iudæorũ, quòd ſcilicet Chriſtus eis, vtpote incredulis, ſurrogauit in Eccleſia gentes in ſe vltrò credentes, cum Iudæi obiicerent, Chriſtum Abrahæ & ſemini eius, id eſt, Iudæis non gentibus eſſe promiſſum; quibus reſpondet Apoſtolus Rom. 9. filios Abrahæ cēſeri non ſecundùm carnem, vti erant Iudæi, ſed ſecundùm ſpiritum, qui ſcilicet fidem Abrahæ ſequuntur, vti ſunt gētiles Chriſtiani: Hæ ergo ſunt quadrigæ Euangelij, quæ initio conturbarunt Synagogam incredulam, ſed poſtea credentem mirè recrearunt.

*Hieron.*

*Oſee 1. 9.*

*Symbolicè.* Symbolicè, Coſmas Damianus per currus Aminadab accipit robur & copias Antichriſti: hæ enim initio Iudæos detinebũt in Iudaiſmo, donec is ab Elia & Enoch erroris conuincatur, & profligetur. Accedit Theod. qui ſic exponit q.d. poſuerunt, id eſt, impoſuerunt mihi, ac deceperunt me currus Aminadab, id eſt, Principis ſæculi huius. Et Lucas Abbas, ſiue Aponius, qui per currus Aminadab accipit dæmones, item Pilatum & Iudæos, qui contra Chriſtum clamarunt: *Crucifige, crucifige eum*. Denique nonnulli putant grammaticè hic notari bella, quæ geſſit Salomon contra Emath Suba, id eſt, Syriam Sobal, item contra reliquias Hethæorũ, Amorrhæorum & Iebuſæorum, quos ſibi ſubiecit: vt patet 2. Paral. 8. v. 3. & 7. quaſi Sponſa turbata ſit, metuens ne Sponſo proficiſcenti ad bellum ſiniſtri quid accideret. Hinc per *quadrigas Aminadab* accipiunt Mahometen, Saracenos & Turcas, qui valde turbarunt, & etiamnum turbant Eccleſiam: hi enim abundant exercitibus, equis & quadrigis. Hæ dicuntur *Aminadab*, id eſt, *populi mei ſpontanei*, quia Mahomet ortus fuit à Chriſtianis. Natus eſt enim apud Homeritas; (vnde & nepos eius, qui ei ſecundo loco ſucceſſit in regno Arabum, vocatus eſt Homar) ſiue in Arabia felici, vbi paulo ante ſub annum Chriſti 500. regnante Elesbaan Rege tempore Iuſtin. Imper. mirè floruit Chriſtiana religio. Mahomet autem natus eſt paulo ante annum Chriſti 600. ſub Gregorio magno Pontifice & Phoca Imp. cui ſucceſſit Heraclius Imp. ſub quo Mahomet quaſi dux Arabum ſtipendia meruit; ſed cùm illa Arabibus non ſoluerētur ab Areclij præfecto, illi rebellantes occuparunt Phœniciam, Syriam, Meſopotamiã & Ægyptum, vti ex Paulo Diacono & Simoncra docet Genebr. in Chronol. ac ſenſim ſua arma dilatātes ſub annum Chriſti 1300. mire creuerunt: tunc Ottomannus inuaſit regnum, primúmque ſe fecit Turcarum Imperatorem, atque illud in poſteros per 14. generationes, magno, aſſiduè imperij incremento & Eccleſiæ damno, hucuſque propagauit. Alij *per quadrigas Aminadab*, id eſt, *populi mei*, accipiunt Antipapas, qui Eccleſiam per ſchiſma diſciderunt: tales autem fuêre viginti: tot enim ſchiſmata ſuſtinuit Eccleſia. Alij accipiunt Imperatores ſchiſmaticos, vel eos qui Pōtifices & Eccleſiam oppugnarunt, quales fuêre. Fridericus I. & II. Otho IV. Henricus IV. & V. Hac de cauſa Chriſtus paulò ante verſ. 10. ait: *deſcendi in hortum nucum*, id eſt, in Eccleſiam ſchiſmate diuiſam, ſicut nux in duo fragmenta ſcinditur & diuiditur.

*Aliqui per quadrigas Accipiunt Turcas.*

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

*Chriſtus dicitur Aminadab.*

ANima Sancta eſt currus Aminadab, id eſt, Chriſti: Chriſtus enim, ait Rupertus & S. Ambroſ. dicitur *Aminadab*, id eſt, *princeps populi*, ſcilicet fidelis, Chriſtiani, ſancti & electi. Chriſtus ergo animæ ſanctæ ceu auriga currui ſuo inſidens, eam dirigit in cælum, vti Elias curru vectus eſt in æthera: nec tantùm ſe, ſed & alios ſuæ fidei, vel charitati commiſſos velut currus Chriſti in cælum tranſuehit, ait Philo. Vnde tres Anonymi apud Theodor. cenſentes hæc eſſe verba Sponſæ, id eſt, animæ ſanctæ ad diſcipulos, ſic explicant, q.d. *Idcirco poſuit me currus Aminadab, id eſt, currus*

*rus me ſuos conſtituit Chriſtus*, qui eſt verus Aminadab, id eſt, princeps populi, *vt eum in meipſa diſciplinis, ad vos, habita cuiuſque veſtrum ratione, perferrem.* Audi S. Ambroſ. lib. de Nabuth. cap 15. *Si anima,* ait; *currus eſt, vide ne equus caro ſit; agitator autem vigor mentis, qui regit carnem, & motus eius, velut quoſdam equos prudentia habenas coercet.* Idem lib. de Virgin. *Chriſti,* inquit, *verus Aminadab, animam iuſti veluti currum agitat, aſcendens verbi habenis gubernat, ne violentorum equorum furore in abrupta rapiatur. Sunt enim eius veluti quatuor equi, quatuor affectiones, ira, cupiditas, voluptas & timor, quibus furentibus, cum cœperit agi nequaquam ſeipſam cognoſcit. Corruptibile enim corpus animam grauat, & tanquam irrationabilium animalium curſus inuitam rapit, voluentibus curis veluti quodam impetu proruentem, donec memorata corporis paſſiones verbi virtute miteſcant.*

Ambroſ.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

Populi ſpontanei currus quis eſt?

BEata Virgo eſt currus Aminadab, id eſt, populi ſpontanei, puta fidelium, quos vehit in cælum impetrando eis obedientiam & liberalitatem, qua ſe vltrò & liberè ſubiiciant præceptis & conſiliis Chriſti. Quare illi competit id, quod Eliæ curru igneo rapto in cælum ſucclamabat Eliſæus: *Pater mi* (tu es) *currus Iſraël & auriga eius.* 4. Reg. 2. Vide dicta cap. 1. 9. ad illa: *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te.*

---

## VOX SPONSÆ.

### Veteris de noua, hoc eſt, Eccleſiæ de Synagoga conuertenda in fine mundi.

Verſ. 12. *Reuertere, reuertere, Sulamitis; reuertere, reuertere, vt intueamur te.*

Arabic. Scholaſt.

REVERTERE (alij vertunt *conuertere*) *reuertere* (Arabicus addit tertium *reuertere*) *Sulamitis; reuertere, reuertere vt intueamur te.* Scholiaſt. *Intuebimur in te quaſi in ſpectaculum,* id eſt, quaſi in rem miram & ſpectandam. Pro *Sulamitis* multi codices legunt *Sunamitis,* itáque legunt Septuag. Vaticani. Porrò Rupert. & alij *Sunamitis* vertunt *captiua deſpecta*: propriè *Sunamitis* Hebr. eſt idem quòd *mutabilis, variabilis.*

Rurſum *Sunamitis* verti poteſt cum Honorio & Halgrino hic, & S. Hieron. Epiſt. ad Nepotian. *coccinea*: שָׁנִי *ſcani* enim Hebr. eſt *coccus.* Vnde ſuſpicantur nonnulli Sponſam, quæ in dramate Cant. inducitur quaſi *Sunamitis*, induci quaſi Tyram: ibi enim ex ſãguine purpuræ piſciculi fiebat pannus purpureus; & ex grano cocci coccineus: Vnde illud: *Tyrio veſtirier oſtro.* Tyrus enim vicina erat Libanò, in quo obambulans & venans Salomon puelam hãc paſtoritiam inueniſſe, & ob dotes corporis æquè ac animi in Sponſam elegiſſe fingitur. Vnde illud c. 4. 8. *Veni de Libano Sponſa mea,* &c. Nam veſtis coccinea vel purpurea eſt veſtis Regum & Reginarum, qualis erat Salomon eiuſque Sponſa. Ad literam, *Sunamitis,* idem eſt quod oriunda ex *Sunam* oppido ſito iuxta montes Hermon & Tabor. Sunamitis enim hæc alludit ad Sunamitidem illam hoſpitam Eliſæi, in oppido Sunam, cuius proinde ille filium à morte ſuſcitauit, ſicut Chriſtus filios Eccleſiæ à morte præſenti & æterna ſuſcitat. 4. Reg. 4. Magis tamen, teſte Iuſto Orgelitano hîc & Adrichom. in deſcript. terræ ſanctæ, alludit ad Sunamitidem illam ſpecioſiſſimam, quæ Dauidi ſeni calefaciendo data fuit quaſi vxor & virgo 3. Reg. 1. 2. Simili enim modo Salomoni Dauidis filio, data fuit hæc Sunamitis vxor & virgo, vt repræſentaret Eccleſiam virginem virgini Chriſto deſponſandam, iuxta illud: *Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* 2. Corinth. 11. Quia ergo illa Sunamitis Dauidis fuit forma, fide & moribus ſpectatiſſima, hinc Salomonis quoque Sponſæ in Dramate hoc idem Sunamitis nomen datur, quia corpore & animo fuit formoſiſſima; vtraque formoſior eſt Sunamitis, id eſt, Eccleſia Sponſa Chriſti.

Sunamitis, id eſt, oriunda ex Sunam.

Verùm legendum *Sulamitis*: ſic enim legunt Hebræa, & Græca Complut. Regiáque ac Latina Romæ correcta. Iam *Sulamitis* idem eſt quòd *Ieruſalemitis*, ait Pagnin. Luyſius & Varabl. Ieruſalem enim olim dicta eſt Salem. Vnde *Sulamitis* idem eſt, quod *ciuis Salem*, ſiue Ieruſalem, hoc eſt myſticè, *habitans in pace.*

Hebr.

Meliùs Delrio, Genebrard. & alij *Sulamitis*, inquiunt, idem eſt, quod *Salomonia*, id eſt, Salomonis vxor: Sicut enim à Paulo dicitur Paula, à Caio Caia, à Cornelio Cornelia; ſic à Maſculino Salomon dicitur *Sulamitis*, id eſt, *Salomo*; quo nomine

Sulamitis, id eſt, Salomonis vxor.

nomine vocatur mater ſeptem Machabæorum martyrum teſte Ioſepho, vel Salomonia.

Porrò ſicut *Salomon* Hebr. idem eſt, quòd pacificus, perfectus; ſic *Sulamitis* idem eſt, quòd *perfecta* & *pacifica*, vti vertit hic Aquila, Theodor. S. Ambroſ. & alij. Hebr. habent articulum ה habent enim השולמית *haſſculamith*, id eſt, illa Sulamitis, illa pacifica, quæ cæteris longè antecellit. Rurſum & potiùs ה hic eſt articulus vocatiui caſus. q. d. *O Sulamitis.* Mirum eſt Symmachum contrariè vertere ἐσυλεμένη, id eſt, *ſpoliata.*

*Sunamitis eadem quæ Sulamitis.* Denique *Sulamitis* eadem eſt quæ *Sunamitis* per Enallagen, qua Litera N. ſæpè mutatur & liqueſcit in L. Sic Itali pro *Panormo*, dicunt *Palerno*, pro *veneno*, *velerio*, pro *Bononia Bologna*. Sic Syri pro *nux* dicunt *Luz*. Attici pro νίτρον dicunt λίτρον, pro πνεύμων πλεύμων, vt Latini *pulmo*. Dorienſes, vice verſa L. mutant in N. vt pro ἦλθον dicunt ἦνθον, pro βέλτιστος βέντιστος, pro φίλτατος φίντατος, pro φίλτης φίντης. Græci omnes pro συν, & λέγω dicunt συλλέγω, item συλλογισμός. Latini pro νύμφη dicunt *Lympha*; pro *bonus bonulus, bellus* pro γρυλλίζω *grunnio*, pro μέγαλος *magnus*. Ita Angelus Canininius in Helleniſmis. Pari modo quæ hic Hebraicè vocatur *Sulamitis* à Septuag. & Latinis pleriſque vocatur *Sunamitis*.

Perperam Philo Carpath. pro *Sulamitis* legit *Odollamitis*, id eſt, inquit, *teſtimonium aquæ*, quaſi hic anima infidelis euocetur ad baptiſmum, vt in eo proteſtetur fidem S. Trinitatis.

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

NOnnulli cenſent hæc eſſe verba adoleſcentularum, quæ auditis à Sponſo cap. 5. laudibus Sponſæ, eam abiturientem detinere, & in facie eius decorem contemplari cupiant, vti ab iiſdem factitatam audiuimus v. 9.

Meliùs patres paſſim cenſent hæc eſſe verba Eccleſiæ, ardenter & conſtanter inuitantis Synagogam Iudæorum, quæ iam, audita prædicatione Chriſti, eum amare incipiebat, vti audiuimus, v. præcedenti, vt ſe illico ad eum conuertat, ſuámque faciem tam ipſi, quam Eccleſiæ in fide vnanimem, ſerenam & lætam oſtendat, idcóque quater repeti τὸ *reuertere*, quia Iudæi diſperſi per quatuor mundi plagas, inde conuertendi ſunt ad Chriſtum, audita quatuor Euangeliorum prædicatione, quæ paulò ante ſignificata ſunt per quadrigas Aminadeb, ait Rupert. Ita S. Gregor. Caſſiodor. Aponius, Philo, Anſelm. & alij.

Rurſum. q. d. O Sulamitis, id eſt, ô Synagoga priùs auerſa iam conuerſa ad Chriſtum, reuertere ad Eccleſiæ è gentibus congregatæ ſocietatem & conuerſationem, vt gentes tuum decorem, quē per baptiſmum accepiſti, intuētes, exultent, tibíque gratulentur, & Deo gratias agant. Hunc ſenſum innuit id, quòd ſequitur: *Vt intueamur te*, id eſt, tuam ſpeciem & pulchritudinem. Et: *Quid videbis in Sulamite, niſi choros caſtrorum?*

## SECVNDVS SENSVS

### *De Chriſto & Anima Sancta.*

ANima peccatrix, vel ſancta, ſed torpida & in veniales defectus prolapſa, inuitatur à Chriſto quater, id eſt, inſtanter & continuè ad pœnitentiam, vitæ mutationem & feruorem. *Sulamitis quater Reſp. I.* Ita S. Ambroſ. lib. de Iſaac cap. 8. *Benè*, ait, *quaſi agitator ad currum dicit: Conuertere Sulamitis, hoc eſt, pacifica: quæ enim pacifica eſt anima, citò ſe conuertit & ſe corrigit, etiamſi ante peccauit, & magis eam Chriſtus aſcendit, & regere dignatur, cui dicitur: Aſcende in equos tuos & equitatus tuus ſanitas.* Abacuc. 3. 8. *Ambroſ.* *Abac. 3 8.* Et S. Bernard ſerm. 3. de Annunc. *Propterea*, ait, *fortè quater reuocat animam, quam reſpicit, quo nec in peccandi conſuetudine, nec in conſcientia peccatorum, ſed nec in tepore & torpore ingratitudinis, aut in eleuationis cæcitate perſiſtat.*

Idem ſerm. 58. inter paruos: *Reuertere*, inquit, *primò ab inepta lætitia, ſecundò ab inutili triſtitia, tertiò ab inani gloria, quartò à latenti ſuperbia. Inanis gloria eſt, quæ ab ore venit extrinſecùs: Superbia latens oritur intrinſecùs.* Huc accedit verſio Chaldæi: *Reuertere ad me cætus Iſraël, reuertere ad Ieruſalem, reuertere ad domum doctrinæ legis meæ, reuertere ad ſuſpiciendam prophetiam à prophetis, qui prophetant in nomine verbi Domini.* *Chald.*

Eleganter & acutè Hugo Victorin. Miſcellan. 2. lib. 2. tit. 24. *Quater*, ait, *dicit ei Dominus reuertere*, q. d. *Reuertere à meis, quia mirabilia ſunt; à tuis, quia praua ſunt; à te, quia omnis caro fœnum, ad me, quia ſummum bonum ego ſum: Non potes me videre, niſi* *Hugo.*

*priùs intueamur te. Neſcio quid maculæ habes in facie : turpis es , alienam imaginem portas, munda ergo eam, vt intueamur te.*

2. Porrò Theodor. per Sulamitem accipit animam prædicatoris Euangelici, quæ in ſe pacifica, tentationes tamen & perſecutiones multas patitur: illam ergo hic inuitari, ait, vt reuertatur ad opus prædicationis & ſalutem animarum: Deum enim illi adfore, vt ex omnibus eluctetur omniáque euincat.

*Anagogicè.* Anagogicè S. Ambroſ. Orat. de obitu Valent. hæc accipit de anima ſancta, quæ à Chriſto & Angelis ex hac vita euocatur in cælum.

*Symbolicè.* Symbolicè; Tres Anonymi apud Theodor. per Sulamitem accipiunt animam contemplationi deditam, quaſi illa hic euocatur à diſcipulis & ſociabus, vt ipſas doceat modum frœnandi regendique quatuor animæ paſſiones ſiue perturbationes, ideóque quater repeti, *τὸ reuertere.*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

Beata Virgo in fine vitæ à Chriſto, Angelis & beatis deſiderantibus frui eius dulciſſima præſentia, eiúſque dotes gratiæ & gloriæ intueri, euocata fuit in cælum, ex quo animam, ſpiritum & gratiam omnem hauſerat. Rurſum ipſa quater, id eſt, ardenter & aſſiduè à pœnitentibus & fidelibus inuocatur, vt gratiam impetret, & opem in quacumque neceſſitate afferat. *Euocatio Mariæ ad cælum.*

Tropologicè, diſce hîc quàm pulchra & ſpecioſa ſit anima ſancti cuiuſlibet, ac præſertim B. Virginis, vtpote quam tam incenſis, & toties iteratis votis optent intueri omnes Angeli & beati, vt ex hoc intuitu ſummam cõſolationem, gaudium & iubilum conſequantur. Quocirca Theologi cenſent ſecundariam felicitatem beatorum conſiſtere in contemplanda & fruenda glorioſa humanitate Chriſti, ſicut primaria eorum beatitudo conſiſtit in viſione & fruitione diuinitatis. *Tropologicè.*

CAPVT

# CAPVT SEPTIMVM.

## SYNOPSIS.

*Sponſus Chriſtus laudat nouellam Eccleſiam Iudæorum recens ad ſe conuerſorum, quaſi choros caſtrorum: laudat, inquam, eam primò ab inceſſu regio; ſecundò à femoribus inſtar monilium; tertiò ab vmbilico rotundo; quartò à ventre ſimili tritico; quintò ab vberibus quaſi hinnulis; ſexto à collo ſimili turri eburneæ; ſeptimò ab oculis quaſi piſcinis; octauo à naſo turrito; nono à capite inſtar carmeli & coma purpurea. Secundò his auditis chorus adoleſcentularis Synagogæ congratulans verſ. 5. ſucclamat:* Quàm pulchra es, &c. *nouáque ei elogia laudéſque aſſignat, ſcilicet ſtaturam ſimilem palmæ, vbera botris, odorem malogranatis, & guttur vino optimo. Tertiò, verſ.* 10. *vtrique Sponſa nouella Iudæorum reſpondet, ac ſe totam Sponſi amori reſignat, eúmque inuitat ad villas & vineas, quarum omnia poma noua & vetera illi offert.*

*Caput hoc parallelum & antiſtrophon eſt capiti quarto, nam ſingulorum membrorum elogia, quæ ibi tribuit Sponſæ Eccleſiæ gentium, hic tribuit Sponſæ Synagogæ Iudæorum partim conuerſæ, partim conuertendæ ad Chriſtum, præſertim in fine mundi, vt patet vtrumque caput conferenti.*

VERS. 1. QVID videbis in Sulamite, niſi choros caſtrorum? Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia principis! Iuncturæ femorum tuorum, ſicut monilia quæ fabricata ſunt manu artificis.

2 Vmbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis. Venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus liliis.

3 Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli gemelli capreæ.

4 Collum tuum ſicut turris eburnea. Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis. Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.

5 Caput tuum vt Carmelus: & comæ capitis tui, ſicut purpura regis vinctâ canalibus.

6 Quàm pulchra es, & quàm decora chariſſima, in deliciis!

7 Statura tua aſſimilata eſt palmæ, & vbera tua botris.

8 Dixi: Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius: & erunt vbera tua ſicut botri vineæ: & odor oris tui ſicut malorum

9 Guttur tuum ſicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiiſque & dentibus illius ad ruminandum.

10 Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius.

11 Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.

12 Manè ſurgamus ad vineas, videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiũt, ſi floruerũt mala punica; ibi dabo tibi vbera mea.

13 Mandragoræ dederunt odorem. In portis noſtris omnia poma: noua & vetera, dilecte mi, ſeruaui tibi.

## VOX SPONSI.

### De Sponſa noua, ſiue de Synagoga.

Verſ. 1. *Quid videbis in Sulamite, niſi choros caſtrorum? Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia principis! Iuncturæ femorum tuorum, ſicut monilia quæ fabricata ſunt manu artificis.*

QVID *videbis* (Hebr. & Septuag. *Quid videbitis*) *in Sulamite* (malè multi legunt *in Sunamite*) *niſi choros caſtrorum*
Lxx. Sept. pro *choros* vertunt χόρτον, id eſt, *herbam*, ſed legendum videtur χόρον, id eſt, *chorum*, vt habent Hebr. Chald. Latin. quæ enim eſt herba caſtrorum. Vnde Septuag. Romæ correcti habent. *Quid videbitis in Sunamitide, qua venit*
Ambroſ. Symmach. *ſicut chori caſtrorum?* S. Ambroſ. de obitu Valent. *de qua venit ſicut chori.* Symmach. *Spoliatam in vulnerationibus caſtrorum.* De-
Aquila. nique Aquila: *Quid quaſi ſpectaculum intuebimini*, inquit, in *Pacifica*? Pagnin. *Quid vi-*
Pagnin. *debitis in Sulamith? chorum caſtrorum.* Chori ſunt cætus exultantium & cantantium, ac choreæ tripudiantium præ gaudio. Quare minus rectè. Aben Ezra & Luyſius Legion. ſic vertunt & interpretantur: *Quid videbitis in Sulamite ô adoleſcentulæ, quæ ita diſpoſita eſtis tanquam duo chori caſtrorum?*

Hæc verba pertinent ad finem cap. præcedentis. Vnde in Hebræo illi iunguntur. Hebræi enim cap. 7. inchoant à ſententia ſequenti: *Quam pulchri ſunt greſſus tui*, &c.

Porrò chori caſtrorum ſunt choreæ, tripudia & ſaltationes militum triumphantium. Sulamitis ergo ſtipata armatis militibus, cum iis videtur ouaſſe & ſaltitaſſe bellicam armorum ſaltationem, qualis fuit olim illa, quam Pyrrhicam vocabant. Hic *chorus* dicitur in ſingulari, collectiuè, quia eſt collectio, ſiue cœtus cantantium & ſaltantium; & *chori* in plurali, diſtributiuè, quia in eo ſunt multi canentium & ſaltantium ordines.

Sponſum hîc loqui cenſent S. Gregor. Caſſiod. Philo, Aponius, Honorius, Anſelm. Alcuinus, Haymo & alij. Sunt ergo hæc verba Sponſi Chriſti (vel vt alij Sponſæ Eccleſiæ: hæc enim paulò ante Synagogæ dixit: *Reuertere, reuertere Sulamitis*) exultantis de conuerſione Synagogæ, id eſt, Iudæorum ad fidē Chriſtianam, quæ plenè fiet per Eliam in fine mundi. Id patet ex voce *Sulamitis*, id eſt, Ieroſolymitana, vel Salomonia; qua voce proinde notat Synagogam Iudæorum, vt dixi cap. præced. verſ. vlt. Videtur enim Salumon præter Pharaonis filiam, quæ repræſentabat Eccleſiam gentium, aliam habuiſſe vxorem Sulamitidem, id eſt, Ieroſolymitanam præ cæteris omnibus dilectam, & filiæ Pharaonis valde amore coniunctam, quæ repræſentabat Eccleſiam ex Iudæis colligendam, ait Alcazar in alluſ. Apocal. ad hæc Cantic. Verba. Salomon enim æquè ac Chriſtus, vt patet Lucæ 19.41. magnam habebat curam ſuæ gentis Iudaicæ, vt illa iungeretur Chriſto & Eccleſiæ, itáque ſaluaretur. Sicut ergo ipſe deſcripſit ortum, progreſſum & perfectionem Eccleſiæ in gentibus; ſic hic eundem deſcribit in Iudæis, qui vltimò conuertentur, & ſic conſequenter pergit deſcribere progreſſum & perfectionem Eccleſiæ: hanc enim conſequetur Eccleſia, cum Iudæi conuertentur: tunc enim ipſa fiet totò orbe vnum ouile, & vnus paſtor. Quare ſicut S. Ioannes deſcribens in Apocalypſi decurſum & progreſſum Eccleſiæ cap. 6. poſt varios Eccleſiæ ſtatus ſymbolicè in quatuor equis adumbratos, illico in ſexto ſigillo *Tranſitus ad finem mundi.* tranſit ad vltima Eliæ & Antichriſti tempora, illáque deinde operosè per 14. capita proſequitur, ac tandem cap. 21. & 22. concludit, deſcribendo gloriam Sanctorum in cæleſti Ieruſalem; ibi enim erit Eccleſiæ conſummatio, triumphus & glorificatio: Sic quoque prorſus facit hic Salomon, vti & ſequentibus conſtabit.

Igitur Sponſus Chriſtus ſicut cap. 6. laudauit pulchritudinem Eccleſiæ ex gentibus collectæ, ſic hîc laudat decorem Eccleſiæ ex Iudæis colligendæ. q.d. Quid videbis ô Eccleſia gentium in Sulamite, id eſt, in Synagoga Iudæorum iam conuerſa ad ſuum Meſſiam verámque fidem, niſi choros præ gaudio tantæ conuerſionis cantantium & tripudiantium; ſed choros caſtrorum, quæ ſcilicet ita exultent, vt ſimul fortiter cōtra Antichriſtianos cæteróſque infideles & impios decertent: *Caſtra quippe militantium ſunt*, ait S. Gregor. *Caſtra ergo in Sunamite*
Gregor. *videbuntur, quia pro fide, quam modo impugnat* (Synagoga) *tunc robuſtè contra infideles præliabitur.* Vnde Syrus vertit: *Quid vide-*
Syrus. *bitis in Sunamite, qua deſcendit ſicut cumulus,*

vel

*vel ſicut gaudium caſtrorum*? de perfidia velut de hoſte deuicto triumphantium. Arabicus: *Tanquam venientes choros. (* Alij *choreas) caſtrorum*. Iudæi enim in fine mũdi agnoſcentes ſuum Eliam, & Chriſtũ ab eo prædicatum, ſuam perfidiam damnantes, zelum Eliæ induent, ac Chriſtum acerrimè propugnabunt, vti fecit S. Paulus ex Iudæo factus Chriſtianus. Ita de Synagogæ, id eſt, Iudæorum ad Chriſtum conuerſione hæc exponunt Caſſiod. S. Gregor. Beda, Anſelm. Rupert. Honorius, Guilielmus, Coſmas Damianus, Delrio, Alphonſus ab Orozco, Alcazar lib. 5. Alluſionum ad Apocalypſ. Nonnulli tamen, vt Theodor. Iuſtus & S. Ambroſ. de obitu Valent. de Eccleſia in genere hæc dici putant.

Rupert. Audi Rupertum: *Quid aliud videbitis in Synagoga, cum fides in ipſam redierit? nunquid ſanguinem victimarum, nunquid circumciſionis cauterium? nihil omnino niſi choros caſtrorum, id eſt, laudes ſeu cantiones præliantium, prælia laudantium & cantantium, quod ſuauiſſimum, quod verè eſt pulcherrimum: laudando chori præliantur, præliando caſtra laudant.* Huc fauet nomen *Sunamitis*, vt legunt Septuag. S. Gregor. Caſſiod. Beda, Rupert. & alij paſſim, illúdque interpretantur *captiua, deſpecta*: nullam enim gentem ita vilem, deſpectam, & vbique quaſi captiuam ſub tributo principibus ſeruire videmus, atque Iudaicam.

*Chori caſtrorum, Ordines militares.* Qui per *quadrigas Aminadab* accipiunt Turcas, per *choros caſtrorum* accipiunt ordines militares Turcis oppoſitos, vti ſunt Theutonici, Ieroſolymitani, Templarij S. Ioannis, S. Iacobi, &c. item Carolum Martellum, Carolum Magnum, S. Ludouicum, Godefridum Bullonium, Balduinum, Carolum V. & alios qui Saracenos profligarunt. Vnde notat Genebrard. in Chronol. eodem ferè anno, quo Ottomanus vſurpauit imperium Turcarum, Deum creaſſe Imperat. Chriſtianorum Rodulphum Habſburgenſem, à quo Auſtriaci deſcendunt, quaſi eos Ottomanicis oppoſuiſſe videatur; ſicut tradunt Hebræi, eo die quo Nabuchodonoſor diruit templũ, natum eſſe Cyrum, qui eius poſteros deleuit. Qui verò per *quadrigas Aminadab* accipiunt Antipapas, & eorum ſchiſmata, per *choros caſtrorum* accipiunt veros Pontifices, Epiſcopos, Reges & Principes, qui eos Pontificia ſede, quam inuaſerant, deturbarunt. Qui autem per *quadrigas* accipiunt Impetatores Eccleſiam diuexantes alióſque tyrannos, aut libertinos Eccleſiæ dogmata, leges & ſanctiones profanantes; per *choros caſtrorum* accipiunt Concilia, Oecumenica & nationalia; Ad hæc Academias apud Chriſtianos contra eos inſtitutas, vti ſunt Pariſienſis, Oxomenſis, Colonienſis, Salmanticenſis, Patauina, Louanienſis, &c. Item ordines religioſos, quos Deus quolibet æuo ad reformandam fidei morúmque ſanctitatem excitauit; aut excitatos, ſed ſeneſcentes renouauit, & ad primæuum ſplendorem feruóremque reuocauit. Sic Deus Carnalium ſectæ, quæ orbem occupauit ante 600. annos, aut pleríque ſedarent gulæ & luxuriæ, oppoſuit S. Romualdum & Camaldulenſes, qui ſua auſteritate & exemplo luxum hunc caſtigarent. Sic Abailardo oppoſuit S. Bernardum, Albigenſibus S. Dominicum & Franciſcum, Luthero & Caluino, S. Ignatium & Societatem Ieſu. *Et religioſi.*

## SECVNDVS SENSVS

### *De Chriſto & Anima ſancta.*

Anima ſancta per inuictum excelſi animi robur fortiter confligens cum mundo, carne & dæmone, eóſque deuincens ac de iis victis triumphans, agit choros & choreas caſtrorum, id eſt, iubilat in Spiritu, Deóque quaſi victoriæ auctori, pſallit & gratias agit: *Quia,* vt ait Theodor. *ex caſtris fiunt chori: nam cum in caſtris vicerint milites virtutis paana canentes reuertuntur, & choros ducentes victoriæ præconium laudibus concelebrent*, vti Iſraëlitæ choros & choreas agebant, proſtrato Goliath à Dauide: vnde ei ab illius cæde reuertenti occurrerunt: *mulieres de vniuerſis vrbibus Iſraël, cantantes choróſque ducentes, atque dicentes: Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia*, 1. Reg. 18.6. Theod.

Multò maior eſt chorus & exultatio animæ pro virtute contra vitia decertantis, illáque debellantis & ſuperantis. Audi ipſum Theodor. *Sponſa chorus exiſtit, diuinas laudes in ore gerens. Quod quidem beatus oſtendit Dauid, Vox, inquiens, exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum, & rurſus: conſtituite diem ſolennem in condenſis vſque ad cornua altaris. Caſtra verò declarat Beatus Paulus: arma, inquiens, noſtra non carnalia, ſed valida per Deum ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* 2. Cor. 10.4. Pſalm. 117. v. 15. & 27.

Porrò Philo & Iuſtus Orgelitan. per choros accipiunt diuerſos ſanctorum in Eccleſia ordines, cæleſtibus Angelorum ordinibus ſimiles, qui iugiter in certamine conſtituti, Deo muniente, ſemper ſunt inuicti.

*Anagogicè.* Anagogicè S. Ambroſ.Orat. de obitu Valent. hæc accipit ad anima victrice, victo mundo in cælis triumphante. Audi eum: *Quid videbitis in Sulamite, quæ venit ſicut chori caſtrorum? hoc eſt in ea, quæ multum & aduerſus plurimos in corpore prœliata eſt. Etenim pugnauit aduerſus extraneos hoſtes, pugnauit aduerſus lubricas ſæculi mutationes, pugnauit aduerſus corporis fragilitates, aduerſus multiplices paſſiones.*

In cælis ergo caſtra vertentur in choros tripudiantium, & exultantium pro victoria.

*Symbolicè, chori caſtrorum ſunt Religioſi, cur?* Symbolicè noſter Alcazar lib. 3. alluſ. ad Apocalypſin ad hunc Cantici locum, per choros Caſtrorum accipit Religioſos ordines, & cœtus præſertim, qui in Eccleſia propaganda, ac contra hæreticos alióſque infideles defendenda ſtrenuè laborant. Hi enim velut milites & inuictæ acies Chriſti cum Elia & Enoch in fine mundi conuertent Iudæos, ac certabunt fortiſſimè contra Antichriſtum. Hos rectè repræſentat Sulamitis, id eſt, pacifica; quia religioſi, pacatis animi motibus, pacem Chriſti omnibus annunciant & conciliant, iuxta illud Chriſti: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabantur.* Matth. 5. Hiſce rectè competit quod chorus cæleſtis militiæ Chriſto naſcēti occinnuit: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Lucæ 2. 14. Ideo enim religioſi quaſi ſtipendiarij Chriſti bellum dæmonibus & vitiis inferunt, vt homines diuina pace perfruantur: Aduerto, inquit Alcazar, rectè ab Honorio fuiſſe obſeruatum, totam quidem vniuerſalem Eccleſiam vnā eſſe Sponſam Chriſti, verùm in hoc Cantico conſiderari illam, vt quatuor Chriſti Sponſas: quarum prima ſit, primitiæ Synagogæ: Secunda, Eccleſia Gentium: Tertia, reliquiæ Iudæorum: Quarta, Gentiles adhuc reliqui, & hæretici omnes ſuperſtites, partiarij Antichriſti. Sed equidem in hoc Cantico Sponſas tres tantùm reperio, matrem, filiam, neptem. Mater eſt Eccleſia primogenita, quam paſtrix femina repræſentauit. Ægyptia repræſentauit filiam, & hæc eſt Romana Eccleſia. Eccleſia denique Religioſa, quam Sulamitis repræſentat, eſt neptis. Audi Honorium:

*Eccleſia ſimplicis Sponſæ rationem habet.*

*Huius* (qui relicto ſæculo religionem moriturus ingreditur) *ſubitam conuerſionem dum quiſque ſæcularis miratur; ei à ſpiritualibus dicitur: quid videbis in Sunamite, niſi choros caſtrorum? in anima prius captiua vitiis, ſed nunc ad virtutem conuerſa, non videbis amplius niſi laudes Dei, & pugnam contra inſidias diaboli: Conuerſi quippe ſemper Deum pro ſua conuerſione laudant, iugiter contra contra vitia pugnant.* Honor.

Tropologicè, S. Hieronym. lib. 1. contra Iouinianum, per filios *Aminadab*, id eſt, *populi ſponte offerentis*, accipit virgines. Hi enim ſponte Chriſto dicant Virginitatem. Hæc enim conſilij eſt, non præcepti: verba eius citabo inferiùs. Virgines enim ſunt quaſi chori caſtrorum, aſſiduè contra carnem pugnantium, ideóque ipſi ſunt velut quadrigæ Aminadab.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

HÆc verba quaſi triumphi Epinicion, accinnuerunt Angeli B. Virgini in cælum aſcendenti; tunc enim eam ſtipabant omnes Angelorum ordines, quaſi acies & chori Caſtrorum, iuxta illud Iacob fratrem Eſau fugientis, de Angelis ſibi in præſidium obuiantibus: *Caſtra Dei ſunt hæc.* Geneſ. 32. 2. Rurſum *in ipſa*, ait Hailgrinus, *videntur chori caſtrorum, adhærentes videlicet ipſi acies ſanctorum, qui cum ipſa pro nobis militant contra hoſtem. Vnde ipſa vas caſtrorum appellatur in Eccleſiaſt. vbi ſub nomine lunæ de ipſa dicitur: vas caſtrorum in excelſis, in firmamento cæli reſplendens glorioſè.* Eccleſ. 43. 9. Geneſ. 32. 2

Tertiò Alanus: *In Virgine*, ait, *fuerunt chori canentium, quantùm ad conſonantiam virtutum; caſtra verò pugnantium, ſecundùm quòd Virgo circumſepta & ſanctis diſciplinis inſtructa, vitiorum & dæmonum repellebat inſultus.* Alanus.

Hinc quaſi typus B. Virginis præluſit *Maria ſoror Moſis*, quę tranſito mari rubro, demerſóque in eo Pharaone, *ſumpſit tympanum in manu ſua, egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis & choris, quibus præcinnebat, dicens: Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem eius deiecit in mare.* Exodi 15. 20. Exod. 15. 20

Et Iudith, cui poſt occiſum Holofernem eiúſque caſtra diſperſa, in Bethuliam reuertendi Ioachim cum omnibus presbyteris accinnuit: *Tu gloria Ieruſalē, tu lætitia Iſraël, tu honorificantia populi noſtri, quia feciſti viriliter & confortatum eſt cor tuum, eo* Iudith 15 10

*quòd*

*quòd caſtitatem amaueris*, &c. *Et ideo eris benedicta in æternum.* Iudith 15. 10.

Hebr. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis?* Hebr. *filia Nadib* (perperam Philo legit *Arab.* Ita Septuag. quaſi *Nadab* ſit nomen proprium patris Sponſæ. Vnde S. Hieron. lib. 1. contra Iouin. *Nadib* accipit quaſi decurtatum *Aminadab*, ſicut *Emmanuël* à Gallis decurtatur in *Noël. Spectoſi*, ait, *greſſus tui in calceamentis filij Aminadab.* Arabicus: *In calceis filiarum Nadab.* S. Ambroſ. de obitu Valent. *In calceamentis filia Aminadab, hoc eſt, filia Principis.* Hoc ſatis appoſitum eſt; vt filia Aminadab ſit Sponſa Salomonis, qui dictus eſt Aminadab, id eſt princeps populi, vti dixi cap. 6. verſ. 11. In Script. enim Sponſus & maritus vocatur pater Sponſæ ſuæ, quia eam vt filiam alit & protegit, iuxta illud Ierem. 3. 4. *voca me: pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* (LXX. in margin)

Nonnulli τὸ *filia* propriè accipientes, cenſent hanc Sponſam verè fuiſſe filiam Salomonis: Salomonis enim filium fuiſſe Aminadab, cuius hic cũ ſua Sponſa, quaſi cum filia, id eſt, nuru ſua, Epithalamium in toto hoc Cantico celebrat pater vtriuſque Salomon. ita ipſi nouè. Cæteri *Nadab* accipiunt vt appellatiuum, vertúntque *Principis*; Aquila, *Sponte dantis, munifici.* Symmach. *ducis* Syrus: *præparati.* S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 17. *voluntatis vel beneplaciti.* Scholiaſtes Vatic. *liberalis*, quia, vt ait S. Ambroſ. Deus voluntarius, & beneplacitus, ac liberalis Eccleſiam congregauit. (Aquila. Syrus. in margin)

Cap. 6. Sponſa laudans Sponſum orditur à capite, finit in pedibus: hic ex aduerſo Sponſus laudans Sponſam orditur à pedibus, finit in capite. Ratio diſparitatis eſt, quod Sponſus deorſum è cælo in terram deſcenderit, vt Sponſam ſibi copularet; Sponſa verò è terra in cælum per Sponſum euocata, ſurſum aſcendat. Laus ergo Sponſi eſt in deſcenſu; laus Sponſæ in aſcenſu: laus Sponſi in dignatione euocandi Sponſam; laus Sponſæ in dignitate gratiæ & gloriæ, ad quam à Sponſo euocatur. Aliam cauſam dat Theodor. Sponſi, ait, laus incipit ab oculis, id eſt, à contemplatione, & definit in pedibus, id eſt, in actione; quia eius actio oritur & dirigitur à contemplatione: Sponſæ verò laus incipit à pedibus, id eſt, ab actione, definit verò in capite, id eſt, in contemplatione; quia ipſa ab actione incipiat oportet, & ab ea pergat & proficiat vſq; ad contemplationem.

Per *greſſus* tum ipſum inceſſum, tum pedes, quibus gradimur, accipe. Vnde Vatabl. vertit: *Quàm pulchri ſunt pedes tui calceati filia Principis?* q.d. quàm pulchros habes calceos & cothurnos? quàm magnificè iis calceata & cothurnata incedis? Olim enim feminæ nobiles calceos & cothurnos ornabant margaritis, gemmis & auro teſte Plinio lib. 9. cap. 35. Et Clemente Alex. lib. 2. Pædag. cap. 11. ſic oculi Holophernis dicuntur capti ſandaliis Iudith cap. 9. Et cap. 16. 11. *Sandalia eius*, inquit, *rapuerunt oculos eius: pulchritudo eius captiuam fecit animam eius.* Et Iſai. cap. 3. 18. *Auferet*, inquit, *Dominus ornamentum.* (Hebr. *gloriam*) *calceamentorum.* Sic S. Catharinæ Luſitaniæ reginæ, India pro calceis ſiue ſocculis magnum auri pondus pendebat, quod S. Franciſcus Xauerius in Neophytorum opem ab ea conuerti poſtulauit, dicens illam ſocculis hiſce pauperum multò facilius quàm regiis ſcanſuram in cælum; quare id ipſum ab ea libenter impetrauit. (Vatabl. / Iudith c. 9. & 16. / Iſaias 3. 18. in margin)

Tres Anonymi, R. Salomon, Genebr. & Sanchez cenſent hæc eſſe verba adoleſcentularũ celebrantium Sponſæ pulchritudinem. S. Gregor. cenſet à Sponſo Chriſto laudari hic Sponſam Eccleſiam, quòd prædicatores miſerit ad Synagogam Iudæorum, eóſque conuerterit. Meliùs alij cenſent Chriſtum hic laudare Synagogam Iudæorum recens conuerſam; de ea enim ſermo præceſſit.

Porrò Chald. Iudaicè vertit: *Dixit Salomon in Spiritu prophetiæ à facie Domini: Quàm pulchri ſunt pedes Iſraël quando aſcendunt, vt appareant coram Domino tribus vicibus in anno cum calceamentis taxeis, & offerunt vota ſua, & oblationes voluntarias ſuas.* (Chald. in margin)

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

CHriſtus ait Synagogæ Iudæorum, iam in ſe per prædicationem Eliæ aliorúmque credenti: Quàm pulchri ſunt greſſus tui, quibus ad me & Eccleſiam acceſſiſti? quàm celeri promptitudine ad fidem accurriſti, nec tantùm ad fidem, ſed & ad fidei prædicationem? illico enim, vt fidelis facta es, cœpiſti eſſe prædicatrix Euangelij, ac inſtar Pauli per vrbes & prouincias magna alacritate & feruore diſcurrendo, & prædicando, contribulas tuos Iudæos aliáſque gentes ad Chriſtum traducere ſategiſti. Facient hoc Iudæi ſub finem

mundi conuerſi ab Elia, hoc eſt, quod ait Iſais cap. 52. & ex eo Paulus Rom. 10. 15. *Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona?* Vide ibi dicta. Et: *Calceati pedes in præparatione Euangelij pacis.* Epheſ. 6. 15. Ita S. Gregor. Caſſiod. Theodor. Beda, Philo, S. Anſelm. Honorius & alij, ac S. Ambroſ. ſerm. 17. qui & addit ſymbolicè, per calceamenta notari plebeios, hi enim, æquè ac Principes, conuertentur ad Chriſtum ac ſæpe iis ſunt petitiores.

Rom. 10. 15.

Alludit ad cap. 6. v. 11. *Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.* q.d. Synagoga: Ego olim iudaizans turbabar quadrigis Aminadab, id eſt, curſu tam felici Euangelij, quo gentiles toto orbe quaſi Aminadab, id eſt, populus ſpontaneus & liberalis vltrò ſe ſubdebat fidei & Chriſto: hoc enim videbam & inuidebam, putans tantundem detrahi legi & Moſi, quem ſequebar: at nunc illuminata ab Elia exteriùs, & à Deo interiùs credidi in Chriſtum, méque aſſociaui Eccleſiæ Gentium, ac facta ſum & ipſa Nadab, ſiue Aminadab, id eſt, populus ſpontaneus & liberalis, vltrò me ſubiiciens Chriſto & Chriſtianiſmo, in eóque gaudeo & exulto, ideóque quadrigæ Euangelij aſſociata, ceu equa illam duco & protraho alacriter, vt Chriſti fidē, & famam vbique propagem. Aliā cauſam, cur Eccleſia vocetur, *filia Nadab*, dat Theodor. fuit, inquit, Nadab, qui Leuit. 10. v. 1. cùm ignem alienum in Dei tabernaculum intuliſſet, vitæ finem accepit. Inuenimus igitur & Domini Sponſam Eccleſiam diuinum in tabernaculum non ignem legalem, ſed quem ab ipſo Sponſo ſuſceperat, intuliſſe. Ignem enim, inquit, veni mittere in mundum; & quid volo ſi iam accenſus eſt? Ignem hunc nouum ex nouo teſtamento in Dei tabernaculum intulit Sponſa clamans & dicens: Vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia noua. Meritò igitur vocat eam filiam Nadab, quæ igne nouo ſacrificium hominum obtulerit: Licet enim diuerſo conſilio ignem immutarint, idem tamen ab vtroque factum eſt. Hæc Theodor.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

PRimò anima, quæ in via mandatorum Dei, & in ſemita exemplorum SS. Patrum veſtigia ſua figit, pulchrè incedit rectâque tendit in cælum; calcat enim omnes res terrenas, omnéſque animæ affectiones & concupiſcentias calceo mortificationis: calceus enim, quia ex mortuorum animalium pellibus fit, notat mortificationem, quæ recta eſt via ad perfectionem & gloriam. Ita S. Gregor. *Filia Principis*, inquit, *ſancta Eccleſia* (ac quælibet in ea anima) *dicitur, quia prædicatione Euangelij in vitam nouam regeneratur, qui per diuinitatis potentiam omni creaturæ, quam condidit, principatur. Quid autem ſunt calceamenta Eccleſiæ, niſi exempla præcedentium patrum, quibus in via mundi huius munimur, vt per omnes tribulationes, quæ exurgunt, confidenter calceata gradiatur? Vnde alibi prædicatoribus Paulus dicit: Calceati pedes in præparatione Euangelij pacis. Calceamenta, quippe de mortuis animalibus fiunt, & nos pedes ſpiritaliter calceamur, quando à patribus ſanctis carne mortuis exempla ſumimus, vt ad eorum ſimilitudinem mundi huius tentationes expugnemus.*

Gregor.

Secundò & potius hæc tribuas viris Apoſtolicis & prædicatoribus: Vnde idem S. Gregor. *Poteſt tamen*, inquit, *intelligi quod Eccleſia calceatur, quando in prædicatione ſua ad perferenda inſurgentia mala morte Chriſti munitur. Pulchri ergo ſunt Sponſæ greſſus calceata, quæ filia eſt Principis, quia coram diuinis oculis placet officium cuiuſlibet electi, ſecundùm exempla Patrum prædicantis.* Ita quoque S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 17. v. 5. quem vide.

Gregor.

Tertiò & appoſitè ad literam hanc gnomen intelligas cum tribus Anonymis, Theodor. & S. Ambroſ. de modeſtia, grauitate & pietate inceſſus & actionum exteriorum, quæ ex interna affectionum compoſitione procedit: hæc enim in oculos intuentium incurrit, eóſque mirè recreat & ædificat. q.d. Quàm bellè calceata ingrederis ô fidelis anima, quæ vti interius affectus omnes habes compoſitos: ita exteriùs modeſtè, grauiter, caſtè, decorè & religioſè incedis, loqueris, agis & operaris, vt omnes in tui amorem & admirationem rapias. Commendat ergo externam modeſtiam & pietatem, quæ animæ ſanctæ ſummè debet eſſe cordi: tum quia index eſt internæ compoſitionis, eámque conſeruat: tum quia alios ad virtutem allicit. Cum enim homines internas virtutes intueri nequeant, externas intuentur, ex eiſque ad illas imitandas accenduntur. Hoc enim eſt τὸ πρέπον, id eſt, ad decorum, quod omnes ſpectant & deſiderant. Vide ibi dicta Philipp. 4. ad illa:

*Modeſtia inceſſus laudatur.*

Philipp. 4.

*Modeſtia*

*Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.* Vnde S.Hieron.lib.1.contra Iouin.hunc ingreſſum in calceis accipit de decore caſtitatis: *Sponſus,* inquit, *laudatur à Sponſa, laudat viciſſim virginem Sponſam, & dicit ei; Speciosi facti ſunt greſſus tui in calceamentis filia Aminadab, quad interpretatur populi ſponte offerentis. Virginitas enim voluntaria eſt, & ideo greſſus Eccleſia in caſtitatis pulchritudine collaudantur.*

Hieron.

Ambroſ. Et S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 17. *Bonum,* ait, *anima calceamentum eſt pudicitia; bonus greſſus veſtigium eſt caſtitatis,* &c. *vtamur ergo corpore tanquam calceamento ad inferiora opera virtutis: ad miniſterium, non ad præcipitium: ad obſequium, non ad delectationem: ad obedientiam, non ad diſſenſionem; & in via ſapientia veſtigium collocamus, ne greſſus noſtros vis torrentis aliqua concludat.*

Porrò additur *τὸ in calceamentis*, vt ſignificetur inceſſus & progreſſus in modeſtia, caſtitate omníque virtute continuus, conſtans & fortis, qui omnes tentationum ſpinas & aduerſantium remoras, quaſi calceis conſtantiæ munitus calcet & ſuperet. Sic calceata & in omnibus compoſita erat B. Aſella, de qua S. Hieronym. Epiſt. 15. ad Marcellam:

Hieronym. *Nihil,* ait, *illius ſeueritate iucundius, nihil iucunditate ſeuerius, nihil ſuauitate triſtius, nihil triſtitia ſuauius. Ita pallor in facie eſt, vt cum continentiam indicet, non redoleat oſtentationem. Sermo ſilens, & ſilentium loquens. Nec citus, nec tardus inceſſus. Idem ſemper habitus. neglecta munditias, & in culta veſte, cultus ipſe ſine cultu.*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

BEata Virgo optimè fuit calceata, quia ſummè in omnibus motibus tam animæ quàm corporis fuit compoſita, ac quaſi Regina cælorum Angelicè vbique proceſſit, adeo vt Angelis omnibus fuerit admirationi & ſtupori, præſertim cum eam tanta gloria & maieſtate tam corpore, quàm anima in cælum ſcandentem viderunt, eámque honoris cauſa quaſi legiones & chori caſtrorum ſtiparunt; & comitati ſunt. Hinc per filiam Principis Theodor. & S. Ambroſ. accipiunt filiam Spiritus S. de quo dicitur Pſal. 50. *Et ſpiritu principali confirma me:* Quæ enim alia eſt filia Spiritus ſancti, niſi B. Virgo, cui nunciauit Gabriel Archangelus: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi:* Lucæ 1. Honorius verò: Beata virgo, inquit, fuit filia Principis, id eſt, Dauidis Regis, cui promiſſus erat Chriſtus, quòd ex eius ſtirpe prodiret, ac conſequenter & eius mater Deipara. Audi S. Ambroſ. de inſtit. Virgin. cap. 14. *In hoc calceamento* (corporis) *ſpecioſè proceſſit Maria, quæ ſine vlla commixtione corporea conſuetudinis auctorem ſalutis virgo generauit.* Ambroſ. *Vnde egregiè Ioannes ait: Non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti eius; id eſt, non ſum dignus incarnationis myſterium comprehendere anguſtiis mentis humanæ, atque inopis vilitate ſermonis abſoluere.* Hinc & Iſaias dixit capit. Iſaias 53.8. 53. verſic. 8. *Generationem eius quis enarrabit?*

Addit Rup. nudipedes incedere ſeruos calceatos verò ingenuos & nobiles. Vnde ait: *Idcirco ancilla* (Euæ) *calcaneum ſerpens momordit, tu autem ô filia Principis bene* Rupert. *calceata caput ſerpentis contriuiſti; tu maximè ô Princeps & Domina ſingularis dilecta, & ſicut iam dixi, vna columba mea, vna genitrici ſuæ videlicet generationi libera, generationi non carnis, ſed fidei, qua me virum non de carne viri, ſed de ſpiritu Dei concepiſti, & peperiſti patrem vel Principem filiorum, non carnis, ſed fidei vel repromiſſionis.*

Preſſiùs Alanus: *Greſſus tui,* inquit, *glorioſa virgo, ſunt nobilitas generis, integritas* Alanus. *carnis & mentis, fœcunditas prolis. Calceamenta ſunt affectus in meditationibus, effectus in operationibus, profectus in deſideriis, exceſſus in gaudiis. Tu autem es principalis filia Principis, Dei videlicet, qui eſt Princeps Principum & Dominus dominantium, qui te ſpecialiter per gratiam genuit, ſpecialiter informauit: ita tamen Dei filia, quod & mater intacta. Vel per pedes & greſſus intelliguntur mentales affectus, qui omnina purgati & decorati fuerunt in incarnatiane Chriſti: per calceamenta figuratur incarnatio diuina.* Et Hailgrinus: *Cogitationes eius* (Virginis) *& opera decora ſpiritualis* Hailgrin. *deuotionis & intentionis, velut pedes in calceamentis hyacinthinis reſplendebant,* iuxta illud: Ezech. 16 10 *Calceaui te ianthino.* Ezech. 16.10. Vide ibi dicta.

Denique Guilielmus: *Non,* inquit, *pernicitate pedum, ſed puritate affectuum ibat de virtute in virtutem, videns Deum Deorum in Sion,* &c. *amplectebatur innocentiam Abel, obedientiam Abrahæ, manſuetudinem Moyſis humilitatem David, patientiam Iob, continentiam Danielis. His ergo & huiuſmodi patrum* Guilielm. *exemplis decentiſſimè calceata, in attritis animi greſſibus ibat de virtute in virtutem; & in æmulando virtutes Patrum, ipſos etiam Patres, quorum ſe æmulatricem eſſe gaudebat, præcipua*

puritate

*puritate affectuum & prærogatiua actionum tranſcendebat. Iunctura femorum tuorum ſicut monilia* (S. Ambroſ. *torques*) *quæ fabricata ſunt manu artificis.* Sub iuncturis femorum ipſa quoque femora, ſiue coxas per metonymiam accipe: quæ inſtar monilium pulchra ſunt, toroſa, rotunda & fortia. Rurſum iuncturas intellige tum inferiores, quibus femora infernè cum genibus iunguntur; tum potius ſuperiores, quibus eaſdem cum oſſibus & coſtis ventris supernè nectuntur.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

PEndent hæc à ſententia præcedenti, & à choris caſtrorum (vnde omnes haſce tres ſententias ſub eodem v. 1. comprehendunt Biblia) eorúmque dant cauſam. q. d. Chriſtus. Ideo ô Synagoga iam ad me conuerſa procedis vt chori caſtrorum, id eſt, pulchri, recti & validi ſunt greſſus tui; quia pulchræ ſunt rectæ & validæ iuncturæ, ſiue vertebræ femorum tuorum: ab hiſce enim pendet pulchritudo, æquè ac rectitudo & robur inceſſus, vt ſcilicet quis non claudicet, non ceſpitet, ſed rectis validiſque femoribus rectè validéque incedat. Alludit ad tactum Angeli, qui tangens Iacob in femore, luxánſque eius iuncturam & neruum, fecit eum claudum. Geneſ. 32. verſ. 25. & 31. quæ Iacob claudicatio præſignabat poſteros eius claudicaturos in fide & Religione, vt nunc Deum nūc idola colerent; nunc Chriſto aduerſa-
*Femorum ſymbola.* rentur, nunc eum amplecterentur. At in
fine mundi Synagoga cōuerſa ad Chri-
1. ſtum, validis iuncturis femorum fortiter
adhærebit corpori Eccleſiæ, id eſt, cæteris gentium fidelibus & capiti Chriſto: quare tunc amplius in fide non claudicabit, ſed recta & fortiter in ea incedet ad eam ſequendam, prædicandam & propagandam, idque agiliter & flexiliter in omnes partes, quocunque ſpiritus Chriſti impulerit: hoc enim ſignificant iuncturæ, ſiue vertebræ femorum, quæ agiles & flexiles ſunt in omnem partem
2. ad nutum hominis. Hinc ſymbolicè duę
iuncturæ femorum, ait Coſmas Damianus, ſignificant veritatem & charitatem, earúmque nexum & vnionem, prout eas iungent Iudæi in fine mundi
3. conuertendi. Hinc rurſum per femora
notantur membra generationis femoribus vicina, ipſáque generatio. q. d. Valida habebit femora Synagoga, ideóque validos generabit filios Chriſto. Ita Caſſiod. Philo, Iuſtus, S. Gregor. quem audi: *Per duo femora Sponſæ, duo populi Eccleſiæ; per iuncturam femorum concordia deſignatur prædicatorum, quibus populi vniuntur, dum ad fidem Catholicam circumciſio & præputium per eos erudiuntur. Qui vt monilia exiſtunt, quia dum in ſapientia, qua refulgent, ſancta opera faciunt, quaſi in auro lapides gerunt. De quibus ſequitur: Quæ fabricata ſunt manu artificis. Manu artificis monilia fabricantur, quia opere Chriſti prædicatores pulchri & vtiles efficiuntur.* Gregor. Huc accedit Chald. *Et filij eorum, qui egreſſi ſunt de femore eorum, pulchri ſunt ſicut lapides pretioſi, qui fixi ſunt in corona ſancta, quam fecit Beſeleel artifex Aaron ſacerdoti.*

Addit S. Anſelm. Iudæos & gentes credentes comparari monilibus, quia ſe inuicem monent, vt conſtanter adhæreant Chriſto, ac muniunt contra inſidias Diaboli.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

IVncturæ femorum ſignificant primò decentiam & modeſtiam in inceſſu, omnique actione externa. Vnde pro *iunctura.* Septuag. vertunt ῥυθμοὶ, id eſt, rythmi, numeri, moduli, concinnitates carminum. q. d. quàm concinnè & numeroſè ſuis numeris, pedibus, & modulis progreditur carmen, tam concinnus & compoſitus ſit tuus inceſſus, ſermo, omniſque actus externus. *Iunctura femorum notant 1. modeſtiam inceſſus.* Audi S. Ambroſ. in Pſalm. 116. ſerm. 17. verſ. 5. *Tantus ergo proceſſus Eccleſiæ* (& animæ ſanctæ) *ſignificatur, vt ornamentis pretioſiſſimis comparatus ſit, & torquibus triumphantium: hæc enim ornamenta ſunt bellatorum. Siue ergo generatio Chriſti ex Virgine; ſiue Eccleſiæ propagatio ſpecie quidem, tanquam manu artificis torquibus adornatis, verè autem virtutis inſigniis ſpiritualibus, ceruices filiorum coronauit.* Ambroſ.

Secundò, iuncturæ femorum ſignificant caſtitatem animæ ſanctæ: *2. caſtitatem.* in actu enim generationis panduntur femora; in continentia verò iunguntur & ſtringuntur. Hinc noſter Sanchez per iuncturas femorum accipit faſcias vel fibulas femoralium, vel tunicarum, quibus femora teguntur & veſtiuntur. Caſti enim femoralia confibulant; inceſti ea diſſoluunt. Hinc illud Ezech. 16. 25. *Diuiſiſti pedes tuos omni tranſeunti, & multiplicaſti fornicationes tuas.*

Caſtitas ergo femora ornat ſicut monile.

Digitized by Google

nile pulcherrimum & pretioſiſſimum, factum manu ſummi artificis Dei: hanc amplectuntur religioſi,& amplectentur Iudæi in fine mundi, vt efficacius Chriſtum verbo & exemplo prædicent. Vnde S. Ioannes vidit 144. millia virginum, qui in fine mundi ſequentur agnũ in virginitate. Apocal. 14. Ita Philo Carpath: qui & addit caſtitatem eſſe opus ſummi artificis Dei ſimile illi, quod in ventre Virginis fabricauit.

*Symbol. 1. concordiã.* Symbol. duo femora eorúmque iuncturæ ſignificant omnium fidelium concordiam,nexum & iuncturam in gemina charitate Dei & proximi.

Sicut ergo femora per vertebras cæteris membris cohærent: ſic fidelis quiſque cum aliis fidelibus vera charitate coniungatur oportet. Ita S. Gregor. Beda & alij. Vnde Ioannes Carmelita ſic explicat.q.d. Societas in charitate filiorum ſpiritualium, qui à tuo velut femore propagantur, & mutuo amoris nexu vinciuntur,ſimilis eſt monilibus,ſeu catenulis,quarum orbiculi mutuò conſerti ſunt.

*2. conſonantiam virtutum. Philo.* Rurſum iuncturæ femorum ſignificant conſonantiam virtutum. Ita Philo: *Per conſonantias femorum* inquit, *vitæ temperantiam & morum ſanctitatem, veluti cæleſtem quampiam diuinæ ſapientiæ harmoniam explicat. Cum hic enim ſancta Scriptura conſonantias femorum ſimiles torquibus manu, vel opera artificis elaboratis eſſe dicit; conſpirationem vnam & voluntatem benè conuenientium populorum ad fidem vnam & gloriam,opera illius ſummi artificis complanatam eſſe demonſtrat, qui cælum ac terras fabricatus eſt.* Sic & S. Ambroſ. de obitu Valent. Imper. *Moduli*, inquit, *femorum tuorum ſimiles torquibus, hoc eſt, conſonans ſibi in omnibus factis tuis gratia atque moderatio, magnorum æquauit inſignia triumphorum.* Hoc eſt ergo monile, hic torques virtutum, quem S. Petrus fidelibus commendat Epiſt. 2. cap. 1. v. 5. dicens: *Vos autem curam omnem ſubinferentes,miniſtrate in fide veſtra virtutem,in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.*

*3. Concordia iræ & concupiſcentiæ.* Inſuper tres Anonymi apud Theod. per iuncturas duorum femorum accipiunt compoſitionem motuum vtriuſque appetitus, ſcilicet iraſcibilis, & concupiſcibilis ſiue iræ & concupiſcentiæ: hi enim compoſiti ab artifice ratione, vel mente pulchri ſunt, ſicut monilia ex auro varia arte & flexu fabrefacta.

Denique Honorius cenſet hic in choris caſtrorum Eccleſiæ notari ſecundam eorum aciem vel ordinem, qui eſt coniugatorum, vt iunctura femorum ſit amor & concordia coniugum, quæ eſt opus & donum artificis Dei. *4. Amor coniugum.*

Tropol. idem Honorius: *Femora*, inquit, *animæ ſunt timor & amor, per quæ gignit bonum opus, quod eſt ſpiritualis proles, quæ erit regni hæres: per timorem quippe declinat à malo, per amorem facit bonum; horum iunctura fides eſt, qua credit ſupplicium, quod timet; & credit gaudium, quod amat. Hæc iunctura eſt ſicut monilia, quia ſicut monile pectus ornat & munit, ita fides animam ornat & munit. Hæc manu artificis eſt facta, quia fides per Chriſtum eſt data.* *Tropol. Honor.*

## TERTIVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

DVæ iuncturæ femorum B. Virginis ſunt maternitas & virginitas: in harum enim iunctura confibulantur, nectuntur & fundantur omnes eius virtutes,dotes,& prærogatiuæ.

Rurſum quæ dicta ſunt de anima ſancta,præ omnibus conueniunt B. Virgini; ipſius enim inceſſus omníſque actio ſummè erat modeſta, concinna, pia, religioſa. Adhæc in ea fuit ſumma virtutum omnium harmonia & conſonantia. Inſuper Angelica caſtitas & virginitas in ea reſplenduit, ob quam meruit eligi in matrem Dei. Ita Philo, S. Ambroſ. de inſtit. Virgin. cap. 14. ac Rupert. qui ſic explicat: *Iunctura feminum tuorum ſicut monilia, id eſt, virginitatis tuæ integritas perpetúaque pudicitia cuſtodia, cæleſtibus præſidiis eſt communita. Cuius eſt hoc opus? cuius virtus? nimirum Dei altiſſimi. Et hoc ipſum, ait quidam ſapiens, ſapientia eſt ſcire, quod continentia donum Dei ſit, dico igitur non qualiacunque monilia, ſed quæ fabricata ſunt manu artificis, id eſt, quæ ſolus Deus facere & dare poteſt vel potuit.* *Rupert.*

Addit Guilielmus iuxta femora eſſe ſedem & motus concupiſcentiæ: ſed in Virgine hæc fuiſſe iuncta, operta & ornata virginitatis monili, vt nullum in iis motum carnis ſentiret: fomes enim in ea fuit extinctus. Audi Alanum: *Femora ſolent eſſe generationis ſigna. Iunctura autem femorum nihil aliud intelligitur, quàm concordia duarum fecunditatum, quæ fuerunt in Virgine, vna mentis, altera ventris. Et hæc iunctura fuit ſicut monile, id eſt, habuit ſecum duplicem comitem,* *Alan.*

*puritate affectuum & prærogatiua actionum tranſcendebat. Iunctura femorum tuorum ſicut monilia*(S.Ambroſ.*torques*)*quæ fabricata ſunt manu artificis.* Sub iuncturis femorum ipſa quoque femora, ſiue coxas per metonymiam accipe: quæ inſtar monilium pulchra ſunt, toroſa, rotunda & fortia. Rurſum iuncturas intellige tum inferiores, quibus femora infernè cum genibus iunguntur; tum potius ſuperiores, quibus eaſdem cum oſſibus & coſtis ventris supernè nectuntur.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

PEndent hæc à ſententia præcedenti, & à choris caſtrorum (vnde omnes haſce tres ſententias ſub eodem v.1. comprehendunt Biblia) eorúmque dant cauſam. q.d. Chriſtus. Ideo ô Synagoga iam ad me conuerſa procedis vt chori caſtrorum, id eſt, pulchri, recti & validi ſunt greſſus tui; quia pulchræ ſunt rectæ & validæ iuncturæ, ſiue vertebræ femorum tuorum: ab hiſce enim pendet pulchritudo, æquè ac rectitudo & robur inceſſus, vt ſcilicet quis non claudicet, non ceſpitet, ſed rectis validiſque femoribus rectè validéque incedat. Alludit ad tactum Angeli, qui tangens Iacob in femore, luxáníque eius iuncturam & neruum, fecit eum claudum. Geneſ.32. verſ.25. & 31. quæ Iacob claudicatio præſignabat poſteros eius claudicaturos in fide & Religione, vt nunc Deum nũc idola colerent; nunc Chriſto aduerſarentur, nunc eum amplecterentur. At in
*Femorum ſymbola.* 1. fine mundi Synagoga cõuerſa ad Chriſtum, validis iuncturis femorum fortiter adhærebit corpori Eccleſiæ, id eſt, cæteris gentium fidelibus & capiti Chriſto: quare tunc amplius in fide non claudicabit, ſed recta & fortiter in ea incedet ad eam ſequendam, prædicandam & propagandam, idque agiliter & flexiliter in omnes partes, quocunque ſpiritus Chriſti impulerit: hoc enim ſignificant iuncturæ, ſiue vertebræ femorum, quæ agiles & flexiles ſunt in omnem partem
2. ad nutum hominis. Hinc ſymbolicè duę iuncturæ femorum, ait Coſmas Damianus, ſignificant veritatem & charitatem, earúmque nexum & vnionem, prout eas iungent Iudæi in fine mundi
3. conuertendi. Hinc rurſum per femora notantur membra generationis femoribus vicina, ipſáque generatio, q.d. Valida habebit femora Synagoga, ideóque validos generabit filios Chriſto. Ita Caſſiod. Philo, Iuſtus, S. Gregor. quem audi: *Per duo femora Sponſæ, duo populi Eccleſiæ; per iuncturam femorum concordia deſignatur prædicatorum, quibus populi vniuntur, dum ad fidem Catholicam circumciſio & præputium per eos erudiuntur. Qui vt monilia exiſtunt, quia dum in ſapientia, qua refulgent, ſancta opera faciunt, quaſi in auro lapides gerunt. De quibus ſequitur: Quæ fabricata ſunt manu artificis. Manu artificis monilia fabricantur, quia opere Chriſti prædicatores pulchri & vtiles efficiuntur.* Huc accedit Chald. *Et filij eorum, qui egreſſi ſunt de femore eorum, pulchri ſunt ſicut lapides pretioſi, qui fixi ſunt in corona ſancta, quam fecit Beſeleel artifex Aaron ſacerdoti.* Gregor.

Addit S. Anſelm. Iudæos & gentes credentes comparari monilibus, quia ſe inuicem monent, vt conſtanter adhæreant Chriſto, ac muniunt contra inſidias Diaboli.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

IVncturæ femorum ſignificant primò decentiam & modeſtiam in inceſſu, omníque actione externa Vnde pro *iunctura.* Septuag. vertunt ῥυθμοὶ, id eſt, rythmi, numeri, moduli, concinnitates carminum. q.d. quàm concinnè & numerosè ſuis numeris, pedibus, & modulis progreditur carmen, tam concinnus & compoſitus ſit tuus inceſſus, ſermo, omníſque actus externus. Audi S. Ambroſ. in Pſalm. 116. ſerm. 17. verſ. 5. *Tantus ergo proceſſus Eccleſiæ* (& animæ ſanctæ) *ſignificatur, vt ornamentis pretioſiſſimis comparatus ſit, & torquibus triumphantium: hæc enim ornamenta ſunt bellatorum. Siue ergo generatio Chriſti ex Virgine; ſiue Eccleſiæ propagatio ſpeciè quidem, tanquam manu artificis torquibus adornatis, verè autem virtutis inſignijs ſpiritualibus, ceruices filiorum coronauit.* *Iunctura femorum notant 1. modeſtiam inceſſus.* Ambroſ.

Secundò, iuncturæ femorum ſignificant caſtitatem animæ ſanctæ: in actu enim generationis panduntur femora; in continentia verò iunguntur & ſtringuntur. Hinc noſter Sanchez per iuncturas femorum accipit faſcias vel fibulas femoralium, vel tunicarum, quibus femora teguntur & veſtiuntur. Caſti enim femoralia confibulant; inceſti ea diſſoluunt. Hinc illud Ezech. 16.25. *Diuiſiſti pedes tuos omni tranſeunti, & multiplicaſti fornicationes tuas.* *2. caſtitatem.*

Caſtitas ergo femora ornat ſicut monile

nile pulcherrimum & pretioſiſſimum, factum manu ſummi artificis Dei: hanc amplectuntur religioſi, & amplectentur Iudæi in fine mundi, vt efficacius Chriſtum verbo & exemplo prædicent. Vnde S. Ioannes vidit 144. millia virginum, qui in fine mundi ſequentur agnũ in virginitate. Apocal. 14. Ita Philo Carpath. qui & addit caſtitatem eſſe opus ſummi artificis Dei ſimile illi, quod in ventre Virginis fabricauit.

*Symbol. 1. concordiã.*

Symbol. duo femora eorúmque iuncturæ ſignificant omnium fidelium concordiam, nexum & iuncturam in gemina charitate Dei & proximi.

Sicut ergo femora per vertebras cæteris membris cohærent: ſic fidelis quiſque cum aliis fidelibus vera charitate coniungatur oportet. Ita S. Gregor. Beda & alij. Vnde Ioannes Carmelita ſic explicat. q. d. Societas in charitate filiorum ſpiritualium, qui à tuo velut femore propagantur, & mutuo amoris nexu vinciuntur, ſimilis eſt monilibus, ſeu catenulis, quarum orbiculi mutuò conſerti ſunt.

*2. conſonantiam virtutum.* Philo.

Rurſum iuncturæ femorum ſignificant conſonantiam virtutum. Ita Philo: *Per conſonantias femorum* inquit, *vitæ temperantiam & morum ſanctitatem, veluti cæleſtem quampiam diuinæ ſapientiæ harmoniam explicat. Cum hic enim ſancta Scriptura conſonantias femorum ſimiles torquibus manu, vel opera artificis elaboratis eſſe dicit; conſpirationem vnam & voluntatem benè conuenientium populorum ad fidem vnam & gloriam, opera illius ſummi artificis complanatam eſſe demonſtrat, qui cælum ac terras fabricatus eſt.* Sic & S. Ambroſ. de obitu Valent. Imper. *Moduli*, inquit, *femorum tuorum ſimiles torquibus, hoc eſt, conſonans ſibi in omnibus factis tuis gratia atque moderatio, magnorum æquauit inſignia triumphorum.* Hoc eſt ergo monile, hic torques virtutum, quem S. Petrus fidelibus commendat Epiſt. 2. cap. 1. v. 5. dicens: *Vos autem curam omnem ſubinſerentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.*

*3. Concordia iræ & concupiſcentiæ.*

Inſuper tres Anonymi apud Theod. per iuncturas duorum femorum accipiunt compoſitionem motuum vtriuſque appetitus, ſcilicet iraſcibilis, & concupiſcibilis ſiue iræ & concupiſcentiæ: hi enim compoſiti ab artifice ratione, vel mente pulchri ſunt, ſicut monilia ex auro varia arte & flexu fabrefacta.

*4. amor coniugum.*

Denique Honorius cenſet hic in choris caſtrorum Eccleſiæ notari ſecundam eorum aciem vel ordinem, qui eſt coniugatorum, vt iunctura femorum ſit amor & concordia coniugum, quæ eſt opus & donum artificis Dei.

*Tropol.* Honor.

Tropol. idem Honorius: *Femora*, inquit, *animæ ſunt timor & amor, per quæ gignit bonum opus, quod eſt ſpiritualis proles, quæ erit regni hæres: per timorem quippe declinat à malo, per amorem facit bonum; horum iunctura fides eſt, quâ credit ſupplicium, quod timet: & credit gaudium, quod amat. Hæc iunctura eſt ſicut monilia, quia ſicut monile pectus ornat & munit, ita fides animam ornat & munit. Hæc manu artificis eſt facta, quia fides per Chriſtum eſt data.*

## TERTIVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

DVæ iuncturæ femorum B. Virginis ſunt maternitas & virginitas: in harum enim iunctura conſibulantur, nectuntur & fundantur omnes eius virtutes, dotes, & prærogatiuæ.

Rurſum quæ dicta ſunt de anima ſancta, præ omnibus conueniunt B. Virgini; ipſius enim inceſſus omniſque actio ſummè erat modeſta, concinna, pia, religioſa. Adhæc in ea fuit ſumma virtutum omnium harmonia & conſonantia. Inſuper Angelica caſtitas & virginitas in ea reſplenduit, ob quam meruit eligi in matrem Dei. Ita Philo, S. Ambroſ. de inſtit. Virgin. cap. 14. ac Rupert. qui ſic explicat: *Iunctura feminum tuorum ſicut monilia, id eſt, virginitatis tuæ integritas perpéſque pudicitiæ cuſtodia, cæleſtibus præſidiis eſt communita. Cuius eſt hoc opus? cuius virtus? nimirum Dei altiſſimi. Et hoc ipſum, ait quidam ſapiens, ſapientia eſt ſcire, quòd continentia donum Dei ſit, dico igitur non qualiacunque monilia, ſed quæ fabricata ſunt manu artificis, id eſt, quæ ſolus Deus facere & dare poteſt vel potuit.* Rupert.

Addit Guilielmus iuxta femora eſſe ſedem & motus concupiſcentiæ: ſed in Virgine hæc fuiſſe iuncta, operta & ornata virginitatis monili, vt nullum in iis motum carnis ſentiret: fomes enim in ea fuit extinctus. Audi Alanum: *Femora ſolent eſſe generationis ſigna. Iunctura autem femorum nihil aliud intelligitur, quàm concordia duarum fæcunditatum, quæ fuerunt in Virgine, vna mentis, altera ventris. Et hæc iunctura fuit ſicut monile, id eſt, habuit ſecum duplicem* Alan.

*comitem,*

Digitized by Google

nile pulcherrimum & pretioſiſſimum, factum manu ſummi artificis Dei: hanc amplectuntur religioſi,& amplectentur Iudæi in fine mundi, vt efficacius Chriſtum verbo & exemplo prædicent. Vnde S. Ioannes vidit 144. millia virginum, qui in fine mundi ſequentur agnū in virginitate. Apocal. 14. Ita Philo Carpath. qui & addit caſtitatem eſſe opus ſummi artificis Dei ſimile illi, quod in ventre Virginis fabricauit.

*Symbol. 1. concordiā.* Symbol. duo femora eorúmque iuncturæ ſignificant omnium fidelium concordiam,nexum & iuncturam in gemina charitate Dei & proximi.

Sicut ergo femora per vertebras cæteris membris cohærent: ſic fidelis quiſque cum aliis fidelibus vera charitate coniungatur oportet. Ita S. Gregor. Beda & alij. Vnde Ioannes Carmelita ſic explicat. q.d. Societas in charitate filiorum ſpiritualium, qui à tuo velut femore propagantur, & mutuo amoris nexu vinciuntur, ſimilis eſt monilibus,ſeu catenulis,quarum orbiculi mutuò conſerti ſunt.

*2 conſonantiam virtutum.* Philo. Rurſum iuncturæ femorum ſignificant conſonantiam virtutum. Ita Philo: *Per conſonantias femorum* inquit, *vita temperantiam & morum ſanctitatem, veluti cæleſtem quampiam diuina ſapientia harmoniam explicat. Cum hic enim ſancta Scriptura conſonantias femorum ſimiles torquibus manu, vel opera artificis elaboratis eſſe dicit; conſpirationem vnam & voluntatem benè conuenientium populorum ad fidem vnam & gloriam,opera illius ſummi artificis complanatam eſſe demonſtrat, qui cælum ac terras fabricatus eſt.* Sic & S. Ambroſ. de obitu Valent. Imper. *Moduli*, inquit, *femorum tuorum ſimiles torquibus, hoc eſt, conſonans ſibi in omnibus factis tuis gratia atque moderatio, magnorum æquauit inſignia triumphorum.* Hoc eſt ergo monile, hic torques virtutum, quem S. Petrus fidelibus commendat Epiſt. 2. cap. 1. v. 5. dicens: *Vos autem curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.*

*3. Concordia iræ & concupiſcentiæ.* Inſuper tres Anonymi apud Theod. per iuncturas duorum femorum [3]accipiunt compoſitionem motuum vtriuſque appetitus, ſcilicet iraſcibilis, & concupiſcibilis ſiue iræ & concupiſcentiæ: hi enim compoſiti ab artifice ratione, vel mente pulchri ſunt, ſicut monilia ex auro varia arte & flexu fabrefacta.

*4. Amor coniugum.* Denique Honorius cenſet hic in choris caſtrorum Eccleſiæ notari ſecundam eorum aciem vel ordinem, qui eſt coniugatorum, vt iunctura femorum ſit amor & concordia coniugum, quæ eſt opus & donum artificis Dei.

*Tropol.* Honor. Tropol. idem Honorius: *Femora*, inquit, *animæ ſunt timor & amor, per quæ gignit bonum opus, quod eſt ſpiritualis proles, quæ erit regni hæres: per timorem quippe declinat à malo, per amorem facit bonum; horum iunctura fides eſt, quæ credit ſupplicium, quod timet: & credit gaudium, quod amat. Hæc iunctura eſt ſicut monilia, quia ſicut monile pectus ornat & munit, ita fides animam ornat & munit. Hæc manu artificis eſt facta, quia fides per Chriſtum eſt data.*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

DVæ iuncturæ femorum B. Virginis ſunt maternitas & virginitas: in harum enim iunctura confibulantur, nectuntur & fundantur omnes eius virtutes, dotes, & prærogatiuæ.

Rurſum quæ dicta ſunt de anima ſancta, præ omnibus conueniunt B. Virgini; ipſius enim inceſſus omniſque actio ſummè erat modeſta, concinna, pia, religioſa. Adhæc in ea fuit ſumma virtutum omnium harmonia & conſonantia. Inſuper Angelica caſtitas & virginitas in ea reſplenduit, ob quam meruit eligi in matrem Dei. Ita Philo, S. Ambroſ. de inſtit. Virgin. cap. 14. ac Rupert. qui ſic explicat: *Iunctura feminum tuorum ſicut monilia, id eſt, virginitatis tuæ integritas perpéſque pudicitiæ cuſtodia, cæleſtibus præſidiis eſt communita. Cuius eſt hoc opus? cuius virtus? nimirum Dei altiſſimi. Et hoc ipſum, ait quidam ſapiens, ſapientia eſt ſcire, quòd continentia donum Dei ſit, dico igitur non qualiacunque monilia, ſed quæ fabricata ſunt manu artificis, id eſt, quæ ſolus Deus facere & dare poteſt vel potuit.* Rupert.

Addit Guilielmus iuxta femora eſſe ſedem & motus concupiſcentiæ: ſed in Virgine hæc fuiſſe iuncta, operta & ornata virginitatis monili, vt nullum in iis motum carnis ſentiret: fomes enim in ea fuit extinctus. Audi Alanum: *Femora ſolent eſſe generationis ſigna. Iunctura autem femorum nihil aliud intelligitur, quàm concordia duarum fæcunditatum, quæ fuerunt in Virgine, vna mentis, altera ventris. Et hæc iunctura fuit ſicut monile, id eſt, habuit ſecum duplicem* Alan.

*comitem,*

Digitized by Google

*comitem, virginitatem carnis & virginitatem mentis. Per monile ſolet notari caſtitas. Monile enim ſolet apponi pectori ad ornandum, & in caſtitatis ſignum, vnde dicitur monile, id eſt, monens caſtitatem. Eſt ergo ſenſus: Iunctura femorum tuorum ſicut monilia, id eſt, ſicut tu prædita es duplici fœcunditate, ita duplici virginitate.*

Honor. Succinctè, ſed punctim Honorius in ſigillo: *Femina tua*, inquit, *felicia, de quibus proceſſit pretioſa margarita Chriſtus, ineffabile monile qui eſt ornatus totius creaturæ. Artifex eſt Deus Pater, manus eius filius, per quem fecit omnia, per quem etiam incarnatio eſt diſpoſita.*

Hailgrin. Denique τὸ *monilia* vrgens Hailgrinus: *Beata fuit*, inquit, *non ſibi tantum, ſed & nobis; non ſibi tantum caſta vel pulchra, ſed nobis quoque caſtitatis monitoria: idea comparatur monilibus, quæ dicuntur monilia quaſi caſtitatem monentia. Nam ad continentiæ munditiam ipſa per exemplum nos commonet & inuitat.*

---

Verſ. 2. *Vmbiculus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus liliis.*

VMBICVLVS *tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis*, id eſt, *potione*. Hebr. מזג *mazag*, id eſt, miſto, puta vino aqua miſto & temperato, vti in Italia, Iudæa aliíſque regionibus calidis vina miſcentur & diluuntur aqua. Vnde Syrus vertit: *Non deficit in eo mixtura*, id eſt, vinum de more aqua imiſtum. Arabicus: *Nulla deficit temperatura.* Minùs rectè Tigur. vertit: *Nunquam indigens fœcunditate.*

Syrus. Arabic. Tigur.

Pro *tornatilis* Hebr. eſt סהר *ſahar*, quod Pagnin. & alij vertunt *rotunditatis*, id eſt, rotundus. Aben Ezra & Vatab. *Luna*: vmbiculus enim ſimilis eſt lunæ ſemiplenæ, quæ ſuperne concaua eſt inſtar crateris, & infernè rotunda inſtar torni.

Noſter Sanchez per vmbiculum metonymicè accipit ornamentum vmbilici, puta gemmam vel bullam è collo vſque ad vmbilicum pendentem, quam Iſaias cap. 3. Lunulam vocat, quòd ſpeciem haberet lunæ. Nam, vt ibi ait S.

Hieron. Hieron. *Habent mulieres in ſimilitudinem lunæ bullas dependentes.*

Meliùs Luyſius & paſſim alij ipſum vmbiculum accipiunt: hic enim eſt inſtar crateris tornati & rotundi. Iam ſub vmbiculo intellige totum ventrem & inteſtina: horum enim nodus, catena, nexus & vinculum eſt vmbilicus: *Venarum in vmbiculo nodus ac coitus eſt*, ait Plinius lib. 11. cap. 37. Sicut enim corpus neruis ac oſſibus compingitur; ſic venter vmbilico quaſi catena colligatur vnde ruptura illius lethalis eſt. Vmbilicus enim eſt corporis quaſi centrum, quod ſi tollas, euaneſcunt omnes lineæ ab eo ad circumferentiam ductæ, totúſque circulus. Quare vmbilicus planè rotundus, plenus & perfectus ſignum eſt bonæ ſanitatis, & vegetæ iuuentutis. Vmbilicus ergo eſt ligamentum inteſtinorum, quod mediam ferè planitiem venrris obtinet: ad hoc factum, vt per eum fœtus, dum eſt in vtero matris, nutriatur. Hinc per Cathachreſin vmbilicus vocatur, quicquid in aliqua re eſt medium. Sic Reate vrbs vocatur vmbilicus Italiæ. Et Cicero 6. Verrina, Ennenſium nemus, ex quo rapta eſt Proſerpina, vocat vmbilicum Siciliæ. Et Liuius lib. 5. bell. Maced. Ætoliam nuncupat vmbilicum Græciæ. Pari modo Ieruſalem eſt vmbilicus Iudææ, & totius orbis, vt mox dicam. Audi Ariſtot. lib. 1. de hiſtor. anim. cap. 13. *Venter infra pectus eſt parte priore, eiúſque radix vmbilicus eſt. Cui radici pars ſubiecta in latus vtrumque, ilia dicitur: quæ autem rectè ſubiungitur, ſumen eſt ſiue abdomen, cuius poſtremum aqualiculus. Sed ſuper vmbilicum hypochondrium eſt à cartilagine quaſi ſubcartilagium denominatum.*

Vmbilici naturam finis & ſignificatio.

Vmbilicus pro centro.

Ariſt.

Idem lib. 2. cap. 8. docet ſimias homini eſſe ſimiles excepto vmbilico, quo carent, ſed eius loco durum quiddam habere.

Iam vmbilicus, id eſt, venter Sponſæ non indiget poculis, id eſt, potione, ſiue liquore potabili & humore quaſi lacteo, quia eo plenus eſt inſtar lunæ plenæ, ac inſtar crateris, qui ſemper vino refertus eſt, vt oculos aſpicientium recreet, & guſtum potantium paſcat. Nam alij crateres ſæpe vino carent ſúntque vacui, ac luna ſæpe deficit & lumine orbatur, vti patet in nouilunio.

Aliter Sanchez & Delrio, q. d. Vmbilicus tuus eſt ſimilis crateri tornatili non egenti poculis, id eſt, liquore potabili; quia nullo ſitu aut ſqualore, ſcaber, vel ſorde aliqua impurus & immundus eſt, ſed planè caſtigatus & mundus, quia vino mixto recens foret ablutus & derterſus.

Porrò vt rectè aduertit Alcazar, pro *vmbilicus* Hebr. non eſt טבור *tabbur*, id eſt, vmbilicus, ſed שר *ſorer*, quæ vox ſignificat inteſtinum illud, quod infanti recens nato præciditur, & in vmbilico illigatur. Eſt autem id inteſtinum, quod in

interna

interna omnia vitalia, ſtomachum ſcilicet, iecur & præcordia penetrat. Hæc vero vitalia omnia, quo penetrat illud inteſtinum, comprehendi in ſacra Scriptura voce *ſor* aut *ſorer*, quam Noſter vertit vmbilicum, manifeſtum eſt. Atque id quidem liquet vel ex loco Iob 40. t t. *Virtus illius in vmbilico ventris eius.* Et ex illo Prouerb. 3. 8. *Sanitas erit vmbilico tuo, & irrigatio oſſium tuorum.* Vmbilicus ergo hic omnia vitalia complectitur. q. d. Vitalia Spōſę plena ſunt humore & ſucco, quo abundè irrigātur, aluntur ac vegeta, viuida & ſucculenta conſeruātur.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

OMnia hæc ſpectant ad Synagogæ, id eſt, Iudæorum in fine mundi per Eliam conuerſionem. Synagogæ ergo æquè ac Iudææ, imò totius orbis habitabilis ambilicus, id eſt, mediū & centrum eſt Ieruſalem, iuxta illud Ezech. 5.
*Ieruſalem Vmbilicus, id eſt, mediū terræ.* *Iſta eſt Ieruſalem, in medio gētium poſui eam, & in circuitu eius terras*; ideòque in illa doce-
re & crucifigi voluit Chriſtus, ac in ea
*Ezech. 5.* fundauit ſuam Eccleſiam, vt exinde ipſa quaſi ex centro facilè quaquauerſum, ad cæterarum Prouinciarum peripheriam ſeſe expanderet, iuxta illud Pſalm. 73. *Deus autem Rex noſter ante ſæcula operatus eſt*
*Pſalm. 73.* *ſalutem in medio terræ.* Rurſum vrbs Ieruſalem tempore Chriſti ſpeciem habebat vmbilici & crateris tornatilis, id eſt, rotundi, vt patet ex eius effigie, quam exhibet Adrichomius in deſcriptione terræ ſanctæ. Inſuper ipſa quaſi vmbilicus connectebat totam Iudæam omnéſque Iudæos, eorumque ventres, id eſt, concupiſcentias per ſuos Rabbinos, Pontifices & Principes reſtringebat & coërcebat. Ipſa denique erat quaſi crater tornatilis nunquam indigens poculis, quia inſtar crateris abundabat vino ſapientiæ & doctrinæ, illúdque in cæteros omnes diſpertiebat, iuxta illud Iſaiæ: *De Sion exibit lex, & Verbum Domini de Ieruſalem.*
*Iſaiæ.* Vnde Ierem. Thren. 2. *Haeccine, ait, eſt vrbs perfecti decoris, gaudium vniuerſæ terræ?*
*Thren. 2.* Igitur ſignificat hîc Salomonē, quòd Ieruſalem in fine mundi conuertetur ad Chriſtum per Eliam, qui in ea prædicabit contra Antichriſtum, ac in eadem ab eodem occidetur, ſed tertiò die glorioſus omnibus ſpectantibus reſurget, vt patet Apocal. 1 t. quod videntes Ieroſolymitæ, in Chriſtum ab Elia prædicatum credent, ac deinde cæteros Iudæos ad Chriſti fidem traducent, cóſq; in Chriſtiana pietate nutrient, fouebunt & promouebunt; vti factum eſt primitus tempore Salomonis in lege veteri, cum Scribæ Ieroſolymis veram fidem docerent, & in noua tempore Chriſti, Metropoli enim Iudææ, puta Ieruſalem conuerſa, conuertetur tota Iudæa, ſicut Roma conuerſa per Conſtantinum, cōuerſus eſt totus orbis. Ieruſalem ergo tunc abundabit ſanctis ſacerdotibus, Doctoribus, Prædicatoribus & Prophetis, qui cum Elia Antichriſto reſiſtent, ac Iudæos orthodoxā Chriſti fidem docebunt, vti abundauit iiſdem tempore Apoſtolorum. Sicut ergo infans in vtero matris ſugit alimentum à matre per vmbiculum, quæ cohæret & copulatur matri. Nam vt ait Ariſtot. lib. 2. de Generat. animal. cap. 4. *Incrementum fœtui per vmbiculum contingit eodem modo, quo plantis* *Ariſtotel.*
*per radices.* Sic Iudæi à matre Eccleſia in fide & pietate Chriſtiana nutrientur per Ieruſalem, & doctores ab ea ſubmiſſos. Ita Honorius, Delrio & alij. Hinc per vmbilicum intelligi prædicatores docent Caſſiodor. Beda, Aponius, Anſelm. & S. Ambroſ. ſerm. 6. in Pſalm. 118. Audi S. Gregor. *Vmbilicus ſanctorum prædicatorum ordo eſt, qui bene crater eſſe dicitur;* *Gregor.*
*quia dum per eos populus eruditur: vino ſpirituali ipſorum officio inebriatur. Qui bene tornatilis nuncupatur: quia iuxta mores hominum vniuerſos neceſſe eſt vt lingua prædicatoris voluatur; qui poculis non indiget, quia quod aliis propinat, neceſſe eſt vt abundantiùs cæteris bibat, & pleniùs, quod dat, contineat.*

Huc facit verſio Chald. *Et Princeps Scholæ tuæ per cuius meritum gubernantur omnia ſæcula, ſicut fœtus nutritur per vmbilicum in vtero* *Chald.*
*matris ſuæ; ſplendidus eſt in lege ſicut circulus lunæ, quando venit ad mundandum & contaminandum, & ad iuſtificandum & condemnandum, & non deficiunt verba legis vnquam ab ore eius: Sicut non deficiunt aquæ fluminis, quando egreditur de paradiſo.*

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

VMbilicus animæ piæ eſt mens fouens ſanctas inſpirationes, cogita- *Vmbilicus eſt mens ſancta.*
tiones & affectiones: hæc enim ventrem, id eſt, appetitum ſenſitiuum & ventris ilia, id eſt, cupiditates nodo tem-

ptantiæ & continentiæ aſtringit & coërcet, inſtar vmbilici. Ita Tres Anonymi apud Theodor. hæc rurſum quaſi
crater tornatilis abundat cæleſti vino
ſapientiæ, prudentiæ, doctrinæ, gratiæ, conſolationis, lætitiæ, quo tam ſe
quam alios potat, & ſubinde inebriat,
adeo vt fontem huius aquæ cæleſtis vẽte mẽtis continere videatur iuxta illud Chriſti: *Flumina de ventre eius fluent*
Ioan 7.38. *aquæ viuæ.* Ioannis 7.38. & illud: *Aqua,*
*quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in*
*vitam æternam.* Ioan.4.v.14. Ita S.Ambroſ.
Ambroſ. de obitu Valent. *Bonus*, ait, *vmbilicus animæ*
*virtutum omnium capax, ſicut crater ab ipſo fidei*
*auctore ornatus, Sapientia enim in cratere miſcuit vinum ſuum, dicens: Venite, edite panes*
*meos, & bibite vinum, quod miſcui vobis.* Hinc
Ezech 16.4. Ezech.cap.16.4. redarguit Synagogam
(id eſt Iudæos Olitanos) dicens: *Et quando nata es in die ortus tui, non eſt præciſus vmbilicus tuus.* q.d. adhærebas priſtinis erroribus & idololatriæ matris tuæ: at hic
vmbilicus præciditur ab anima ſancta,
& præcidatur à Iudæis in fine mundi.
Vide ibi dicta.

Tropologicè. Tropologicè, præciſio vmbilici eſt
1. præciſio cupiditatis, quæ hominem ſanat, ſanctificat & beat. Verè Seneca:
Senec. *Qui deſiderium clauſit, me hercle cum Ioue de*
*felicitate contendit.* Hinc Ioannes Carmelita ſic explicat: vmbilicus & venter, id
eſt, intellectus tuus ô Sponſa, Dei ſapientia, vt fœtum, continens, quia
eius potum propinat ſitientibus, crater
rotundus eſt ad potandum aptiſſimus.

2. Rurſum Philo Carpath. per vmbilicum accipit Sacerdotes; & per craterem
calicem Euchariſtiæ: *Quæ nunquam*, inquit, *caret vero corpore & ſanguine Ieſu Chriſti, qui populis per fidem, charitatémque miſcetur, id quod per aquam illam, quam ſacerdos vino miſcet in calice, apertiſſimè docetur. Idémque*
*ſacerdotium rectè vmbilico non abſimile, & tornatile eſſe dixit, vt aperte doceret ſacerdotes*
*mundos ac puros & omni labe deterſos, cunctiſq́;*
*virtutibus bene tornatos eſſe oportere, nec aliud*
*quicquam in tota vita & in omni re gerenda,*
*quàm cæleſtia ſapere & meditari atque docere,*
*noſtis enim illud: Sacerdotes tui induantur iuſtitiam, & ſancti tui exultent in vita rectitudine.* Pſalm. 131.

Hinc iterum per vmbilicum alij ac-
3. cipiunt caſtitatem, quam parit Euchariſtia, iuxta illud Zachar.9.17. *Quid enim*
Zachar. 17. *bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi*
*frumentum electorum & vinum germinans virgines?* Ita Rupert. Guilielmus & alij.

4. Honorius verò accipit ſobrietatẽ, quæ
mater eſt caſtitatis: *Vmbilicus animæ*, inquit, *eſt tẽperantia; quia ſicut vmbilicus medius*
*eſt inter ſuperiora & inferiora membra, ita eſt* Rupert.
*temperantia inter virtutes & vitia media, quæ*
*eſt crater tornatilis, plena poculis, quia eſt circumſpectione rotunda & ſapientia fœcunda, &*
*ſicut potus ſitim temperat, & cor lætificat; ſic temperantia ardorem vitiorum reſtringit, & immoderatum feruorem virtutum reprimit.*

Audi Aponium: *In quo* (vmbilico) *mihi videntur illi laudari, qui non ſolum à terrenis deſiderijs renaſcendo abſciſſi ſunt à peccato,* Aponius.
*ſed iam torno conſuetudinis vel deſiderij boni*
*admirabiliter expoliti, lætitiæ poculis vltra non*
*indigent, ſed alijs indigentibus animæ abſolutionem exemplo conuerſationis miniſtrant. Nullus enim animam ſitientem Deum, poſt criminum ariditatem ad pinguedinem ſanctitatis*
*perducit, niſi qui exemplis laudabilibus poculum*
*ſubminiſtrat.*

Denique Honorius hæc referens ad 5.
choros caſtrorum Synagogæ ad Chriſtum conuerſæ, de quibus initio capitis
dictum eſt, tertiam eorum aciem hic
aſſignat, ſcilicet, mollium & delicatorum, ſed miſericordium: *Quia vmbilicus,*
inquit, *eſt molle membrum & media pars hominis, quæ habet ſupra ſex partes, nempe caput, oculos, naſum, os, collum & pectus. Septima*
*pars eſt vmbilicus: infra ſe quoque ſex partes* Honor.
*habet, pedes, tibias, crus, coxam, femur, ventrem, & ſeptima hic rurſus eſt vmbilicus. Significans in Eccleſia eos, qui per ſeptem opera*
*miſericordiæ conſequuntur ſeptenarium requiei,*
*quæ datur per ſeptem dona Spiritus ſancti. Hi*
*ſunt velut crater tornatilis, nunquam indigens*
*(id eſt ſemper plenus), poculis, quia ſunt charitate*
*tornati, exercitio virtutis planati; poculis doctrinæ ſemper pleni, vnde ſitientes iuſtitiam,*
*poſſint abunde inebriari. Hoc ideo dicitur, quia*
*ſi imperfecti tunc in Synagoga tales erunt, quales*
*perfecti ſunt credendi?*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

PRimò S.Ambroſ. de inſtit. Virgin.c.
14. *Verè, ait, aluus ille Mariæ crater tornatilis, in quo erat ſapientia, quæ miſcuit in cratere* 1. Ambro.
*vinum ſuum, indeficientem cognitionis ſuæ gratiam diuinitatis ſuæ plenitudine ſubminiſtrans.*

Secundò Honorius: Vmbilicus, in- 2.
quit, tuus, ſubaudi beatus, in quo pependit Dei filius (vt enim in clauo clypeus,
ſic pendet in vmbilico infantulus) qui
filius eſt crater tornatilis, nunquam indigens poculis, hoc eſt, omnibus ſe ſitientibus præbet largiter.

Tertiò,

Digitized by Google

3. Rupert. Tertiò, Rupert. *Viris*, inquit, *in lumbis, feminis autem in vmbilico luxuria eſt, teſtante Domino, qui de Diabolo loquitur ad B. Iob: Virtus eius in lumbis eius, & poteſtas eius in vmbilico ventris eius.* Iob 4. v.11. *Igitur vmbilicus tuus crater tornatilis quid eſt, niſi ac ſi diceret: perfecta eſt in te virtus caſtitatis, & liberata es ab omni carnalis appetitu voluptatis?*

4. Alanus. Quartò, Alanus: *Vmbilicus*, inquit, *eſt in medio ventris. Per vmbilicum igitur Virginis intelligitur vis intelligendi, qua Deum dilexit, ſcilicet charitas. Hæc in virgine fuit quaſi crater, quia ea mediante, virgo mundo lætitiæ vinum propinauit, de qua dicitur: calix meus inebrians quàm præclarus eſt?* Pſal. 22. & alibi: *Vinum lætificans cor hominis.* Pſalm. 103. *Tornatilis dicitur, quia torno faciliùs operamur: Et ipſa Virgo ſine omni difficultate, ſine omni illecebra, ſine omni carnis anguſtia concepit & peperit. Nunquam indigens poculis. Minus dicit & plus ſignificat, id eſt, plenus poculis, nempe mundo propinans vinum dilectionis, vinum ſalutis, vinum lætitiæ, poculum vitæ.*

Denique in vmbilico illius, ait Guilielmus, ſalus hominum fuit eo ipſo, quo ibi reconciliationis humanæ hoſtia fuit, atque inde nobis ſuo tempore, id eſt, quando, *Verbum caro factum eſt*, ſalus manauit. Nempe vmbilicus ille virgineus Dei filio carnis ſubſtantiam, in qua pro hominibus moreretur, per calorem Spiritus ſancti miniſtrauit, atque eo ipſo quaſi crater tornatilis vitam mundo propinauit. Et poſt nonnulla: *Nunquam indigens poculis.* Quotlibet inde hauriant, & quantumlibet hauriant, nequit exhauri. Nam etſi inde bibant omnes peccatores terræ, nihilominus abundat & redundat.

Symmach. Tigur. Ambroſ. *Venter tuus ſicut aceruus.* (Symmach. *cumulus*) *tritici vallatus liliis.* Tigur. *Circumſeptus liliis.* S. Ambroſ. de inſtit. Virgin. cap.14. legit: *Sicut aceruus tritici minuti inter lilia*: Sed videtur error typographi, ac pro *minuti* legendum *munitus*, vti legit idem S. Ambroſ. de obitu Valent. Sicque habent Hebr. Septuag. & Latinus.

Idem, vel quaſi idem dicit cum eo quod dixit de vmbilico (ſub eo enim ventrem comprehendit, vt dixi) ſed per aliam metaphoram & ſimilitudinem: ibi enim ventrem comparauit crateri, qui vino eſt plenus; hic verò comparat eum aceruo tritici, ſed vallato liliis, vt ſignificet eum refertum eſſe quolibet alimēto (hoc enim tam potu, quàm cibo, puta tritico conſtat) eúmque tam eſurientem abundè cibare, quàm ſitientem potare. Aceruus tritici fertilitatis & fœcunditatis eſt ſymbolum, lilia verò caſtitatis, ſignificat ergo ventrem Sponſæ ita eſſe fœcundum ad nutriendum cætera membra, vt tamen ſit purus & caſtus.



Per triticum, vel grana tritici excuſſa, & pura, quæ liliis vallentur, vel potius ſegetem tritici lætè in ariſtis & culmis germinatem, turgentem & tumentem accipe: hæc enim in aruis nobilium, præſertim hortenſibus, ad margines vallatur liliis, aliíſque floribus pulchrè ſucreſcentibus, tum ad amœnitatem & delitias, tum ad odoris ſuauitatem & fragrantiam. Hæc ſunt lilia agri, quæ nominat Chriſtus Matth.6. v.28. Huic aceruo aſſimilatur venter Sponſæ, quia illius ad inſtar ſolido & ſuccido cibi chilíque tumore, omni ex parte pleno & æquato turgeſcit, ac ob eius per vim caloris iuſtam concoctionem ſuauem exhalat odorem, vti exhalabat venter Alexandri Magni & ſimilium.

Porrò Sanchez & Alcazar ventrem hic non nudum accipiunt, ſed talari veſtitum, puta veſtem & tunicam ventris; hoc enim honeſtiùs & decentius videtur. q. d. Veſtis, quo venter tuus operitur, eſt ex aurea tela, cum eleuato in ea opere tritici cumulos imitante, ac limbo ex liliis graphicè acu pictis. Significat ergo Sponſus bellè ei quadrare illam talarem veſtem, quòd ſperet ipſe fœcunditatem ſuæ Sponſæ (ventre nimirum ſignificatam) fore tritici fœcunditati ſimilem ſobole deinde copioſa ad gloriam & exaltationem, quam lilia repræſentant, eandem euectum iri.

Lilia enim Symbolum ſunt euectionis ex humili loco ad eximiam dignitatem & gloriam, triticum verò fœcunditatis. Nam, vt ait Plinius lib.18. cap.10. *Tritico nihil eſt fertilius: hoc ei natura tribuit, quoniam eo maximè alat hominem, vtpote cum è modio, ſi ſit aptum ſolum, centeni quinquagenarij modij reddantur.* Plinius. Hinc illud: *Benedictus fructus ventris tui.*

Denique Chald. vertit: *Et 70. Sapientes circumdant eum ſicut aream rotundam, & cellaria eorum plena ſunt decimis ſanctificatis, & votiuis & ſpontaneis, quas conſtituerunt eis Eſdras ſacerdos & Zorobabel, & Ioſue & Nehemias & Belſan, viri Eccleſiæ magnæ, qui comparantur roſis vt ſit eis virtus, vt laborent in lege die ac nocte.* Chald.



Digitized by Google

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

IEruſalem conuertenda ad Chriſtum per Eliam in fine mundi ſimilis erit aceruo tritici, quia plena erit Sacerdotibus & prædicatoribus, qui verbo Dei & Euchariſtia quaſi tritico myſtico fideles paſcant, non ad luxuriam, ſed ad caſtitatem, ideóque vallatur liliis, quia puritatis candorem, æquè ac ſuauitatis odorem expirat. Hoc enim eſt *frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* Zachar.9.vlt. Synagoga enim poſt mortem Apoſtolorum & primorum fideliũ quaſi ſterilis remanſerat, cum cæteri Iudæi nollent ad Chriſtum conuerti; ſed reliquiis in fine mundi per Eliam conuerſis Synagoga fiet quaſi aceruus tritici, quia multa grana, id eſt, multos fideles in horreo Domini reponendos producet, quorum multitudo, ait ex S. Ambroſ. Delrio, eſt cumulus in vnum vinculo charitatis coaccruatus; cylindro iuſtitiæ æquatus, & pudicitiæ, cæterarúmque virtutum exemplis vallatus. Tali aceruo plenus Synagogæ tunc venter erit, vt & ipſa queat gloriari factam ſe matrem filiorum lætantem. Certè ſicut in Catholica Eccleſia nunquam deficit vitalis ille potus, ſic nec triticum ad dupliciter omnes cibandos.

Porrò S. Gregor. per vmbiculum prędicatores, per ventrem populum intelligit: *Per ventrem*, inquit, *populi latitudo deſignatur, qui benè ſicut aceruus tritici liliis vallatur; quia dum operibus ſanctis intendens, in cæleſte horreum præparatur, exemplu ſanctorum, vt perſeueret, vndique munitur.* Populus à Deo electus comparatur tritico Matth. 13.30. *Triticum*, inquit, id eſt, electos *congregate in horreum meum.* cæleſte. Synagoga ergo continens Iudæos ſanctos & electos, eſt quaſi aceruus tritici. Audi Philonem Carpath. Aceruus tritici eſt multitudo, ſiue cœtus Eccleſiæ: quia ſicut ex multis granis vnus cumulus coaceruatur, ita & ex multis populis vna omnium fidelium Eccleſia copulatur: vnus & idem fide Chriſti populus, communione vnius baptiſmatis, & ſacramenti corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti cogitur, &c. Sed hic primum liliis ſepiri & conſtipari debet, id eſt, in odoratiſſimis atque frugiferis virtutũ actionibus caſtiſſimíſque colloquiis exerceri, mox ad cæleſtem illam patriam fructus aliquid incorrupti deferre ſecum, vt vnicuique detur de fructibus manuum ſuarum, ſinúmque refertum virtutibus gerat.

Gregor.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima ſancta.*

VEnter myſticus animæ ſanctæ eſt mens in ſe continens triticum, id eſt, ſanctam doctrinam, qua ſe & alios enutriat in omni virtute; ideóque vallatur liliis puritatis & caſtitatis ſuauè fragrantibus. Ita Theodor. & tres Anonymi. Audi Honorium: *Venter animæ eſt memoria, in qua recõdit cibos ſacræ Scripturæ, quæ ſimilis eſt aceruo tritici; quia ſicut in aceruo grana cumulantur, ita & in memoria multæ ſententiæ & imaginationes coaceruantur, quæ liliis vallantur, quia mundis cogitationibus ſtipantur.* Honor.

Denique venter, id eſt, mens ſanctorum eſt aceruus tritici, id eſt, officina & congeries iuſtitiæ, beneficentiæ, omníſque virtutis.

Symbol. Honorius cenſet hîc in choris caſtrorum Synagogæ, per ventrem notari quartam aciem coniugatorum, qui ventre ad prolium generationem vtuntur, ſed tritico eleemoſynarum abundant; hi vallantur liliis caſtitatis: hi ergo ſunt coniugati fœcundi æquè ac ſancti, de quibus Pſaltes: *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ.* Pſalm. 127.8. Iudæi enim fœcundi ſunt, & fœcundi erunt in fine mundi, vt filios generent Chriſto inſerendos cęlo. Hinc tanta in tot regnis per totum orbem ſparſa videmus Iudæorum examina. Quocirca Giſlerius appoſitè cenſet hunc ſenſum ad literam eſſe primum & primarium.

*Symbolicè, ventre ſignificatur quarta acies coniugatorum.*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

VEnter B. Virginis fuit aceruus tritici, id eſt Chriſti, qui cibus & panis eſt Chriſtianorum, vallatus liliis, id eſt, ſtipatus virginibus, ait Honorius. Hinc de ea dicitur: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Lucæ 1. Et: *Beatus venter qui te portauit.* Hic ergo, ait Guilielmus, eſt *ſicut aceruus tritici, quia prole diſtentus & tumidus, ſed tamen vallatus liliis, quia perpetuæ virginitatis inanitate, ſed veritatis plenitudine tumidus.* Audi S. Ambroſ. de inſtit. Virgin. cap. 14. *In virginis vtero*

Lucæ 1. Guilielm. Ambroſ.

Google

*vtero ſimul aceruus tritici, & lilij floris gratia germinabat, quoniam & granum tritici generabat & lilium.* Ioan. 12. 24. *Granum tritici ſecundum quod ſcriptum eſt: Amen, amen dico vobis, niſi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſed quia de vno grano tritici aceruus eſt factus, completum eſt illud propheticum: Et conualles abundabunt frumento. Quia granum illud mortuum plurimum fructum attulit. Hoc itaque granum omnes homines perpetua cæleſtium munerum eſca ſatu auit Conſummatum eſt illud Prophetici oris eloquium, dicente eodem David:* Pſal 80. 17. *Cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturauit eos. In hoc grano eſſe etiam lilium, diuina teſtantur oracula, quia ſcriptum eſt:* Cant. 2. 1. *Ego ſum flos campi, & lilium conuallium, ſicut lilium in medio ſpinarum. Chriſtus erat lilium in medio ſpinarum, quando erat in medio Iudæorum.*

Secundò Ruperrus: *Venter tuus,* inquir, Rupert. *ſicut aceruus tritici; quod videlicet triticum prudenter congregaſti meditando in Scripturis, ſicut dictum eſt quodam loco: Maria autem conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo. Huiuſmodi aceruus benè eſt vallatus liliis, quia profectò pulchritudo caſtitatis ſicut claritudinem ſenſus ad intelligendum Scripturas efficit; ita & auctoritatem parat omni homini vt dignus ſit foris eloqui ea, quæ intus repoſuit, vel contulit verba Dei quaſi triticum Domini.*

Audi Chriſtum apparentem S. Brigidæ, eique ſingula B. Virginis membra myſticè deſcribenrem lib. 5 Reuelar. eius in fine Inrerrogarionis decimæ: *Membra myſtica B. Virginis.* *Venter tuus, ô beata virgo, fuit mundiſſimus ſicut ebur, & ſicut locus ex virtuoſis lapidibus ſplendidiſſimus; quia conſtantia conſcientiæ tuæ nunquam tepuit, ſed nec in tribulationibus potuit vitiari. Huius itaque ventris, id eſt, fidei tuæ parietes fuerunt quaſi aurum fulgentiſſimum, in quibus notatur fortitudo virtutum tuarum, & prudentia tua, & iuſtitia & temperantia, cum perfecta perſeuerantia, quia ipſæ omnes virtutes tuæ perfectæ fuerũt diuina charitate.*

---

Verſ. 3. *Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli gemelli capreæ.*

D*VO vbera tua ſicut duo hinnuli gemelli capreæ.* Reperirur in Synagoga Iudæorum, quod dictum eſt de Eccleſia Gentium, cap. 4. verſic. 5. vbi hæc explicui.

Chald. Chald. vertir: *Saluatores tui, qui te redempturi ſunt, ſimiles ſunt Moyſi & Araon filiis Iscabed, qui comparantur duobus hinnulis gemellis capreæ.*

*Cornel. à Lapide in Cant. Canticorum.*

Honorius per vbera cenſet in choris caſtrorum Synagogæ quintam eiuſdem aciẽ, ſcilicet Doctorum denotari. Idem Tropol. *Duo vbera animæ,* inquit, *ſunt ſapiẽtia & ſcientia quibus lactat inſipientes & inſcios, quæ ſunt ſicut hinnuli capreæ, quæ ſemper alta petunt, dum ad alta virtutum ſcandere nituntur; duo gemelli ſunt, dum in gemina dilectione cæleſtia petunt. Hinnulum capreæ dixit ad diſtinctionem hinnuli ceruorum, qui velociter currit, ſed non vt iſta alta petit.*

Philo per duo vbera accipit religioſos & laicos, & Analog. duplicem beatitudinem ſanctorum in cœlis, ſcilicet gloriam animæ & corporis.

---

Verſ. 4. *Collum tuum ſicut turris eburnea. Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis. Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.*

Fiunt à Principibus ſubinde ad magnificenriã prauæ rurres eburneæ affabrè elaboratæ, ſicut Salomon thronum ſuum auguſtum, vt dicitur 2. Paral. 9. 17. fecit ex ebore, imò Achab domum integram ex ebore ædificauit, vt habetur 3. Reg. 23. 39. Adeo enim magni vaſtiq; ſunt dentes Elephantis, vt nonnulli duodecim palmorum, imò decem pedum menſuram excedant. Quocirca ex eis poſtes in domibus & ſtabulis fiunt, ait Plinius, qui proinde illos cornua potius quam dentes nuncupat Arque hæc longæuiratis Elephanti eſt cauſa, quòd ſcilicet vaſtis validiſque dentibus cibum planè commolat, & in farinam redigar, itáque eum oprime digerat, digeſtúmque in ſubſtantiam ſuam conuerrat: quódque diu, ſcilicet biennio, matris vrero geſtetur, vt fortis validúſque naſcatur. Vide Aldrouandum in Elephante p. 423. & ſeq. *Elephas longæuus cur?*

Reperit in Synagoga Iudæorũ quod dixit de Eccleſia gentium cap. 4. 4. (Vide ibi dicta) vtrique enim dat collum turritum; ſed hic addit, quod ſit eburneum. Collum rurritum ſignificat inuictum Synagogæ robur quo ſe inſtar turris generosè eriget contra omnes tentariones & perſecutiones Antichriſti. Irem Ponrifices, Doctores & Præſules, qui eidem heroicè reſiſtent. Huc facit verſio Chaldæi: *Iudex quoque tuus, qui iudicat iudicium tuum, fortis eſt ſuper po-* Chald.

*pulum,vt alliget eos , & vt trahat eos , qui condemnantur in iudicio, ad carcerem : ſicut Salomon Rex qui fecit turrim eburneam, & ſubiecit populum domus Iſraël,& conuertit eos ad dominatorem ſæculi.*

Ebur notat Elephantinam (Elephas enim ferarum & animalium caſtiſſimus eſt)caſtitatem,puritatem & munditiem, qua pollebunt Iudæi in fine mundi. Apocal. 14. 1.& ſeq.præſertim Doctores & Præſules. Ebur enim candidum eſt, politum,nitidum,teres,rectum,æquabile,firmum. Talis pariter erit virtus & fortitudo Iudæorum.Porrò quam caſtus ſit Elephas,collige ex indiciis , quæ dat Ariſtot. lib. 5. de Hiſtor. anim. cap. 14. vbi docet Elephantem continuò per triennium manere cælibem , ac poſt triennium finito iam fæminæ partu , illi obiter, prolis duntaxat generandæ cauſa,miſceri: *Elephas*,inquit , *coitum , triennio interpoſito,repetit: Quam grauidam reddit, eandem præterea tangere nunquam patitur. Vterum biennio gerit,parit ſingulos:fœtum magnitudinis bimeſtris aut trimeſtris vituli edit.* Cauſam dat lib. 9. cap. 49. *Elephas*,ait,*omnium ferarum mitiſſimus & placidiſſimus eſt ; quippe qui permulta officia & erudiatur & intelligat:quando etiam Regem adorare condiſcit : valet ſenſu, & reliqua ſegacitate ingenij excellit : quam impleuerit coitu , eam rurſus non tangit. Viuere Elephantes mares alij ducentos , alij centum & viginti annos aiunt ; feminas etiam ferè totidem ; ſed florere ætate circa ſexageſimũ narrant*

*Elephantis mira caſtitas.*

Cauſa ergo cur Elephas ſit caſtus eſt eius manſuetudo,ſagacitas & amor longæuæ vitæ : caſtitas enim vitam prolongat,quam libido abbreuiat. Idem lib. 2. cap. 1. *Elephas*, inquit , *teſtes non foris conſpicuos , ſed intus circa renes conditos habet ; quocirca initum celerius agit.* Idem lib. 5. cap. 2. *Elephantes* , ait, *coitus ſolitudines petunt , ſed præcipuè ſecus flumina*,adeo pudet eos actus venerei , vt eum flumine abluant. Audi Plinium lib. 8. cap. 5. *Elephantes* , inquit, *pudore nunquam niſi in abdito coëunt , mas quinquennis , femina decennis , initur autem biennio quinis(vt ferunt) cuiuſque anni diebus, nec amplius:ſexto perfunduntur amne, non ante reduce ad agmen ; nec adulteria nouere , nulláque propter feminas inter ſe prælia, cæteris animalibus pernicialia.* Atque ex tanta caſtitate tantum eſt robur Elephanti, vt etiã turres & in iis militum acies dorſo vectet. Addit ex Æliano Aldrouandus in Elephante p.441.Elephantem adeo homines adulteros & adulteras odiſſe , vt de eis pœnas ſumat,eóſque occidat,cuius vindictæ plura ibidem recenſet exẽpla. Adiungit Angelomus in 3.Reg.10. *Elephas* , ait,*temperanter miſcetur feminæ ſuæ, & ſecunda non vtitur.* Et Beda in illud Pſal. 44.verſ.9. *à domibus eburneis*: domus eburnea , inquit, eſt cor innocentiſſimum & caſtiſſimum.In ebore eſt candor , & per candorem deſignatur innocentia. Elephas enim,cuius eſt ebur,caſtiſſimus eſt; quia non cognoſcit niſi vnam vxorem, & illam temperatiſſimè , atque ea mortua nunquam aliam cognoſcit.

*Caſtitas Elephantem facit longæuum.*

*Elephas infeſtus adulteris.*

Angelom.

Pſalm.44.9.

Audi S.Gregor. *Collum Sponſæ ſicut turris eburnea dicitur , quia prædicatores Eccleſiæ & alti per contemplationem,& fortes per ſanctorum operum exercitationem,& pretioſi per diuinam ſapientiam habentur.* Similia habent Caſſiodor. Beda, Anſelm.& alij. Et Angelomus in lib. 3. Reg.cap.10.ad illa : *Deferebantur Salomoni dentes Elephantorum. Collum tuum ſicut turris eburnea ; hoc eſt* , inquit, *Doctores tui fortes ſunt propter nitorem ſapientiæ.*

Gregor.

Angelom.

Philo Carpath. verò per collum accipit Sacerdotes: *Vt enim collum* , inquit, *capiti proximum eſt atque coniunctum ; ſic veri miniſtri Dei ſacratiſſimo corpori , ac ſanguini Ieſu Chriſti ſanctiſſimè ac proximè adhærent, ſuntque ipſius collum, maximè eburneum , quoties pura conſcientia & ſincera anima charitate, diuina ipſa myſteria immaculatè celebrant, atque contrectant : quemadmodum ſupra pyxis eburnea dicebantur, qui ſordes animi nullas admittunt , ſed honeſtiſſima vita ac moribus diuiniſſimis ſacramentis immaculatiſſimè miniſtrant.* Sic ille. Aponius accipit martyres, qui collum pro fide ſubiecere gladio, & poſt mortem velut ebur refulſerunt.

Philo.

Symbol. Honorius: *Sextus*,inquit , *ordo* (in choris caſtrorum Synagogæ ) *eſt religioſorum , qui per collum exprimuntur, de quibus ſubditur : collum tuum ſicut,&c. hoc eſt ſpiritales,qui Sunamitem Chriſto verbis & exemplis iungunt , vt collum caput & corpus coniungit, ſunt ſicut turris eburnea, id eſt,ſicut Elephas, in virtutibus inexpugnabiles. Solent Elephanti turres portare,de quibus pugnatur,ſicut in libro Machabæorum legitur: ſic ſpirituales viri ſacram Scripturam quaſi firmam turrim portãt , ex qua contra hoſtes regni Dei pugnant. Sed & per ebur caſtitas illarum intelligitur , ſicut illud animal caſtè eſſe naturæ perhibetur.*

*Turris eburnea ſunt Religioſi.*

Huc accedit Alcazar,qui hæc omnia tribuit religioſis , præſertim pro Chriſto & fide certantibus,& in fine mundi certaturis contra Antichriſtum. Hi enim collum erigent contra perfidiam : Collum autẽ ſymbolum eſt libertatis Chriſtianæ: licèt enim Religioſi collum iugo Chriſti & obedientiæ ſubmittant , tamen ſubmiſſio hæc parit in eis ingentes

animos

animos ac libertatem, qua omnia mundana deſpiciant, nullos tyrannos timeant, ſed ſolam Dei offenſam: quare pro Deo libenter collum gladiu,ſi opus ſit,ſubiiciunt.

Rurſum Guilelmus: Caput, inquit, eſt ratio ſpeculatiua, quæ æternurum contemplationi intendit. Membra capiti ſubiecta ſunt appetitus ſenſuales, qui à ratione reguntur. Medium inter caput & membra, ac vtraque coniungens eſt collum, id eſt, ratio practica quæ actioni rectæ intendit, eámque dirigit. Hæc ſimilis eſt turri eburneæ, ex priſcorum Patrum exemplis per imitationem extructæ. Ebur enim os Elephantorum eſt: & hi omnes vt Abraham, Moyſes, Dauid,&c. Magni quidam, caſti, fortéſque Elephanti fuerunt.

Denique Rupertus hæc adaptans B. Virgini, per collum accipit eius humilitatem, quæ ipſam effecit inſtar turris eburneæ, fortiſſimam æquè ac pulcherrimam: *Quid*, inquit, *vel quale eſt collum tuum? vtique non extenſum, imò amabiliter demiſſum; & hæc eſt humilitas tua, fortitudo magna, fortitudo pulcherrima. Verè ſicut turris eburnea, quæ & aſpectu amabilis & ſtatura ſit fortis. Cui fortis? cui amabilis? Deo fortis, Deo amabilis: diabolo autem terribilis & inacceſſibilis. Quomodo ipſi Deo fortis? nimirum ſicut ex iſtis comprobatur exemplis: quia ſi contra Deum fortis fuiſti (ait ipſe ad patrem tuum fidelem Iacob) quanto magis contra homines praualebis.* Geneſ. 32. 28. Addit Guilielmus: *Si per eburneam turrim exempla ſanctorum illorum, Abrahæ, Iſaac, Iacob, Dauidis & cæterorum ſignificantur; ſanè Deiparam veriſſimè talem vocari, quæ multò ſublimius cæteris, ex ebore illo antiquo turrim fortitudinis cunctis hoſtibus tremendam exſtruxit: Quippe antiquorum virtutes in ſuis moribus non modò perfectè expreſſit, verùm etiam in eiſdem virtutibus ſuper excellenti gratia modum antiquorum longè exceſſit, vicítque ſingulos, non tantùm in aliis, ſed & in præcipuis eorum: Abraham in obedientia, Moyſem in manſuetudine, Dauid in humilitate.* &c.

Ex B. Virgo. — Rupert. — Guilielm.

Subtilius Hailgrinus: B. Virgo, inquit, eſt *turris*, ad quam in omni periculo confugiunt miſeri: *Eburnea*, ob candorem caſtitatis & firmitatis conſtantiã: & quia ebur eſt dens Elephantis, cui iuge eſt bellum cum dracone; ſicut B. Virgo vetus ab origine mundi bellum ſerpenti antiquo ex Dei prædeſtinatione indixit. Geneſ. 3. 15.

Audi Chriſtum Dominum, collum B. Virginis myſticè deſcribentem S. Brigidæ lib. 5. Reuelat. in fine Interrog. 890. *Collum tuum eſt nobiliter erectum & pulcherrimè eleuatum, quia iuſtitia animæ tuæ plenè eſt erecta ad me, & ſecundùm velle meum mobilis, quia nunquam inclinata fuit ad aliquod malum ſuperbiæ: ſicut enim collum curuatur in capite, ſic omnis intentio & operatio tua flectebatur ad voluntatem meam.*

*Oculi tui ſicut piſcina.* (S. Ambroſ. *ſtagna*, ſcilicet ex aquis ſcaturientibus & viuis) *in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis.* Pagnin. *Filiæ nobilium*; רבים *Rabbim* enim & *multos* & *nobiles principéſque* ſignificat. Syrus: *Ad portam multorum.* Perperam Lyran. & Rabbini per Heſebon accipiunt Ieruſalem: hanc enim dici Heſebon; id eſt, æſtimationem; quòd vrbs eſſet ſummæ dignitatis & æſtimationis: *Heſebon*, inquit Adrichom. in deſcript. terræ ſanctæ pagin. 127. numer. 31. *Fuit vrbs glorioſa & inſignis & munita valde, ſita in montibus, cincta muris coctis lateris, cui tanquam dominæ maximus pagorum numerus ſeruiebat; quæ cum fuiſſet ante Moabitarum, ab Amorrhæis belli iure poſſeſſa eſt, inque ea Seon habitabat Rex Amorrhæorum, quo cum populo ſuo ab Iſraëliticis occiſo, vrbs hæc à filiis Ruben eſt reædificata & data Leuitis, contra quam prophetauerunt Iſaias & Ieremias in viſione Moab: ætate S. Hieronymi vocabatur Esbus, diſtans à Iordane viginti milliaribus.*

Ambroſ. — Pagnin. — *Heſebõ qua & qualis?* — Adrichom.

Addit Adrichom. num. 32. iuxta portam Heſebon fuiſſe inſignes piſcinas, ſeu ſtagna & fontes aquarum, ad quos alludit Hebr. עינים *Enaim*: hæc enim vox & oculos & fontes ſignificat; quod enim ſunt oculi in capite, hoc ſunt fontes in terra. Rurſum ſicut piſcinarum ſiue ſtagnorum laus eſt, ait Delrio, ſi liquido humore abundent, ſi pelluceant, ſi ſpeculorum more reddant imaginem intuentis: in oculis primæ laudi reſpondet copioſus humor aqueus, ſecundæ vitreus, tertiæ cryſtallinus; in his tribus tres illas dotes licet reperire: nam & oculi copioſè humidi ſunt, & viſionem tranſmittunt, & imaginem repræſentant. Senſus ergo eſt. q. d. Oculi tui ô Synagoga ſunt quaſi gemini, placidiſſimi, puriſſimi, ſereniſſimi, limpidiſſimíque fontes.

Rurſum ſicut piſcinæ cinguntur arboribus, iiſque amœnè obumbrantur, ſic & oculi cinguntur pupillis & capillis, atque inter eos amicant vibrántque iucundum lumen, perinde ac ramos arborum piſcinis imminentes cryſtallini aquarum liquores interlucent. Adde humor cryſtallinus oculi ſimilis eſt piſcinę,

quia vtriuſq; origo ſubtus latẽter ſcaturit, extrema vero ſuperficies quieta, ſtabilis & ſerena permanet, adeo vt inſtar ſpeculi res obiectas repræsẽtet. Hoc verius eſt in Spõſa, cuius oculi modeſti sũt, graues, compoſiti, conſtantes: nam oculi inconſtantes & gyrouagi indicant animum vel pauidum, vel leuem, vel vafrum: piſcinæ ergo ſiue ſtagna, in quibus aquæ non fluunt, ſed conſiſtunt, notant, laudántque quietem & ſerenitatem oculorum. Nam ſtabilitas iſta lumen & ſplendorem adauget, & indicium eſt internæ grauitatis, ſimplicitatis & conſtantiæ; ſicut crebra nictatio palpebrarum, & velox orbium huc illuc motitatio vel organi male affecti, vel animi leuis, timidi, fallacis nota reputatur. Ita Delrio.

*Oculi modeſti indicant modeſtiam mentem.*

Porrò hæc porta Heſebon vocatur *filia multitudinis*, id eſt, porta ſpectans regionem, in qua erat magna hominum multitudo. Regiones enim delicatæ & elegantes ab Hebræis metaphoricè vocantur filiæ. Regio hæc erat vel forum; in foro enim magna eſt hominum multitudo; vel ſuburbia, & copia pagorum multorum vbi Heſebon ſubiectorum, vti paulo ante ex Adrichom. dixi.

Porta hæc notat cauitates capitis, in quibus quaſi in portis ſiti ſunt orbes oculorum, dicuntúrque *filiæ multitudinis*, quia intra cauitates hasce capitis multæ ſunt cellæ omnium ſenſuum, tam interiorum, quam exteriorum: multi item ſpiritus vitales & animales, qui ſenſibus ſingulis ſubſeruiunt: multæ denique arteriæ, venæ, muſculi, nerui, &c. Rurſum oculi ipſi hic tacitè comparantur portis, quia inſtar portarum ampli erant & decorè aperti. Sic Iuno ab Homero vocatur γλαυκῶπις, id eſt, bouinos magnóſq; oculos habens. Per ſymbolum piſcinæ ergo ſignificatur triplex oculorum pulchritudo, ait Luyſius. Primò eorum amplitudo, id eſt, iuſta & decens magnitudo. Deinde ſerenitas, ex quo exiſtit lumen & ſplendor. Poſtremò quies tanquam ſtabilitas, quæ cum ipſa in oculis grauitatis eſt & decoris plena; tum certè conſtantis animi atque ſimplicis eſt indicium. Nam quorum crebrò palpebræ atque oculi magna celeritate mouentur, aut timidi ſunt, aut omnino vafri atque fallaces.

*Symbolicè piſcinâ triplex oculorũ pulchritudo ſignificatur.* 1. 2. 3.

PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

OCuli Synagogæ conuerſæ ad Chriſtum ſunt eius ſapientia & prudentia, ſiue ſincera fides & cognitio, puriſque & clarus intellectus tam ſpeculatiuus, quàm practicus: item ſanctæ cogitationes, ait Theodor. & S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 16. ac pura intentio ſoli Deo placendi. Hinc *Heſebon*. Hebr. idem eſt, quod cogitatio, vt vertit Aquila, vel vt Pagnin. idem eſt, quod *feſtinatio intelligendi* à חש *chas*, id eſt, feſtinauit, & בן *ban*, id eſt, intellexit. Vide dicta c. 4. 1. & cap. 1. 15. Sicut enim ibi oculos Eccleſiæ comparauit columbis; ſic hic oculos Synagogæ comparat piſcinis. Vnde R. Salomon aſſerit Hebræos & Thalmudicos ברכות *berechot*, quod noſter vertit piſcinas, vſurpare pro *oculis*.

*Oculi Synagogæ qui ſunt.*

Rurſum oculi Synagogæ in fine mundi erunt Epiſcopi, Prophetæ & Rabbini, ſiue Doctores, ait Caſſiodor. Iuſtus & Anſelm. qui filiam multitudinis, id eſt, congregationem populi Iudaici, Chriſti fidem & vitam docebunt, regent & dirigent in viam ſalutis: ſapientia enim inſtar fontis & oculi reſplendet in doctore: ipſa enim eſt *ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius*. Sapient. 26. Hinc Honorius per oculos accipit in choris caſtrorum Synagogæ ſeptimum ordinem, ſiue aciem, quæ, inquit, eſt Prælatorum.

Huc facit verſio Chaldæi: *Scribæ* (Doctores) *tui pleni ſunt ſapientia ſicut piſcinæ aquarum, & ſciunt conſtituere rationes emboliſmorum, & annos intercalant, & ſignant principia annorum & menſium in porta domus Concilij magni.* Chald.

Hinc Coſinas Damianus per oculos accipit Epiſcopos, eorúmque perſpicaciam ad contemplanda diuina, ac prouidentiam ad gubernandum oues ſibi creditas: hi enim gemini mentis oculi ſunt quaſi geminæ piſcinæ, quæ iuxta portam Heſebonis vrbis olim populoſiſſimæ, quaſi in facie eius ſitæ, ingentem ſaluberrimarum aquarum vim, ex montibus Galaad perpetuo manantiũ, continentes, innumeræ multitudini magno erant vſui, & admirandas præſtabant vtilitates.

Porrò in τὸ *filiæ multitudinis*, pro quo Hebr. eſt בת רבים *bath rabbim*, id eſt, *filia*, hoc eſt, vrbs *multorum* incolarum, videtur aliud latere myſterium & oraculum

conuer

conuerſionis Arabum. Nam *bath rabbim*, ſiue Rabba, erat vrbs magna, potens & populoſa, ideóque Metropolis Ammonitarum, quam primò expugnauit Og Rex Baſan, deinde Dauid per Ioab ducem 2. Reg. 11. 12. Denique Ptolomæus Philadelphus poſt Alexandrum ſecundus Ægypti Rex, à quo Philadelphia eſt nuncupata, erátque vicina vrbi Heſebon. Vnde Ierem. cap. 49. 3. in clade Chaldæorum vtramque coniungit, dicens: *Vlula Heſebon, quoniam vaſtata eſt Hay, clamate filij Rabbath.* Senſus ergo eſt. q. d. Oculi tui ô Synagoga ſimiles ſunt piſcinis ſitis ad portam Heſebon, quæ reſpicit Philadelphiam, ſiue per quam itur Philadelphiam. Ita Delrio & Vatab. Sic Romæ porta vna vocatur Tyburtina, qua itur Tybur; alia Tuſculana, qua itur Tuſculū; alia Præneſtina, qua itur Præneſte, &c. Indicat ergo Salomō oculos, id eſt, Epiſcopos Ieruſalem & Iudææ in fine mūdi reſpectutos ad vicinam Arabiam felicem, cuius primaria vrbs eſt Philadelphia, vt eam ad Chriſtum conuertant, ſicut olim eandem conuerterunt. Vnde Eccleſia Philadelphenſis olim ſuberat Patriarchæ Ieroſolymitano. Idem fiet in fine mundi, cum Elias & Iudeæ Epiſcopi ibunt, vel mittent prædicatores in Arabiam cæteráſque vicinas regiones, vt eas à Mahometo (Mehomet enim fuit Arabs & dux Arabum) & ab Antichriſto ad Chriſtum traducant. Hoc videtur innuere hic Spiritus ſanctus per *τὸ bath rabbim*, ſiue *Rabba*, id eſt, Philadelphia, quæ perinde vt piſcinæ Heſebon dicta eſt *vrbs aquarum*. 2. Reg. 11. & ſeq. eo quòd torrens Iacob eam circumfluat, ait Adrichomius. Arabiæ felicis ergo præ aliis meminit hic Salomon; tum quia ipſa contermina eſt Iudææ; tum quia thuris, quod Deo adoletur, myrrhæ, aloes, caſiæ, amomi, cinnamomi, nardi, cardamomi, piperis ac omnis generis aromatum eſt feraciſſima, adeo vt ibi non alia ligni genera in vſu ſint, quam odorata, ait Plinius. Abundat quoque auro, argento, adamantibus, gemmis, margaritis. Nutrit Leones, pardes, equos, mulos, camelorum & Elephantorum greges. Fertur denique ſola Arabia felix Phœnicem auium reginam alere: tum quia tres Magi & Reges, primi ex omnibus prouinciis, ex hac Arabia ad Chriſtum adorandum duce ſtella venere Ieruſalem, iuxta illud Pſalm. 71. *Reges Arabum & Saba dona adducent*, ſcilicet aurum, thus, & myrrham, quæ pueto Ieſu obtulerunt. Matth. 3. Denique S. Paulus ad Chriſtum conuerſus illico in hanc Arabiam abiit, ibique per triennium prædicauit tanto fructu, vt vnica illius vrbs Beccara, quæ Archiepiſcopalis ſedes erat, Epiſcopatus ſub ſe habuerit 35. teſte VVilhelmo Tyrio in bello ſacro, & ex eo Adrichomio in Arabia.

*Arabum in fine mundi conuerſio.*

*Arabia felicis fertilitas.*

*Pſalm. 71.*

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

Animæ ſanctæ bini oculi ſunt meditatio & contemplatio: hæ ſimiles ſunt piſcinis: primò, quia ſicut in piſcinis aluntur piſces; ſic in meditatione nutriuntur piæ mentis affectiones & deſideria. *Meditatio eſt piſcina.* 1.

Secundò, ſicut piſcinæ ſunt limpidæ, reddúntque imaginem intuentis: ſic anima in meditatione fit ſpeculum recipiens Dei ſimilitudinem, eiúſque imaginem in ſe repræſentans. 2.

Tertiò, ſicut piſcinæ largas emittunt aquas; ſic oculi defluunt, & depluunt lachrymas deuotionis & compunctionis vti patet in Dauide dicente Pſalm. 6. 7. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, & lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Hebr. אמסה *amſe*, id eſt, liqueſcere & quaſi natare faciam, q. d. Tam copioſas fundam lachrymas, vt iis quaſi liqueſcat & innatet lectus. Et Ieremias: *Idcircò*, ait, *ego plorans, & oculus meus deducēs aquas.* Thren. 1. 16. Audi S. Gregor. *Heſebon cingulum mœroris interpretatur. Oculi ergo Sponſæ ſicut piſcinæ in Heſebon dicuntur, quia dum de peregrinatione ſua contriſtantur, & mœrore corroborati contra ſpiritales hoſtes accinguntur, lachrymis ſe lauant, vt per eos populi conuenienter coram Deo mundentur.* 3. *Pſalm. 6. 7.* *Ierem.* *Gregor.*

Sic & Rupert. Beda & S. Thomas. Audi Aponium: In oculis Heſebon illi videntur oſtenſi, qui pro ſuis vel alienis criminibus fontes proferunt lachrymarum. Et Hugo Victorin. Annot. in Ioëlem: Piſcinæ Heſebon, ait, ſunt diuerſa genera compunctionis. Oculi ergo Sponſæ ſunt piſcinæ in Heſebon, quia inde magis magiſque clarificantur, vnde in piſcinis hiſce frequentibus lauantur. Sic Iudæi in fine mundi de ſua perfidia tam longa compuncti, imbres lachrymarum effundent quaſi piſcinæ Heſebonis.

Quartò, ſicut piſcinæ hæ erant iuxta portam filiæ multitudinis; ſic meditatio 4.

& con

& contemplatio ſunr iuxta portas paradiſi, vbi eſt. innumera multitudo filiorum Dei, pura ſanctorum & bearorum.

5. Quintò, ſicut in piſcinis aqua eſt ſtagnans, ideóque quieta & ſtabilis; ſic meditatio animæ morus componit, facítque ſtabiles & quietos. Hæ ſunt aquæ Siloë, quæ vadunt cum ſilentio. Iſaiæ, cap. 8. v. 5.

6. Sexrò, ſicut piſcinæ copiſam fundunt aquam; ſic mediratio copioſos dar conceprus & affectus, quos in mulritudinem quantumuis amplam effundamus.

Seprimò, hæ piſcinæ ſunr in Heſe-
7. bon; Heſebon Hebr. idem eſt quòd cogirario, ruminatio, computario, ſupputario, æſtimatio, quia vis & fructus meditarionis conſiſtir in profunda & ſeria ruminarione, æſtimarione & ponderarione myſteriorum fidei. Ideo enim multi fideles, licèt credanr cæli præuia & gehennæ rormenta, iis ramen non mouentur ad obſtinendum à peccatis, & ad obſeruandum Dei leges, quia illa pro ſui grauitate non expendunt, non ruminanr, non ponderanr. Quis enim auderer furari, fornicari, occidere, ſi ſeriò & profundè perpenderer & ponderarer æterna gehennæ incendia, quæ certiſſimè ſibi accerſit? Vide S. Bernard. in lib. de Conſideratione. Hinc Hebræi opus *machaſcebat*, quod idem eſt radicalirer cum *chesbon* ſiue *heſebon*, id eſt, *cogitationis*, vocant opus artificioſum, arduum & ingenioſum, quod mulra cogitatione & medirarione indiger, quale eſt opus phrygionicum: Sic opera bona, quæ ex meditatione profunda proficiſcuntur, ſunr elaborata, exacta, eximia, heroica.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

PRimò Ruperr. Beatæ virginis oculi, inquit, eranr velut piſcinæ ob compunctionem & lachrymas, quas pro Eccleſia & fideliũ miſeriis fundebat. Hinc Anagogicè idem Ruperr. per duos oculos ſimiles duabus piſcinis, accipir irriguum ſuperius & inferius, quod Axa petiit à patre Caleb Iudic. 1. *Irriguum enim ſuperius*, inquir, *accipit anima, cum ſe in lachrymis cæleſtis regni deſiderio affligit: irriguum verò inferius accipit, cum inferni ſupplicia flendo pertimeſcit. Igitur in his verbis: oculi tui*, &c. *Senſus myſticus eſt, ac ſi diceret: Oculi tui præ amore vel deſiderio dilecti, quo langues & compungeris, fluunt lachrymis, & iſtæ lachrymæ piſcinæ ſunt in Eſebon, id eſt, aquæ manantes cingulo mærorũ: iſta compunctio terra eſt irrigua aquis, principium quoddam æternæ dulcedinis & hæreditatis: Sicut illa Eſebon & terra trans Iordanem, prima fuit poſſeſſia terræ promiſſionis illi filiæ multitudinis, ſcilicet plebi Iſraëliticæ, cuius multitudine non pauciores ſunt, qui aſcenderunt vel aſcendunt, vt repromiſſionem accipiant æternæ hæreditatis.*

Secundò, Alanus: Oculi Virginis dicuntur vita contemplariua & actiua; in actiua vider quid agendum, in contemplatiua quid diligendum. Comparanrur iſtæ piſcinis, quia Virginem ſpirituali refectione ſatianr, & à macula peccati liberanr. Hæ ſunt in Heſebon, id eſt, in cingulo mæroris, pro diuturnitate laboris & miſeriæ, & quantum ad contemplatiuam pro dilatione patriæ. Quæ piſcinæ ſunr in Eccleſia, hoc eſt in porta filiæ multitudinis.

Tertiò, Guilielmus: B. Virgo, ait, ſimilis erat Cherubinis, qui in circuitu & inrus pleni ſunr oculis Ezech. 1. 18. *Plena enim erat, ipſa oculis prouidentiæ, ſine intermiſſione prouidendo bono, non tantùm coram Deo, ſed coram hominibus omnibus. Planè hos oculos eius nullus vnquam vel tenuis carnalis illecebræ puluis fuſcauit: nullus vel modicus æmulationis ſiue iracundiæ motus turbauit, ſed ad inſtar aquæ viuæ puri ſemper atque perlucidi fuère; quia nihil in ſe turbulentum, ſiue puluerulentum habebant, ſed quandam aquæ viuæ, id eſt, cæleſtis gratiæ ſimilitudinem exprimebant.* Ezech. 1. 18.

Audi Chriſtum oculos B. Virginis S. Brigidæ depingentem lib. 5. reuelar. in fine Inrerrog. 9. *Oculi tui fuerunt in conſpectu patris mei ſic lucidi, quòd ſe ſpeculabatur in eis, quia in ſpirituali viſu tuo & intellectu animæ tuæ videbat pater omnem voluntatem tuam, quòd nihil volebas niſi ipſum, & nihil deſiderabas niſi ſecundùm ipſum.*

*Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.* Hebr. צופה *tſopha*, id eſt, *ſpeculans faciem Damaſci.* Ita Pagnin. Sepruag. *Proſpiciens faciem Damaſci.*

Turris Libani, ait Adrichomius in deſcripr. rerræ ſanctæ pag. 100. num. 98. erat rurris, quam Salomon in monte Libano (ibi enim eum ædificaſſe paret 3. Reg. 9. 19. & 2. Paralip. 8. 6.) prope Damaſcum conſtruxir tanta celſitudine vr inde domus Damaſci numerari poſſent; ranta verò pulchrirudine, vt naſus Sponſæ illi comparetur. Turris hæc erat loeo ſpeculæ, vr ex ea Syrorum, qui Iudæam crebris excurſionibus infeſtabãt, aduẽtum, inſidias & conarus proſpicere, Turris Libani quæ ſ

& Iudæis,

& Iudæis, dato ignis vel tubæ ſigno, prænunciare poſſent, vt vel fugam, vel arma ad iis occurrendum pararent Damaſcus enim erat caput Syriæ, vt ait Iſaias cap. 7. 8.

Pro *naſus*. Hebr. eſt אף *aph*, quod tam faciem quàm naſum ſignificat. Vnde nonnulli cum Vatablo & Pagnino vertunt: *Facies tua ſicut turris Libani*; quia facies Sponſæ rotunda erat, alta & eleuata inſtar turris, vt eminus ſita proſpiceret. Noſter tamen, Septuag. Pagnin. & Hebræi vertunt *naſus*.

*Naſus Sponſæ vt turris.*

1. Quæres quomodo naſus Sponſæ cõparatur turri: Videtur enim prima facie hæc enormis, inconcinna & indecora Hyperbole. Nonnulli per naſum accipiunt monile ad inſtar turris Libani efformatum, quod è fronte ad nares more orientalium dependebat, illáſque ornabat. Hoc enim ornamento priſcos naſum decoraſſe docet S. Hieronym. in Ezech. 16. 12. ad illa: *Dedi inaurem ſuper os tuum.*

2. Rurſum noſter Sanchez cenſet naſum comparari turri Libani: quia, inquit, hæc eminus ſpectata parua, ob diſtantiam, videbatur, ac habere ſpeciem naſi. Sic rupes iuxta Surrentum vocantur capreæ, teſte Plinio lib. 3. cap. 6. quia eminus aſpicientibus formam capreæ repræſentant. Et quę Scylla dicitur, ſaxum eſt in Sicilia; quæ Niobe ſaxum eſt in Sypilo; quia Scyllæ & Niobes ſimilitudinem intuentibus obiiciunt.

Verùm hîc naſus comparatur turri non tantùm quo ad ſpeciem & apparentiam, ſed quoad veritatem & rem ipſam.

*Genuinè.*

3. Dico ergo Salomonem in Cantico hoc bucolico, Sponſæ membra more Hebræo aſſimilare rebus ruralibus: ſic verſ. præcedenti oculos Sponſæ aſſimilauit piſcinis Heſebon, & verſ. 5. caput eius aſſimilat Carmelo: Sic hic naſum comparat turri Libaui, non quoad magnitudinem, vel altitudinem: quis enim licèt gigas & Polyphemus, habeat naſum tam longum, quam alta eſt turris?

*Similitudo naſi & turris.*

1. Sed primò quoad proportionem, quia quantum è Libano monte eminet hæc eius turris, tantum proportionaliter naſus Sponſæ eminet è pectore, cæteríſq; membris illi ſubiectis. Rurſum ſicut magna è Libano exurgit turris; ſic magnus proportionaliter è facie Sponſæ exurgebat naſus.

*Magnus naſus index magni iudicij & animi.*

Indicat ergo Sponſam magnum habere naſum, ſed decentem & proportionatum faciei. Magnus enim naſus ſignũ eſt magnæ criſis, prudentiæ, iudicij, diſcretionis, æquè ac celſi fortíſque animi. Vnde illud Martialis:

*Et pueri naſum Rhinocerotis habent.* Martial.

Et: *Naſutus ſis vſque licet ſis denique naſus.*

Et Horatius:

*Naſo ſuſpendis adunco.* Horat.

Vnde Plinius lib. 11. cap. 32. docet nouos mores ſubdolæ irriſioni naſum dicauiſſe, Græci Mycteriſmum vocant μυκτὴρ enim eſt naſus, ſicque vertunt hîc Septuag. Hinc naſuti vox, ait Feſtus, ſagacem notat, quòd cuiúſque rei odorem ſtatim explorat, & priùs ſentiat quàm inſpexit. Vnde S. Hieron. Epiſt. 100. Scribens ad Bonaſum nimis naſarum, æquè ac naſutũ ſalsè perſtringens nimiam eius criſim & dicacitatem: *Dabo*, ait, *conſilium, quibus abſconditis poſſis pulchrior apparere. Naſus non videatur in facie, ſermo non ſonet ad loquendum; atque ita & formoſus & diſertus videri poteris.* Hieron.

Secundò, naſus Sponſæ ſimilis eſt turri Libani comparatiuè, quoad ſummam & celſiſſimam turris partem, quia ſicut eminebat omnibus vicinis Libani arboribus; ſupra illas enim proſpiciebat, & deſpiciebat mœnia domóſque Damaſci; ſic pariter naſus Sponſæ eminet toto corpore omnibúſq; eius partibus, ac ſupra eas eminùs venientia proſpicit & deſpicit, vel diſpicit. Adde in turribus supernè ſæpè extare, & foras prominere feneſtellas, vel domũculas inſtar naſi tectas, ad hoc facta, vt ex iis liberior ſit in omnem partem excubitorum proſpectus, quæ planè ſpeciem habent naſi: ſunt enim in culmine quaſi in capite turris, ac ſub eius fronte decliui deſcenſu inſtar naſi prominent, vt turris naſata vel naſuta eſſe videatur. Imò Romæ in columna Traiani & altera Antonini Imper. videmus ſupernè peribola, vel mœniana cancellis circumdata, per quæ tota columna circumiri poteſt, vt in omnem plagã liberrimè proſpicere liceat. 2.

Tertiò, in colore: ſicut enim turris candida elucebat inter virides arbores ramóſque Libani; ſic naſus Sponſæ candidus inter crines flauos ſuum candorem oſtentat. 3.

Quartò, in officio ſpeculandi: Naſus enim à ſuperciliorum confinio oriens, & quaſi æquali porrectus iugo, vtramque oculorum aciem ſimul & diſcernit & munit. Vnde Cicero lib. 2. de Natura Deorum; *Naſus*, ait, *ita locatus eſt, vt quaſi* Cicero. 4.

*murus oculis interiectus eſſe videatur.* Pari modo turris Libani excubitores, ex ea proſpicientes Syrorum aduentum, contra eorum vim & inſidias muniebat & protegebat. Excubitores enim ſunt quaſi oculi ciuitatis & ciuium, qui deſpiciunt eos, qui veniunt, an ſunt amici vel inimici. Porrò naſi duo ſunt officia, primò vt per eum reſpiremus, ſecundò vt per eum odoremur, vti docet Ariſt. lib. 1. Hiſtor. anim. cap. 11. Elephanti autem promuſcis pro naſo eſt, illáque ingens & prolixa, quia eidem pro manu ſeruit, qua cibum ori admouet, ait Ariſt. Inſuper naſus aquilinus magni regiíque animi eſt ſignũ, teſte Platone, Ariſtot. & Plutarc. qualẽ habuit Syrus primus Rex Perſarum. Qui verò naſum habent ſimũ, vti habẽt Delphini, laſciui ſunt & petulantes. Vnde Socrates, qui ſimo erat naſo, à natura ſe in luxuriam propenſum fatebatur, ſed ſe naturam viciſſe virtute aſſerebat, teſte Platone in Sympoſio. Addit Ariſtot. in Phyſionomicis, *qui naſum acutum habent, iracundi ſunt, referuntur ad canes: qui craſſum, ſegnes, referuntur ad boues: quia rotundum & obtuſum, magnanimi, referuntur ad Leones; ſic & qui aquilinum referuntur ad aquilam.* Idem Ariſtot. lib. 5. de Generat. anim. cap. 2. *Nares, ait, longius porrectæ, quales ſunt catellorum Laconicorum, valent olfactu.*

*Naſi officia.* — *Signa Phyſiognomica naſorum.* — *Ariſtot.*

5. Quintò, in rectitudine: ſicut enim turris Libani erat recta & erecta ad perpendiculum, vt nihil in ea eſſet tortum vel curuum, ſic & naſus Sponſæ.

6. Rurſum in grauitate & maieſtate: ſicut enim turris hæc pauorem iniiciebat Syris latrunculis; Sic naſus Sponſæ grauis & aquilinus adulteros & impios percellebat, & procul à ſe abigebat.

Porrò Chald. per turrim Libani accipiens arcem Sion, Iudaicè more ſuo ſic vertit: *Et Princeps familiarum domus Iuda ſimilis eſt Dauidi Regi, qui ædificauit arcem Sion, quæ vocatur turris Libani; quoniam omnis, qui in ea ſteterit, poteſt numerare omnes turres, quæ ſunt in Damaſco.*

*Chald.*

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

*Naſus notat prouidentiã.*

NAſus Synagogæ in fine mundi conuertendæ ad Chriſtum inſtar turris Libani erit ingens & exacta prouidentia, proſpectio, diſcretio, qua longè odorabitur & proſpiciet omnes Damaſci, id eſt, Diaboli & Antichriſti ſanguinẽ animarũ ſitientis (*Damaſcus* enim Hebr. idem eſt quod *ſaccus* vel *præda ſanguinis*) inſidias & conatus, eóſque ingenti fortitudinis & magnanimitatis ſpiritu eludet & ſuperabit. Magnus enim naſus magnum ſpiritum attrahit, ideóque magnanimitatis eſt index. Vnde Hebr. אף *aph*, id eſt, naſus ſignificat quoque iram & excandeſcentiam; hæc enim in naſo rubente & fumante oſtenditur, ac magnanimitatis eſt index. Vnde Luyſius Legion. per, *aph*, ſiue naſum accipit excandeſcentiam ac grauitatem oris; quia oritur ex animo magno & excelſo. Et R. Salomon per, *aph*, accipit totius faciei grauitatem, quæ maximè relucet in fronte Sponſæ. Sicut ergo Iudæi olim ex turri Libani Syrorum è Damaſco venientium molimina deprehendebant, eorúmque conſilia & inſidias anteuertentes eludebant: ſic prorſus Iudæi in fine mundi ad Chriſtum conuerſi, ac præſertim eorum Epiſcopi & Prælati omnes Antichriſti, Pſeudo prophetarum, Hæreticorum & Politicorum ſimulatos & adulterinos mores, & fictam fidem à veris & germanis Chriſtianorum moribus & fide orthoxa ſagaciſſimè & certiſſimè diſcernent; tamque emunctæ & acutæ erunt naris, vt eorum ſecreta, quæ captant cõſilia & ſubdola, quæ cõtra Chriſtianos moliuntur machinamenta, ſtatim ſubolfaciant, præocupent, ac irrita reddant. Ita Coſmas Damianus.

Antichriſtus enim erit omnium hominum vaferrimus, eloquentiſſimus, ſcientiſſimus, potentiſſimus, nequiſſimus, adeoque erit os & organum Diaboli: quare mille dolos, fraudes & artes concinnabit, quibus Iudæos à Chriſto auertat, & ad ſe pelliciat, vt dixi 2. Theſ. 2. & Apocal. 11. & ſequent. Quare ingenti naſo, id eſt, ſagacitate, fortitudine & animo tunc opus erit Eliæ, Prælatis & Iudæis ab eo conuerſis, vt artes haſce detegant, diſcernant, declinent, confutent, diſcipent.

Hinc rurſum per naſum accipias Eliam & Prælatos, præſertim Pontificem Romanum & Patriarcham Ieroſolymitanum, qui pro ſuis Iudæis acerrimè ſe oppon t Antichriſto, eiuſque fraudes ſolertiſſimè olfaciet, illáſque ſuis Iudæis patefaciet, ac contra eos ipſos omni ſtudio animabit & armabit. Sic Pontifices Romani quaſi naſi Eccleſiæ, odorati ſunt hæreſes & technas Arrij, Neſtorij, Eutychetis, Pelagij, Priſcilliani, VViclephi, Lutheri, Caluini, eáſque condemnarunt & diſſiparunt.

*Naſus erit Elias & Pontifex.*

Porrò

Porrò Caſſiodor. Beda Philo, Anſel. cæterique patres more ſuo omnia hæc ſymbola, vt ſuperius dixi, aſſignant Prędicatoribus. Audi S. Gregorium. *In naſo odoris diſcretio habetur. Per naſum ergo diſcretio Prædicatorum deſignatur, quia per eos nobis virtutum odores & vitiorum fœtores demonſtrantur. Sed naſus ſicut turris Libani exiſtit: quia dum ſemel Prædicatores aqua Baptiſmatis lauantur, & quotidianis lachrymis à peccatis, quæ contra Deum commiſerunt, dealbantur, digni fiunt vt ad altiora magis ac magis per fortitudinem erigantur. Sed turris contra Damaſcum reſpicit, quia peccatoribus ſemper ſanctus quilibet Prædicator contradicit. Damaſcus quippe ſanguineus interpretatur, & peccatrici genti dicitur: Manus tuæ plenæ ſunt ſanguine.* Hinc Philo, Carpth. per naſum Eccleſię accipit S. Paulum Prædicatorum Principem, qui altiſſimè odoratus eſt diuina myſteria, eáque à fœtoribus mundi ſagaciſſimè diſcreuit.

Gregor.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

NAſus animæ ſanctæ inſtar turris Libani eſt, eius prouidētia, vigilantia, ſolertia & diſcretio, qua vtilia & noxia eminus proſpicit, ac virtutem à vitio, inſpirationem Dei à ſuggeſtione diaboli, ſpiritum charitatis à ſpiritu carnis ſolerter diſcerint. Ita Theodor. Sponſæ naſus, air, celſus eſt ac ſublimis, & cæleſtem ſuſcipit odoris ſuauitatem, Sponſique vnguentum percipiens clamat: *Poſt te in odorem vnguentorum tuorum curremus.* Idcirco comparata eſt turri, quæ in Libano ſita eſt, & reſpicit Damaſci faciem. Nam quia Diabolus, vt aſſerit beatus Paulus, iu Angelum lucis transfiguratur, vnguentique ſpiritalis ſpeciem ſumit, neceſſariò Sponſæ naſus erectus ac vigilans reſpicit faciem Damaſci, ne decepta verum omittens vnguentum, fallax & adulterinum ſequatur. Et inferius: *Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit faciem Damaſci.* Proſpicis enim, ne diabolus ſub ſpecie rerum diuinarum te decipiat, & pro veritate mendacium obtrudat. Hæc Theodor. Et S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 5. verſ. 37. *Nares tuæ,* inquit, *ſicut turris Libani proſpiciens faciem Damaſci, eo quòd vnguentum veri Sacerdotis, quod deſcendit de capite in barbam, hoc eſt, odor ille diuinus, odor gratiæ ſpiritalis, qui de patre in Chriſto erat, & ſacramento incarnationis deſcendit in terras, vt omnia fuſo replerentur vnguento, emineat præcelſi poteſtate iudicij, & nares repleat animæ, vt beneolentia diſcernat & fœtida: olentia ſanctorum, qui poſſunt dicere: Chriſti enim bonus odor ſumus Deo; à fœtidis peccatorum.* Naris deinde comparans turri Libani, ſubiicit: *Hæ ſunt nares ſicut turris Libani præcelſæ ſupra mundum; & ideo proſpicit faciem Damaſci, gentilem ſcilicet populum, odorans fidem eius, cuius gratia delictorum ſuorum detergit fœtorem. Facies erga Damaſci fides eſt Gentium nullo obumbrata amictu, nullo adoperta veſtitu, nuda ac libera, cælo magis intenta, quàm terris. Hanc ſpeculantur & proſpiciunt nares Eccleſiæ, quod ſuaue in ea & odarum eſt aſpirationis & gratiæ colligentes.* Huc vſque Ambroſ.

Ambroſ.

Quocirca S. Antonius in via perfectionis primas dabat diſcretioni. Audi S. Bernard. ſer. 3. in Circumciſ. Domini: *Diſcretio,* inquit, *mater virtutū eſt, & conſummatio perfectionis. Hæc nimirum docet, ne quid nimis; atque hæc eſt octaua dies, qua circūciditur puer; quia diſcretio verè circūcidit, vt non plus, nec minus fiat. Nam & qui nimius eſt, fructum boni operis abſcindit; non circumcidit, ſicut qui tepidus eſt, ſi minus facit.* Idē ſer. 49. in Cānt. *diſcretio,* inquit, *omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit & decorem, etiam perpetuitatem. Denique ait, ordinatione tua perſeuerat dies. diem virtutem appellans. Eſt ergo & diſcretio non tam virtus, quàm quædam moderatrix & auriga virtutum, ordinatrixque affectuum & morum doctrix: Tolle hanc, & virtus vitium erit, ipſaque affectio naturalis in perturbationem magis conuertetur, exterminiúmque naturæ:* Idem in Reſurrect. Domini ſerm. 2. *Sed cum vterque aderit, videlicet & compaſſionis affectus & Zelus iuſtitiæ, neceſſe eſt, vt adſit ſpiritus diſcretionis, ne fortè cum oporteat hunc exhibere, ille procedat, & indiſcretio confundat vniuerſa. Habeat itaque mens noſtra tertium ſpiritum diſcretionis, vt miſcens aptè temporibus tempora, opportunè æmulari & nihilominus ignoſcere ſciat.* Vide Caſſianum tota Collat. 2. vbi inter alia ait cap. 10. *Vera diſcretio non niſi vera humilitate conquiritur. Cuius humilitatis hæc erit prima probatio, ſi vniuerſa; non ſolùm quæ agenda ſunt, ſed etiam quæ cogitantur, ſeniorum reſeruentur examini; vt nihil quis ſuo iudicio credens, illorum per omnia diffinitionibus acquieſcat, & quid bonum vel malum debeat iudicare, eorum traditione cognoſcat,* &c. *nullatenus enim decipi poterit quiſque, ſi non ſuo iudicio, ſed maiorum viuat exemplo.*

Bernard.

2\. Diſcretionis elogia. Pſalm. 118.

Porrò analogiæ naſi & turris, quas paulò ante recenſui, optimè competunt diſcretioni. Hæc enim primò proportionaliter debet eſſe maior omnibus hominis actibus, quia de iis iudicare eáſque diſcernere & ſecernere debet, vt

1\. Similis eſt naſo & turri.

bonum è malo, & è bono id, quod melius eſt, ſeligat.

2. Secundò comparatiuè: quia diſcretio non tantùm actibus hominis, ſed & cæteris virtutibus emineat oportet, vt eas diiudicet, vt neceſſariam non neceſſariæ, vtiliorem minus vtili, meliorem minus bonæ anteferat. Hæc reſpicit contra faciem Damaſci, id eſt, Diaboli animarum ſanguinem ſitientis, vt eius machinationes, illuſiones & conatus odoretur, eludat & irritos reddat.

3. Tertiò in candore: quia neceſſe eſt vt pura ab omni affectu impuro, totáque candida ſit. Ita Iuſtus Orgelit. *Naſus*
Iuſt. Orgel. *Eccleſiæ*, inquit, *illi ſunt, qui odorem iuſtitiæ, (qui eſt in Chriſto) percipientes, ad cordis interna traiiciunt. Hi qui in magna virtute conſiſtunt, ſicut turris Libani diſponuntur. Libanum autem candorem eſſe iam ſuperius diximus: horum proceritatis candor reſpicit contra Damaſcum, quia ſapientia eorum, quæ ex Deo eſt, illuminat mundum.*

4. Quartò in officio ſpeculandi; Diſcretio enim ſagaciter odoratur latentia vitia vel virtutes. Qnocirca aſſiduè reſpicit contra faciem Damaſci, id eſt, contra appetitum carnis & ſanguinis, vt quicquid carnem & carnalia olet, illico reſpuat. Omnis enim ferè tentatio hominis oritur à carne & concupiſcentia. Nam Damaſcus Hebr. idem eſt quòd ſanguinis ſaccus, vel potus, vel oſculum, vel præda. Diſcretionis ergo officium eſt ſolerter diſcernere, an id, quod ipſi in mentem venit, ſuggeratur à carne, an à ſpiritu, vt illud refutet, hoc acceptet.

5. Quintò in rectitudine. Diſcretio enim debet eſſe recta, vtpote quæ virtutes omnes dirigit & rectas efficit: quare rectiſſima eius intentio ſit oportet, vti non niſi Deum Deique legem, gratiam & gloriam ſpectet.

Simbol. Aponius: turris Libani, id eſt, thuris, inquit eſt humanitas Chriſti, quæ ſuauiſſimos virtutum odores, quibus vitiorum fœtores repellamus, naribus mẽtis noſtræ aſpirat: *Damaſcus*, ait Aponius, idem eſt *quod oſculum ſanguinis, vel potus ſanguinis. Cum verò diabolus deceptis hominibus cruenta amicitiarum ſuarum oſcula ſanguinis propinaret, vel pocula, fecit ſibi Deus omnipotens turrim ſuauiſſimi odoris, vbi nullus peccati reperitur fœtor, per carnem abſumptam de virgine Maria; Vnde reſpiciendo deſtrueret diaboli regnum. Vnde mihi videntur naſus Eccleſiæ intelligi illi, quibus maior Zelus, & ardentior fides in deſtructionem idololatriæ ineſt.*

Talem naſum inſtar turris Libani habuit S. Magdalena, id eſt, turrita (*Magdal* enim ſiue *migdal* Hebr. eſt *turris*) quæ futura proſpiciẽs pœnituit, præſentia calcauit, Chriſto ſe conſecrauit; ideóque *ob ſedulitatem & ardorem fidei Turrita nomen accepit, & prima ante Apoſtolos Chriſtum meruit videre reſurgentem*, ait S. Hieron. Epiſt. 16. ad Principiam. Idem Epiſt. 140. ad eandem ſub initium: *Maria Magdalena*, Hieron.
ait, *plorat ad crucem, vnguenta parat, quærit in tumulo, hortulanum interrogat, Dominum recognoſcit, pergit ad Apoſtolos, repertum nunciat: illi dubitant, iſta confidit. Vere πυργίτης, verè turris candoris & Libani, quæ proſpicit faciem Damaſci, ſanguinem ſcilicet Saluatoris* (quaſi meſec, id eſt, *procuratoris* noſtræ ſalutis) *ad ſacram pœnitentiam prouocantem.*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

Phyſicè B. Virgo naſo fuit maiore Audi S. Epiphanium apud Niceph. lib. 2. Hiſtor. cap. 23. formam & figuram Virginis depingentem: *Naſus longior, labia florida, & verborum ſuauitate plena, facies* Epiphan.
*non rotunda & acuta, ſed aliquanto longior, manus ſimul & digiti longiores,*

Ethicè B. Virgo naſum habuit inſtar turris, quia ſumma pollebat proſpectione & diſcretione Rurſum B. Virgo proſpiciebat futura in cælis ſanctorum gaudia, & in gehenna impiorum tormenta; ideóque omnia proſpera & aduerſa huius mundi ſpe futurorum bonorum contemnebat, alióſque contemnere docebat. Audi Hailgrinum: naſus iſte eſt diſcretio Deiparæ, qua & præſentit diaboli malitiam, & à longè quaſi de ſpeculo præuidet, vt ſicut turris pro nobis ſe fortiter opponat: & dicitur ſita in Libano, vt oſtendatur quòd candore virginitatis ſuæ, tanquam pede valeat ſerpentis caput conterere.

*Fortis*, ait Rupert. *eſt iſte naſus diſcretio-* Rupert.
*nis ſicut turris Libani, dum riè ſpernendo viſibilia, fortiter reſiſtit, neque frangitur viſibilium incommodis, iuxta illud: Deduxiſti me, quia factus es ſpes mea, turris fortitudinis à facie inimici. Quomodo turris iſta reſpicit contra Damaſcum? Nimirum ſenſus eius ſenſum habendo contrarium, iuxta illud: Qui enim ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt; qui verò ſecundùm ſpiritum, quæ ſunt ſpiritus, ſentiunt:* Addit Rupert. Damaſcum repræſentare ſeruum captum & naſotilatum, ſicut Iudæa priuata eſt Vrbe Ieroſolyma

ma & templo, quaſi naſo ſuo à Romanis: ac proinde illi ſimilem eſſe hominem, qui caret diſcretione; hic enim adeo deformis eſt, ac eſt homo, cui naſus præciſus eſt. Hoc opprobrium Damaſci reſpiciens anima ſapiens, naſum, id eſt, diſcretionem in omnibus conſeruat.

Symbolicè. Rupert. Symbolicè S. Bernard. ſerm. 4. ſuper Salue Regina: *Tu*, inquit, *Domina naſus es ſpecioſus, ad quam dicit Sponſus: naſus tuus ſicut turris Libani: Naſus duo habet foramina, per quæ ſpiritum à capite emittit: ita tu Domina virginitate & humilitate tua de cælo eduxiſti filium Dei, Spiritus oris noſtri, dicente propheta, Chriſtus Dominus; quippe, qui vt Spiritus oris noſtri charitate calefacit, cupiditatem noſtram refrigerat, ad bonam nos voluntatem mouet, fide iuſtificat: Tu ergo naſus Eccleſiæ ſimilis es turri, celſa videlicet dignitate, firma grauitate: Turris es Libani, Libanus mons, qui dicitur dealbatio, altam præ omnibus ſignificat innocentiam tuam.*

---

Verſ. 5. *Caput tuum vt Carmelus: & coma capitis tui, ſicut purpura Regis vincta canalibus.*

Hebr. LXX. Arabic. CAPVT tuum. (Hebr. & Septuag. addunt *ſuper te*) *vt Carmelus*. Arabicus: *Caput tuum pingue vel craſſum ſicut mons Carmeli*. Aben Ezra & Pagnin. *Caput tuum rubrum eſt*, è capillis rufis *ſicut coccinum*. Sic enim *Carmelus* à Septuag. & noſtro vertitur *coccinum*. 2. Paralip. 3. v. 13. Melius Luyſius Legion. q. d. Sicut Carmelus eminet cæteris Iudeæ montibus; ſic caput tuũ, ô Sponſa, túque ipſa emines cæteris feminis. Carmelus mons eſt in Phænicia, vinearum & fructuum omnium fertilitate nobiliſſimus. Ita Theod.

Alcazar & Giſlerius per Carmelum accipiunt coronam ex floribus Carmeli, qua Sponſæ caput coronabatur. Sic c. 5. v. 11. Chriſti caput vocauit aurum optimũ, id eſt, corona ex auro optimo redimitum. Sic Senſus eſt, q. d. *Caput tuum vt Carmelus*, id eſt, bellè in caput tuum quadrat ex floribus Carmeli contexta corona, ad repræſentandum ſcilicet hoc caput Carmelo menti elegãter comparari.

## PRIMVS SENSVS.

### *De Chriſto & Eccleſia.*

PEr caput Synagogæ multi accipiunt Chriſtum, qui inſtar Carmeli per gratiam altiſſimus eſt, amœniſſimus & fertiliſſimus. Ita Caſſiod. Beda, Anſelm. & alij. Addit S. Gregor. (quem alij ſequuntur) *In Carmelo quippe Elias orans obtinuit pluuiam; & nos in Carmelo orantes pluuiam impetramus, quando in Chriſtum credentes, Chriſtum deſideramus, & à patre irrigationem gratiæ ſuſcipimus, quam rogamus.*

Addit Iuſtus Orgel. in Chriſto quaſi in Carmelo iuſti habitaculum, & ſapientiæ percipiunt alimentum. Addit & Pagnin. Carmel idem eſſe quod agnus circũciſus & occiſus, qualis eſt Chriſtus.

Verùm Chriſtus generale eſt caput & commune tam Eccleſiæ, quàm Synagogæ: particulare verò caput Synagogæ ad Chriſtum in fine mundi conuertendæ erit Elias, qui vti olim in monte Carmeli mira ſanctitate, orationis efficaciâ, familiaritate cum Deo & miraculorum gloria reſplenduit, ibique religioſam familiam virorum Deo ſeruientium, qui in libris Regum filij Prophetarum vocantur, inſtituit. Vnde ab hoc monte Religioſi Carmelitæ, quaſi Eliæ poſtèri nomen acceperunt. Sic pariter idem Elias in fine mundi eadem & maiora ibidem faciet, ac religioſos omnis generis in aciem contra Antichriſtum producet. Ita Alcazar. *Carmelus notat Eliã.* *Inde Carmelitæ.*

Elias ergo comparatur Carmelo; pri- 1.
mò quia in eo orationi vacans, verſaba-
tur cum Deo. Secundò, quia illum mon- 2.
tem incolebat, ibíque monaſteria fun-
dabat, vt Carmelum occupaſſe & poſ-
ſediſſe videretur. Vnde S. Hieron. Epiſt.
ad Paulinum de Monachis agens: *Noſter*,
ait, *Princeps eſt Elias; Noſter Dux eſt Eliſæus,*
*Noſtri Duces filij Prophetarum*. Tertio, quia 3.
Elias hirſutus, comatus & coma quaſi
coronatus incedebat, vt patet 4. Reg.
1. 8. Sicut mons Carmelus frondibus &
ramis arborum comatur & coronatur.
Quartò, quia Elias eminebat cæteris 4.
Prophetis, ſicut Carmelus eminet cæte-
ris Iudææ montibus. Vnde Iudæi etiam-
num, licèt perfidi, hoc habent axioma:
*Elias veniet, ille nobis omnia legis dubia reſol-*
*uet; ille oſtendet nobis Meſſiam:* quare illo ſub
finem mundi redeunte, ac oſtendente
Chriſtum à Iudæis occiſum fuiſſe ve-
rum Meſſiam, Iudæi pœnitentiam agẽt, 5.
& in Chriſtum credent. Quintò, quia
ſicut Carmelus eſt amœniſſimus & fer-
tiliſſimus; vnde abiit in prouerbium, *vt*
*ager valde fertilis*. Hebr. vocetur *Carmel*:
Sic Elia gratia & zelo plenus ferax erit
virtutum & bonorum operum, omnéſq;
Iudæos ad Chriſtum conuertet, vt Sy-
nagogæ competat illud; *Gloria Libani da-*

*ta eſt ei, decor Carmeli & Saron.* Iſaiæ 35. 2.
6. Vide ibi dicta. Sextò, mons Carmeli erat
quaſi arx & aſylum contra irruentes hoſtes: ſic & Elias fidelibus aſylum fuit contra Achab, Iezabel & idololatras, taliſque erit contra Antichriſtum & Antichriſtianos in fine mundi. Vnde Eliſæus ei dum raperetur in cælum ſucclamabat: *Pater mi,* (tu es) *currus Iſraël & auriga eius.* 4.
7. Reg. 2. Septimò, Elias in Monte Carme-
li certans cum 400. Sacerdotibus Baal, eóſque vincens per ignem è cælo elicitum, qui ſuum ſacrificium conſumpſit, ad vnum omnes occidit, ac auitam vnius Dei fidem, cultúmque reſtituit. 3. Reg. 18. v. 19. & ſeq. Idem prorſus faciet in fine mundi, vt patet Apocal. 11. 5. *Et ſi quis,* inquit, *voluerit eos* (*eos*, ſcilicet Eliam & Enoch) *nocere ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum.* Vnde Eccleſ. c. 49. 1. inter multa ampláque Eliæ elogia, hoc primùm aſſignat: *Et ſurrexit Elias propheta quaſi ignis; & verbum eius quaſi facula ardebat.* Et concludens, v. 9. ſubiicit: *Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum; qui ſcriptus es in iudiciis temporum.* (ſub finem mundi) *lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & reſtituere tribus Iacob. Beati qui te viderunt, & in amicitia tua decorati ſũt.* Ob has ergo analogias, & rationes Elias in fine mundi rediturus, & Iudæos conuerſurus, hîc caput Synagogæ vocatur, & Carmelo comparatur: Vnde Chald. vertit: *Rex qui conſtitutus eſt ſuper te in principem, iuſtus eſt ſicut Elias Propheta, qui Zelo Zelatus eſt pro Domino cæli, & occidit Prophetas falſos in Monte Carmelo, & conuertit populos Domus Iſraël ad timorem Domini Dei.*

Eccleſ.

Chald.

Porrò Aponius per caput inſtar Carmeli accipit Reges Romanorum Chriſto ſubiectos.

Rurſum Honorius in choris Caſtrorũ Synagogæ per acies & ordines diſtribuendis inſiſtẽs: Nonus, inquit, ordo eſt ſummorum Pontificum, de quibus dicitur: *Caput tuum vt Carmelus*, quia habent ſcientiam circumciſionis (hoc enim ſignificat *Carmel*) ſcilicet vt ſpiritualem & Chriſtianam, quæ in reſecandis vitiis conſiſtit à carnali & Iudaica, quæ in amputanda præputij carne ſita erit, ſecernant & ſeparent.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

ANimæ ſanctæ caput eſt mens ſancta & bonis omnibus referta, ait Theod. quæ ſcilicet virtutibus amœna, & oratione & conuerſatione excelſa, & bonorum operũ ferax eſt vt Carmelus. Audi S. Greg. *Quia ſicut à capite membra, ſic à mente omnes cogitatus noſtri diſponũtur, Carmelus autem ſcientia circumciſionis interpretatur. Caput ergo Sponſa vt Carmelus eſſe perhibetur, quia qualibet ſancta mens nouit qualiter dignè circumcidatur; nouit quia nihil eſt quicquid in corpore agitur; ſi mens immunda fuerit, quæ templum Chriſti ſi efficitur, ab ipſo inhabitatur.*

Gregor.

Aptè mens comparatur capiti & Carmelo; quia ſicut caput ſenſum & motum, ac ſpiritus animales influit in ſubiecta ſibi membra: ac ſicut Carmelus ſuam amœnitatem, frondes, flores & fructus communicat ſubiectæ ſibi regioni; ſic & mens ſuum vigorem, virtutem & gratiam inſpirat omnibus animæ potentiis, ſenſibus & viribus ſibi ſubditis. Idcóque Hebr. eſt: *Caput tuum ſuper te ſicut Carmelus*, q. d. Sicut caput eſt ſuper membra, & Carmelus ſuper terram, quam irrigat & ditat; ſic & mens tua eſt ſuper omnes animæ vires, eáſque regit, imò irrigat & bonis omnibus beat.

Hebr.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

BEata Virgo per Chriſtum & poſt Chriſtum eſt caput fidelium Eccleſiæ, eos irrorans, nutriens, recreans, protegens vt Carmelus. Vnde Carmelitæ primi poſt Chriſtum aſſeclæ Eliæ, B. Virginem patronam ſibi aſciuerunt, ac in eius honorem Eccleſiam in monte Carmelo ædificarunt, indéque fratres B. Virginis de monte Carmelo nuncupati ſunt, vti teſtatur Trithemius lib. de Laudibus Carmelitani Ordinis, cap. 7. Addit Thomas VValdẽſis grauis Theologus lib. de Sacram. tit. 9. cap. 84. & alij, Carmelitarũ Ordinem inchoatum iam tum à tempore Apoſtolorum in monte Carmelo (& argumento eſt nomen ipſum) in Eccleſia, quæ prima omnium B. Virgini in terrarum orbe dicata ſit: deinceps verò numero & hominum & domiciliorum per totam Palæſtinam multiplicato, irruentibus Sarracenis diſperſum eſſe ac diſſipatum; ſed iis rurſum eiectis, anno ſalutis humanæ milleſimo fermè & centeſimo refloruiſſe. Videatur Paulus Maurigia lib. de Origine Religionum, cap. 30. qui inter cætera ait, Honorium IV. Pontificem hoc nomine Carmelitarũ à Carmelo inditũ, eis confirmaſſe ſub anno Domini 1217.

eíque

Inſuper B.Virginem apparuiſſe P.Simoni Generali Ordinis, viro ſancto, eique oranti habitum candidum dediſſe,dixiſſeque: *Accipe hoc ſcapulare à me tibi tuóque Ordini datum in ſignum Congregationis meæ.*

Audi Chriſtum Dominum B.Virginis caput myſticè deſcribentem S. Brigidæ lib.5.reuelat.in fine Interrog.9. *Caput tuũ fuit quaſi aurum fulgens,& capilli quaſi radij ſolis. Quia tua mundiſſima virginitas,quæ eſt in te quaſi caput omniũ virtutum,& continentia omnium illicitorum motuum,placuerunt, & fulſerunt in conſpectu meo cũ omni humilitate; ideo meritò vocaris coronata regina ſuper omnia, quæ creata ſunt. Regina propter munditiã, coronata propter excellentẽ dignitatem. Frons tua fuit incõparabilis albedinis,ſignificans verecundiã conſciẽtia tuæ,in qua plenitudo eſt humanæ ſciẽtiæ,& dulcedo diuinæ ſapiẽtiæ lucet in ea ſuper omnes.*

Porrò cenſent nonnulli Salomonem hic vti comparationibus in ſpeciem tam diſparibus & enormibus, quibus oculos Sponſæ comparat piſcinis, naſum turri, caput carmelo, vt ſignificet enormitatem exceſſus B. Virginis ſupra omnes fœminas. q. d. Quantum piſcinæ ſuperant oculos hominis vulgaris, quantum turris eſt maior naſo & carmelus capite; tantum B. Virgo eiúſque oculi, naſus & caput in dignitate,gratia & gloria excedunt omnes fœminas, imò omnes homines & Angelos adeóque creaturas vniuerſas, omniúmque oculos, nares & caput. Hinc ipſa ab Iſaia cap. 2. verſ. 2. vocatur *mons in vertice montium.*

*Symbolicè* Symbolicè Guilielmus hæc refert ad myſterium circumciſionis Chriſti. *Carmel* enim idem eſt quòd ſcientia Circumciſionis. q. d. *Caput tuum* vt Carmelus, id eſt, mens tua, ô Beata Virgo, habebat ſcientiam circumciſionis,vt Chriſtum circumcideres, etſi ex lege ad id non obligareris. *Bene ſciebas*, inquit, *ô pia mater cur populo Dei datum eſſet remedium circumciſionis,& tamen me,quem ſine concupiſcentia, ac per hoc non in peccatis, ſingulariter concepiſti, carnali circumciſioni, quaſi ab originali labe purgandum, ſubdidiſti; neque hoc inſipienter faciebas, ſed diuina ſuſpirationi per ſpiritum edocta ſeruiebas. Quippe oportuit me datorem legis factum ex muliere fieri quoque ſub lege, & hoc diſpenſatoriè, vt eos; qui ſub lege erant, redimerem. Et coma capitis tui ſicut purpura Regis vincta* ( minus rectè Caſſiod. S. Greg. Rupert. & alij legunt *iuncta*, etſi ferè idem ſit ſenſus) *canalibus*. Hebr. *& tenuitas capitis tui vt purpura: tenuitas*, id eſt, tenues capilli & cincinni. Tigurina: *Et ſubtilis euaporatio* ( id eſt crines ſubtiles, qui è capite oriuntur & euaporantur) *capitis tui regiæ purpuræ ſimilis eſt, quæ in canalibus (infectorum) ligata eſt.* Arabicus: *Ligata in amphiteatris.* Septuag. *Plexus* (S. Ambroſ. in Pſam. 118. ſerm. 17. *ornatus*) *capitis tui ſicut purpura. Rex ligatus in tranſcurſibus*, id eſt, in canalibus,per quos aqua tranſcurrit.Sic & Pagnin.Iſidorus Clarius: *Rex ligatus crinibus.* Hebr. רהטים *rehatim* & canales ſignificat & trabes, quæ tranſcurrunt ab vno pariete ad alterum, ſicut canales ab vno loco ad alterum. Vnde Coſmas Damianus vertit: *Rex ligatus in laquearibus*, id eſt,inquit, Chriſtus alligatus trabibus crucis. Valabl. *Coma capitis tui eſt vt purpura, & eſt velut, Rex ſtipatus canalibus*, id eſt, habitans iuxta canales, vbi ſunt aquæ: quòd maximè commendabile erat in terra ſancta: in ea enim vt pote ſicca, ſummo in pretio erat terra irrigua. Ita Vatabl. ſed hoc alienum & longè petitum videtur,vt & illud aliorum,qui vertunt: *Rex ſtipatus circumcurrentibus*, ſcilicet militibus. Coma Sponſæ comparatur purpuræ, quæ vincta ſiue ligata eſt in canalibus, vt ſi quid ſordium ex tinctura illi ahæreſcat, aqua continuò per canales decurrente abluatur, aut potiùs vt iam tincta in vaſis tinctoriis rurſus magiſque tingatur in canalibus, per quos liquor purpureus decurrit in concham, ſiue vas tinctorium, vaſa hæc Plinius lib. 9. cap. 38. vocat cortinas; Alij lutras: forte etiam vaſa hæc canales hîc vocantur, quòd caua eſſent & longa inſtar canalium.

*Arab.* *Lxx.*

Senſus ergo eſt. q. d. Coma Sponſæ rubicunda eſt, nitens & ſplendens inſtar purpuræ regiæ recens tinctæ, imò dibaptæ, id eſt, bis tinctæ,ideóque viuidi & flagrantis ruboris. Ita paſſim interpretes. Audi Genebrardum & Luyſium: *Comparat Sponſæ comas purpuræ pretioſiſſimæ, pulcherrimæ maximæque recenti, quam tinctores adhuc ſiccant Regibus, in ſummis adtum canalibus, vel quas tingunt in ſuæ officinæ tubis, iiſdémque tubis atque canalibus,in quibus purpureus continetur color illas alligatas tenentes,quo melius colorem ſuſcipiant.* *Genebrard.*

Aliter Sanchez, qui per canales accipit faſcias, ſiue funiculos aureos vel argenteos, qui inſtar canalium & aquæ per canales decurrentis candicant, & candore argenteo collucent. Vnde & in Thalmad. cap. 3. de Agno Paſchali, argenteæ faſciæ vocantur *rehate hackaſeph*, id eſt,canales argenti. Addit Giſſerius vittas vocari canales, quia dum adſtringunt & premunt fluitantes capil-

los, efficiunt, vt quidam quaſi reuulus & canalis defluentium comarum per caput decurrat. Sic ſenſus eſt. q. d. Capilli Sponſæ fului ſunt ſicut purpura, & aureis ſiue argenreis quibuſdam teniis vel vittis illigantur, non ſecus ac regiæ tunicæ ſplendentibus faſciis, aut rectis, aut tranſuerſis ornari ſolent. Non dubiū eſt comas Sponſæ non fuiſſe incompoſitas, ſed decore pexas & aureis faſciis vitriſue colligatas; ſed ſimplicius ſic comparationem inſtituat: Comæ Sponſæ reginæ faſciis aureis ſericiſue ita eleganter connexæ ſunt, ſicut purpura Regis funiculis byſſinis canalibus alligaris.

Porrò quod Septuag. Pagnin. Vatabl. Coſmas & alij vertunt: *Rex ligatus in tranſcurſibus*, Theudor. & ex eo Tirelm. ſic explicat. q. d. Coma Sponſæ ſimilis eſt Regi corona regia coronato, ac purpura induto, quæ plicaturas habet & ſtrias inſtar canalium, iiſque quaſi ſulcis aptè coaptata & diſtincta eſt. Coma Sponſæ bellè crinibus intortis coronata eſt, plicata & ſtriata: pulchra ergo eſt tum ex colore, quia purpurea; tum ex religatione & cōpoſitione, quia eleganter vittis vel faſciis aureis religata, flexa & plexa eſt. Denique purpuræ color eſt color ſanguinis. Vnde Plinius lib. 9. cap. 38.
Plin. *Laus ei* (purpuræ) inquit, *Summa, color ſanguinis concreti ſuſpectu refulgens.* Vnde Homerus ſanguinem vocat purpureum, & eum ſecutus Virgil.
Virgil. *Purpuream vomit ille animam.*

Anima enim, id eſt, vita in Scriptura dicitur eſſe in ſanguine, imò nonnulli Philoſophi cenſuerunt animam non eſſe aliud quàm ſanguinem, teſte Ariſtot. lib. 1. de Anima.

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia, ſiue Synagoga.*

*Coma purpurea erunt diſcipuli Eliæ martyres.*

CAput Synagogæ ad Chriſtum conuertendæ erit Chriſtus, & poſt Chriſtum Elias, vt dixi. Comæ ergo huius capitis erunt viri religioſi & zeloſi, diſcipuli & aſſeclæ Eliæ: Sicut enim capilli oriuntur ex capite, illúdque ornant & protegunt; ſic hi ex Eliæ diſciplina & ſpiritu prodeuntes, eundem decorabunt, defendent, adiuuabunt & propugnabunt contra Antichriſtum & Antichriſtianos; ideóque ab eo occidentur, & ſanguine ſuo quaſi martyrij purpura tingentur & decorabuntur. Hæc autem ſanguinis purpura ſimilis erit ſanguini; quo in paſſione ſua purpuratus eſt Chriſtus, imò ex eo omnem ſuam vim, colorem & decorem hauriet, perinde ac ſi quinque Chriſti vulneribus velut canalibus alligata, iiſdem rubricata & purpurata foret. Egregij ergo fortiſſimíque martyres futuri in fine mundi Chriſto Regi; ceu coma capiti, per fidem & charitatem iuncti, eiúſque ſacris vulneribus velut canalibus per affectum & meditationem alligari, ex eis purpuram, id eſt, robur & decorem martyrij ſugent & imbibent: Ita Alcazar, Coſmas Damianus, Honorius, Delrio & cæteri initio capitis citati: ſic & per comam purpuream S. Gregor. accipit deſiderium martyrij: ſic & Iuſtus Orgel. & Aponius, qui & addit canales ſignificare exemplum virtutis martyrum, quod ad alios tranſmittunt.

Huc facit verſio Septuag. *Rex ligatus in tranſuerſalibus*, Coſmas *in laquearibus*. LXX
q. d. Chriſtus alligatus trabibus crucis, ex iis quaſi canalibus ſtillat in nos purpuram ſanguinis ſui, ac per illum nos roborat ad martyrium, vt eodem æquè ac ipſe ſanguine noſtro purpuremur. Septuag. ergo hic clarè myſterium crucis Chriſti ſignificant, dum dicunt comam Sponſæ concolorem purpuræ, cauſámque ſubiiciunt, quòd Rex illigatus, imò clauis affixus ſit ſupra comam Sulamitis, pura Sponſæ, & quod ex vulneribus illius per canales quinque cruor defluat, atque eorum fluxum totum Sulamitis ſupra crines excipiat: *Rex ligatus in canalibus*, ſeu *cum canalibus*: nimirum Rex cum quinque ſanguinis canalibus promanantibus ex plagis ſuis, ſupra crucem eſt amoris vinculis adſtrictus, & clauis tribus confixus, erumpítque ex plagis omnibus purpura, qua Sulamitis cæſaries eiuſdem, id eſt, religioſæ Eccleſiæ deuotionem repræſentans, penitus imbuitur. Deſeruit huic conſiderationi mirabiliter pia quædam ſculptura, quæ ponit D. Magdalenam ad crucis pedes, eam amplexantem detectam caput, atq; ita vt Chriſti defluens ſanguis eius capillamentum inficiat, purpuræ nimirum Tyriæ colore. Ita Alcazar.

Tunc ergo pro Chriſto Ieſu Saluatore & Duce ſuo, fortiter vſque ad mortem cum Elia contra Antichriſtum inter alios religioſos certet, & ſpero certabit Societas Ieſu, ac multos in aciem producet fortiſſimos Heroës, qui pro Ieſu ſuo libentes & exultantes occumbent,

bent, ac martyrij laurea purpurabuntur, vti fertur prædixiſſe B. Tereſ.

Ita S. Laurentius, S. Vincentius, S. Sebaſtianus cæterique martyres, Chriſti patientis conſideratione, exemplo, robore & gratia non tantùm fortiter ſuſtinuerunt, ſed & ardenter ſitierunt martyrium & tormenta atrociſſima, vt Chriſto vices, quas poterant, redderent, ac ſanguinem ſanguini, amorem amori, mortem morti rependerent. Quare per purpuram Regis intelligi paſſionem Chriſti docet Theodor. Beda, Rupert. S. Thomas, Honorius, Hailgrinus. Iam verò hæc martyrum corona mirè Chriſtum, ceu coma caput, comit & exornat.

Porrò quam aptè Religioſi comparentur capillis oſtendi cap. 4. 8. ad illa: *Capilli tui ſicut greges tonſarum.* Faſciæ ſiue vittæ, quibus Religioſi alligantur, ſunt charitas, obedientia, & regularis diſciplina, quæ omnes alligat & conſociat. His aptè competit Hebr. דלת *dallat*, id eſt, tenuitas, ipſi enim ex voto elegerunt paupertatem & humilitatem, obedientes Chriſto dicenti: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Matth. 5. Ita S. Anſelm. His etiam congruit, quod vertunt Septuag. *Rex ligatus in trabibus*: quia ſicut Chriſtus fuit Rex in cruce vincendo, & dominans peccato, gehennæ & diabolo; ſic pariter Religioſus cum Chriſto crucifixus eſt Rex dominans ſibi, vitiis, affectibus, totíque mundo, vti docet S. Chryſoſtom. tract. de comparat. Regis & Monachi, & ex eo Noſter Hieronym. Platus lib. 2. de bono ſtatu Relig. cap. 16.

Chald. Huc facit verſio Chaldæi: *Et pauperes populi, qui ambulabant apud Principem, hinc & inde; eo quòd egeni ſunt, futurum eſt, vt induantur purpura, ſicut indutus eſt Daniël in ciuitate Babylonis, & Mardocæus in Suſis propter meritum Abrahæ, quem Regem conſtituit ab initio in dominatorem ſæculi; & propter iuſtitiam Iſaac, quem ligauit pater eius, vt offerret eum; & propter dignitatem Iacob, qui decorticauit virgas in canalibus.* Hinc & Caſſiodor. ac Beda per purpuram in canalibus accipiunt ſanctos in humilitate defixos, in qua æterni Regis purpura intingitur, cui ſancti quique humilitatem ſui Redemptoris imitando paſſionum illius conformes fieri ſatagunt, quatenus in purpuræ dignitatem vertuntur & laborantes pro Chriſto, cum Chriſto & coronari merentur. Vincta autem hæc purpura eſſe dicitur, quia eorundem corda fixa ſunt, & ſtabilita in timore & amore Redemptoris ſui, nec vnquam à charitate eius ſeparari poſſunt. Poſſent quoque hæc aptari Cardinalibus Romanæ Eccleſiæ; hi enim velut coma purpurea ornant caput Pontificis, ideóque purpuram geſtant, vt hæc illos moneat ſanguinem pro Chriſto profundere, ſi opus ſit, atque in fine mundi cum Pontifice contra Antichriſtum certantes reuera profundent; vti olim profudêre S. Laurentius, S. Cyriacus aliiq; primi Cardinales cum S. Sixto, Marcello, Cornelio, Vrbano, cæteriſque primis Pontificibus.

## SECVNDVS SENSVS

### *De Chriſto & Anima ſancta.*

COma animæ purpurea eſt copia piarum cogitationum & affectionum, ac præſertim deſiderium mortificationis & martyrij, quæ ipſa haurit ex guttis ſanguinis à Chriſto in cruce ſtillantibus, quas ipſa meditando aſſiduè bibit & haurit. Ipſa ergo ceu coma Chriſti purpurati, ab eóque tota velut à capite dependens, in vulnerum eius canalibus per contemplationem illigata, dilectionis Dei & proximi, ac martyrij dibapto refulget, nec ſinitur ad alia cogitando diuagari, & diffluere. *Coma purpurea animæ eſt deſiderii mortificationis.*

Vnde S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 17. *Ipſa*, ait, *tanquam benemerita Regina Chriſti ſanguine coronatur, ſicut ſcriptum eſt: Et ornatus capitis tui ſicut purpura. Sanguis Chriſti purpura eſt, quæ inficit ſanctorum animas, non ſolùm colore ſplendens, ſed etiam poteſtate, quia Reges facit, & meliores Reges, quibus regnum donet æternum.* Sic & Theod. Honorius, Rupert. Audi & tres Anonymos apud Theodor. *Coma capitis tui ſicut purpura Chriſti, doctrina videlicet rationum & morum nexu contexta, tanquam Regis indumentum eſt animi tui amictus, in quo ille perturbationibus dominatur, & eſt Rex vinctus in tranſcurſibus, hoc eſt, nulli ſubiectus perturbationi, ſed diuinæ illius quam diximus doctrinæ funiculo ligatus in tranſcurſibus præſentis vitæ, ne rerum ſenſibilium & caducarum librico prolabatur.* Ambroſ. Anonym.

Porrò paſſioni Chriſti mens pia funiculo amoris ſe alligat; itáque viciſſim Chriſtus eodem illigatur. Vnde Sanchez per canales accipiens funiculos, docet animam piam per ſanctas de Chriſti paſſione cogitationes & meditationes, eundem Chriſtum non inuitum, ſed volentem ita ſibi illigare, vt aliud cogitare, velle, deſiderare nequeat, ac *Ermeditatio paſſionis Chriſti.*



Digitized by Google

vicissim Christus ab eius cogitatione & amore ſeparari ſe non ſinat: Quomodo enim mirissimum Christi Sponſi animum non capiant, ac reneant deſideria, quæ ad ipſum vnum aſpirant? quomodo non ligenr illa vincula, quibus ſuas cogiraciones Sponſa fidelis ita continuir, vt omnem ſibi niſi de Sponſo cogirandi faculratem præciderit? O ergo felicia Religioſorum, id eſt, religatorum vincula; quibus animi motus atque ſtudia ligarunt, ne à Deo dilapſa abeant in diuerſa: ſibi enim, niſi rumpantur vincula, Chriſtum ligant, tanquam Sponſum, & Regem omnino ſuum!

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

PHyſicè coma capiris B. Virginis erat flaua purpuraſcens, vti ſuperiùs dixi ex S. Epiphanio & Nicephoro.

Ethicè comæ, id eſt, cogitariones Virginis aſſiduè tingebantur memoria & compaſſione purpuræ Regis, id eſt, paſſionis Chriſti; qua de cauſa ipſa verè extitit martyr. Senſus ergo eſt, ait Hailgrinus, mens tua prudenrer circumciſa, & cogiraciones tuæ tinctæ in ſanguine Dominicæ paſſionis, ſic affectæ ſemper fuère, quaſi recentem viderent ſanguinem de vulneribus profluentem. Faſciculus myrrhæ morabatur inter vbera eius, donec aſſumpta fuir ad gaudium, quod omnem dolorem abſorpſit.

*Chriſtus purpuratus ſuo cruore.* Guilhel.

Pleniùs Guilielmus: *Purpura Regis*, inquit, *eſt proprio rubens ſanguine caro redemptoris; caro illa ſacrum verbi indumentum erat, ex quo verbum caro factum, & habitauit in nobis? ſed tempore paſſionis in regalem purpuram hominibus & Angelis adorandam, in proprio ſanguine tincta eſt. Vnde Apoſtolus propter paſſionem mortis, ei dicit datum à patre nomen quod eſt ſuper omne nomen; vt in nomine eius omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum. Dum autem ſacra illa caro, quam ſibi de virgine propitia veritas ſumpſerat, pro eliciendo pretio redemptionis humanæ clauis & lancea foderetur, iuxta veridici Simeonis prophetiam, piæ matris animam pertranſibat gladius. Quot vulnera filius accipiebat in carne, tot pia mater accipiebat in corde; quod quatuor vel tres claui & vna lancea faciebant in carne filij, hoc vnus ille gladius faciebat in anima matris. Rubebat caro filij ſanguine paſſionis; rubebant materna illa cogitationes, vt ita dicam, ſanguine compaſſionis: benè ergo illi dicitur; coma capitis tui ſicut purpura Regis. Quod autẽ additur, vincta canalibus, ſignificat, quòd tincturam illam regalis indumenti, quæ facta eſt in paſſione, illico ſecuta eſt abundantia gratiæ eius, quæ in ſacris literis per aquam ſignatur.* Vide dicta cap. 5. 9. ad illa: *Vulneraſti cor meum ſoror mea Sponſa, in vno crine colli tui.*

Denique Philo Carpathiorum Epiſcopus ex Sepruag. nouè vertens: *Rex tremendus in excurſibus*, explicat de Chriſti è cælis per B. Virginem in terram & infernum excurſu, ac in cœlos recurſu: *E cælo namque*, inquiir, *excurrit in terram tanquam Sponſus de thalamo virginali progreſſus in orbem, & vſque ad inferos deſcendens, mortem deſtruxit, & prædam tulit inferni. Ipſe ſolus omnino tremendus in progreſſibus ſuis ac geſtis, quæ pro ſalute noſtra non vllius neceſſitatis vinculis coactus egit, ſed immenſa charitatis ardore victus, & ineffabili magnitudine ſuæ bonitatis ad hæc mortalia progreſſus & dolorifica voluntariè acceſſit; vtque nos ſua immortalitate donaret, noſtra eſt mortalitate veſtitus, nuſquam nos deſerens, nullibi deſtituens, ſed vbique fouens ac tuens, ait enim: Ecce vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi. O incomparabilem vim amoris! ô ſummam bonitatem!*

---

## VOX ECCLESIÆ

Ad Synagogam iam in Chriſtum credentem.

Verſ. 6. *Quàm pulchra es, & quàm decora chariſſima in deliciis.*

QVAM *pulchra es, & quàm decora chariſſima in deliciis?* Ex Hebræo cum Pagnin. vertas: *O quàm pulchruiſti & quàm dulcuiſti amorin deliciis?* Sponſi ſcilicet, eum oblectando. Aut ad verbum: *Quàm pulchra facta es & quàm iucunda* (vel ſuauis, grata & accepta) *ô charitas in deliciis*; Ira Septuag. Hebr. eſt בְּתַּעֲנוּגִים *battaanugim*, quod per ſyſtolem ſignificat *in deliciis*; per diaſtolem verò בַּת תַּעֲנוּגִים *bath taanugim*, idem eſt quod *filia deliciarum*, vt vertit Aquila & Syrus, id eſt, delicariſſima & delicioſiſſima. Vnde Vatabl. vertir: *in deliciis primatum obtinens*, quibus ſcilicet tunc teipſam, tum Sponſum, rum nos adoleſcentulas Sionides cæteróſque omnes mirificè oblectas. Arabicus: *Quàm pulchrum eſt decus tuum, quàm delectabilis es, ô amor in deliciis?*

Multi cenſenr hæc eſſe verba Sponſi,

Sponſam

Digitized by Google

Sponſam Synagogam laudare pergẽtis. Meliùs alij cenſent hæc eſſe verba chori adoleſcentulãrum Sionidarum, id eſt, virginum & puellarum nouæ Ieruſalem, & Sionis Chriſtianæ, quæ auditis à Sponſo tantis Sponſæ per ſingula membra elogiis, eius pulchritudinem admirantes exclamant: *Quàm pulchra es*, &c. aut potiùs eſſe verba Eccleſiæ gentium, quæ Synagogæ Iudæorum conuerſæ ad Chriſtum congaudens congratulatur, exultánſque illi iam in fide ſorori applaudit (hoc enim ſororem ſorori facere decebat) dicens: *Quàm pulchra es*, &c.

Id ita eſſe patebit ex verſ. 9. vbi dicitur: *Guttur tuum ſicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum.* Quæ verba non Sponſi, ſed chori adoleſcentularum eſſe conſtat; nec enim Sponſa de ſe diceret: *dignum dilecto meo*; ſed *dignum me.* Et ex verſ. 7.8. *Statura tua* (ô Sponſa) *aſſimilata eſt palmæ, & vbera tua botris vini. Aſcendam in palmam*: nec enim Chriſtus aſcendit in palmam Sponſæ, ſed potius deſcendit, cum ea longè ſit altior.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

CHorus adoleſcentularũ ſiue puellarum Ieruſalem, id eſt, animarum in fide nouellarum & imperfectarum, Synagogæ Iudæorum per Eliam conuertendæ applaudet, dicens: *Quàm pulchra es, ô Domina mea, & quàm decora in deliciis?* quibus ipſa frueris, quibúſque Sponſum Chriſtum, & nos adoleſcentulas tuas mirè oblectas, eóque pulchrior appares, quo ex tam longa & atra deformitate perfidiæ, & ignorantiæ Chriſti ſalutíſque tuæ, ad tam feruentem fidem & zelum ſubitò emerſiſti, adeo perfectè, vt martyres plurimos & fortiſſimos Chriſto dederis, qui, vt iam dixi, quaſi *coma capitis tui ſicut purpura Regis vincta canalibus*, illud mirificè comunt & exornant.

Hoc eſt quod præcinnuit Iſaias exul-
Iſai.35.1. tans in ſpiritu cap.35.1. *Lætabitur deſerta
& inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi
lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda
& laudans: Gloria Libani data eſt ei,
decor Carmeli & Saron: Ipſi videbunt gloriam
Domini, & decorem Dei noſtri.*

Audi S.Ambroſ. in Pſal. 118. ſerm. 17.
Ambroſ. verſ.5. *Quàm pulchra*, inquit, *& ſuauis facta
es charitas in deliciis tuis? Pulchra decore virtutis,
ſuauis iucunditate gratiæ, remiſſione vitiorum, quam nulla vexat amaritudo peccati, &
ipſa iam charitas, qua diligendo Deum & nomen
eius acceperit: quia Deus charitas eſt.*

Caſſiod. nouella Sponſa, inquit, eſt Synagoga Iudæorum pulchra fide, decora operatione futura eſt. Honorius: pulchra ob opera externa, decora ob virtutes internas.

Tres Anonymi apud Theodor. Admirabili, inquiunt, circumdata es pulchritudine, ea nimirum, quæ peruenit ad te ex ſimilitudine & exemplari: nam Sponſo coniuncta, atque illo fruens referta es incredibili iucunditate ſpirituali.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

ANima ſancta per gratiam & opera heroica, præſertim patientiæ in aduerſis ac martyrij adeo fit pulchra, vt ſit filia deliciarum, hoc eſt, illicium & delicium Dei, Angelorum & Sanctorum
omnium. Quocirca S.Iacobus cap. 1. v. 1. Iacob.
*Omne gaudium*, inquit, *exiſtimate fratres,
cùm in tentationes varias incideritis, ſcientes
quòd probatio fidei veſtræ patientiam operatur:
Patientia opus perfectum habet.* Et Paulus:
*Gloriamur in tribulationibus.* Rom. 5. Hinc
Chald. vertit: *Dixit Rex Salomon: Quam* Chald.
*pulcher es cœtus Iſraël in tempore quo tu portas
iugum regni mei, in tempore quo ego corripio te
in infirmitatibus propter peccata tua, & tu ſuſcipis
in charitate, & videntur tibi deliciæ.*

Deliciæ ergo animæ ſanctæ primò, *Deliciæ ſex animæ.*
ſunt tribulationes & cruces. Secundò,
diuinæ dulcedines, inſpirationes & con- 1.
ſolationes ſpirituales, quæ Deus fideli- 2.
bus ſibi deuotis & præſertim tribulatis
aſpirat, ac præcipuè ſpes gloriæ cæleſtis.
Ita Caſſiodor. Tertiò, Theodor. ait has 3.
delicias eſſe amoris & charitatis: *Diligis* Theodor.
*enim*, inquit, *amantem te Sponſum, & in eius
amore tuas omnes delicias collocans reliqua omnia
deſpexiſti.* Quartò Rupert. *Quid eſt*, in- 4.
quit, *in deliciis pulchram & decoram eſſe, niſi* Rupert.
*in abundantia gratiæ manſuetudinem ſummámque
cordis humilitatem habere?* Quintò,
hæ delicię ſunt S.Scriptura. Audi S.Gre- 5.
gor. *Notandum*, inquit, *quòd chariſſima in de-* Gregor.
*liciis dicitur, quia ad charitatem & familiaritatem
Chriſti non peruenit, quiſquis Scripturæ
ſanctæ deliciis abundare non contendit. Inde
enim dicitur: Omni habenti dabitur & abundabit,
ei autem, qui non habet, & quod videtur
habere, auferetur ab eo: his enim deliciis qui
abundat, reficitur: his refectus, aſſiduè ad maio-*

*ra per*

6. *ra percipienda præparatur.* Sextò S. Auguſt. tract. 65. in Ioannem, mortem, quam infligit charitas, docet eſſe ſuauiſſimam, háſque eſſe delicias charitatis, ac charitatem in deliciis: Sic enim ait: *O quàm benè cantatur tibi in Epithalamio tuo: Quia charitas in deliciis tuis. Ipſa non perdit cum impiis animam tuam, ipſa diſcernit cauſam tuam, & ſicut mors valida eſt, & in deliciis tuis eſt. Quàm mirandi generis mors, cui parum fuit non eſſe in pœnis, niſi eſſet inſuper & in deliciis.*

Auguſt.

*Sponſa vocatur amor, quia ſummè amabilis.*

Hac de cauſa Sponſa hîc vocatur אהבה *ahaba*, id eſt, *amor*, dilectio, charitas *in deliciis*, id eſt, deliciosiſſimè & ſummè amabilis, dilecta, chara (Noſter vertit *chariſſima*) adeò vt ipſiſſimus amor, ipſa pulchritudo, ipſa ſuauitas & decor, ipſiſſimæ deliciæ eſſe videatur; quia illi charitas in deliciis eſt, id eſt, quia amat quæ verè amabilia ſunt; quia diligit quæ charitate & dilectione digna ſunt. Ita Sanchez. Sic tertia filia S. Sophiæ virgo & martyr, vocata eſt charitas, quia ſummè Deo & hominibus amabilis fuit.

*Exemplum S. Lioba.*

Sic S. Lieba vel Lioba in Anglia nobilibus parentibus per votum concepta, à prima ætate Deo à parentibus ex voto conſecrato, hoc nomen accepit, quòd Deo & hominibus eſſet dilecta: *Lieb* enim Germanicè dilectam ſignificat; quare in monaſterio piè educata miræ ſanctitatis euaſit. Audi auctorem vitæ eius: *Erat aſpectu angelica, ſermone iucunda, ingenio clara, conſilio magna, fide catholica, ſpe patientiſſima, charitate diffuſa. Et cum lætam ſemper faciem præferret, nunquam hilaritate nimia reſoluta eſt in riſum.* Quocirca in Abbatiſſam electa, moniales ſibi ſubditas eximia prudentia & ſanctitate gubernauit. Quare à Carolo magno Imp. & vxore eius Hildegarde ſæpiùs accerſita, ab eis in honore habita, ac magna reuerentia excepta fuit, adeo vt Hildegardis Aquiſgrani oculos eius abeuntis exoſculans diceret: *Vale in æternum Domina & ſoror dilectiſſima, vale anima mea portio pretioſa. Chriſtus creator & redemptor noſter tribuat, vt nos in die iudicij ſine confuſione videamus: Cæterùm in hac luce mutuò nunquam ab hoc die conſpectu fruemur.* Pluribus miraculis claruit. Extat eius vita à Rodulpho viro graui ſcripta apud Surium die 28. Septembris.

*Anagogicè.*

Anagogicè Honorius: Deliciæ, ait, Eccleſiæ cum Chriſto regnantis, ſunt gaudia paradiſi exultationis. In his deliciis eſt ipſa *pulchra & decora*, quia fulget vt ſol & luna, & Chriſto & Angelis eſt chariſſima.

## TERTIVS SENSVS

### *De Chriſto & B. Virgine.*

NIl pulchrius, nil ſpecioſius, nil iucundius, nil delicioſius in vniuerſa creatura, quàm B. Virgo. Quocirca Eccleſia in officio hanc Antiphonam hinc deſumptam illi accinnit: *Specioſa facta es & ſuauis in deliciis tuis ſancta Dei genitrix. Quàm pulchra*, ait Hailgrinus, *es in maternitate, quàm decora in virginitate, quàm admirabilis in vtroque.* Nam vt rectè explicat Guilielmus: *In quantis agebat ſancta iucunditatis deliciis, cum Deum verbum maternis amplexibus ſtringeret, & ſacra illi oſcula materni oris imprimeret; cum illum, qui in cælo de ſe paſcebat Angelos, maternis vberibus aleret, & cætera maternæ pietatis officia pro tempore miniſtraret? Denique in his omnibus diuini myſterij & ſui priuilegij non ignara, optimè nouerat ſe eſſe matrem maieſtatis: & hoc noſſe, ſingulares & iuges illi deliciæ erant.* Hailgrin.

Porrò quod ad rem præſentem ſpectat, B. Virgo pulchra & decora erit tot Iudæorum ad ſe & filium ſuum per Eliam conuerſione, quam ipſa procurabit, quaſi *charitas in deliciis*, vt ſcilicet illis ſuam charitatem guſtandam offerat, & viciſſim illorum charitate ſanctitatéque delicietur, ſeſéque oblectet.

Hinc illa non tantùm hominum in terra, ſed & Angelorum ac Beatorum in cælo eſt delicium, deſiderium & gaudium, vt omnes ei ſuccinnant: *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te, ſancta Dei genitrix.*

Denique Philo legens (licèt contra fidem Codicum Hebr. Græc. & Latin.) *Quàm ſpecioſus factus es & potens*, id ad Chriſtum Sponſum refert, qua homo eſt: *Charitas in deliciis tuis*, id eſt, inquit, quod ait Sapientia Chriſtus: *Et deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* Prouerb. 8. 31. Tanta enim nos charitate complectitur, vt nihil aliud quàm nos ſecum ſemper eſſe malit: hoc enim de nobis auet, hoc poſtulat, hoc efflagitat. Vnde ſubdit: *Hæc eſt magnitudo tua, aſſimilatus es palmæ.* q. d. Magnitudo immenſæ charitatis tuæ aſſimilata eſt palmæ: Palma enim cordis internam charitatem & virtutem, vímque fidei inexpugnabilis oſtendit, &c. quæ ad ſuperna & ſempiterna cor attollit, nec vllis aduerſis frangitur, ſed inter omnia, imò ſuper omnia inuicta perdurat ac regnat.



Digitized by Google

Verſ. 7. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ, & vbera tua botris.*

Lxx. HEBR. *Hæc ſtatura tua.* LXX. *Hæc magnitudo tua*, quod Cõplut. referunt ad id, quod præceſſit, hoc modo: *Dilectio in delicijs tuis, hæc magnitudo tua.* q. d. Dilectio tua delicioſa eſt magnitudo tua. Aquila: αὕτη ἀνάστασίς σου, id eſt, *hæc ſuſcitatio*, vel *reſurrectio tua*, qua ſcilicet ô Synagoga à perfidia ad fidem, à morte ad vitam, à Moſe ad Chriſtum reſurrexiſti. Symmachus: αὕτη ἡλικία σου, id eſt, *hæc iuuentus*, vel *ætas tua* præſertim florida, valida & militaris, quæ incipiebat ab anno 17. teſte Plutarch. in Graccho, notat Synagogæ ætatem vegetam & & validam in fide Chriſti, qua contra Antichriſtum vſque ad mortem eſt decertatura.

Syrus. Syrus: *Hæc ſtatura tua*, quam ſcilicet hucuſque deſcripſi. Arabicus:

Arab. *Magnificata eſt fama tua*, vel *natura & indoles, vt palma.* Palma enim recta creſcit in altum, ac supernè caput & comam habet ſimilem humanæ.

Senſus eſt. q. d. O Sponſa nouella procera es, & alto collo ac corpore inſtar palmæ, hæc enim eſt ingens dos & laus, quam ambiunt feminæ, ideo & collum erigunt, & turritos pileos capiti imponunt, & altos cothurnos pedibus ſubiiciunt, vt proceriores eſſe videantur. Hinc Ouidius de Galatea lib. 14. Metamorphoſ.

Ouidius. *Longa procerior alno.*

*Et vbera tua botris.* Per botros accipe alatas ſiue ſpatalia palmarum, in quibus multitudo dactylorum continetur: hæc enim planè figuram habent vberum, æquè ac botri vuarum. Ita Theodor. Tres Anonymi, Giſlerius & Sanchez, licèt Aben Ezra, quem ſequitur Luyſius, Alcazar & Genebrad. botros vitis & vuarum hic accipiant, quas in Iudæa aiunt maritari cum palmis, ſicut in Apulia maritantur cum altiſſimis arboribus: vites enim ibi adeò craſſæ & altæ euadant, vt altiſſimis arboribus æquari & copulari queant, adeò vt vna tot vuas proferat, quot ſufficiunt ad vas vini exprimendum. Vnde & ſequitur: *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius: Et erunt vbera tua ſicut botri vineæ*: hi enim non tantùm figura, ſed & ſucco ſimiles ſunt vberibus: dant enim vinum, ſicut vbera dant lac. Vnde cap. 1. 1. & c. 4 10. dixit: *Meliora ſunt vbera tua vino.*

Porrò vbera iungit ſtaturæ, quia cum femina ſtatura & ætate grandeſcit, grandeſcunt pariter & intumeſcunt vbera; vt quaſi Sponſa prolem concipere, gignere & alere queat, iuxta illud Ezech. 16. 7. *Et grandis effecta es; & perueniſti ad mundum muliebrem: vbera tua intumuerunt.* Ezech. 16. 7.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

SYnagogæ ad Chriſtum conuerſæ, & per Eliam conuertendæ ſtatura ſimilis palmæ, notat eius magnum & excelſum animum, quo contra Antichriſti minas & blanditias generosè ſeſe eriget, illáſque contemnendo tranſcendet & ſuperabit, adeo vt pro Chriſto mortem oppetere deſideret, vti paulo ante dixi. *Statura eſt magnanimitas.* Hinc ſicut palma, quo magis onere impoſito deprimitur, eò magis ſeſe erigit: ſic pariter tunc ad Chriſtum conuerſi, quò acerbiora ab Antichriſto patientur, eò fortiores euadent. Rurſum ſicut palma teſte Plinio lib. 13. c. 4. frugifera non eſt niſi in ſolo feruido, nitroſo, aut ſalſo, ideóque videtur proceritate ſua terram deſpicere & cælum appetere, ac rectà eò conſcendere, víxque humi radicibus niti, quia ibi nihil inuenit niſi inſulſum: Sic & viri ſancti mentem habent defixam in cælo, ideóque terrena omnia illis deſipiunt, ac crucem Chriſti adamant, in eáque radidices agunt, nutriuntur & creſcunt vſque ad cælum, ad quod anhelant.

Plures Analogias palmæ & Eccleſiæ, vel animæ ſanctæ in perpetuo viroré, rectitudine, robore, altitudine, fructu, coma, &c. recenſui Eccleſ. 24. 18. ad illa: *Quaſi palma exaltata ſum in cades.* Inter quas illa præ cæteris conuenit Synagogæ, quam Nyſſen. tribuit S. Gregorio Thaumaturgo orat. de eo, ſcilicet, quòd ſola inter arbores palma, in radice perfecta craſſitudine acuminis è terra exurgat, & creſcat; cúmque in altum recta progrediens proceritatis ſuſcipiat augmentum, nihil ei in craſſitudine accedit, ſed æquè craſſa, fortis & inflexilis permanet: *Palma radix perfecta.* pari modo enim Synagoga in fine mundi conuertenda ad Chriſtũ, ſtatim ab initio tantam fidei & virtutis craſſitiem robúrque accipiet, vt illico perfecta euadat, ac doctores martyréſque progerminet, qui, inſtar Pauli, animam & vitam pro Chriſto profundant.

Hinc rurſum Symbolicè per palmam accipias

accipias crucem Chriſti, à qua omnis gratia robúrque illis obueniet, vt patebit ex ſententia ſequenti: *Aſcendam in palmam*, &c. q.d. Statura tua, ô Synagoga, ſimilis eſt Chriſto in cruce exaltato, quia multos ei reddis martyres & crucifixos ab Antichriſto Hoc eſt, quod prædixit Chriſtus: *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*. Ioan. 12. 32.

Ioan. 12. 31.

*Et vbera tua botrũ*: q.d. doctrinæ tuæ lac conuenienter & abundanter omnibus tuis filiis ſuppiditas. Vide ſymbola vberum, quæ recenſui, cap. 4 v. 5. & c. 1. 1.

Porrò Alcazar, qui botros non palmæ, puta dactylos, ſed vitis, puta vuas, accipit, ſic explicat. q. d. Sicut in Iudæa vites maritantur cũ palmis, botróſque & vinum producunt: Sic pariter Synagoga conuerſa ad Chriſtum botrum vinúmque eum palma & dactylis, id eſt, ſapientiam cum ſanctitate coniunget; ideóque vbera eius erunt ſimilia botris vini non lactis, quia diſcipulos ſuos alet vino perfectæ ſapientiæ & virtutis, puta contemptus mundi, zeli, mortificationis, deſiderij, martyrij, &c quo aluntur nouitij in bene ordinatis Religionibus. Nam & diſcipuli Eliæ certaturi contra Antichriſtum erunt, æquè ac ipſi Religioſi. Hi ergo velut botri, qui hauſto è cælis alimento in altum creuerunt, æſtu perſecutionum & tribulationum iam decocti & maturi, ac graui pondere in torculari crucis compreſſi, vinum Sponſo Chriſto ſuaue præbebunt, quod cor eius lætificabit. Vbera ergo ſimilia botris ſignificant inſignem Synagogæ in docendo ſedulitatem & conſtantiam, in lucrandis animis charitatem, in lactandis paruulis largitatem, ait Philo & Honorius.

Symbolicè. Honor.

Symbolicè Honorius: *Statura*, ait, *Eccleſiæ (& anima ſancta) eſt perſeuerantia certaminis, quæ in Abel creſcere cœpit & ad vltimum electum perſeuerabit; ſiue in Apoſtolis creſcendi ſumpſit exordium, & in Synagoga vltima conuerſione conſummabitur. Palma eſt inferius aſpera & ſuperius pulchra, & dicitur victoria, & intelligitur Chriſti vita, quæ hic in terris fuit in aſperitate paſſionum, & poſt victoriam crucis fuit in pulchritudine cælorum. Statura ergo Sponſæ aſſimilabitur Chriſti tolerantia: Quia Eccleſia hîc fuit aſpera in preſſuris, ſed victoria potita de vitiis, pulchra fulget in cælis: palma etiam conſeruat folia, & Eccleſia variante ſtatu ſæculi, eadem tenet fidei myſteria. Vbera Eccleſiæ ſunt duo teſtamenta, de quibus ſugunt prædicatores lac myſticæ intelligentiæ; qui prædicatores dicuntur vbera, quia rudibus præbent lac doctrinæ, qui aſſimilati ſunt botris; quia ſicut botri pleni ſunt vino; ita ipſi pleni ſunt ſcientia; & ſicut botri preſſi inebriant, ita ipſi in mundo preſſi lac doctrinæ propinant.*

## SECVNDVS SENSVS

### De Chriſto & Anima Sancta.

Anima ſancta ſimilis palmæ.

ANima ſancta ſimilis eſt palmæ, iuxta illud Pſalm. 91. 13. *Iuſtus vt palma florebit.*

Primò, quia inſtar palmæ recta eſt per iuſtitiam. 1.

Secundò, quia alta per cæleſtem vitam & contemplationem, iuxta illud Philip. 3. *Noſtra conuerſatio in cælis eſt*. 2. Philip. 3.

Tertiò, quia ſemper virens per animi vigorem. 3. Vnde S. Ambroſ. lib. 3. Hexam. cap. 17. *Imitare*, ait, *homo palmam, vt dicatur & tibi: Statura tua ſimilis facta eſt palmæ. Serua viriditatem pueritiæ tuæ & illius innocentiæ naturalis, quam à primordio recepiſti, vt plantatus ſecus decurſus aquarum, fructum tuum in tempore tuo habeas preparatum & folium tuum non defluat*, &c. Ambroſ.

Quartò, quia aduerſitatibus obluctatur, & altiùs exurgit. 4.

Quintò, quia dactylos, id eſt, fructus ſuauiſſimos eleemoſynę aliarúmque virtutum profert. 5.

Sextò, quia palma licèt in craſſitie trunci non creſcat, vt dixi ex Nyſſeno, creſcit tamen in dilatatione ramorum & comæ. 6. Vnde S. Gregor. *Palma*, ait, *dum creſcit, deorſum ſtringitur & ſurſum dilatatur:* Gregor. *Sic ſancta anima ab imis ad minima incipit, & paulatim ad maiora creſcendo, vſque ad amplitudinem perfectæ charitatis peruenit. Nemo enim ſicut ſcriptum eſt, repentè fit ſummus. In Pſalmo autem de iuſto homine dicitur: Iuſtus vt palma florebit. Vbera autem Sponſæ duo præcepta charitatis exiſtunt, quæ animam, quam poſſident, vino cæleſti inebriant & nutriunt. Poteſt tamen per palmam crux Chriſti intelligi: Palma enim in ſublime valde creſcens dulciſſimos fructus gignit, & crux Chriſti cæleſtem cibum nobis præparauit, cui ſtatura Sponſæ aſſimilatur, quia pro Chriſto mori non dubitat, quiſquis Chriſtum valde diligens imitatur.*

Septimò palma ſymbolum eſt victoriæ, 7. quam ſancti pugnando contra carnem, diabolum & mundum obtinent, eiúſque præmij, quod obtinebunt, iuxta illud Apocal. 7. verſ. 9. *Et palmæ in manibus eorum* Apocal. 7. 9. Ita Caſſiod. *Palma*, ait, *victricem ornat manum.* Caſſiod.

Octauò, palma ſpinoſa eſt & aculeata: 8. ſic aculei & ſpinæ in iuſtis ſunt increpationes

pationes

pationes in peccatores, ait Philo, quibus eorum vitia caſtigant.

Rurſum palma inferiùs in trunco aſpera eſt, ſuperius vero amœna in ramis, & ſuauis in dactylis; ſic & *Sancta Eccleſia*, ait Caſſiod. *animáque in inferioribus aſperitatem laborum & paſſionum ſuſtinet pro Chriſto; in ſuperioribus verò, hoc eſt, in cæleſtibus pulchritudinem & ſuauitatem expectat præmiorum.*

Caſſiod.

Porrò anima ſancta habet vbera doctrinæ & beneficentiæ quibus alios lactet & nutriat. Vnde Theodor. *Cum*, inquit, *excelſa ſis, adeò vt cæli faſtigia attingas; tamen ſubmittas te infirmis diſcipulis tuis, quibus doctrina indigentibus vbera prabes doctrinæ tuæ: Palma enim fructus pendentes habet.*

Porrò Caſſiodor. Beda & Iuſtus per vbera accipiunt Doctores; Aponius verò martyres, hi enim ſanguinis ſui exẽplo, quaſi lacte fideles minores in fide alunt & roborant.

Huc facit verſio Chaldæi: *Et in tempore quo ſacerdotes extendunt manus ſuas in oratione, & benedicunt fratribus ſuis, domui Iſraël, ſimiles ſunt digiti manus eorum extenſi ramis palmarum, & ſtatura eorum eſt ſicut palma. Et Eccleſia tua ſtat facie ad faciem contra ſacerdotes, & facies eorum inclinatæ ſunt in terram ſicut botri vuarum.*

Chald.

Denique Philo Carpath. per ſtaturam accipit magnitudinem charitatis, vti dixi in fine verſus præcedentis. Vnde ſic legit: *Charitas in delitiis, hæc eſt magnitudo tua.*

Symbolicè. Symbolicè, ſtatura palmæ ſunt quatuor dimenſiones crucis, quas recenſui Epheſ. 3. verſ. 18. quibus ſe admetiri quoad poteſt, & commenſurare debet anima ſancta.

Anagogicè. Honorius. Anag. Honorius: *Animæ glorioſæ ſtatura eſt æqualitas Angelorum, quæ palmæ eſt aſſimilata, quia in terris fuit anguſtata, in cæleſtibus autem dilatata. Eius vbera ſunt comparata botris; quia Apoſtoli & alij Doctores eius ſunt pleni poculis æternæ dulcedinis.*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto, & B. Virgine.*

Beata Virgo phyſicè ſtatura fuit procera, teſte S. Epiphanio apud Nicephor. lib. 2. cap. 23.

Ethicè ſtatura eius fuit celſitudo animi, præſertim in aduerſis & paſſione Chriſti: Vnde de ea ait Ioannes cap. 19. 25. *Stabat iuxta crucem Ieſu mater eius. Stabat*, inquit Guilielmus, *illa iuxta crucem ſui*

Ioan. 9. 25. Guiliel.

*Ieſu, atque eo ipſo ſibimet quodammodo erat in crucem erecta, ſtando iuxta crucem filij: ipſa ſibi quodammodo per affectum maternum facta erat crux. Sic ergo cum ſtaret iuxta inſignem illam palmam, ſtatura eius aſſimilata eſt palmæ; ſed clarificato iam filio à reſurrectione eius & deinceps, vbera eius aſſimilata ſunt botris. Vnde & ſequitur: Aſcendam*, &c.

Palma non longitudine, ſed ſtatura, id eſt, ſtatumine & firmitate ſuperat cæteras arbores.

Myſticè talis eſt B. Virgo; vnde de ea ſic ſcribit S. Epiphanius tom. 3. hæreſi 78. *Cum Ioannes in Aſiam inſtituerit profectionem, & nuſquam dicit Script. quod abduxerit ſecum ſanctam Virginem, ſed ſimpliciter ſiluit propter miraculi excellentiam, vt ne ad ſtuporem perduceret hominum mentem.* Sic & S. Dionyſ. in Epiſt. ad S. Ioannem, dicit ſe ita ad aſpectum & maieſtatem Virginis obſtupuiſſe, vt niſi fides eum docuiſſet vnum eſſe Deum in cælis, vtique hanc Virginem Deam eſſe credidiſſet.

Epiphan.

Et Honorius in Sigillo Mariæ: *Chriſtus*, ait, *fuit palma in cruce, quia per eam homo adipiſcitur victoria palmam, cui aſſimilata eſt ſtatura, id eſt, altitudo gloriæ Mariæ; quia ſicut ipſe eſt cælorum; ita & ipſa Regina eſt Angelorum; & vbera tua botris, id eſt, merita tua aſſimilata martyribus, qui ſicut botri preſſi ſunt paſſionibus.*

Honor.

Rurſum ſtatura palmaris B. Virginis fuit rectitudo bonæ intentionis, & ſanctæ operationis directio, per quam inſtar palmæ crucis Chriſti triumphat de malignis ſpiritibus, ait Hailgrinus.

Pleniſſimè Alanus: B. Virgo quaſi palma: *Aſperum habuit corticem, quia quantùm ad ſæcularem honorem fuit infirma, quantùm ad diuitias temporales paupercula; ſed firmitatem habuit roboris per conſtantiam mentis. Erecta fuit ſtipite, quia ſuſpenſa in cælum animi intentione, pulchra in culmine in virginitatis & humilitatis celſitudine, delectabilis in flore, quia ſine concupiſcentia concepit florem campi & lilium conuallium. Dulcis in fructificatione, quia ſine pœna peperit mundi redemptorem. Hæc nobis proponitur in ſignum victoriæ & exemplum, vt ſicut ipſa vicit mundum, peccatum, diabolum, ita & nos vincamus iuxta poſſe noſtrum. Vbera Mariæ dicuntur virginitas & humilitas, in quibus delectatus eſt Chriſtus, quaque nobis propoſita ſunt ad informandum & inſtruendum, vt ſequamur veſtigia eius. Et comparantur botris, quia botrus in flore parit odorem, in fructu dulcedinem. Calefacit etiam & reficit: ſic virginitas & humilitas Virginis fragrant odore bonæ opinionis, fructum dulcedinis propinant, &*

Alanus.

*calefaciunt in amorem, & reficiunt ad ſpiritualem ſatietatem.* Porrò hæc omnia quæ de Eccleſiæ, animæ ſanctæ & Deiparæ forma & pulchritudine, eiúſque membris, puta pedibus, femoribus, vmbilico, ventre, vberibus, collo, oculis, naſo, capite, coma, ſtatura à verſ. 1. hucuſque dicta ſunt, & deinceps dicentur, mutato nomine adapta humanitati in Chriſto à Verbo aſſumptæ. Hæc enim prima & intima eſt Verbi Sponſa, quæ Eccleſiam, animas ſanctas & Deiparam eidem Verbo deſpondet, vti dixi in Prooemio cap. 2.

## VOX CHORI Adoleſcentularum.

Verſ. 8. *Dixi: Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius: & erunt vbera tua ſicut botri vineæ: & odor oris tui ſicut malorum.*

Syrus. Arab. DIXI: *Aſcendam in palmam* (Syrus & Arabicus *per palmam*, ad carpendos eius dactylos) *& apprehendam fructus eius: & erunt vbera tua ſicut botri vitis, & odor oris* (Septuag. Pagnin. & Vatabl.

Lxx. Pagnin. Vatab. Hebr. *naſi*: Syrus *faciei*. Hebr. enim אף *aph* naſum, faciem & os ſignificat) *tui ſicut malorum.* Septuag. *ſicut pomorum.*

Pro *fructus* Hebr. eſt סנסנים *ſanſinnim*, quod Septuag vertunt: *cacumina.* Arabicus *altitudines*; Aquila *elatas*, Symmach. *ramos.* Vatabl. *palmites.*

Omnia hæc eodem redeunt, ſignificantur enim elatæ, ſiue fructus dactylorum à cacumine ramorum palmæ dependentes; item fructus vitis maritatæ cum palma, puta vuæ & racemi, vt vult Aben Ezra, Alcazar, Delrio & alij.

Vbera rectè comparantur botris, quia tumentia, ſucculenta, rotunda; hinc maiores botri vocantur humaſti, id eſt, bouis ſiue vaccæ vbera: tam grandia ſunt vbera matrum & nutricum mammoſarum, qualis hic inducitur Synagoga.

Odor oris, vel naſi eſt halitus ſiue anhelitus, qui naſo & ore efflatur, fragrantia, ait Theod. nam ſuaue olet vti mala, tum punica ait S. Gregor. horum enim in Canticis crebra eſt mentio; tum citria & quæuis alia: odor enim pomorum ſuauis eſt & acer, ac vinoſum quid redolet.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

PErſiſtit in ſimilitudine palmæ. q. d. Sicut palma crebris corticum ſegmentis quaſi gradibus, intuentes allicit ad aſcenſum in cacumen, vt ibi botros tum palmæ, id eſt dactylos; tum vitis illi maritatæ, id eſt, vuas decerpant: Sic tu ô Synagoga, quæ in palmæ altitudinem & decorem excreuiſti, me, puta chorum adoleſcentularum, id eſt, imperfectarum in fide & pietate animarum allicis, vt ad tuam celſitudinem conſcendam, & ad vbera botris tuis ſimilia pertingam, ex iiſque ſugam lac, imò vinum doctrinæ ſublimis, quod me ad perfectionem vitæ Chriſtianæ perducat, ac ſimul ex ore tuo hauriam ſpiritum ſuaueolentem pietatis & ſanctitatis. Ita Hortolanus, Sanchez, Delrio. Audi tres Anonymos apud Theodor. *Mecum ipſa deliberans dixi, aſcendam per virtutis imitationem ad perfectionem doctrinæ tuæ, & per contemplationem apprehendam eius ſublimitatem: Et diſciplinæ tuæ vbera, quæ me naturaliter nutriunt, erunt omnino ſicut botrus veræ vitis, qui Chriſtus eſt, præbentes mihi gratiam diuinitatis; quæ vini more à natura mentem dimouet, & ſupra naturam transfert. Vnde etiam odor naris tuæ ſicut poma; Gratia ſcilicet Spiritus ſancti, mentem implens ſuauitate, quam tu à Sponſo ſuſceptam in nos infundis. Sicut poma ſunt tum aſpectu pulchra, tum odoratu ſuauia, tum guſtatu dulcia: ſic ipſa nobis erit & virtutum moribus decora, & odorifera ſermonum venuſtate, & dulcis experientiæ iucunditate.* Anonym.

Primò ergo per palmam accipe ſtaturam, id eſt, celſitudinem palmarem Synagogæ, de hac enim ſermo præceſſit: celſitudinem, inquam, non corporis, ſed ſpiritus & virtutis.

Secundò, ſymbolicè per palmam accipe crucem Chriſti: ſtatura enim Synagogæ aſſimilata fuit palmæ tum naturali, tum ſymbolicæ, hoc eſt cruci Chriſti, quia ipſa per crucem ad magnitudinem palmæ in virtute & ſpiritu excreuit. Vnde per palmam crucem Chriſti intelligunt Caſſiod. Iuſtus, S. Gregor, Honor. Guilielmus hic & Tertul lib. 3. contra Marc. & S. Cyprian. ſerm de Paſſione, Petr. Damianus ſerm. de Inuentione Crucis. Quocirca multi cenſent crucem Chriſti confectam fuiſſe ex palma, idque hic ſignificari de quo mox. *Palma eſt crux Chriſti.*

Hinc rurſum Caſſiod. Philo, Honorius, S. Gregor. Aponius, Beda, Anſelm.

Rupert.

Digitized by Google

Rupert. & alij plures hæc accipiunt de Chriſto aſcenſuro in crucem. Hinc S. Gregor. Nazianz. tragœdia de Chriſto patiente cenſet Chriſtum crucifixum non in terra, ſed cruci iam erectæ & firmatæ in terra, per ſcalas fuiſſe affixum. Idem cenſet S. Bernard. de paſſione Domini (vel quiſquis eſt Auctor) cap. 5. & S. Bonauen. in faſciculo myrrhæ cap. 3. Contrarium tamen communiter tenent alij, ſcilicet Chriſtum in terra proſtratum fuiſſe cruci affixum. Id enim facilius & commodius erat; ita cenſet S. Anſelm. lib. de paſſione, B. Laurent. Iuſtinian. ſerm de paſſione Domini, S. Antonius in Chronicis parte 1. Luyſius lib. 2. de cruce cap. 7. & alij, in eámque inclinat Franc. Suarez priorem tamen ſententiam, quòd Chriſtus cruci erectæ ſit affixus, confirmat, quòd hoc erat maius ſupplicium, & maior ignominia ad maiorem terrorem; idque ſibi in monte Caluariæ oranti à Chriſto reuelatum eſſe aſſerit S. Brigida lib. 7. Reuelat. cap. 15. Vnde S. Ambroſ. lib. 10. in Lucam, docet Chriſtum aſcendiſſe in crucem. Et S. Cyprian. tract. de paſſione: *Aſcendiſti*, inquit, *Domine palmam, quia illud crucis tuæ lignum portendebat triumphum.* idem diſertè docet Nicephor. lib. 1. cap. 30 Toletus in cap. 19. Ioan. Annot. 14. Rutilius Benzonius, Palcottus & alij quos citat Daniël Mallonius Annot. in cap. 6. Alphonſi Palcotti de ſtigmat. 5. Sindonis; & Conſaluus Durantus Annot. in lib. 7. Reuelat. 5. Brigidæ cap. 15. Verùm hac de re pluribus agendum Matth. 27. v. 33.

Honorius. Audi Honorium: *Quod ſtatura perſeuerantia tua aſſimilata eſt palmæ victoriæ meæ, hoc ideo eſt, quia ego aſcendi in palmam, & traxi te poſt me ad victoriam. Videlicet quia exaltatus ſum in cruce, omnia traxi ad me, in quibus & te. Dixi enim, id eſt, firmiter apud patrem ante ſæcula diſpoſui, quia aſcendam in palmam, id eſt, crucem & vincam tyrannum, & tunc apprehendam fructus eius, ſcilicet omnes ſaluandos, quorum pars ſunt vltimi Iudæi; & victo tyranno fugitiuos ad me retraham.* Et poſt nonnulla: *Vbera Sunamitis ſunt prædicatores, qui lac doctrinæ præbent rudibus. Vinea eſt Eccleſia, botrus eſt Chriſtus in prælo crucis preſſus, de quo fluxit vita potus. Sic premuntur Doctores Synagogæ in Antichriſti perſecutionibus, & fluunt de eis vitæ pocula fidelibus. Odores verò Sunamitis, ſunt fama & opinio bona operationis & prædicationis, quæ ſunt ſicut odores malorum, id eſt, ſicut prædicationes Apoſtolorum.* Verùm ex præceden. liquet hæc eſſe verba Eccleſiæ, vel potiùs chori adoleſcentularum: harum enim eſt creſcere & aſcendere. Ergo chorus adoleſcentularum, id eſt, imperfectorum, Eccleſiæ laudibus applaudens & ſuccinnens, dicit Synagogæ Iudæorum ad Chriſtum conuerſæ: Video te, ô Domina, per palmam crucis Chriſti in palmæ arboris altitudinem excreuiſſe; quia enim crediſti in Chriſtum crucifixum, eique te per omnia conformaſti, hinc ſubitò tam procera euaſiſti, vt doctores illuſtres & martyres eximios protuleris. Quare ego geſtio tecum in hanc crucis Chriſti palmam conſcendere, vt inde tecum tam generoſos fortitudinis, ſapientiæ & martyrij fructus decerpam, ac ipſa quoque doctores & martyres eximios producam, qui tecum pro Chriſto contra Antichriſtum vſque ad mortem decertent, nimirum ibi *vbera tua* erunt mihi *ſicut botri vineæ*, quæ pro lacte paruulorum fundent mihi vinum forte, & ardens doctrinæ & martyrij, quod proprium eſt in fide adultorum & perfectorum, vt ſuperius dixi. *Et odor oris tui ſicut malorum*; quia ſuauia pietatis & conſtantiæ exempla & documenta ab ore tuo excipiam, quæ imiter, & aliis admiranda & imitanda proponam: odor enim propriè notat bonam ædificationem, bonique exempli & famæ fragrantiam.

*Cornel. à Lapide in Cant. Canticor.*

Huc facit verſio Chaldæi, qui de Iudæorum prophetis more ſuo ita vertit: Chald. *Dixit Dominus in verbo ſuo: Aſcendam & tentabo Danielem & videbo ſi poteſt ſtare in tentatione hac, ſicut ſtetit Abraham, qui ſimilis fuit ramo palmarum, quem probaui decem tentationibus, & probabo quoque Ananiam, Miſaël & Azariam, & ſi poſſunt ſtare in tentationibus ſuis, redimam propter merita eorum populum domus Iſraël, qui comparatus eſt botris vuarum: & nomen Daniël, Anania, Azariæ & Miſaël audietur in vniuerſa terra, & odor eorum erit fragrans ſicut odor pomorum paradiſi voluptatis.*

Porrò palma ſymbolum eſt victoriæ & imperij, quod Chriſtus & Eccleſia per crucem conſecuti ſunt. Cauſam dat Philo lib. 2. de vita Moſis; quia vis palmæ (quam nō in radice defoſſam vt cæteræ, ſed in ſummo, quaſi cor, ſitam in ramorum medio habet) à ramis ipſis circumquaque ſtipatur, ceu princeps à ſuis ſatellitibus: Et quia ſicut regnum militari munitur præſidio, nec ſine labore ſeu certamine aut acquiritur, aut conſeruatur: ſic etiam palma, cuius folia gladiorum præ ſe ferunt ſpeciem, militari velut præſidio cingitur, nec ſine

labore fructus eius, qui in ſummo eſt, comparatur.

Lxx. Hinc pro *fructus* Septuag. hic vertunt *cacumina*. Quocirca Ruper. Honorius & Guilielmus cenſent Chriſtum *aſcendere in palmam & apprehendere fructus eius*, idem eſſe, quòd *exaltari à terra & omnia ad ſe trahere*. Ioan. 12. 32. eo quòd difficilis Chriſto fuerit hic in crucem aſcenſus per clauos, lanceam & ſpinas, vt eius fructum & cacumen, id eſt, orbis imperium obtineret. Audi Rupertum: *Aſcendi*

Rupert. *in palmam manibus militum, qui diuina dignationi meæ neſcientes militant. Quantùm in ipſis fuit crucifixerunt hominem miſerè moriturum; quod ad me attinebat, aſcendi in palmam tanquam rex triumphaturus. De qua quidem Iudas diuinæ diſpenſationis ignari, deſcendere monuerunt dicentes: ſi Rex Iſraël eſt, deſcendat de cruce. Aſcenderam in palmam, & ideo nolebam deſcendere, nondum formatis fructibus (adhuc enim florebat palma, cum ei talia dicerentur) cum autem guſtato aceto dicerem, Conſummatum eſt, & inclinato capite traderem ſpiritum, iam redemptionis mundi fructus in palma erant.*

*Crux Chriſti è palma.* Hac de cauſa multi cenſent crucem Chriſti ſaltem ex parte factam ex palma. Vnde tritum carmen quod citat Gloſſ. in Clement. de ſumma Trinit.

*Ligna crucis palma, cedrus, cypreſſus, oliua.*

Imò multi contendunt lignum tranſuerſum crucis, cui clauis affixæ fuere manus Chriſti fuiſſe ex palma, ideóque dici *apprehendam* (*manibus*) *fructus eius*. Vnde verſus.

*De cedra eſt truncus, corpus tenet alta cupreſſus:*

*Palma manus retinet, titulo lætatur oliua.*

Vide Gretſerum lib. 1. de Cruce cap. 5. Lipſium lib. 3. de cruce cap. 13. Delrio Lect. 10. de Paſſione Domini.

Huc facit illud iuxta Septuag. olim lectum Pſalm. 95. verſ. 9. *Regnauit à ligno Deus*. Vnde & Chriſto ingredienti Ieruſalem, quaſi Meſſiæ Regi inaugurando in cruce, occurrit turba cum ramis palmarum acclamans: *Hoſanna filio Dauid*. q.d. Viuat noſter Meſſias Rex Dauidis filius & hæres.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima ſancta.*

ANima ſancta perfectionis auida dicit cum S. Paulo: Ego me non arbitror comprehendiſſe, ſequor autem ſi quo modo comprehendam Philipp. 3. Quare cum Dauide aſcenſiones in corde ſuo diſponit, vt eat de virtute in virtutem, ait Theodoret. ac nominatim aſcendit in palmam mortificationis & crucis Chriſti: ibi ſugit vbera non lactis, ſed vini fortis, ſcilicet inuictæ patientiæ & charitatis: ibi quoque haurit odorem oris Chriſti, id eſt, fragrantiam modeſtiæ, obedientiæ, amoris, & orationis Chriſti orantis pro ſuis crucifixoribus, vt haſce eius virtutes amet & imitetur. Vnde S. Ambroſ. lib. de Iſaac cap. 8. per palmam accipit charitatem: hæc enim eſt palma virtutum omnium, ideóque in palma crucis Chriſti maximè reſplenduit: *Ipſa charitas*, ait S. Ambroſ. *palma eſt: ipſa enim eſt plenitudo victoriæ: plenitudo legis charitas eſt*. Rom. 1. c. 13. Ambroſ. Rom. 1. 13.
Idem lib. 3. Hexam. cap. 13. *Dixi*, inquit, *aſcendam in palmam, tenebo altitudines eius. Quæ eminentiam videns Verbi, & ſperans quòd ad eius altitudinem poſſit aſcendere & ſcientiæ ſummitatem, dixit: Aſcendam in palmam, vt omnia inferiora relinquat, & ad ſuperiora contendat ad brauium Chriſti, vt ſuaues eius fructus carpat, & guſtet: ſuauis enim virtutis eſt fructus.*

Et S. Chryſoſtom. hom. 22. ad populum: *Dic tu quoque*, inquit, *ſecundùm illam ſanctam animam: Dixi Aſcendam in palmam ad tenendum ſublimitates eius; rectitudinem amantem & mundum habentem cor, & ad cæleſtia bona currentem, nec circa terrena tantùm diſtractam. Vide ne ſtimulos habeat palma tua contra peccatum redargutiones: ſermones enim ſapientium tanquam boum ſtimuli, at qui his punguntur, corde compungantur, & ab omni peccato abſtineant; ſed diligenter ipſius altitudines retine, vt ſine ruina permaneas continuè ventorum incurſus ferens.* Chryſoſt.

Cauſam dat Philo, ſcilicet crucis fructus plurimos & maximos: *Chriſtus enim* inquit, *tantoperè nos amauit, vt acerbiſſimam crucis mortem ſubire non dubitarit, eiúſque altitudines dolorum omnium & cruciatuum, ignominiæ atque dedecoris, non modò vicerit, verùm etiam amabiles reddiderit, & glorioſas planéque cæleſtes & ſalutares.* Hinc Paulus egregius ille prædicator & Doctor, in crucis ignominia & paſſione gloriatur, cum dicit: *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Hinc reliqui Apoſtoli & cæteri fideles omnes laborum præmia conſecuti ſunt, & conſequentur. In hac vna tentamenta omnia, & ærumnarum tormina ſedantur atque vincuntur: per hanc animi perturbationem & vulnera, vel lethalia feliciſſimi curantur. Hinc fit vt quod ſequitur habeamus*; ait enim: *Et erunt vbera tua vt botri vineæ, & odor naſi tui* Philo.

tanquam

*tanquam odor mali odoratiſſima. Vt enim botri vineæ calcati ac preſſi, latiſſimum liquorem vini ſuo agricolæ, atque vinitori effundunt: ſic viri Dei iuſti ac ſancti diris cruciatibus, atque preſſuris hominum botrorum inſtar afflicti ac torti, per victoriam ſalutarem cultori Deo & Ieſu Chriſto, ac Sponſæ cæleſtem lætitiam de ſe pariunt ac promunt, ſanctitatiſque odore atque virtutum, ad idem cæteros imitatores Chriſti alliciunt ac trahunt.* Subiungit Philo: *Sicut mala ſiue poma cibum de ſe præſtant ac potum, quæ duo ſimul in ſe continent; ſic & bonus odor*
Philo. *Eccleſiæ ex recta fide & ſincera charitate, myſticum potum ac cibum corporis & ſanguinis Chriſti poſſidet, ac potat, quod ex ſequentibus patet;* ait enim: *Et Guttur tuum vti vinum bonum, proueniens fratri meo in rectitudinem, quòd ſatisfacit labiis meis atque dentibus.* Sic & Theodoret. hæc refert ad Euchariſtiam, quaſi dicatur Chriſto: Tu es vera illa vitis, ex qua ſalutiferum vinum conficitur ſpiritalibus prælis expreſſum: vnde calix ille impletur inebrians, ſanè præclarus.

Tropologicè S. Gregor. per mala punica accipit martyres; per os Sponſæ prædicationem Eccleſiæ: *Quæ*, inquit,
Gregor. *dum virtutes Martyrum prædicat, dum ad eorum ſimilitudinem animos audientium inſtigat, dum in vnius prædicatione fidei multas virtutes eſſe: manifeſtat, quid aliud quàm malorum odorem in ore portat? quia & ruborem corticis in martyrio oſtendit, quod prædicat, & in virtutibus multitudinem granorum ſub eadem fide, quaſi ſub eodem cortice, demonſtrat.*

Porrò martyribus palma debetur. Nã, vt ait S. Ambróſ. ſerm. 38. qui eſt in Domin. 2. Quadrag. *Præmium quoddam*
Ambroſ. *eſt palma martyrij, quæ confitenti linguæ dulcem fructum tribuit, & victrici dexteræ glorioſum præſtat ornatum. Eſt planè palma martyribus ſuauis ad cibum, vmbroſa ad requiem, honorabilis ad triumphum, ſemper virens, ſemper parata victoriæ; atque ideo non mareſcit palma, quia martyrum victoria non mareſcit.*

Anagogicè. Honor. Anagogicè Honorius: *Triumphans Eccleſia,* inquit, *in palmam aſcendit, quia per victoriam crucis ad lignum vitæ peruenit, de quo ſcriptum eſt: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei. Fructus eius iam apprehendit, de quo qui comederit, non morietur in æternum. Vbera eius ſunt ſicut botrus vineæ, quia gaudia, quibus pro preſſuris mundi inebriatur, ſunt ſicut gaudia Chriſti in cruce preſſi. Ipſe enim eſt botrus vineæ, potus Eccleſiæ, fons vitæ; ab ipſo inebriabitur quando ei dicetur: Intra in gaudium Domini tui: Tunc erunt odores eius ſicut malorum, id eſt, deliciæ eius erunt ſicut Angelorum; & guttur eius ſicut vinum optimum; id eſt laus eius erit ſicut laus epulantium.*

## TERTIVS SENSVS

### *De Chriſto & B. Virgine.*

RVpertus cum aliis cenſens hæc eſſe verba Sponſi, ait Chriſtum iturum ad paſſionem id matri ſignificaſſe: ſic enim Chriſtum loquentem inducit: *Si enim ipſis amicis dixi: Ecce aſcendimus Hieroſolymam & filius hominis tradetur ad crucifi-* Rupert.
*gendum, & alia multa ad hunc ſenſum pertinentia, imò ſi & inimicis dixi: Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum; quantò magis chariſſimæ dixi aut dicere debui: Aſcendam in palmam & apprehendam fructum eius; & erunt vbera tua ſicut botri vineæ, & odores tui ſicut malorum: guttur tuum ſicut vinum optimum? Hoc erat dicere: exaltabor in crucem victoriosam, & morienda morte fructuoſa operabor velociter ſalutem omnium credentium: & deinde doctrina tua, doctrina legalis atque euangelica tempore opportuno palam prædicabitur, ſicut in autumno dulces botri comeduntur; & bonus vbique diffunditur odor bonorum operum tuorum, & dulciſſimum atque delectabile mihi erit eloquium tuum.* Addit Honorius: *Vinea, de qua allatus eſt botrus, fuit floridum corpus Mariæ, qui botrus in torculari crucis expreſſus, & inde fluxit fidelium potus.*

Rurſum poſtquam Chriſtus aſcendit in palmam crucis, mox apprehendit fructus eius; nam tertio die à morte glorioſus reſurrexit, & die 40. triumphans in cælum aſcendit, ac die 50. miſit in B. Virginem & in Apoſtolos Spiritum ſanctum; túncque vbera B. Virginis facta ſunt ſicut botri vineæ, quia tunc cœpit Conceptionis, Natiuitatis, paſſionis, cæteráque vitæ Chriſti myſteria præſertim ſecreta, & ſibi ſoli cognita, vtpote in ſe vel per ſe peracta, fidelibus ac præſertim S. Lucæ, qui ea in Euang. conſcripſit, reuelare: tunc pariter palam cœpit peccatoribus & tribulatis ad ſe confugientibus vinum pœnitentiæ, conſolationis, gratiæ & ſanctæ exultationis propinare: *Et odor oris tui ſicut malorum*, quia in verbis eius erat non tantùm ſancta delectatio, ſed & vitalis refectio, quæ nimirum ab ore eius, ſuaui ſalubritate & ſalubri ſuauitate pleno, Eccleſia primitiua excipiens, verbis ſimul & literis tranſmiſit ad poſteros: odor hic ergo eius ſparſus eſt per omnes fines terræ, & per omnia temporum ſæcula. Ita Guilielmus.

Verſ. 9. *Guttur tuum ſicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiiſque & dentibus illius ad ruminandum.*

*GVTTVR tuum ſicut vinum optimum* (Tigut. *madens vino præſtantiſſimo*) *dignum dilecto meo ad potandum, dentibúſque & labiis eius ad ruminandum.* Hebr. Hebt. *Palatum tuum*(O Sponſa Synagoga; pronomen enim affixum in חִכֵּךְ *chickech*, ſignificans *tuum*, eſt femininum) *ſicut vinum bonum*(pet eminentiam, id eſt, optimum) *quod vadit ad dilectum meum ad rectitudines*(id eſt recta blandéque ingreditur os eius, vt vertit Noſtet Prouerb. cap. 23. verſ. 31. Pagnin vertit *propter bo-*
Symmach. *nitatem vini.* Symmach. *Conueniens dilecto*
Arabic. *meo in rectitudinem.* Arabicus: *quo dilectus meus vadit ad rectitudinem.* Tigur. *quòd meis amoribus reddat idoneum ad ea quæ rectiſſima ſunt*) *loquens* vel ſonans *labiis dormientium*,
Pagnin. vel vt Pagnin. *loqui* aut *muſſitare faciens labia dormientium.* Agathius: *Eructare faciens labia ſenum.* Vinum enim præſtans poſt potum ad os & labia tedit, illáque ruminare, muſſitare & loqui facit, iuxta illud:

*Fœcundi calices quem non fecere diſertum?*

Sic Siculi, ait Nigidius Siculus, hic vinum optimum vocāt vinum mortuorū, quòd ſcilicet mortuos quaſi ſuſcitet & loqui faciat. Hinc Noſter vettit *ad ruminandum*, iuxta illud Vinolentorum: *Vinum bonum non bibendum, ſed mandendum.*
Lxx. Septuag. *ſufficiens labiis*: Vatabl. *Et palatum*
Vatabl. *tuum eſt velut vinum, quod dilecto meo defluit ſuauiſſimè loquentis ſermone dormientium*, id eſt, ſermone ballutientium ac imperfecto, q.d. ſermo tuus tam ſuauis eſt ô Sponſa, quàm ſuaue eſſe ſolet optimum vinum amico meo, quo epoto, non ſatis expedite loqui ſolet. Hæc Vatabl.

Lxx. Noſter, Septuag. & Aquila addunt *& dentibus*, quia pro יְשֵׁנִים *ieſcenim* vel *ieſcanim*, id eſt, *dormientium* vel *ſenum*, legerunt וְשִׁנַּיִם *veſcinnaim*, id eſt, *& dentium.*
Syrus. Hos ſecutus Syrus vertit: *Os tuum ſicut vinum bonum, vt vadam ad patruelem meam in rectitudinem, qui mouet labia mea & dentes meos.* Nam pro שִׂפְתֵי *ſiphte*, id eſt, *labia*, Septuag. & Syrus aliis punctis legerunt: שְׂפָתַי *ſephatai*, id eſt, *labia mea.*

*Dignum dilecto.* Alcazar cenſens hæc omnia eſſe verba Sponſi; per dilectum accipit non Sponſum (hic enim dixiſſet *dignum me*) ſed qnemuis amicum. Verum Hebr. דודי *dodi*, id eſt, *dilectus meus*, in Canticis vbique ſignificat Sponſum.

Quocirca Almonacirius planius cum Rupert. teſpondet, τὸ *guttur tuum ſicut vinum optimum*, dici à Sponſo, cui deinde Sponſa approbando, & laudem in Sponſum reflectendo, reſpondeat: *dignum dilecto meo.* Verùm planiùs & aptius eſt, vt omnia à verſ. 6. vſque ad verſ. 10. dicamus eſſe verba chori adoleſcentularum qui Sponſum vocat dilectum *ſuum*, id eſt, *heræ ſuæ* Synagogæ, vel *ſuum*, quia ad eius nuptias aſpirant, ad eáſque cettò peruenturæ ſunt, cùm, vti decernunt, aſcenderint in palmam crucis & perfectionis.

Senſus eſt, q. d. Sponſa non tantum ſuauem odotem malorum, ſed & ſapotem vini optimi ote & guttute exhalat: optimi inquam, quod Sponſo dignum ſit ad potandum, imò ad mandendum & ruminandum.

Portò Chald. hæc ad ptophetas tefetens, more ſuo ſic vettit: *Dixit Daniel & ſocij eius: ſuſcipiendo ſuſcipiemus ſuper nos decretum verbi Domini, ſicut ſuſcepit ſuper ſe Abraham pater noſter, qui comparatus eſt vino veteri, & ambulabimus in viis, quæ rectæ ſunt coram eo, ſicut ambulauerunt Elias & Eliſæus Prophetæ, per quorum merita ſurrexerunt mortui, qui ſimiles ſunt vino dormienti; & ſicut Ezechiel filius Buzi Sacerdos: quia in prophetia oris ſui ſuſcitati ſunt dormientes mortui, qui erant in campo Dura.* Chald.

## PRIMVS SENSVS

*De Christo & Eccleſia.*

SYnagoga ad Chriſtum conuerſa gutture vinum optimum exhalabit, cum per Eliam vino Chtiſtianæ doctrinæ & charitatis accenſa, & quaſi ebria illud eructabit; cum ſcilicet ſermonibus ſuis, & concionibus ardentibus proximos quoſque amore Chriſti inflammabit, quod vinum Chtiſto erit dignum, gratum & iucundum ad tuminandum & crebriùs commemorandum. Vnde Coſmas Damianus chotum filiarum, ſiue adoleſcentularum Synagogæ, heræ ſuæ, ita loquentem inducit: liceat, oramus, te aliquando oſculati, & abditiſſima diuinitatis arcana ex tuo gutture ebibere, quod generoſum & optimum vinum ſpiritualis hominis cot exhilarat, ſine vitio inebtiat, & virgines Chriſtianas animas ſucculentas reddit ac maximè ſobrias,

brias, vt iam tibi nemo vitio vertat (vt olim illi) quod dum oſculum das, vinum propines. Id verò vinum in te priùs à Sponſo tuo, iam mihi chariſſimo infuſum, ex tuo gutture quaſi ex euripo quodam, quum in alios docendo refundis, ad Chriſtum, amores meos (vnde prius manauit) tanquam ad ſuam primam recurrit originem: quod ille ſumma cum voluptate repetitum bibit, pétque os ſuum vertat. Quin & hoc ipſum illud vinum eſt, quod ſenes alioqui infantes idiotas diſertos reddit & eloquentes, cæleſti nimirum calore aſcenſos & recreatos. Audi S. Gregor. *In gutture quippe vox eſt. Per guttur ergo ipſa prædicatio iterum deſignatur, quæ quaſi vinum optimum eſſe dicitur, quia mentes hominum inebriat, vt præteritorum, ſicut dictum eſt, obliuiſcantur, & in anteriora currentes non laſſentur,*

Gregor.

Et poſt pauca: *Tale eſt Sponſæ vinum, vt dignum ſit dilecto ad potandum, quia dum ſancta Eccleſia fidem veram prædicat, dum auditores ſuos ad ſancta opera excitat, dum ſolùm Chriſtum diligere, imitari, amplecti bonum eſſe, verbis & operibus demonſtrat, quid aliud quam vinum ſuum dignum facit, vt in ore Sponſi dulce ſapiat? Quod benè Chriſtus potare dicitur, quia à corpore ſuo, id eſt, à populis fidelibus amabiliter potatur.* Verba deinde preſſius vrgens, ſubiungit: *De quo notandum eſt, quòd omnes potant, ſed labia ſola & ſoli dentes ruminant, quia dum Eccleſia per ſanctos ſuos prædicat, omnes quidem audiunt, ſed non omnes quãta ſit virtus ſententiarum, quæ dicuntur, dicernunt. Labia verò & dentes ruminant, quia dum perfectiores quique poſt auditum verba ad memoriam reuocant, dum audita quæque exercitatione aſſidua cogitant quaſi ad os reuocantes, quod ſumpſerunt, quanta ſit virtus cibi, quem comederunt, ſentiunt. Idcirco in lege ſcribitur, quia animal quod non ruminat immundum habetur; quia quiſquis bona quæ audit ſiue legit, non recogitat vacans à ſanctis cogitationibus, neceſſariò immundas congregat.*

Accedit Theodor. & Iuſtus Orgel. qui per guttur accipiunt doctrinam Euangelij; per labia & dentes verò prædicatores. Aponius autem guttur Eccleſiæ ait eſſe S. Petrum. Addit Caſſiod. Beda, Rupert. aliique, & quoſlibet prædicatores. Porrò Caſſiod. guttur vini optimi ita diſtinguit ab odore oris inſtar malorum, vt per guttur accipiat prædicationem, quæ voce fit, per odorem verò oris eam, quæ ſcripto vel fama fit: efficacior autem & ardentior eſt viua vox quàm odor oris: vnde illa vino præſtanti comparatur, hæc malis & pomis.

Symbolicè Philo Carpathius per guttur Metonymicè accipit Chriſti corpus & ſanguinem gutturi fidelium exhibitum in Euchariſtia iuxta illud: *Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* Pſal. 33. *Has igitur*, inquit, *ſpirituales eſcas & ſalutares, corporis ſcilicet & ſanguinis Ieſu Chriſti guſtans Eccleſia & quæque fidelis anima, guttur habet vt vinum bonum. Hoc enim vinum ſanctè potum, dolores omnes animi ſedat atque componit, ebrietatem omnem rerum caducarum tollit, cor exhilarat atque confirmat, omnéſque morbos facillimè ſanat ac curat eſtque æternæ vitæ ſalutaris vnda, fons & origo in remiſſionem peccatorum benigniſſimè effuſus ac datus, ab omni ſcelerum ſorde & grauitate lauans dicente Domino: Accipite & bibite, hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum. Eſtque admirabile, quod proueniens fratri meo in rectitudinem, dixit vt oſtenderet ſolis rectis corde hanc lætiſſimam eſcam cæleſtem, panem ſuperſubſtantialem, & ſalutarem potum eſſe datum: quod ille idem cæleſtium arcanorum hauſtor explicat, cum dicit: Lux orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia. Et Paulus ſanctiſſimus Apoſtolus, non temerè ad hoc diuiniſſimum conuiuium accidendum eſſe admonet, dicens: Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*, &c. *O rem miram! ô rem tremendam! hæc quæſo mecum diligenter Sacerdotes attendite; hæc fratres animaduertite; hæc timete ſemper & cauete periculum.* Hæc & plura Philo.

Symbolicè.

Pſalm. 33.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

CAto, teſte Plutar. oſculari ſolebat vxorem, filias, nepetes, vt ex ore eorum & halitu vinoſo olfaceret, an vinum bibiſſent, ac meribibulas caſtigaret, vti S. Monica iunior exiſtens ab ancillis meribubula cognominata & caſtigata, vini appetitum correxit & abſcidit, teſte S. Auguſt. lib. 9. confeſſ. At pij pendent ab ore ſanctorum, qui ſpirituali muſto diuini amoris ebrij eructant magnalia Dei, vt ſimilem ſpiritum doxologiæ Dei hauriant: vti contigit Iudæis audientibus Apoſtolos, Chriſtum reſonantes poſt acceptum Spiritum ſanctum. Act. 2. Hoc enim muſtum Chriſto eſt gratiſſimum ad hauriendum & ruminandum.

Vnde Beda & Honorius: Guttur animæ, inquiunt, eſt vox laudis & confeſſionis eius, quod eſt ſicut vinum optimum, quia non inflat inebriando, ſed

lætificat cor recreando. Et Guilielmus: *In gutture*, inquit, *vocis officium eſt. Habet autem & homo interior guttur ſuum ſpirituale, quo plerumque intus in laudem Dei clamoſus eſt homo, nullo corporali ſono foris per-*
Pſal 149. 6. *ſtrepente. Vnde Propheta de ſanctis Deum laudantibus; Exultationes, inquit, Dei vt gutture eorum. Porro vinum & in ſapore iucundum, &*
Pſal 146 1. *in colore decorum eſt. Cum ergo formam illam implemus, quam nobis propheta præſcribit, Deo inquiens, noſtro ſit iucunda decoráque laudatio, tunc guttur noſtrum eſt ſicut vinum. Sanè iucunditas laudationis in hilaritate conſiſtit deuotionis. Qui ergo laudat Deum, hilariter & deuotè, procul dubio laudat eum iucundè*, &c. *qui verò cum munditia conuerſationis hilaritatem Deo exhibet ſanctæ pieq́; deuotionis, in gutture ſuo habet iucundam decorámque laudationem, qualis Deum decet.*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B.Virgine.*

GVttur B. Virginis eſt ſicut vinum optimum, quia non niſi laudes Dei eructat, vt cum cecinnit: *Magnificat anima mea Dominum; & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*, &c. Vnde Guilielmus eam ſic loquentem inducit: *Verè in laudibus dilecti guttur meum ſicut vinum optimum: nam quantùm diligo tantùm & laudo, & pro menſura dilectionis eſt modus laudationis*; idq; tam in aduerſis quàm in proſperis, ac præſertim cum cruci Chriſti aſtitit. Tūc enim reſignata in manus Dei, immenſum eius in homines amorem, ac Chriſti obedientiam admirata laudauit. Secundò, Honorius: guttur, inquit, eſt doctrina Virginis, qua docuit verbo & exemplo Deum humiles exaltare & ſuberbos humiliare, iuxta illud quod ipſa ait: *Diſperſit ſuperbos, & exaltauit humiles.* Lucæ 1. doctrina hæc ſanè eſt optima & præſtantiſſima. Tertiò, Hailgrinus per guttur accipit preces B. Virginis, quæ ſunt ſimiles vino optimo, quia ipſa nil petit niſi pium, ſanctum & Deo dignū. Vnde eius preces filius non tantùm potat, id eſt, auidè haurit, ſed & ruminat, id eſt, iis immoratur, iiſque ſe oblectat. Audi Chriſtum Dominum os & guttur. B. Virginis myſticè deſcribentem S. Brigidæ lib. 9. Reuelat. in fine Interrog. 9. *Os tuum fuit quaſi lampas intus ardens & lucens ab extra, quia verba & affectiones animæ tuæ fuerunt ardentes interius diuina intelligentia, & exterius ſplendentes ex diſpoſitione laudabili tuorum motuum corporalium, & concordantia pulcherrima tuarum virtutum. Verè mater chariſſima verbum oris tui traxit quodammodo Deitatem meam in te, & feruor diuinæ dulcedinis tuæ nunquam ſeparabit me à te, quia verba tua dulcia ſunt ſuper mel & fauum.*

---

## VOX SPONSÆ NOVÆ,

### Puta Synagogæ ad Chriſtum conuerſæ.

Verſ. 10. *Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius.*

PAGNINVS: *Deſiderium eius.* Pagnin.
Vatabl. *Ego dilecti mei ſum, & ad me deſiderium eius*, q. d. Ego Sponſum diligo, & ille viciſſim vnicè me diligit; ego tota illius ſum, ille viciſſim totus meus eſt: Ego me totam deuoui illius obſequio, ille viciſſim ſe ſuóſque oculos, ſuam curam, amorem & officia in me conuertit, ac aſpicit, quid ego velim vel optem, illúdque illico perficit, vt meis votis & deſideriis obſecundet: quare ſe totum meæ poteſtati & voluntati permiſiſſe videtur. Hoc enim ſignificat Hebr. תשוקתך Hebr.
*teſeukatech*, Geneſ.cap. 3. 16. quod noſter vertit: *Poteſtatem*, dicens: *ſub viri poteſtate eris*, pro quo Aben Ezra vertit: *Et ad virum tuum obedientia tua*, Aben Ezra.

Porrò Chald. vertit: *Dixit Ieruſalem: In omni tempore, quo ego ambulabo in via dominatoris ſæculi, habitare facit maieſtatem ſuam in medio mei, & ad me eſt deſiderium eius, & in tempore, quo ego declino à viis eius, aufert maieſtatem ſuam à me, & transfert me inter populos, & ipſi dominantur in me, ſicut vir qui dominatur vxori ſuæ.* Chald.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

ESt vox Synagogæ conuerſæ ad Chriſtum, quæ Chriſti Sponſi amori æquè ac adoleſcentularum laudibus reſpondet, ac amorem amori rependit, atque ſe totam Sponſi eſſe pronunciat, q.d. Ego tota ſum dilecti, ſicut ille viciſſim totus meus eſt. Ego meos oculos, mentem actúſque omnes ad ipſum conuerto, omnes cogitationes & intentiones ad ipſum dirigo, ipſi vni placere & ſatisfacere contendo, illum vnum ſpecto, vt illi per omnia ſeruiam; ſicut illi

viciſſim

Digitized by Google

viciſſim me vnam ſpectat, vt meis commodis votíſque obſequatur: ex illius ore nutúque pendeo, ſicut ille viciſſim meos nutus, os & vota obſeruat. Rurſum efficaciùs *τὸ &* poteſt accipi cauſaliter pro *quia*, q.d. Ego totam me ad dilectum cõuerto, *&* id eſt, *quia* ipſe quoque totus ad me conuerſus eſt: quare omnes amoris remoras & impedimenta abieci. Simile dat Ariſtor. Ethic. 1. Sponſa, ait, ad Sponſum reſpicit, ipſúmque deſiderat; ſicut terra arida cælum reſpicit, eiúſque imbrem ſitit; ac viciſſim cælum ad terram reſpicit, ipſique ſuam pluuiam & influxum communicare appetit, vt ipſam grauidam, germinúmque & fructuum feracem efficiat.

Theodor. Audi Theod. *Ego fraterno meo meipſam conſecraui, & alienam tum Gentilium, tum Iudaorum, tum hæreticorum conſuetudinem contempſi: nam ipſe quoque me cæteris antetulit, & ad me ſeſe conuertit. Cum enim prius vbi reclinaret caput non haberet, iam reperit, vbi illud reclinet: cúmque multas habeat concubinas & reginas & adoleſcentulas, me omnibus anteponit. Neque verò patiar, vt ego ſola ſacra illius fruar conſuetudine, ideo dico: Veni*, &c.

Symbolicè. Symbolicè Caſſiodor. per conuerſionem accipit incarnationem. In illa enim Verbum ad humanam naturam ſe conuertit, ad eámque è ſummo cælorũ excurrit. Hebr. enim תשוקה *teſcuka* ſignificat excurſum. Verùm à litera hoc alienũ & remotum eſt. Initio enim Cãtici egit de incarnatione; hic verò ſub finẽ Cantici agit de fine & conſummatione Eccleſiæ.

## SECVNDVS SENSVS

### *De Chriſto & Anima Sancta.*

ANima, quæ ſe totam Chriſto deuouet, qualis eſt Religioſorum vere dicit: *Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius.*

Gregor. q.d. ait S. Gregor. *Quoniam fide ac dilectione ſoli Chriſto adhæreo, ſolum ſequor, ſolum cum Patre & Spiritu ſancto vnum Deum videre concupiſco, reſpectionis eius ſuauitatem, viſitationis benignitatem, conuerſationis dulcedinem gaudenter experior, experiens proclamo.*

Huius rei ſymbolum eſt herba ſiue flos, qui dicitur Heliotropium, id eſt, ad ſolem conuerſio. Sicut enim hic cum ſole (etiam nubil odie) ſe circumagit omnibúſque horis cum eo vertitur, ſic anima Chriſtum amans in eum iugiter reſpicit, vt ſemper cum eo verſetur, ac ſe per myſteria vitæ & paſſionis eius, quæ toto anno viciſſim repræſentat Eccleſia, circumagens, perpetim in eodem omnem ſuam cogitationem, voluntatem & amorem defigit. Porrò ſicut ſol radiis ſuis florem hunc circumagit & ad ſe cõuertit, ſic Chriſtus huius animæ ad ſe conuerſionis primus eſt auctor: ſua enim gratia animam ad ſe allicit, demulcet, ineſcat, vt iugiter ab eius quaſi matris vberibus pendere ſe gaudeat.

Notat S. Ambroſ. lib. de Iſaac anima, c. 8. hanc gnomen in Cantico ter iterari, ſecundùm tres gradus & ſtatus animæ. Anima enim ſancta primò eſt incipiens, ſecundò proficiens, tertio perfecta. Incipienti dicitur, cap. 2. 16. *Dilectus meus mihi & ego illi, qui paſcitur inter lilia donec aſpiret dies, & inclinentur vmbra.* Ambroſ. Proficienti dicitur cap. 6. 2. *Ego dilecto meo & dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia.* Tertiò perfectæ dicitur hic: *Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius. In primò*, ait S. Ambr. *Quaſi in inſtitutione adhuc vmbras videt anima, necdum verbi appropinquantis reuelatione commotas, & ideo adhuc ei dies euangelij refulgebat. In ſecundo ſine vmbrarum confuſione odores pios carpit. In tertio iam perfecta requiem in ſe verbo miniſtrat, vt conuertatur ſuper eam, & caput ſuum reclinet atque requieſcat, meritóque iam tenens quem antea quæſitum inuenire non poterat, inuitat ad agrum ſuũ dicens: Veni frater meus exeamus in agrũ, requieſcamus in caſtellis.*

Addit Iuſtus: *Ad me conuerſio eius*, vt Iuſt. Orgel. ſcilicet meas preces exaudiat, vtque mea bona opera merita remuneretur, prǽmétque in cælo, ait Philo.

Sic in vita S. Brigidæ legimus Chri- S. Brigida deſponſa Chriſto. ſtum illi apparentem dixiſſe: *Eſto Sponſa mea.* Cui illico ipſa acquieſcens à ſæculo auerſa, totáque ad Chriſtum conuerſa habitum mutauit & vitam: atque ab eo tempore per annos 28. colloquiis cæleſtibus fruita eſt, multáſq; profundorum Dei arcanorũ reuelationes habuit, quæ etiamnum extant, & à pluribus inſignibus Theologis magna cum ſapientiæ & pietatis laude approbatæ ſunt.

Sic & de B. Tereſia ſcribit noſter Frã- Et B Thereſia. ciſc. Ribera nobilis S. Scripturæ interpres lib. 4. vitæ eius cap. 10. ſæpius ei diuinam maieſtatem magno amoris indicio dixiſſe: *Iam tu es mea, & ego ſum tuus.* Et alia vice: *Ex nunc eris mihi Sponſa, deinceps meum honorẽ reſpicies, nõ tantùm vt tui creatoris, & tui Regis & tui Dei, ſed vt tui veri Spõſi. Deinceps honor meus erit tuus, & honor tuus erit meus.* Et rurſum: *Quia mihi es deſponſa, hinc quicquid habeo tuum eſt, idcóque tibi dono omnes dolores & labores, quos pertuli, ac per illos quaſi per rem propriã poſtula à Patre quod voles.*

Anagogicè

Anagogicè. Anagogicè Philo conuerſionẽ Chriſti interpretatur eius reditum ad iudicium: *Ego*, inquit, *ſeruiam filio Dei, & ipſe affatim me remunerabitur, cum in ſecundo illo aduentu cælitus deſcenderit iudex ſeſſurus omnium at-*
Philo. *que diſcuſſor, congregans mortales omnes à quatuor angulis terræ per lumen & officium Angelorum. Sed illi primùm conuertamur oportet, &*
Ierem. 4. 1. *ille ad nos ſicut ſcriptum eſt: Conuertere, conuer-*
Ier. 12. 15. *tere ad me filia*, &c. & alibi: *Conuertimini ad me, & ego ad vos conuertar. Sed ipſe primus nos attrahat neceſſe eſt, ipſe ſe primum offerat nobis oportet: tunc enim conuertemur ad illum & ſanabimur, iuxta illud: ſana me Domine & ſanabor, ſalua me & ſaluus ero*, &c.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

PRimò, Honorius appoſitè ad genuinum literæ ſenſum hæc verba tribuit B. Virgini oranti filium pro Iudæorum conuerſione: *Ego*, inquit, *dilecto meo* pro vobis preces effudi, *& ad me conuerſio eius*, hoc eſt, piè me voluit vos ad miſericordiam conuerti. Secundò, Guilielmus hæc adaptat B. Virgini aſtanti Chriſto crucifixo: *Planè*, inquit, *ego dilecto meo per maternum commoriebar affectum, ita vt eius in me martyrium redundaret, & quaſi commartyrem faceret. Ego tunc dilecto meo ad declarandam mei in ipſum amoris quantitatem, & eius ad me tunc conuerſio facta eſt ad declarandã filialem eius charitatem. Quantum enim me diligeret in ipſo paſsionis articulo præclarè*
Ioan. 19. 26. *oſtendit cum videns me piam matrem & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, ad me de cruce conuerſus dixit mihi; mulier ecce filius tuus, diſcipulo autem: ecce mater tua. Planè illius ad me in tanta non falſorum acerbitate dolorum tam filialis conuerſio, quàm filialem in me animum gereret inſigniter declarabat.* Vide dicta cap. 2. verſ. 16. & cap. 6. verſ. 2.

---

Verſ. 11. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.*

HEbr. & Syrus: *Pernoctemus in villis.* Arabicus: *Egredieris & com-*
Arabic. *moraberis in villis.*

Sulamitis, ſiue Synagoga nouella Chriſti Sponſa ſponſum à ſe iam inuentum, & ex agro tendentem in vrbem renocat ad agrum, puta ad rus aliquod proprium, vt ibi ſecretiùs, familiariùs & pleniùs cum eo colloquatur & conuerſetur.

Porrò Chald. vertit: *Quando peccauerunt populus domus Iſraël, transmigrare eos fe-*
*cit Dominus in terram Seir Regionis Idumeæ.* Chald.
*Dixit cœtus Iſraël: Obſecro te dominator totius ſæculi, ſuſcipe orationem meam, quæ ego oro coram te in vrbibus transmigrationis meæ & prouinciis populorum.*

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

SYnagoga in fine mundi conuertenda ad Chriſtum rogabit eum, vt ſecũ in agros & villas prodeat, tum vt ab vrbano ſtrepitu & turba ſemota liberius orationi & colloquio ipſius vacet; tum vt agreſtes & ruſticanos homines alióſque extra Ieruſalem in pagis & villis degentes, ad fidem Chriſti per eius opem & gratiam conuertat. Ita Honorius, Delrio, Hortolanus & alij. Sic Chriſtus, dum viueret, obibat vicos & caſtilla euangelizans regnum Dei: ruſticani enim vtpote ſimplices, rudes & innocentes vitæ aptiores ſunt Euangelio. Vnde Chriſtus ait: *Pauperes euangelizantur.* Mat-
thæi 11. Et Iſaias, cap. 43. 20. *Glorificabit* Matth. 11.
*me beſtia agri, dracones & ſtruthiones, quia de-* Iſai 43. 20.
*di in deſerta aquas, flumina in inuio, vt darem potum populo meo, electo meo. Populum iſtum formaui mihi, laudem meam narrabit.*

Docet ergo hic Spiritus Sanctus ruſticos, viles & plebeios non eſſe negligendos, ſed catechiſtas & concionatores debere iam iis, quàm ciuibus & nobilibus prædicare verbum Dei, imò iis, vtpote rudioribus erudiendis diutius oportere immorari, donec doctrinam & præcepta vitæ Chriſtianæ capiant & imbibant, hoc ſignificat. τὸ *commoremur.*
Ita Theod. & tres Anonymi ac S. Ambr.
de Iſaac cap. 8. quem audi: *Supra ad hor-* Ambroſ.
*tum inuitabat, hic ad agrum habentem non ſolùm florum gratiam, ſed etiam triticum & hordeum, hoc eſt ſolidarum frumenta virtutum, vt fructus eius aſpiciat. Qua ratione autem exire eum in agrum vellet, intellectus manifeſtus eſt, vt quaſi bonus paſtor paſcat gregem ſuum, laſſos alleuet, reuocet errantes. Ergo quaſi perfecta anima non pro ſe, ſed pro aliis interuenit, vt de ſinu patris exeat, vt procedat foras tanquam Sponſus de thalamo ſuo egrediens currat viam, vt infirmos lucretur.* In libro autem 3. de Virginit. *Audite*, ait, *quid dicat ſacroſancta Eccleſia: Veni frater meus, exeamus in agrum, requieſcamus in caſtellis.*

Audi & Hugonem Victor. inſtit. mo-
naſt. de clauſtro animæ, cap. 7. *Egreditur*, Hug. Vict.
inquit, *animus à contemplatione ad ſui circumſpectionem*

*ſpectionem; egreditur à cura ſui ad agendam curam proximi, vt conſoletur puſillanimes, corripiat inquietos, vt fiat ager virtutum, qui prius fuerat veprium & ſpinarum. Commoremur in villis, id eſt, in illis, qui ſunt villani, id eſt, rudes & tardi ad percipienda documenta curta Chriſti.* Eadem habet Rupert.

Symbolicè S. Gregor. per egreſſum Chriſti in villas, accipit egreſſum Chriſti è cælo in terras per incarnationem: *Ager,* inquit, *teſte veritate* Matth. 13.
Matth. 13. *eſt hic mundus; in agrum verò Sponſus cum Sponſa egreditur, quando Verbum Dei carne ſuſcepta in thalamo Virginis mundo monſtratur. In villis commoratur, quando gentes per fidem viſitat, quam recipientibus largitur.*

Hac de cauſa Chriſtus non in vrbe, ſed rure, puta ſuburbano Bethlehemitico quaſi puer ruſticanus naſci voluit: cuius imitatione ibidem vitam agere & & peragere voluit S. Hieron. S. Paula S. Euſtochius magnáque pars nobilitatis Romanæ, Vnde S. Hieron. *Mihi,* inquit, *oppidum carcer eſt, ſolitudo paradiſus.*

## SECVNDVS SENSVS

### *De Chriſto & Anima Sancta.*

ANima ſancta amat agros, id eſt, ſolitudinem, vt in ea liberiùs orationi & contemplationi vacet, vt ex ea ardorem & zelum prædicandi etiam ruſticis, rudibus & pauperibus, quem Chriſtus oſtendit, concipiat. Ita Honorius, Delrio & alij. Vnde noſter Alcazar per agros & villas accipit exteras regiones, vt Iaponiam, Sinas, Cinaloam, in quas proficiſci ambiunt Religioſi Apoſtolici, vt gentes derelictas & barbaros ad Chriſtum conuertant, eo quòd hoc Chriſto gratiſſimum eſſe ſciant. Audi Caſſiod. *Iam,* inquit, *myſterio Aſcenſionis,*
Caſſiod. *aſſumptum hominem ad cælos ſubleuaſti; ſed veni diuinæ maieſtatis præſentia me ſæpius viſitando, egrediamur in agrum mundi huius: Prædicemus tuæ incarnationis fidem mundo: in villis ac pagis commoremur, ipſis quoque paganis fidem tuam annunciantes.*

Addit Caſſiodor. *Nemo neſcit paganos à villa dictos, quia πάγος Græcè, villa dicitur Latinè, Inde Pagani dicti, quia longè ſunt à ciuitate Dei:* Licèt alij aliud *pagani* dent etymon. Hinc & Symbolicè Philo: Sponſus Chriſtus, ait, pernoctauit in villis, cùm in agreſtibus Iudæorum mentibus duris & obſtinatis animis, peruicaciſſimíſque & ſæuis cordibus ad noctem vſque mortis peregrinus, inuiſus, & peroſus fuit. Meliùs hæc accipias de Iudæis ad Chriſtum iam conuerſis, & in fine mundi conuertendis.

Anagogicè S. Ambroſ. orat. de obitu Anagogicè.
Valent. hæc accipit de egreſſu animæ è corpore, & migratione in cælum: *Veniſti,* inquit, *eò vbi diuerſarum virtutum fructus pro* Ambroſ.
*ſingulorum meritis deferuntur, vbi abundant meritorum præmia. Exeamus ergo in agrum, in quo non vacuus labor, ſed fœcundus eſt prouentus gratiarum. Quod in terris ſeminaſti, hic mete: quod ibi ſparſiſti, hic collige. Aut certè veni in illum agrum, qui eſt odor Iacob; hoc eſt veni in gremium Iacob, vt ſicut Lazarus pauper in Abrahæ ſinu; ita etiam tu in Iacob Patriarchæ tranquillitate quieſcas. Sinus enim Patriarcharum receſſus quidam eſt quietis æternæ. Requieſcamus in caſtellis, vbi requies eſt tutior, quæ ſepto cæleſtis refugij munita atque vallata, non exagitatur ſæcularium incurſibus beſtiarum.* Sic & Honorius.

## TERTIVS SENSVS

### *De Chriſto & B. Virgine.*

IAm dicta apprimè competunt B. Virgini, quæ zelo animarum flagrantiſſima, omnium etiam agreſtium & vilium hominum ſalutem impensè deſiderat, & procurat; ideóque excitat viros Apoſtolicos, qui eis prædicent viámque ſalutis oſtendant. Guilielmus tamen hæc accipit de B. Virgine ſuadente Apoſtolis, vt occiſo à Iudæis Stephano, ab iis tanquam à perfidis & Euangelio reſiſtentibus egrediantur in villas gentium, illíſque Chriſtum annuncient. Idem habet Rupertus.

---

## VOX SPONSÆ

### Veteris & nouæ, hoc eſt Eccleſiæ & Synagogæ.

Verſ. 12. *Manè ſurgamus ad vineas, videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerunt mala punica: ibi dabo tibi vbera mea.*

M*ANE ſurgamus,* (vt eamus) *ad vineas, videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerunt* (Aquila *ſe aperuerunt*: flores enim mali punici ſe pandunt) *mala* Aquila.
*punica: ibi dabo tibi vbera mea.* Vatabl. *Ibi* Vatabl.
*meum amorem erga te profundam.*

Pro *ſi flores fructus parturiunt.* Septuag. LXX.
vertunt:

Digitized by Google

Philo. vertunt: *Si floruit propago.* Philo: *ſi floruit cyprus.* Ipſe enim pro κυπρισμὸς, id eſt, pro-
Pagnin. pago, legit κύπρος, id eſt, cyprus Pagnin.
Vatabl. *Si aperuit ſe vua parua.* Vatabl. *vua recens,*
Hebr. aut *parua.* Hebr. enim eſt סמדר *ſemadar*, de quo dixi, cap. 2. v. 13. & 15.

Pro *mala punica* Arabicus vertit *montes.*

Alludit ad morem Salomonis, qui vt à curis vrbis & regni animum ſeuocaret, manè in rus & vineas proficiſcebatur: *Curru*, ait Ioſephus lib. 8. Antiq. cap. 7. *Manè vectari delectabatur in prædium nomine Hetan, hortis & inductis fontibus amœnum.* Manè enim horti & vineæ ſunt amœniſſimi.

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

Eſt hæc vox Sponſæ antiquæ, puta Eccleſiæ gentium, quæ nouellæ Sponſæ, puta Synagogæ Iudæorum recens conuerſæ (id eſt conuertendæ ab Elia) congratulatur, eiúſque conſilium approbat; imò Sponſum Chriſtum adhortatur & inuitat, vt nouellæ Sponſæ ſororis ſuæ votis morem gerat. Aut potius Eccleſia vocem ſuam hic cum Synagoga coniungit, ac vtráque ſimul iam adunata, vnáque Sponſa, puta Eccleſia, effecta, Chriſtum Sponſum obſecrat, vt ſecū in villas & vineas concedat, vt reliquias Iudæorum & Gentium ab Antichriſto vel ſeductas, vel perculſas ad Chriſtum vnanimi conſenſu traducant, præſertim mortuo & occiſo iam Antichriſto, tunc enim eius fraudes & fallaciæ vaneque ſpes detegentur, tunc pariter ceſſabit eius metus & perſecutio: quare facilè tunc erit ab eo ſeductos, vel exterritos ad Chriſtum reuocare: ideóque Deus poſt Antichriſti mortem concedet lapſis tempus aliquod pœnitendi, differétque diem iudicij, vti dixi Daniel 12. v. 12. Ait ergo: *Manè ſurgamus ad vineas*, id eſt, viſitemus particulares Eccleſias: *videamus ſi floruit vinea*, id eſt, ſi Eccleſia Ieroſolymitana & Iudaica, quæ Synagogæ ſummè eſt cordi, in fide Chriſti floreat: *Si flores fructus parturiunt*, id eſt, ſi bona Chriſti & ſalutis ſemina, quæ prædicatores mei Iudæis & Gentibus iniecerunt, & in eorū mentibus quaſi ſeminarūt, quæque in flores bonorum deſideriorum eruperunt; ſi inquam hæc ſemina, *fructus* bonæ & efficacis operationis parturiant: *Si floruerunt mala punica*, id eſt, charitatis & martyrij, ait Angelomus, deſideria, fructus & opera: *ibi dabo tibi vbera mea*, vbera ſcilicet ſanctæ doctrinæ dabo tibi, ô dilecte mi, non ſugenda vt à filio, ſed vt à Sponſo amplexanda dandáque tuis fidelibus, Iudæis & Gentibus, vt illa ſugant, iiſque nutriantur in fide & pietate Chriſtiana. Ita S. Gregor. Philo, Iuſtus & alij hæc accipiunt de Eccleſia inuitante Chriſtum, vt particulares ſuas Eccleſias viſitet. Rurſum *dabo tibi vbera*, id eſt, cor meum & amores meos, vt vertit Vatabl. Vide quæ de vberibus dixi, cap. 1. v. 1.

Particulatim verò de Eccleſiis Iudæorum in fine mundi viſitandis hæc accipit Honorius: *Nox, ait, fuit tempus per-* Honor.
*ſecutionis Antichriſti: manè verò tempus pacis poſt mortem eius. Manè ergo Sponſus & Sponſa ad vineas ſurgunt, qui quaſi in nocte dormierunt, dum ſe poſt necem Antichriſti ad faciendas Eccleſias erigunt, vel ſub eo deſtructas renouant, vel diſperſas congregant, quas ſub eo deſtrui viderunt, ſed quaſi dormientes non reſtiterunt. At nunc dicit: Videamus ſi floruit,* &c. *Per prædicatores faciamus eos videre, ſi vinea ſcilicet Synagoga in fide floruit, vt eam imitentur; ſi florentes in fide opera fidei exequuntur, vt illos imitentur; ſi imitatores Martyrum in patientia florent, vt eos imitentur. In illo agro proferam ad honorem tui omnem doctrinam vtriúſque legis, quæ ſunt vbera mea, vt rudes in fide ſugant inde lac doctrinæ.*

## SECVNDVS SENSVS

### *De Chriſto & Anima Sancta.*

Manè, inquit Philo, eſt, quando adeſt gratia præueniens, per quam anima à tenebris ignorantiæ Dei & cæcitatis mentis, ac à nocte delictorum vocatur in admirabile lumen religionis & pietatis; tunc vineæ & arbores, id eſt, habitus virtutum ſuos producunt flores & fructus ſanctarum operationum. Angelomus per florem vineæ accipit fidem cordis, per fructus oris confeſſionem; per mala punica ſanguinis pro fide profuſionem.

Anagogicè Honorius: *Manè*, inquit, Anagogicè.
*ſurgit Eccleſia ad vineas, dum ſe erigit ad ſupernas Eccleſias. Totum quippe tempus huius ſæculi* Honor.
*eſt quaſi nox ad comparationem futuri ſæculi. Dies autem iudicij eſt quaſi manè æternæ diei, quæ melior eſt ſuper millia annorum, vel vita cuiuſque hominis eſt quaſi nox, manè autem vita futura: in quo manè quiſque fidelis ſurgit ad vineas, dum poſt mortem peruenit ad cæleſtes Eccleſias. Ibi videt flores vineæ, florum fructus & flores*

Digitized by Google

*& flores malorum punicorum, id eſt, præmia fidelium & donorum, quæ dabuntur benè operantibus, & mercedem, quæ recompenſabitur martyribus. Ibi dabit Eccleſia Chriſto ſua vbera, quia Doctores vtriuſque legis repræſentabit in æterna gloria.*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

BEata Virgo viſitat Eccleſias & viſitabit eas in fine mundi, vt fructus virtutum proferant: Floret vinea, id eſt, Eccleſia, ait Guilielmus, in inchoantibus: flores eius fructus parturiunt in proficientibus. Tuum verò eſt vtrumq; videre, id eſt, approbare in beneplacito tuo, ſed multò magis flores malorum punicorum, id eſt, decus & deuotionem martyrum propter te proprio cruore rubentium: *Ibi dabo tibi vbera mea*, id eſt, in Eccleſia gentium dabo tibi, quæ & in Eccleſia Iudæorum olim tibi dedi vbera mea. Verè apud Iudæos dedi tibi vbera corporalia ad paſcēdum te; porrò in Eccleſia gētium dabo tibi vbera mea ſpiritualia ad paſcendos tuos; ſpiritualiter enim paſcam paruulos tuos lacte maternæ pietatis; olim paui lacte corporali pro veritate carnis. Denique pro eo quòd tibi ſum mater corporalis, ero tui mater ſpiritualis, materna charitate quaſi proprios parturiens filios, donec pleniùs formeris in eis, materna ibidem cura nutriēs eos, donec vſque in virum perfectum grandeſcas in eis. Totum autem hoc faciam, eos tibi aſſiduè commendando, & augmenta gratiarum eis piis à te precibus impetrando.

---

Verſ. 13. *Mandragoræ dederunt odorem. In portis noſtris omnia poma, noua & vetera, dilecte mi, ſeruaui tibi.*

Lxx. MANDRAGORÆ *dederunt odorem, in portis noſtris omnia poma* (Se-
Hebr. ptuag. *nuces*, Philo, *fructifera arbuſcula*. Hebr. eſt מגדים *megadim*, id eſt, delicias, amabilia, delicata, qualia ſunt poma elegantia) *noua & vetera, dilecte mi, ſeruaui tibi*. Hebr. *abſcondi tibi*. Ita Aquila & Symmach. *τὸ in portis* multi referunt ad mandragoras; melius alij ad poma, quæ ſequuntur. Vnde Arabicus: *omnes fructus arborum ſtantes ad ianuas noſtras.*

Pro *mandragora*, vt vertit Noſter, Septuag. Aquila, Chald. Aben Ezra Vatab. Pagnin. & alij, Hebr. eſt דודאים *dudaim*, quæ vox alludit ad *dodim* & *daddim*, id eſt, vbera, quia mandragoræ ſpeciem habent vberum: quare perperam *dudaim* Sixtus Senenſis lib. 5. Biblioth. cap. 109. vertit *lilia*, R. Salomon *Ieſeminum*; Alij *ficum*, alij *violam*. Oleaſter in Geneſ. 30. 14. cenſet eſſe floſculum, qui vocatur *lilium conuallium.*

Alludit ad Rachelem, quæ à Lia accipiens mandragoras, quas in agro inuenerat eius filius Ruben, conceſſit ei maritum Iacob Geneſ. 30. 14. Vide ibi dicta. Hinc mandragoram habere vim conciliandi amorem, ideóque Circeiam nuncupari docet Theophraſt. lib. 9. Hiſtor. Plant. cap. 10. Plinius lib. 5. cap. 13. Dioſcor. lib. 4. cap. 71. Vnde Hortolanus putat eas Hebr. vocari *dudaim* à *dodim*, id eſt, amores. Hinc & ait: *ibi dabo tibi vbe-* Pagnin.
*ra mea*. Pagnin. *amores meos*. Sic & poma ſymbolum ſunt amoris, vnde de iis ait: *Omnia poma noua & vetera, dilecte mi, ſeruaui tibi*. q.d. quicquid pulchrum, quicquid delicioſum habeo, hoc totum tibi offero. Porrò pro *dilecte mi*, R. Dauid & R. Anonymus apud Genebr. vertunt, *amorem meum*: Sic ergo transferunt: *Omnia delicata poma noua & vetera, amorem meum ſeruaui tibi*. q.d. Pro omnibus, vel cum omnibus deliciis & pomis, tam veteribus quàm nouis, amorem meū ſeruaui tibi. Si pro *dodi* legas *dodai*; vel potius *daddai* pro *amorem meum* vertas *vbera mea*, quaſi vbera Sponſæ ſint poma noua & vetera.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

MAndragoræ cum ſuis pomis in
vere aſpectu pulchræ & raræ ſunt *Mandragora forma & vires.*
olfactui odoratæ, guſtui inſipidæ, ait S. Auguſt: lib. 22. contra fauſtum cap. 56. ſed in Iudæa, vt aiunt, ſapidæ, capiti ſoporiferæ, vim habent refrigerandi ſpeciem quandam habent in radice corporis humani, dempto capite. Vnde Pythagoras mandragoram vocabat anthropomorphon, id eſt, homini ſimilē. Vide Dioſcoridem lib. 4 cap. 71. & Galenum
lib. 7. ſimplic. medicam. Mandragoræ *Significatia.*
ergo ſignificant turbam Iudæorum & Gentium, cuius caput fuerat Antichriſtus, quæ eo mortuo manebit acephala, id eſt, ſine capite, ſed in perfidia & peccatis ſuis ſopita: hæc ad vocem prædicatorum euigilabit, ac ſuauem fidei &



Digitized by Google

pietatis odorem exhalabit. Senſus igitur eſt. q. d. En tibi ô Chriſte Sponſæ mandragorarum odor, quarum frigus hactenus noxium, & odor grauis fuit, quæ ſteriles ipſæ & quaſi expertes vitæ mortis ſomno conſopitæ iacuerãt, humani denique buſti potius quam veri hominis effigiem præbebant, & præter hanc mutilam ſpeciem nihil hominis obtinebant. Legamus illas, maturuerunt: ſtatui tibi ſoli eas colligere, & veſci tecum. Interea veſcere fructibus, quos tibi ſepoſui in corde meo, & ad manum habeo omne genus fructuum hornorum & annoſorum, delitiis tuis repoſitorum aſſeruaui. Hæc *in portis*, id eſt, in ipſo domus ingreſſu & ipſo aditu, in promptu & ad manum ſunt. Ita Delrio per noua & vetera ſignificat vtriuſque populi, ſcilicet Gentium & Iudæorum bona opera, aut, vt Hortolanus, myſteria vtriuſque teſtamenti noui & veteris, quæ Chriſto, id eſt, Chriſti fidelibus offeruntur, cum per portam Baptiſmi in eius ciuitatem puta Eccleſiam, ingrediuntur. Symbolicè verò, vt Caſſiodor. Aponius, Beda, quòd per Chriſtum & in Chriſto omnia illa impleta ſint, & in dies impleantur. Addit Theo-
Theodor. doret. *Veteris*, inquit, *teſtamenti præcepta & noui teſtamenti mandata, quæ à matre mea Spiritus ſancti gratia accepi, ſeruaui tibi, & depoſitum integrum cuſtodiui.* Sic ait Chriſtus: *Omnis ſcriba doctus in regno cælorum ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera*, puta myſteria, dona & opera legis Euangelicæ & Moſaycæ, vti explicant Patres Matth. 13. Ita Aponius, Anſelm. Delrio hæc accipiunt de Iudæis & Gentibus conuertendis in fine mundi.

Audi Honorium: *Sunamitis* (inſtar Ruben) *de caſtris egreſſa inuenit Mandragoram, regiam puellam ſine capite in agro iacentem: cui nimium compaſſa, & ad Regem regreſſa obnixè ſupplicat, vt ſecum eat, miſeræ ſubueniat. Per Mandragoram intelligitur multitudo fidelium, cuius caput erat Antichriſtus, qui eſt caput omnium malorum: ſed caput amputabitur, quando Antichriſtus occidetur: hanc videns Eccleſia ſine capite, optat eam ſibi in fidem Chriſti ſociari, & capite Chriſto ſublimari: ô dilecte*, inquit, *quem præ omnibus diligo, qui ad me per gratiam veniſti, & per præſentiam donorum viſitaſti, veni etiam nunc per gratiam ad multitudinem infidelium, & viſita eam per præſentiam chariſmatum, & per prædicatores egrediamur in agrum mundi, & ſpargamus per populos ſemen verbi Dei, tu inſpirando, ego prædicando & operando & docendo: diu commoremur in villis, in pagorum conuenticulis, mane ſurgamus ad vineas, hoc eſt maturè faciamus Eccleſias.*

Huc accedit Chald. qui hæc accipit de Iudæis Meſſiam ſuum agnituris, ſcilicet per Eliam in fine mundi: hos enim longo ignorantiæ & perfidiæ ſopore, imò lathargo per tot ſæcula laborantes appoſitè repræſentant mandragoræ, quæ ſoporem conciliant, ideóque dantur iis, qui ſecandi vel vrendi ſunt, vt dolorem non ſentiant teſte Dioſcor. lib. 4.
cap. 51. Sic ergo vertit Chald. *Et cum fue-* Chald.
*rit voluntas à facie Domini, vt redimat populum ſuum de captiuitate, dicetur Regi Meſſiæ: Iam completus eſt finis captiuitatis, & meritum iuſtorum ſuaue eſt coram me, ſicut odor balſami, & ſapientes generationum conſtituti in portis gymnaſij operam dant verbis ſcribarum & verbis legis: nunc ſurge, ſuſcipe regnum quod repoſui tibi:*

*Mandragora mas & femina.* Aliam proprietatem mandragorarum aſſignat S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 19. verſ. 4. quòd aliæ ſint mares, aliæ feminæ, & hæ grauis ſint odoris. Sic Iudæi etiam corporaliter fœtent, ſed fœtorem iſtum aqua baptiſmi abluti deponunt, vti experientia conſtat. Au-
Ambroſ. di S. Ambroſ. *plerique diſcernunt quendam inter mandragoras ſexum, vt & mares putent eſſe & fœminas, ſed fœminas grauis odoris. Significat ergo gentes, quæ ante fœtabant, cum eſſent infirmiores, euitata quadam imbecillitate perfidiæ, boni odoris fructus ferre cœpiſſe, poſtquam in aduentum Domini crediderunt.*

Denique mandragoræ, quia frigus, torporem, tarditatem & ſomnum inducunt, notant tardos, negligentes & ſomnolentos. Hi enim vulgari ſermone dicũtur bibiſſe mandragoram, vel helleborum: quare dum hi per gratiam Dei ſomnum excutiunt, dicuntur mandragoræ quaſi poſt ſomnum hyemis in vere experrectæ, dediſſe odorem ſuum. Aptè ergo id hic tribuitur Iudæis & Gentibus tardè & ſerò, puta in fine mundi conuertendis: hi enim longas ſuæ tarditatis & ſoporis moras abrumpent, & diligentiæ ac feruoris ſuauem acrémque dabunt odorem & fragrantiam: Vnde ſubdit: *omnia poma noua & vetera ſeruaui tibi.* Vetera enim ſunt veteres Chriſtiani; noua ſunt noui, puta veteres Iudæi per Eliam innouandi, & in fine mundi ad Chriſtum conuertendi.

Denique nonnulli per *noua* opinantur hic notari noui orbis, puta Americæ ab Americo Veſputio & Chriſtophoro Columbo inuentionem, & conuerſionem

Digitized by Google

nem ad Chriſtum. Nouus enim hic or-
bis continens Peruanos, Mexicanos,
Braſilios, Chilenſes, &c. Eſt dimidium
totius orbis, vt patet ex globo Coſmo-
graphico: quare ipſe eſt in portis, id eſt,
in limitibus & finibus terræ olim cogni-
tæ. Nam planè ante annos 140. fuit in-
cognitus, nec quicquam de Chriſto eo-
uſque audierat: Iam verò per religioſos
S.Dominici, S.Franciſci, & Societat. Ieſu
totus penè ſubiacet Eccleſiæ. Sic in In-
dia Orientali hoc ſæculo & præceden-
ti, mirè per eoſdem propagatur fides
apud Iapones, vbi plurimi pro fide cer-
tant vſque ad martyria lentorũ ignium
apud Sinenſes, Molucenſes, Ceilanos.
Sane Thomas Bozius tom. 1. ſigno. 20.
audet aſſerere, vnum Franciſcum Xa-
uerium plura apud Indos accumulaſſe
Eccleſiæ, quàm Lutherus & totus Se-
ptentrio abſtulerit. Æthiopia, ſiue am-
plum illud Preto Ioannis imperium
cum ſuo Imper. & proceribus, per So-
cietatem Ieſu ſubdidit ſe Romanæ Ec-
cleſiæ, ab eáque Patriarcham accepit
anno Domini 1618.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

1. *Mandragora eſt anima torporem excutiens.* MAndragora dat odorem, cum ani-
ma prius torpida, tarda & ſomno-
lenta per gratiam Dei euigilans alacris
& feruida, bonam virtutum famam ope-
rando exhalat. Vnde S. Auguſt. lib. 22.
contra fauſtum cap. 56. ait per mandra-
goræ odorem repræſentari bonam ſan-
2. ctorum famam. Eadem ſoporem indu-
cit, cum anima terrenorum oblita, iis
quaſi indormiens cæleſtia cogitat, me-
3. ditatur & ambit, ita Theodor. Eadem
fœcunditatem conciliat, ait Caſſiod. &
Rupert. cùm anima charitatis, patientię,
humilitatis, obedientiæ cæterarúmque
4. virtutum actionibus incumbit. Eadem
purgat melancholiam & piruitam, tol-
lit nauſeam, triſtitias, & dolores ſopit,
variiſque morbis oculorum, ventriſque
medetur, quos recenſet Dioſcor. lib. 4.
cap. 71. cum anima per pœnitentiam,
prudentiam & lætitiam omnes mentis
ægritudines & perturbationes ſanat. Ita
Theodor.

Hinc Caſſiod. Iuſtus & Beda per no-
ua & vetera accipiunt ſanctos noui &
veteris teſtamenti: hos enim ſeruari
aiunt Chriſto, tum quia Chriſtum pro-
pherarunt, prædicarunt & prædicant;
tum quia non niſi per Chriſtum eis ad
ſalutem & ad cælum aditus patet.

Audi S.Gregor. *Quid per mandragoram,*
*herbam ſcilicet medicinalem & odoriferam,* Gregor.
*niſi virtus perfectorum intelligitur? per quam*
*perfecti quique, dum imperfectorum infirmita-*
*tibus medentur, in fide quam prædicant, id eſt,*
*in portis Eccleſiæ, veri medici eſſe comproban-*
*tur, qui dum exempla bonorum operum circum-*
*quaque per ſanctam famam tribuunt quaſi odo-*
*rem, quo ægroti ſanentur, aſpergunt.*

Audi & Honorium: *Tunc dabunt odo-*
*rem mandragoræ in portis, quia ſæculares iam* Honor.
*conuerſi, qui ſine capite fuerunt, dum nullum*
*Prælatum habere voluerunt, famam bonæ ope-*
*rationis in virtutibus, quæ ſunt portæ vitæ, ſpar-*
*gunt. Omnia poma noua & vetera ſeruant, dum*
*conuerſi omnia opera antiquorum & moderno-*
*rum Patrum ad imitandum ſibi congregant.*

Rurſum per poma noua & vetera
notatur donum perſeuerantiæ, quo om-
nes actus vſque ad finem vitæ ſanctos
efficimus, Chriſtóque dedicamus. Hoc
enim ingens, imò ſummum eſt Chriſti
donum. Inſuper B. Laurent. Iuſtin. lib.
2. de ſpirit. animæ interitu ante finem:
*poma vetera*, inquit, *habitus, noua vero actus* Laurent.
*dicit eſſe virtutum, per quos ad perfectionem*
*conſcenditur. Hæc proculdubio per illam ſcalam,*
*quam in ſomnis contemplatus eſt S. Iacob, figu-*
*rata fuit.*

Denique Philo Carpath. per mandra-
goras accipir doctores: *quia dum* inquit,
*bene ſcrutantur ſacras Scripturas & ex iis bo-* Philo. Carphat.
*nam & ſuauiter olentem frugem Eccleſiæ filiis*
*parant ac mandunt, veræ fidei ſuauiſſimum*
*odorem fructúmque diffundunt. Per portas au-*
*tem vires animæ, ac humani corporis partes ac*
*membra ſignificari, vt aures, os & oculos, per*
*quorum aditus omnia vitæ & mortis merita in-*
*grediuntur, ſecundùm illius propoſitum & vo-*
*luntatem, qui corporis ſeruitio & animi impe-*
*rio vtitur: Per oculos pudicitiæ caſtitatiſque in-*
*dicia; per aures honeſtatis atque modeſtiæ; per*
*os grauitatis & temperantiæ ad mandatorum*
*obſeruantiam, facilè dignoſcuntur. Quare ſi*
*Deum verè timemus atque amamus, pudica &*
*honeſta oculis ſpectamus; auribus ſalutaria &*
*optima quæque percipimus: Ore ſancta atque ne-*
*ceſſaria loquimur, turpibus clauduntur oculi,*
*obſcænis aures occludimus, vana & nocitura*
*ſilemus.*

Anagog. Honorius: *In extremi*, ait, *iu-*
*dicij die mandragoræ in portis dabunt odorem,* Honorius.
*quia in morte, quæ eſt porta vitæ, dabunt viuen-*
*tibus ſuam opinionem, dum miraculis coruſcant*
*in terris, quorum animæ viuunt in cælis; qui*
*mandragoræ olim fuerunt, dum diabolum caput*
*omnium malorum amiſerunt, & Chriſtum ca-*
*put omnium bonorum, vel iuſtorum induerunt,*

*& nunc vt mandragora multis morbis ſunt medicina. Ibi omnia poma noua & vetera Sponſo dilecto ſeruauit, quia omnia opera ſanctorum veteris legis, & omnia opera iuſtorum nouæ legis, Eccleſia cæleſtis Chriſto recompenſanda repræſentabit.*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

MAndragoræ ſaporiferæ ſymbolum ſunt contemplationis, quæ mentem à terrenis curis rebúſque ſopit, vt tota Deo fruatur; ideóque à myſticis vocatur quies, ſiue ſomnus, de qua dixi cap. 2. verſ. 5. & ſeq. Hac excelluit B. Virgo, ac in ea omnia poma noua & vetera, id eſt, omnes ſuas dotes, omnes actus præteritos & præſentes Chriſto dilecto ſuo obtulit. item *noua & vetera*, id eſt, omnes actus factos ex præſcripto legis nouæ & veteris (vtriuſque enim præcepta exactè ſeruauit B. Virgo) Chriſto dicauit.

Rurſum ipſa Deo offert omnes ſanctos tam noui quam veteris teſtamenti, ac in fine mundi offeret Iudæos & Gentes per Eliã & Enoch conuertendos omniáque eorum dona, gratias & virtutes.

Addit Guilielmus, mandragoras Chriſti & Virginis dediſſe odorem ſuum, cum Chriſti diuinitas per Apoſtolorum prædicationem & miracula mundo innotuit: tunc enim pariter ex ea eidem innotuit matris Dei Virginitas, dignitas & maieſtas. Ad hæc illam omnia poma noua & vetera ſeruaſſe Chriſto, cum myſteria diuinitatis & humanitatis Chriſti, quæ ipſa viderat, in corde ſeruauit, ac ſuo tempore Chriſtianis ad eorum ſalutem & Chriſti gloriam patefecit: *Nam quòd ſine corruptione,* inquit, *es conceptus & editus; quòd ab Angelis prædicatus; quòd per ſtellam deſignatus; quod à Magis myſtica dona es odoratus, & huiuſmodi, & noua planè erant, & diuinitatem tuam declarabant. Porrò quòd paruulus natus es; quòd pannis inuolutus; quòd lacte nutritus & huiuſmodi, vetera erant, quia de vetuſtate carnis erant, & hæc humanæ in te veritatem ſubſtantiæ comprobabant. Ego autem conſeruabã omnia verba hæc, conferens ea in corde meo, conferens vtique noua cum veteribus & vetera cum nouis, & vtriſque pariter collatis, te Deum ſimul & hominem comprobans, conſeruabam omnia verba hæc; & ſic omnia poma noua & vetera, dilecte mi, conſeruãbam tibi ſuo tempore promenda, & expendenda in tuos.*

CAPVT

# CAPVT OCTAVVM.

## SYNOPSIS.

*Peroratio eſt & concluſio Dramatis Cantic. qua Sponſa ſummum erga Sponſum amorem demonſtrat, optátque ei intimè iungi eóque frui in cælis, ex quo in deliquium & extaſin incidit; à qua eam excitari vetat Sponſus* verſ. 4. *mox* verſ. 5. *populus occurrens cernens Sponſam de deſerto aſcendentem, deliciis affluentem, & dilecto innixam admiratur. Subiicit Sponſus ſe in malo, id eſt, ligno crucis eam ſuſcitaſſe, & tãtis deliciis doniſque adornaſſe: quare petit, vt ipſa tanto amore Sponſi cor obſignet. Inde* verſ. 8. *Eccleſia queritur ſororem ſuam Synagogam eſſe paruulam, nec vbera habere, cui reſpondent ſodales Sponſi*: Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea: Si oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis. *Reſpondet deinde ipſa Synagoga* verſ. 10. *ſe murum eſſe, & vbera habere inſuper & vineam. Denique* verſ. 13. *Sponſus vltimam Sponſæ vocem cantúmque Epithalamicum poſcit. Vnde canit illa*: Fuge dilecte mi, & aſſimilare capreæ hinnulóque ceruorum ſuper montes aromatum, *quo velut cygneo cantu poſcit Sponſa cum Sponſo ex hac vita rapi in cælos. Igitur ſicut S. Ioannes in Apocal.* cap. 21. & 22. *definit in gloria Eccleſiæ triumphantis. Sic & Salomon Canticum claudit in gloria cæleſtis Ieruſalem; in ea enim perficietur & beabitur Eccleſia, & laboris militiæque ſuæ recipiet præmia & coronas æternas*:

VERS. 1. QVIS mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat?

2. Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ: ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum.

3 Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

4. Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.

5. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Sub arbore malo ſuſcitaui: ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.

6. Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum; quia fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio: lampades eius, lampades ignis atque flammarũ.

7. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.

8. Soror noſtra parua, & vbera non habet, quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt?

9. Si murus eſt, ædificemus

ſuper eum propugnacula argentea: ſi oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis.

10. Ego murus: & vbera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.

11. Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos tradidit eam cuſtodibus, vir affert pro fructu eius mille argenteos.

12. Vinea mea coram me eſt. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui cuſtodiunt fructus eius.

13. Quæ habitas in hortis, amici auſcultant: fac me audire vocem tuam.

14. Fuge dilecte mi, & aſſimilare capreæ, hinnulóque ceruorum ſuper montes aromatum.

---

## VOX SPONSÆ,

Id eſt, Eccleſiæ vniuerſalis collectæ ex Iudæis & Gentibus, quæ in fine mundi completo iam electorum numero aſpirabit ad cælum.

Verſ. 1. *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat?*

Scholiaſt. Q*VIS mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris.* (Scholiaſtes ἐν ἀγρῷ, id eſt, *in agro*: Alij, ἐν ἀγορᾷ, id eſt, *in foro*) *& deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat?* Hebr. *Quis te det ſicut fratrem mihi.* Ita Aquila. Arabicus: *Quis dabit tibi fili fratris mei, vt ſugas vbera matris meæ: Cum inuenero te extra, oſculabor te.* Syrus: *Quis tibi dabit me, vt fratri: ſuxerunt vbera agni mei: laudabo te.*

Hebr. Arabic. Syrus.

Pendent hæc à proximè præcedentibus. Pergit enim loqui Sponſa, ſuúmq; amorem ardentem in Sponſum pandere. Sicut enim paulo ante optauit cum Sponſo ire in agros & villas, vt ibi daret ei vbera ſua pomáque noua & vetera, idque ita factum eſſe licèt diſertè non exprimat Salomon, tamen id tacitè innuit, ſcilicet Sponſum annuentem votis Sponſæ cum ea conceſſiſſe in agros, ibíque eius mandragoris & pomis fruitum fuiſſe: Sic eo facto Sponſa non contenta, hic vlterius amore Sponſi exæſtuans, plenum eius publicúmque poſcit complexum, vt omnibus mutuos ſuos, & Sponſi amores palam pandat & patefaciat. Quare, ex ſummo caſtóque & ſpirituali amore optat Sponſi oſculum ſanctúmque complexum, ſed quia honeſtè in publico id fieri cum grandæuo non poterat, optat dilectum ſuum ſimilem fieri infantulo, ſiue fraterculo ſugenti vbera matris, vt eum ſic oſculari publicè liceat, ſicut ſorores fraterculos ſuos puſiones ſine verecundia oſculari ſolent. Sponſum vocat fratrem, tum quia ſummè dilectum: Sic enim ſuperius dixit: *Soror*, (id eſt dilecta) *mea Sponſa*; tum quia coniugem: coniux enim per coniugium in coniugis ſuæ tranſit domum & familiam, vt eoſdem, quos coniunx habeat parentes, ſiue patrem & matrem. Vnde S. Auguſt. lib. 22. contra fauſtum, cap. 61. *Si vir*, inquit, *& vxor eſt vna caro, non aliter eſt nurus deputanda quàm filia.* Tum denique vt ſignificet coniugium hoc nō eſſe carnis, ſed ſpiritus, vbi, coniuges manent caſti inſtar fratrum & ſororum.

*Sponſus vocatur frater Cur?*

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

EST vox Eccleſiæ Sponſæ vniuerſalis, id eſt, collectæ ex Gentibus & Iudæis cuius vocem cap. 7. v. penultimo & vltimo audiuimus. Hæc enim in fine mundi videns compleri electorum numerum, ex vehementia amoris optabit nuptiarum cum Sponſo conſummationem in cælis. Eccleſia enim in terris ceu Sponſa, tantùm celebrat ſponſalia cum Chriſto Sponſo per fidem & gratiam; in cælis verò nuptias celebrabit & conſummabit per gloriam, ſummámque viſionis & amoris beatifici cum Sponſo vnionem. Senſus ergo eſt q. d. ô vtinam adſit felix illa hora, quæ iam appetit vt coniugij iure te, ô dilecte mi, poſſim appellare fratrem meum, ſicut olim in primo tuo aduentu in terra naſcens, factúſque homo mihi frater fieri dignatus es, ac eiuſdem matris Synagogæ velut frater mecum lac ſuxiſti. *Quis mihi det vt inueniam te foris*, id eſt, extra terram ſupra mundum in cælo empyreo, ibique publicè coram omnibus Angelis & ſanctis ſine pudore, imò cum honore & iubilo

Digitized by Google

bilo perpetim ſugam tecũ vbera matris, puta cæleſtis Ieruſalem, quæ lac, imò nectar diuinum omnis felicitatis effundit, ibique pariter ſine intermiſſione brachiis intellectus & voluntatis per viſionem & amorem beatificum, quaſi per bina labia te oſculer, vt intimè te complectar, tibi iugiter inhæream, nec vel ad momentum à te ſeparer, ſed per omnem æternitatem te feliciſſimè fruar: vbi nemo Iudæus, Paganus, vel impius me ampliùs deſpicere, exprobrare vel vexare poterit. Vtinam ex agris & villis hiſce terreſtribus ad cæleſtes, atque ad ſupernos aromatum diuinorum mõtes conſcendere liceat: Et breui id dabitur; ſed hoc momento, hoc ipſo temporis inſtanti id fieri optarem; amanti enim & amore æſtuanti omnis mora amara, prolixa & moleſta eſt. Ita tres Anonymi apud Theodor. hæc tribuunt Eccleſiæ, & animæ ſanctæ optanti ſecundum Chriſti aduentum, eúmque ſic

Theodor. affanti: *Quoniam prior aduentus tuus me ad te perfruendum præparauit, ecquis tribuat mihi ſecundo aduentu tuo nobiſcum in cæleſti Ieruſalem, quæ mater noſtra eſt, nouum bibentem poculum, quod ex ipſa in nos per gratiam ſine medio, quaſi lac ex matris vberibus in eius filios fluat? Sic enim inueniens te foris deoſculabor: cognoſcens namque te, non vt nunc per fidem, ſed per aſpectum foris in noſtra ſubſtantia incorruptionem nobis, & immutabilitatem in communi largientem reſurrectione, perfruamur te; & nemo quidem deſpiciet meliciès nunc à mundi ſapientibus ſpernar, quod propter tui amorem caduca omnia contemnã.* Sic & Delrio & alij.

Huc pertinet expoſitio S. Ambroſ. Aponij, Honorij, Rupert. Anſelm. Hortolani, qui hæc intelligunt de conuerſione Iudæorum in fine mundi: poſt hanc enim mox ſequetur dies iudicij & gloria ſanctorum. Verba S. Anſelmi mox recitabo. Quin & priſci Rabbini teſte Galatino lib. 3. cap. 28. cenſent hîc ſignificari deſiderium aduentus Meſſiæ; aduentus, non primi: hic enim iam factus eſt per incarnationem, vt dictum eſt cap. 1. & ſeq. ſed ſecundi ad iudicium & glorificationem ſanctorum.

Symbolicè. Symbolicè, primò S. Gregor. Caſſiod.
1. Theodor. Beda, Philo, S. Athanaſ. in Synopſi & alij hæc tribuunt Synagogæ, id eſt, Patriarchis deſiderantibus Chriſti incarnationem: per hanc enim Chriſtus è ſinu patris foras in carnem prodiit, nobiſque frater effectus eſt, vt eum oſculari liceat, per quem Eccleſia iam non deſpicitur, ſed ab ipſis etiam Angelis honoratur: *Quis enim*, ait Guilielmus, *poterit deſpicere homines in Deo homine facto? Quis vilem iudicabit hominem pretio ſanguinis tui pro homine dato?* Vnde S. Guilielm.
Ambroſ. de inſtit. Virg. cap. 1. *foris*, inquit, *factus eſt, qui erat intus. Vide illum intus, quando legis, quod in ſinu eſt patris: cognoſce illum foris, quando nos quærit vt redimat. Foris tibi factus eſt, vt mihi intus eſſet, & fieret medicus noſter. Ibi ergo ſimus, vbi Chriſtus medicus eſt radicatus, & fixus in cordibus noſtris.* Ambroſ.
S. Chryſoſt. verò hom. 12. in varios S. Matth. locos, hæc refert ad Herodem, qui Chriſtum infantem perſecutus eſt. Sic enim legit: *Quis dabit tibi fratrem meum ſugentem vbera matris meæ?* q.d. Nemo tibi Chryſoſt.
dabit Chriſtum infantem vt eum occidas; nec enim vllam habebis poteſtatem aduerſus eum, qui eſt princeps omnium poteſtatum: quæ noua eſt expoſitio, nec ſatis conſona ſenſui literali.

Secundò, Philo hæc refert ad paſſio- 2.
nem Chriſti: *Tunc enim*, inquit, *foris inuentus eſt Sponſus & oſculatus à Sponſa, cum humanitate veſtitus & extra Ieroſolymam crucifixus, eam ipſam à ſempiterna morte redemit & per ineffabilem charitatem ſoluto omni debito, ſibimet amantiſſimè reconciliauit & patri.* Philo.

Porrò Philo per matrem accipit æternam ſapientiam, Theodor. verò Spiritum ſanctum, cuius vbera Chriſtus ſuxiſſe dicitur, cum fidelibus ea per ſtudium & orationem ſugenda eſſe, vt lac doctrinæ omniſque gratiæ ex iis hauriant, in Euangelio docuit & monſtrauit. Sic & Rupert. Auctores citati hos ſenſus afferunt quaſi literales; ſed reuera ſymbolicè videntur. Ad literam enim de incarnatione & paſſione Chriſti egit Salomon Cantic. 1. indéque progreſſus eſt ad Eccleſiæ exordia, profectus & perfectionem, quàm hic gloria cæleſti concludit: ibi enim erit finis, conſummatio & coronatio Eccleſiæ triumphantis, quæ hic ſub cruce Chriſti militat. Hoc enim Acoluthia ordóque dramatis exigit.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima ſancta.*

PRimò, anima pia optat Chriſtum ſuſcipere in venerabili ſacramento, in quo Chriſtus quaſi fit frater noſter, nos ſuo corpore paſcens, ibique eum oſculamur, dum ore corporis, & multo magis mentis eum ſuſcipimus. Ita Aponius & Giſlerius fuſè. Euchariſtia enim

eſt pignus futuræ gloriæ: per illam enim reſurgemus in vitam æternam, vti docet Chriſtus Ioan 6. Hac de cauſa Chriſtus ſpecie paruuli apparens S. Franciſco, S. Antonio de Padua, S. Edmundo Cantuarienſi Epiſcopo ſimilibúſque ſanctis, ſe illis oſculandum diſſuauiandúmque præbuit. Hoc reipſa ſe in ſeipſo expertum aſſerit Rupertus Abbas Tuitienſis ſcribens in cap. 26. Matth. lib 52. pag. 562. Narrat enim ſe cum iuberetur capeſcere ſacerdotium, ſéque tanto gradu indignum iudicaret; vidiſſe Chriſtum crucifixum in altari ſe intuentem & inuitantem ad amplexum. Quare; *altare*, inquit, *per medium ſeſe aperuit, méque introrſus currentem ſuſcepit. Quod cùm feſtinus introiſſem apprehendi quem diligit anima mea, tenui illum, amplexatus ſum eum diutiùs, oſculatus ſum eum. Senſi quàm grauiter hunc geſtum dilectionis admitteret, cùm inter oſculandum ſuum ipſe os aperiret, vt profundiùs oſcularer. Planè hoc agebatur, hoc illa ſignificatione parabatur, vt fieret illud, quod in Canticis dilecta exoptans dicit: Quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris & deoſculer, & iam me nemo deſpiciet.* Ex hac viſione ſenſit Rupert. ſibi deſiderium ſacerdotij immitti, vt quotidie ſacrificans cum Chriſto in Euchariſtia diſſuauiaretur, eúmque manducando amplecteretur & oſcularetur. Rupert.

Secundò, optat anima Chriſtum ſibi fratrem fieri, foríſque oſculari eundem, cum ipſa optat exui carnis mundíque affectibus vt extra ſe quaſi exiens, ſpirituales mores & amores induat, itáque oſculum pacis à Chriſto accipere incipiat, quod perficiatur in cælo: hac ratione enim fit quaſi ſoror fratris Chriſti. Ita S. Ambroſ. lib. de Iſaac cap. 8 *Bona anima quæ foris eſt*, inquit, *vt Verbum intus ſit: illa extra corpus, vt Verbum habitet in nobis.* Sic & Rupert. *Porrò inuenire Chriſtum foris*, inquit, *eſt exire ad illum extra caſtra; quiſicut extra portam paſſus eſt; ita extraneus factus eſt fratribus ſuis & filiis matris ſuæ. Eundem verò deoſculari eſt improperium ipſius venerari, & ſacramenta pietatis eius familiariter cognoſcere: nam in quantum illa cognoſcimus & diligimus: in tantum illum amabilem amantes deoſculamur*, &c. Addit Honorius propriè fratres Chriſti dici Apoſtolos & viros Apoſtolicos, qui animabus lucrandis incumbunt: hi enim ſunt ſimiles Chriſto, eiúſque quaſi fratres: hoc enim officium fuit Chriſti, qui ergo alium ad ſtatum Religionis & perfectionis pellicere ſatagit, dicat: *quis mihi det te fratrem meum*, vt mihi religione & charitate ſis coniunctiſſimus quaſi frater, id eſt, ferè alter *ſugentem vbera matris meæ* (diſciplinam & inſtituta meæ Religionis) *vt inueniam te foris* (ſeparatum à ſæculo in clauſtro) *& deoſculer te*, id eſt, ſummè in omnibus religionis officiis & exercitiis tibi coniugar: *& iam nemo me deſpiciat*, qui talem Religioni fratrem, imò filium pepererim. Ita Honorius. Ambroſ.

Denique S. Amſelm. S. Ambroſ. Rupert. Aponius, Honorius & Hortolanus hæc referunt ad Iudæorum conuerſionem. Audi S. Anſelm. *Vtinam quis mihi annunciet Chriſtum fratrem meum, de carne mea natum, educatum doctrina Synagogæ; Conuerſáque ad ipſummet addat: vt inueniam te foris, vt hominem te agnoſcam, in quo turpiter erraui. Et deoſculer te, id eſt, & delecter in agnita tui humanitate. Et iam nemo deſpicabilem me cenſeat.* Anſelm.

Huc ſpectat verſio Chald. *Illo tempore*, ait, *apparebit rex Meſſias Synagogæ Iſraël, & dicent ei filij Iſraël: Adeſdum, eſto nobiſcum pro patre, & aſcendemus Ieroſolymam, & ſugemus tecum ſententias legis, quemadmodum ſugit infans vbera matris ſuæ. Quoniam etiam omni illo tempore. quo vagus eram, & extarris à mea patria, dum recordabar nominis Dei magni, & tradebam animam meam pro diuinitate ipſius populi exteri non me contemnebant.* Chald.

## TERTIVS SENSVS.

*De Chriſto & B. Virgine.*

Rvpertus ait hanc eſſe vocem Eccleſiæ, quæ matri ſuæ, id eſt, B. Virgini, (hæc enim mater eſt Chriſti & conſequenter Eccleſiæ, id eſt, omnium Chriſtianorum) ac ſuæ per eam felicitati exultando & admirando, applaudit, quòd Chriſtum pariendo, eum fratrem noſtrum effecerit. Aitque hanc vocem eſſe ſimilem illi S. Eliſabethæ ad B. Virginem ſe viſitantem: *Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Lucæ 1.

Congruentius ad ſenſum literalem hæc tribuas B. Virgini in hac vita, ad filium in cælis regnantem aſpiranti. q. d. Quis mihi det ô fili, vt ſicut olim ex me carnem aſſumens, frater meus omniúmque hominum fieri dignatus es, ac ſugere vbera mea tanquam matris tuæ, atque vbera myſtica Synagogæ, quæ eſt mater mea pariter & tua, ibíque ſuauiſſimè ego te deoſculata ſum; ſic pariter nunc efficias, vt te fratrem, imò filium meum in glorioſa humanitate, quam ex me

me ſumpſiſti, in cælis triumphantem aſpiciam, ibique te deoſculer, aotecum in ſummis æterniſque gaudiis iugiter diſſuauier & delicier.

Haigrin. Addit Hailgrinus: *Inuenire deſiderat eum ſolum, in diuina videlicet natura, in qua ſolus eſt, & humanum non habet conſortium. Inuenire deſiderat eum, vt non ſolum cognoſcat in carnis ergaſtulo, ſed vt immenſitatem deitatis intueatur, quæ nullo concluditur termino, & omnia continet & concludit, & ipſum ſic inuenire deſiderat, vt deoſculetur eum, vt videlicet eum videndo præſentem tanquam facie ad faciem in eius amore delectetur.*

---

Verſ. 2. *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum.*

Lxx. APPREHENDAM (Septuag. *aſſumam*) *te, & ducam te in domum matris meæ* (Septuag. *eius quæ me concepit.*) *Ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum* (Syrus. *dulcedinem*) *malogranatorum meorum.* Pro *condito* Septuag. verrunt *vnguentario.* Hebr. *potabo te vino aromatite,*

Hebr. quale ſcilicet ſolent in apothecis pharmacopæi componere, & condire ſaccharo, melle, cinnamomo, aliiſque aromatibus, quæ dulcem & gratum ſaporem afferunt etiam pueris, qualis hîc

Arab. optatur eſſe Sponſus. Vnde Arabicus verrit: *Potabo te vino ſuaui.* S. Hieron in c.9.

Hieron. Zachar. *Potabis me de vino vnguentarij, de rivis malorum granatorum tuorum*; ſed in cap. 12. legit: *potabis me de vino vnguentarij* (apothecarij) *de vino malorum*, cenſétque eſſe verba Eccleſiæ ad Chriſtum.

Fingitur Sponſa Sponſum, quem paruulum optabat, cupere oſculari, eum aſſumere & aſportare in domum matris ſuæ, id eſt, ſuam, vt ibi à Sponſo doceatur, eóque continuè fruatur, ideóque deliciis ſuis eum paſtura, puta vino aromatite & muſto malogranatorum. Licet enim infantibus & lactentibus non detur vinum, ſed lac, tamen datur ſubinde vinum melle, vel ſaccharo conditum, hoc enim eſt inſtar lactis. Rurſum licet verſ. 1. optaret Sponſa Sponſum eſſe infantulum, tamen ſciebat reuera ipſum non eſſe infantem, ſed virum perfectum, ac vt tali hîc vinum conditum & muſtum malogranatorum propinare deſtinat.

Pendent hæc à verſ. præcedenti: eſt enim optatio. q. d. *quis mihi det*, id eſt, vtinam mihi liceret te apprehendere, & ducere in domum matris meæ, vt ibi me doceres, & ego viciſſim tibi propinarem vinum & muſtum, hoc eſt, vtinam ô Sponſe me Sponſam apprehendas & ducas in domum tuam, vt ibi nuptiæ noſtræ conſummentur: ad hoc enim ſolebat Sponſus Sponſam in domum ſuam traducere. Eſt Hypallage. Simili arte & phraſi vtuntur medici, vt ſtipem à diuitibus extorqueant; & pueri vt à matre liba vel poma, quæ vident impetrent. Dicunt enim aſtuti: En ô mater quam bella poma; vtinam haberem pecuniam vt illa coëmerem, tibíque darem, quo ſignificare volunt. q.d. O mater eme tam bella poma, eáque mihi dona, quia ea valde concupiſco, ſed id exprimere non audeo, ideóque concupiſcentiam meam charitatis velo obtego: amo enim te, ſicut tu amas me: oſtende ergo mihi amorem maternum, vt ego oſtendo tibi filialem.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

Sponſam audacem & animoſam facit amor: quare id ſibi tribuit quod erat Sponſi, ſcilicet inducere Sponſam in domum matris ſuæ, id eſt, ſuam: ſed hæc Sponſæ vota ſunt amoris, non effectus poteſtatis. Pendent hæc à præcedentibus. q. d. Vtinam te ô Sponſe poſſem vt infantulum & fraterculum meum oſculari, apprehendere & inducere in domum matris meæ, quo per Metalepſin vel potius Hypallagen ſignificat Sponſa ſe optare à Sponſo duci in domum eius, vt ibi nuptias perficiat & conſummet. q.d. Vtinam ô Sponſe, me iam laborioſæ & ærumnoſæ huius in villis & hortis terrenis vitæ pertæſam, apprehendas & ducas in domum matris tuæ, id eſt, tuam, puta in Ieruſalem cæleſtem, vt ibi me doceas, imò oſtendas diuinitatem tuam, illáque me bees, vt videam & guſtem, quód oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quódque Deus præparauit diligentibus ſe: ibi ergo mutuis certabimus officiis, tu me hæc docebis, ego viciſſim propinabo tibi vinum conditum laude, gratiarum actione, omníque genere virtutum; & ſuccum malogranatorum Caſſiod. meorum, puta ſanguinem & doxologiam martyrum meorum. Ita Caſſiod.

Beda,

Beda, Honorius, Alcuinus, Angelomus hîc & S. Ambroſ. lib. 5. Epiſt. 39. ad Iræneum. Audi Caſſiod *Per fidem*, inquit, *& charitatem tibi adhærens, proſequa. te reuertentem in cælum poſt actum incarnationis tuæ, & paßionis myſterium. Aſcendente namque in cælos Domino, Apoſtoli oculis illum deduxerunt, pióque proſecuti ſunt aſpectu, quouſque nubes ſuſcepit eum; cum cælo receptus fueris, & me quoque in cælum aſſumpſeris, ibi me docebis & in omnem veritatem induces, & diuinitatem tuam facie ad faciem oſtendes, & ego oſtendam quàm feruentißima charitate te diligam, potans te charitatis vino condito bonis aliarum virtutum operibus; & dabo tibi muſtum malorum granatorum meorum; oſtendens in paßionibus ſanctorum martyrum quanta diligaris charitate: Dilectio namque martyrum eſt muſtum malorum granatorum.*

Huc facit expoſitio eorum, qui hæc referunt ad conuerſionem Iudæorum in fine mundi, quos mox citabo. Poſt eam enim completo electorum numero mox ſequetur dies iudicij, & glorificatio Sanctorum in cælo.

Symbolicè Theodor. Beda aliíque, qui verſum præcedentem expoſuerunt de incarnatione vel paſſione Chriſti, etiam hunc de eodem exponunt. Philo verò exponit de Chriſti morte, ſepultura & deſcenſu ad inferos. Sic enim legit: *Apprehendam te & ducam te in domum matris meæ, & in promptuarium eius quæ me collegit:* domus enim noſtra & promptuarium, quod patres olim colligebat æquè ac Chriſtum, eſt mors, ſepulchrum & infernus, q.d. Chriſtus in mortem & infernum deſcendit, vt ex eo patres liberaret. Idem per vinum conditum accipit paſſionem & ſanguinem Chriſti, quo ſe ablutam cum gratiarum actione profitetur Eccleſia.

## SECVNDVS SENSVS

### *De Chriſto & Anima Sancta.*

1\. *Domus matris anima pia eſt meditatio.*

ANima ſancta per orationem & meditationem Chriſtum Sponſum ducit in domum matris ſuæ, id eſt, in mentem ſuam, quæ eſt quaſi mater omnium cogitationum & actionum: ibi docetur ab eo, quomodo in charitate, religione omnique virtute ſe perficere poſſit & debeat: ibi viciſſim offert ei vinum ac muſtum malogranatorum acris compunctionis, mortificationis & martyrij, ita tres Anonymi apud Theodor.
2\. Rupertus per vinum conditum accipit
ſacrificium calicis Euchariſtici: per muſtum malogranatorum ſacrificium SS.
martyrum. Sic & Philo, qui tertio per 3.
*domum matris* accipit SS. ſcripturas, quarum myſteria & arcana quaſi penus & promptuarium ſunt, in quibus fidelis anima ſæpe cum cæleſti Sponſo ſecretè meditatur & loquitur, in iiſque ſanctiſſimè reficitur vino aromatico diuinæ
doctrinæ. Idem quartò: potatur, ait, Spõ- 4.
ſus à Sponſa, cum ab eius filiis liquore ſanctimoniæ atque virtutum laudatur in terris, cum timetur à bonis, colitur à iuſtis, prædicatur à ſanctis quaſi auctor
virtutis. Quintò, Honorius domum ma- 5.
tris accipit religionem vel monaſteriũ: Ibi, inquit, Chriſtum quaſi per manum apprehendit, & in domum matris ſuæ inducit, dum opera bona in clauſtrum, domũ congregationis quaſi matris conuerſorum inducit, & in intellectum regulæ clauſtralis ſuæ nutricis, dum eam intelligere docet. Ibi in clauſtro docetur, quid cõuerſis in cœlo promittatur. Ibi dabitur ei poculum ex vino condito, id eſt, *doctrina ex ſcripturis ſapientum compoſita, & muſtum malogranatorum, id eſt, exempla iuſtorum.*

Porrò S. Gregor. Aponis, Anſelmus, Hortolanus hæc referunt ad conuerſionem Synagogæ, id eſt, Iudæorum in fine mundi. Aud S. Gregor. *Apprehenſum in domum matris ſuæ ducit, quia Synagoga in fine mundi Chriſtum, in quem credit, prædicabit; dúmque per prædicationem Eccleſiæ ſuſceptus fuerit, ibi Eccleſiam docebit, quia ſe doceri gaudebit, quando Synagogam iam idem corpus factam erudiri ſecum videbit. Poculum ex vino conditum Eccleſia dabit, quia ipſi Synagogæ nouum teſtamentum cum veteri prædicabit, & quaſi vino poculum condiet, quia dulcedinem Euãgelij teſtimoniis legis, quæ aſpera eſt, vt robuſtius teneatur, cinget. Muſtum vero malorũ granatorum ſuorũ tribuet, quia fortiũ virorum, qui vnitatem Eccleſiæ etiam in martyrio tenuerunt, exempla apponet, vt ad eorum ſimilitudinem Synagoga inardeſcat, & Antichriſti perſecutionibus martyrum præcedentium exemplis roborata non ſuccumbat. Cum enim fortium pugnatorum victorias audierit, ad eorum imitationem pugnam ſubire non dubitabit.* Gregor.

Huc ſpectat verſio Chald. *Ducam te ô Rex Meßia, & introducam te in domum ſanctuarij mei, & docebis me timere à facie Domini, & ambulare in viis eius, & ibi prandebimus prandium, & bibemus vinum vetus, quod reconditum eſt in vuis ſuis à die, quo creatum eſt ſæculum, & de malis punicis, quæ præparata ſunt iuſtis in paradiſo voluptatis.* Chald.

TER

## TERTIVS SENSVS.

*De Chriſto, & B.Virgine.*

BEata Virgo Chriſtum infantem patiens duxit eum in domum matris ſuæ, id eſt, ſuam in Nazareth, quæ ab Angelis Lauretum tranſlata, ibi hodie totius orbis concurſu colitur. In ea ab eodẽ fuit edocta de myſterio paſſionis, crucis, reſurrectionis, &c. & redemptionis hominum, déque traducenda vita angelica, perfecta & diuina, ídque magis exemplo quàm verbo. Rurſum ibi Chriſtum iam grandeſcentem potauit vino condito & muſto malogranatorũ, tum literali, tum myſtico, puta vino ardentis charitatis, ac muſto compunctionis & lachrymarum.

Rurſum & magis congruè ad literam, B. Virgo apprehendit Chriſtum, id eſt, petiit apprehendi à Chriſto (eſt Hypallage) ac duci in domum matris, puta cœleſtis Ieruſalem, ibíque ab eo doceri per viſionem beatificam de tota ſancta Deitate & Trinitate; atque ibi ei viciſſim obtulit vinum conditum exultationis & gratiarum actionis, ac muſtum æſtuantis amoris & charitatis.

---

Verſ. 3. *Læua eius ſub capite meo, & dextra illius amplexabitur me.*

SPONSA ex vehementia amoris & deſiderij fruendi Chriſto in cælo, quod expreſſit, v. 1. & 2. incidit in animi deliquium, ſomnum & extaſin; vnde quaſi collabens & corruens, inuocat opem Sponſi, vt læua caput, dextra corpus ſuffulciat, itáque in ſinu eius conquieſcat, per quod ad literam ſignificatur Eccleſiam in fine mũdi partim ex æſtu amoris in Chriſtum; partim ex multitudine perſecutionum & tribulationum ſuſpiraturam ad cælum, vt ibi Sponſus Chriſtus eam læua & dextera circumplectatur, ſibique facie ad faciem arctiſſimè vniat & aſtringat: interim verò dum hæc vnio differtur, rogaturam vt Sponſus ſe læua & dextera ſua protegat, roboret & deducat vt moras eius, & perſecutiones hoſtium fortiter perferat, donec aſpiret dies beatæ æternitatis, & inclinentur vmbræ miſeræ mortalitatis. Audi Honorium: *Erit læua Sponſi ſub capite Sponſæ, quia omnem gloriam mundi videbit ſub potentia Chriſti, qui eſt caput eius; & dextera eius amplexabitur eam, quia Angelica Societas & ſanctorum vnanimitas, quæ in dextera Chriſti in iudicio erit, illam ſibi aſſociabit: in hac dextera ab omni perturbatione requieſcet, & nemo eam ab hac quiete excitabit, quia gaudium eius nemo tollet ab ea.* Honor.

Porrò gnomen hanc audiuimus c. 2. v. 6. vbi eam explicui, quare hîc plura non addam, niſi quòd ibi illa tribuatur Sponſæ infanti, hîc verò adultæ & perfectæ.

Denique Chald. Iudaicè hæc refert ad frontalia Iudæorum: *Dixit*, ait, *cætus Iſraël: Ego electa ſum ſupra omnes populos; quia ego alligo frontalia manui ſiniſtræ meæ & capiti, cartuláque infixa eſt lateri dextro portæ meæ, cuius tertia pars reſpicit thalamum meum, vt non habeant licentiam dæmones ad nocendum mihi.* Chald.

---

## VOX SPONSI.

Verſ. 4. *Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis, dilectam, donec ipſa velit.*

ADIVRO *vos filia Ieruſalem, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam.* (Hebr. & Septuag. *charitatem* vel *dilectionem*, id eſt, ſummè dilectam) *donec ipſa velit.*

Sunt verba Sponſi, qui videns Sponſam in ſomnum & extaſin amoris incidiſſe, vetat ne quis eam ab illo vtpote ſuauiſſimo, piiſſimo ſibique gratiſſimo excitet, ſed placidè in eo dormire ſinat. Hanc gnomen iam tertiò audiuimus. Nam cap. 2. v. 7. tribuitur Sponſæ infanti, & cap. 3. v. 5. Sponſæ adoleſcenti, hîc verò tribuitur Sponſæ perfectæ & grandæuæ. Vide ibi dicta. Tertiò eam repetit Sponſus, vt oſtendat quàm ſibi placeat ſors Magdalenæ præ Marthæ, id eſt, otium contemplationis præ negotio actionis.

Chald. Iudaizans hæc refert ad Gog & Magog, qui repræſentant Antichriſtum eiúſque aſſeclas: *Dixit*, ait, *Rex Meſſias; Adiuro vos popule mi domus Iſraël, quare contenditis contra populos terrarum, vt egrediamini ex captiuitate, & quare vos vultis rebellare contra exercitum Gog & Magog? Suſtinete modicum, donec conſumantur populi, qui aſcenderunt ad belligerandum contra Ieruſalem, & poſtea recordabitur vobis dominator ſæculi miſerationum iuſtorum, & erit voluntas à facie eius vt liberet vos.* Chald.

VOX

## VOX POPVLI
### Occurrentis.

Verſ. 5. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, delicits affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?*

Lxx. SEPTVAGINTA & Arabicus pro מִדְבָּר *midbar*, id eſt, *deſerto*, legentes מֻבָּר *mubar* vertunt *dealbata:* בָּר *bar* enim vel *barar* eſt mundare; purificare, dealbare, licèt Complut. in Septuag. legant *de eremo*.

Hebr. Vatabl. Pagnin. Pro *deliciis affluens innixa*, Hebr. eſt vna vox מִתְרַפֶּקֶת *mithrappeket*, quam Vatab. Pagnin. & alij vertunt: *innixa*. R. Dauid *adhærens*. R. Salomon & Aben Ezra *aſſociata*. Lxx. Septuag. ἐπιστηριζομένη, id eſt, *ſuffulta, innixa*. Philo. Philo *confirmata in fratre ſuo*, id eſt, quæ Chriſtum habet quaſi immobile ſuæ ſpeciei & decoris firmamentum. Licèt Origen. hom. 1. verſa à S. Hieron. & S. Ambroſ. lib. de Iſaac cap. 8. legant ἐπιστηθιζομένη, id eſt, *ſuper pectus eius recumbens*. Sicut S. Ioannes in ſinu Ieſu recubuit, ait S. Ambroſ. Ex quo nonnulli volunt Sponſam hîc viſam in ſinu Sponſi dormientem, cum ille eam læua dextráque complecteretur, vt dixit v. 3. ſed repugnat nox *aſcendit*; in ſinu enim non *aſcendit*, ſed potius portabatur manibus Sponſi. Rurſum Sponſam iam non dormiſſe ſed experrectam ambulaſſe, patet ex eo quod ait ille Sponſus v. ſequenti: *Sub arbore malo ſuſcitaui te*, &c.

Igitur Sponſa quæ prius dormierat in ſinu Sponſi, iam euigilans & extaſi amoris animoſior effecta, pulſo omni pudoris & dicteriorum metu brachiis ſtrinxit collum vel potius humeros Sponſi, itáque iis innixa præ amoris deliciis viſa eſt tranſeuntibus & occurrentibus aſcēdere de deſerto, id eſt, ex agro ſuburbano verſus Ieruſalem: occurrentes autem viri eam videntes, admirati eius ſpeciem æquè ac amorem & libertatem, exclamant: *Quæ eſt iſta*, &c. id eſt, *quàm beata quæ aſcendit*, ait Honorius, *de mundo ad cælum, & Angeli in conſortium ſuum introducent, vbi deliciis paradiſi affluet; quia de bonis Domini gaudebit, cum ipſum Deum in quem Angeli deſiderant proſpicere, facie ad faciem videbit; vbi concentum Angelorum & organa ſanctorum audiet, & ipſum odorem ſuauitatis ſentiet; vbi inebriabitur ab vbertate domus Domini, & ſatiabitur, cum apparuerit gloria Dei. Ibi erit ſuper dilectum ſuum innixa, quia ſemper in gaudio Domini erit ſtabilita.*

Eſt ergo hæc vox non ſodalium Sponſi vel Sponſæ, ſed turbæ occurrentis.

## PRIMVS SENSVS
### *De Chriſto & Eccleſia.*

ANgeli & cælites videntes Eccleſiã in fine mundi, conuerſis iam Iudæis & Gentibus, ſuis omnibus ſanctis & electis eſſe perfectam, ideóque ad cælum contendere, vt militiæ & victoriæ ſuæ naniſcatur præmium & triumphum, eius formam, robur & decus, quaſi admirantes exclamabunt: Quæ eſt iſta virago tot virginum, martyrum, confeſſorum, Apoſtolorum aliorúmque heroum ſtemmatibus & trophæis inſignita, quæ de deſerto, id eſt, in culto huius mundi agro, imò vepreto & ſenticeto ſcelerum malorúmque omnium, tam glorioſa in cælum ſcandit, præ amoris teneritudine ac deliciis innixa ſuper Chriſtum dilectum ſuum? Ita Honorius, Caſſiod. S. Gregor. S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 14. verſ. 5. *Eccleſia aſcendit de deſerto.*

Huc accedit Chald. *Dixit, ait, Salomon Propheta: Quando reuiuiſcent mortui, futurum eſt vt ſcindatur mons Oliuarum, & omnes mortui Iſraël egreſſuri ſunt ex eo, & etiam iuſti, qui mortui ſunt in captiuitate, venturi ſunt per viam ſpinarum ſub terra, & egredientur ex mōte Oliuarum. Futurum eſt autem, vt impij, qui mortui ſunt, & ſepulti ſunt in terra Iſraël deiicientur ſicut lapis, quem proiicit homo ſuper terram. Tunc dicent omnes habitatores terræ: Quod eſt meritum populi huius, qui aſcendit de terra in mille millibus, ſicut in die quo aſcendit de deſerto in terram Iſraël, & deliciis affluunt propter miſerationes Domini ſui, ſicut in die qua viſus eſt ſub monte Sinai, vt ſuſciperet legem?* Chald.

Tò *innixa ſuper dilectum*, ſignificat Eccleſiam ſcandere in cælum viribus non ſuis, ſed gratiæ Chriſti: *Nemo enim aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis, qui eſt in cælo.* Ioan. 3. & quem ille ſecum in cælum ducere dignatus ſit.

Vide S. Auguſt. in Pſalm. 103. & lib. de gratia & lib. arb. cap. 6. Vnde Theodor. notat Sponſam à Septuag. vocari *dealbatam*; Sponſum verò *candidum*: quia ipſe natura eſt talis, Sponſa verò prius erat denigrata & fuſcata, eo quòd illam ſol aſpexiſſet: iam verò à Sponſo dealbata eſt & candoris eius particeps effecta, qui ſicut lux exiſtens ipſam lucidam & reddidit & appellauit; & ſanctus

ſanctus exiſtens, ſanctam & fecit & nominauit; & cum ſit reſurrectio, reſurrectione dignam eſſe voluit: ſic & albedinem ſuam illi communicauit. Hæc S. Auguſt.

S. Ambroſ. tamen ſerm. 14. in Pſalm. 118. pro *dealbata* legit *candida*, idque lib. 4. de ſacram. cap. 2. refert ad candorem baptiſmalem, quem admirantur Angeli. Porrò candor hic & puritas conſcientiæ exhibet animæ delicias paradiſi.

Alludit ad aſcenſum Hebræorum ex deſerto in terram promiſſam, duce Ioſue; ait Honorius.

## SECVNDVS SENSVS

*De Christo & Anima ſancta.*

Et anima ſancta.

CAſſiodor. Beda, Anſelm & alij hæc accipiunt de aſcenſu, id eſt, progreſſu animæ; vt eat de virtute in virtutem: Anima fidelis, ait Honorius, de deſerto aſcendit, cum malam vitam deſerit; & ad ſpiritualem conuerſationem per gradus virtutum aſcendit. Hæc deliciis affluit, dum ferculis ſcripturarum ſe delicioſè paſcit: ſuper dilectum eſt innixa, quia amore ſoli Chriſto infixa. Tres Patres apud Theodor. Quænam eſt hæc, inquiunt, quæ tam peritè docens, à rebus arcanis ad magis arcanas reconditáſque progreditur, ab omni peccatorum macula purgata.

Alanus.

Eleganter Alanus: *Deſcendit*, inquit, *in deſertum per natiuitatem, aſcendit per deſertum progrediendo de virtute in virtutem, aſcẽdit ſuper deſertum, omnem mundanorum contemnens ſublimitatem; aſcendit de deſerto in æternam beatitudinem.*

Rupert.

Vrget Rupertus τὸ *innixa ſuper dilectũ ſuum: Nimirum*, inquit, *vt non timeat timorem hominum, vt non deficiat in tribulationibus, quæ illam inuenerunt, ſiue inuentura ſunt, atque perſecutionibus inimicorum viſibilium & inuiſibilium, Paganorum, Iudæorum, hæreticorum & ſpirituum malignorum. Quomodo enim inter hæc omnia ſubſiſteret, niſi innixa eſſet ſuper dilectum ſuum? Nunquid innixa deberet eſſe ſuper ſemetipſam, aut ſuper quemlibet aliũ? tunc vtique caderet, ſtare non poſſet. Nunc autem dicit: Dominus illuminatio mea eſt & ſalus mea quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? ſi cõſiſtant aduerſum me caſtra; non timebit cor meum; ſi exurgat aduerſum me prælium: in hoc ego ſperabo. Hoc dicere, & facere, nimirum eſt innixam eſſe ſuper dilectum.* Hinc ſpei & amoris ſymbolum eſt hedera, ſic dicta à hærendo, quòd cum per ſe ſtare nequeat, ligno ſe affigens ita adhæret, vt diuelli nequeat; ſic anima ſancta ſuis viribus diffidens, & tota Chriſto confidens, ita illi adhæret, vt ab eo ſeparari nequeat. Vnde hoc eſt hedræ huius lemma: *Nunquam diuellar.* Exemplum eſt in S. Magdalena.

Vis ergo deliciis affluere? innitere tuo Ieſu, qui eſt mel in ore, melos in aure, iubilus in corde, ait S. Bernardus, ipſiúſque vitam ſequere. De his deliciis vide Iſaiam cap. 66. v. 11. & ſequent.

Gregor.

Audi S. Gregor. *Sancta anima de deſerto aſcendit, quia in exilio huius peregrinationis poſita, ad cæleſtia gaudia mente & cogitationibus tendit. Vnde & Paulus dicebat: Noſtra conuerſatio in cælis eſt.*

Philip. 3.

*Deliciis affluit, quia S. Scriptura meditationibus intendens, cæleſti pabulo aſſiduè mentem paſcit. Super dilectum innititur, quia in ſolius Chriſti auxilio confidens, eo largiente ab exilio ad patriam transfertur.* Et S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 14. v. 5.

Ambroſ.

*Anima*, ait, *meritis aſcendit albentibus, ex iſto vitæ huius, vt habent plerique, deſerto ad illum florentem ſemper locum iucunditatis æternæ: mirantur illæ virtutes, ex iſto confragoſo ſcopuloſóque deſerto, aliquam aſcendere animam poſſe ſine magnorum labe vitiorum, & ideo gratulantur repertam, quæ veſtimenta innocentiæ naturalis non polluerit atramento inſipientiæ ſæcularis; ſed magis ſapientiæ ſpiritalis & gratiæ candore mundarit.*

Myſticum deſertum triplex, è quo aſcendit anima, deſcribit S. Bernard. in ſententiis.

## TERTIVS SENSVS

*De Christo & B. Virgine.*

Et B. Virgo.

HOnorius Eccleſiam è Iudæis in fine mundi conuerſam, ſic gloriam B. Virginis admirantem inducit: Quæ eſt iſta, id eſt, quanta laude digna, *quam* virtuoſa *aſcendit de deſerto*, Libano mũdi, *deliciis affluẽs* cæli, *innixa ſuper dilectum ſuũ*, ab eo exaltata ſuper choros Angelorũ?

Haigrin.

Pleniùs Hailgrinus: *Aſcendit*, ait, B. Virgo per proceſſus meritorum: *Aſcendit* per gradus dignitatum, quæ conſurgens vt aurora, pulchra vt luna, electa vt ſol. *Aſcendit è vita præſentis exilio ſuper choros Angelorum aſſumpta. Aſcendit autem de deſerto, ſcilicet de mundo, quem ſic deſeruit, & tanquam deſertum reputauit, quod ab ipſo omnem ſuum auertit affectum. Affluere autem dicitur gratiarum deliciis & virtutum, & innixa ſuper dilectum. Nam ne perderet delicias affluentes, non ſuis meritis, ſed ipſius innitebatur gratiæ, qui gratiam tribuit, & meritum præmium ſupperaddit.*

Porrò S.Bernard.ſerm. 4. in feſto Aſſumpt B.Virginis, hæc tribuit Angelis admirantibus B.V.cùm à Chriſto in cælum aſſumeretur, decorem & gloriam; ideóque exclamaſſe: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens innixa ſuper dilectum ſuum?*

## VOX SPONSI,

*Sub arbore malo ſuſcitaui te: ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* Verſ. 5.

*SVB arbore malo ſuſcitaui.* (Arabicus *ſublenaui*) *te: ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* Septuag. *Sub malo exſuſcitaui te: ibi cum dolore peperit te mater tua: ibi cum dolore peperit te, quæ genuit te.* Syrus: *ibi corrupuit te mater tua, ibi violauit te genitrix tua.* Arabic. *dolores partus paſſa eſt in te.* Hebr.enim חבל *chibbel* & grçcum ὠδίνειν, vt vertunt Septuag.ſignificat cum dolore parere & eniti. Vnde propriè vertas: *Ibi magno dolore parturiit te mater tua.* Adhæc *chibbel* ſignificat quoque corrumpere, diſrumpere vt vertit Noſter.

Arabic. Lxx. Syrus. Arab. Hebr.

Nonnulli cenſent hæc eſſe verba Sponſæ de Sponſo, quia Rabbini pro *te* & *tua* ſuppoſuerunt punctum ה *cha*, quod eſt maſculinum; idque ne mater Sponſi, id eſt, Synagoga eorum dicatur eſſe corrupta & violata, quod eis videtur eſſe probrum. Rabbinos ſequuntur Hæretici & nonnulli Catholici, vt Luyſius Legion. Agathias, Nannius, Genebrardus, ſed variè explicant.

Primò, Bucolicè. q.d. Ego Sponſa ſub arbore malo legens poma, mea ſpecie, ſedulitate & gratia excitaui Sponſum ad mei amorem: ſic pulchri & gratioſi dicuntur è floribus vel inter flores nati, turpes verò & ruſtici dicuntur trunci, & è trunco exciſi. Sic Paſtor ille apud Virgil. Eglog. 8. Niſæ amore ſe captum ſub arbore teſtatur dicens:

Virgil. *Sepibus in noſtris paruam te roſcida mala*
*(Dux ego veſter erā) vidi cum matre legentē:*
*Vt vidi, vt perij, vt me malus abſtulit error.*

Hinc malus, ſiue pomus & poma, ſymbola ſunt amoris, iuxta illud cap. 2. v. 2. *Sicut malus inter ligna ſyluarum; ſic dilectus meus inter filios hominum.* Hinc & Aben Ezra hîc exponit. q. d. ita ſuauiter oles, ac ſi inter poma genita & nata fores.

Tigur. Secundò, Tigur. vertit: *ſub arbore malo deſtruxi te*, id eſt, quia ego Eccleſia malum ſiue pomum vetitum in Eua matre comedi, cauſa fui, cur tu, ô Chriſte, in cruce deſtrueretis & occidereris. Nam Deus pater voluit tua cruce expiare gulam meam.

Tertiò, Vatabl. vertit: *ſub malo excitabo te*, id eſt, ſub cruce, credendo te eſſe paſſum, excitabo te frequentibus precibus, vt crux tua mihi ſit veniæ, gratiæ & ſaluti. Alij aliter.

Verùm dico hæc eſſe verba Sponſi, non Sponſæ, ac proinde in Hebræo ſubſtituenda eſſe puncta, quæ ſignificent pronomina feminina pro maſculinis, vt pro עוררתיך *orartícha* legas עוררתיך *orartich*, pro אמך *immecha* אמך *immech*, pro חבלתך *chibbelatecha* חבלתך *chibbaletech*, & ita de cæteris quæ ſequuntur. Nam verba hæc eſſe Sponſi, vnanimi conſenſu docent S.Gregor. Theod. Caſſiod. Philo, Aponius, Beda, Iuſtus, Anſelm. Ruperr. Angelomus, Haymo, Alcuinus, S. Thom. cæterique omnes patres Græci æquè ac Latini. Fingitur ergo hîc Sponſa ſub malo legens poma à ſerpente admorſa, & periclitans de vita à Sponſo ſanata, & ad vitam quaſi ſuſcitata. Sic enim Chriſtus Euam eiúſque filios, à ſerpente diabolo in pomo vetito admorſos & lethaliter ſaucios, ad vitam per crucem reuocauit.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

NOnnulli ſic exponunt, q.d. ſub arbore ſcientiæ boni & mali comedit Eua pomum vetitum, itáque ſe & ſuos poſteros perdidit. Verum ego Deus infligens illi in pœnam tot labóres & ærumnas, ipſam denique mortem, eam ad pœnitentiam reuocaui, & à concupiſcentia gulæ ad charitatem meam ſuſcitaui. Verùm Patres omnes per arborem malum accipiunt arborem crucis: malus enim Latinis quamuis arborem præſertim frugiferam, vt ficum, pyrum, prunum, ceraſum, &c. ſignificat. Crux autem Chriſti nobis ſummè fuit frugifera. Addunt nonnulli crucem Chriſti factam ex arbore malo. *Sub arbore malo ſuſcitata Eccleſia.*

Imò S. Anſelm. ex nonnullis Græcis tradit ex ramis, vel ex ſemine arboris vetitæ quippiam ex paradiſo tranſlatum fuiſſe in Iudæam, ibique plantatum, atque ex eo ſuccreuiſſe arborem, ex qua facta eſt crux Chriſti. Sed hoc incertum & apocryphum videtur. Illud certius, quod idem addit, alludi hîc ad arborem

vetitam

vetitam: huic enim antitypè reſpondit arbor crucis Chriſti, ſicut pœna reſpondet culpæ, ſatisfactio crimini, pharmacum morbo. q.d. ſub arbore vetita, ô Sponſa, corrueras per culpã; quare ego ſub arbore crucis illi vicina te expiaui & ſuſcitaui: arbor enim crucis, obedientiæ & charitatis expiauit arborem voluptatis, inobedientiæ & cupiditatis.

Porrò in Sponſæ hoc glorioſo in cælum aſcenſu & triumpho Sponſus mentionem iniicit crucis, vt oſtẽdat vnde ei hæc gloria prouenerit, ſcilicet è cruce, idque hoc fine, vt Sponſa memor ſuæ vilitatis & lapſus, magis ſe humiliet, Sponſúmque reuereatur, ac in eius amorem magis accendatur, vtpote eum ſe ab eo in cruce à morte æterna redemptam, & ſuſcitatam recordatur. Adde, innuit hîc Salomon, tanta támque profunda eſſe crucis & amoris Chriſti crucifixi myſteria, vt ea in hac vita ad fundum penetrare nequeamus, quamtumuis de ea aſſiduè meditemur & contemplemur, ſed id reſeruari futuræ beatorum viſioni in cælo, qui in abyſſo diuinitatis videbunt abyſſum charitatis & crucis, in eáque ſe demergent & ſubmergent.

Senſus ergo eſt.q d. ô Sponſa, ô Eccleſia in hac tua gloria memor eſto, quòd ego moriens in ligno crucis te à morte ſuſcitarim, eo quòd in ligno Antiſtropho pomi vetiti, per comeſtionem & inobedientiam à ſerpente corrupta ſit mater tua Eua, quæ in te, dum te genuit, hoc peccatum originale quaſi naturali propagine tranſmiſit: Eua enim conſentiendo ſerpenti, id eſt, Diabolo, ei quaſi ſe violandam & corrumpendam proſtituit; ibi quoque violata eſt genitrix tua Synagoga (hæc enim eſt mater Eccleſiæ, quia ex illa prodiit) dum me ſuum Meſſiam & Regem, Põtificem & Legiſlatorem immani parricidio & ſacrilegio, imò Deicidio crucifixit: *quando enim Saluatorem ſuum in ligna fixit, ibi nefando ſcelere ſe corrupit*, ait S. Gregor. *Ipſe* ergo *lignum tunc notauit, damna ligni vt ſolueret.* Vt canit Eccleſia in hymno S. Crucis. Voluit enim Deus congruo ſuæ iuſtitiæ & ſapientiæ decreto, Chriſtum non gladio, non igne, non alio tormento, quàm ligno crucis occidi, vt commiſſum in ligno ab Adam & Eua peccatum ligno crucis expiaretur, vt diabolus, *qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur*, vt canit Eccleſia; *& vnde mors oriebatur, inde vita reſurgeret.* Hac de cauſa crux

Chriſti apparebit in cælo, cum Chriſtus ad iudicium veniet. Matth. 24. ac, vt multi volunt, in cælo perdurabit in æternum, vt beatos ſemper memores & gratos tanti beneficij efficiat. Ita S. Gregor. Caſſiod. Beda, Iuſtus, Anſelmus, Rupertus.

Audi Gulielmum: *Nam mortua eras in peccatis, vel innatis vel additis, viuificaui te ſub ligno crucis. De corpore meo pendentis in ligno, ſanguis redemptionis quinque riuis ſtillauit ſuper te, & ita ſub arbore illa ſuſcitaui te. Quid eſt ſub arbore illa? ſuſpicientem in arborem illam, ſuſpicientem æneum ſerpentem, id eſt, credentem in Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Gulielm.

Huc alludens Ezechiel cap. 16. v. 5 & ſeq. Synagogæ ſuam priorem vilitatem & ſordes, à quibus à Deo erecta, purgata & in Sponſam aſſumpta eſt, cogitandas obiicit: *Proiecta es*, inquit, *ſuper faciẽ terræ in abiectione animæ tuæ in die quado nata es. Tranſiens autem per te, vidi te conculcari in ſanguine tuo, & dixi*, &c. *Viue.*

Porrò quod Septuag. Arabicus & alij ex Hebræo vertũt: *Ibi magno dolore vel cruciatu parturiit te mater tua*, aptè Titelm. ſic exponit. q. d. In cruce Chriſti materna pietas & miſericordia, quaſi mater puerpera te parturiit immenſo cruciatu. Additque poſterius membrũ verti poſſe. *Ibi laborauit genitura tua*, vel *natiuitas tua*, hoc eſt, ibi patuit quanto pretio conſtiterit tua regeneratio, quanta difficultate peragi potuerit tua á morte redemptio, vtpote quæ non niſi per mortem vnigeniti filij Dei potuerit perfici.

Vnde S. Ambroſ. lib. de Iſaac c. 8. *Illic*, inquit, *parturiuit te mater tua*, &c. *pariuntur autem in quibus Chriſti imago formatur: vnde quoniam in Sponſa formatus erat Chriſtus*, ait, *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* Ambroſ.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

Svb malo, id eſt, ſub cruce per eius crebram meditationem & contemplationem excitatur anima ad amorem & feruorem, vt adeo ſui amantem redamet, ac amorem amori, ſanguinem ſanguini, mortem morti rependat: quia *ibi in dolore te peperit, quæ te concepit*, vt vertunt Septuag. id eſt, caro Chriſti, ait Philo, in tormento crucis paſſa, Sponſam ſibi peperit ſanguine redemptam, & aqua baptiſmi, quæ de latere Chriſti fluxit, ablutam: *Inſpice*, ait S. Auguſt lib. de Vir- *Et anima ſub cruce.*



 gin.

Auguſt. gin. *Vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices reſurgentis: caput habet inclinatum ad oſculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extenſa ad amplexandum, totum corpus expoſitum ad redimendum. Hæc quanta ſint cogitate, hæc in ſtatera veſtri cordis appendite, vt totus vobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce.*

Trita eſt S.Greg.ſentẽtia: *Nihil Deo graue eſt, quod non æquanimiter toleretur, ſic Chriſti paſſio ad memoriã reducatur. Parua enim toleramus, ſi recordemur quã dura verba, duriora verbera, duriſſima ſupplicia pro nobis ille paſſus ſit, qui in capite tulit coronã, in oculis velamẽ, in auribus conuicia, in ore fel, & acetum, in facie ſputa & alapas, in genis vellicationem, in humeris crucem, in corde mærorem, in viſceribus concuſſionem, in corpore flagella, in membris extenſionem, in manibus & pedibus perfoſſionem. Denique à capite ad pedum plantas vſque innumera ſuſtinuit vulnera & dolores.* Addit Philo huius mali arboris fructum, ſiue pomum eſſe Euchariſtiam, in qua caro Chriſti, in cruce amore noſtri magis quàm dolore aſſa & toſta, nobis manducanda exhibetur, vt nobis ſuum amorem, vitam & ſpiritum aſpiret.

Gregor.

Ruſus Tres Anonymi apud Theod. aiunt animam concupiſcentiæ infectam ex arbore vetita, cuius pomum comedit Eua, ſanari arbore crucis, ex qua diſcit voluptatem vincere cruce & mortificatione. Audi eos: *Sub rebus iſtis procreatis, quæ ſuauis pomi inſtar ſenſus omnes oblectant, te (ô anima) deſidia ad bonum complectendum inertem, & rerum caducarum ſtudio conſopitam excitaui, prouidentiæ iudiciique ſermonibus & rationibus impellens ad amorem & deſiderium mei: Illic enim in affectione rerum fluxarum concepit te prima mater tua Eua generans cum voluptate & pariens cum dolore. Quibus affectionibus, rerum fragilium deſiderio laborabas, voluptatem ſequens dolorémque fugiens, ad voluptatis finem ita contẽdens, vt à dolore velles ſeparari, quod quidẽ fieri nullo modo poteſt. Proinde ſi cupis ab iſtis perturbationibus eſſe libera, pone me vt ſigillũ,* &c. *quæ ſequuntur,*

Theodor.

Anagogicè. Honor. Anagogicè Honorius: *Animam*, inquit, *ſub arbore mali Chriſtus ſuſcitauit; quia poſt hanc vitam omne genus ad vitam per victoriam crucis viuificabit, quod per arborem tranſgreſſionis mortem ſubiit. Tunc Eccleſia recipietur in illa gloria, vbi corrupta eſt per ſuperbiam mater eius, ſcilicet dignitas Angelica, & vbi genitrix eius violata, videlicet numeroſitas electorum imminuta, quam ipſa redintegrabit, cum incorruptelam poſſidebit, & numerum electorum implebit: Tunc Chriſtum vt ſignaculum ponet ſuper cor ſuum,* &c.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

PRimò, ſub malo, id eſt, ſub cruce ſuſcitauit Chriſtus Euã & Adamũ. (Vnde & Adam ſepultus eſt in mõte Caluariæ, in quo crucifixus eſt Chriſtus, vt ſanguine è Chriſto in Adamũ ſepultũ ſtillante, ipſe à morte reſuſcitaretur, vti paſſim docent Patres: Sicut Pelicanus fertur pullos ſuos exanimes, ſãguine è pectore ſuo elicito viuificare) & omnes eorũ poſteros, inter quos eſt B. Virgo; ſed hæc quia iã à Deo decreta erat mater Chriſti, hinc à lapſu & peccato originali à Deo fuit præſeruata; dicitur tamen hîc ſuſcitata à lapſu & peccato, non quod actu incurrat, ſed quod incurrere debuiſſet ex propagine communi Adæ & Euæ, niſi per ſpeciale Dei priuilegium fuiſſet exempta. Pulchris ſimilitudinibus id explicat S. Auguſt. in illud Pſalm. 85. *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori:* Prima eſt: *Quemadmodum*, inquit, *ſi medicus videat tibi imminentem ægritudinem forte ex aliquo labore, & dicat, parce tibi, ſic te tracta, requieſce, iis cibis vtere; nam, ſi non feceris, ægrotabis; tu autem ſi feceris, & ſaluus eris; rectè dicis medico, liberaſti me ab ægritudine, non in qua iam eras, ſed in qua futurus eras.* Secunda: *Neſcio quis habens cauſam moleſtam mittendus erat in carcerem, venit alius, defendit eum, gratias agens quid dicit? Eruiſti animam meam de carcere.* Tertia: *Suſpendendus erat debitor, ſolutum eſt pro eo, liberatus dicitur de ſuſpendio. In his omnibus non erant, ſed quia talibus meritis agebantur, vt niſi ſubuentum eſſet, ibi eſſent; inde ſe rectè dicunt liberari, quo per liberatores ſuos non ſunt permiſſi perduci.*

Et B.Virgo.

Pſalm. 85.

Secundò, Chriſtus ſuſcitauit ſub cruce B. Virginem ad incrementum & feruorẽ charitatis, vt videns tãtum Chriſti in ſe & omnes homines amorem vſque ad mortem, & mortem crucis, hoc exẽplo viciſſim incitaretur, & quaſi incenderetur flammeo charitatis incendio, adeo vt optaret pro Chriſto & cum Chriſto crucifigi, ac ad omne genus tormentorum ſeſe Deo in holocauſtum, & victimam pro peccato offerret pro ſalute hominum.

Tertiò, B. Virgo Chriſto crucifixo aſtans, eúmque in holocauſtum Deo offerens pro reconciliatione mundi, dicit Eccleſiæ & animæ ſanctæ: Sub malo, id eſt, ſub cruce per mortem filij mei, quem pro te Deo in ſacrificium obtuli, ſuſcitaui te à peccato, morte & inferno.

Idem

Idem facit quotidie, dum pro peccatoribus per crucem filij Deum interpellat, eíſque veniam, gratiam & ſalutem impetrat.

---

Verſ. 6. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum; quia fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio: lampades eius, lampades ignis atque flammarum.*

CHALDÆVS, Arabicus, Rabbini & Catholici qui verſum præcedentem cenſent eſſe vocem Sponſæ, hunc quoque eidem aſſignat, quaſi ipſa petat, vt Sponſus cor ſuum & brachium iugi memoria, & amore Sponſæ tam miſeræ & peccato corruptæ, velut ſignaculo obſignet. Et ſanè poſſunt hæc verba tribui Sponſæ, quia ipſa imitatur affectum Sponſi, ad eúmque ſe ſuúmque animum fingit. Correlatiuus enim eſt affectus amórque Sponſi & Sponſæ: Hinc Chald. vertit: *Dicent filij Iſraël in die illa Domino ſuo: obſecro te, pone nos ſicut ſculpturam annuli ſuper cor tuum, & ſicut ſculpturam annuli ſuper brachium tuum, vt non addamus vltra eſſe exules.* Chald. Deniquetextus Hebræus ſignificat eſſe hæc verba Sponſæ, non Sponſi. Habet enim maſculinè שימני *ſimeni*, id eſt, *pone me ô vir*, ô Sponſe. Si enim eſſent verba Sponſi, dicendum fuiſſet femininè שימיני *ſimini*, id eſt *pone me ô femina*, ô Sponſa. Niſi dicas *ſimeni* eſſe infinitiuum, qui ponatur pro imperatiuo: Infinitiuus enim tam eſt femininus quàm maſculinus. Ita aliqui. Nã hęc eſſe verba Sõpſi ad Sponſam colligi videtur ex dictis v. præcedenti. Pendet igitur hæc gnome à præcedenti velut effectus à cauſa, & gratiarum actio à beneficio. q. d. quia ego Spõſus te ô Sponſa ſub malo pomi vetiti, à matre tua Eua comeſti, lethaliter ſauciam à plaga & morte, per malum & lignum crucis meæ ſuſcitaui; hinc tu viciſſim tanti beneficij memor, pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum. Prior ſenſus planus eſt, ſecundus obſcurior magíſque moralis, hinc eum proſequar. Nam Patres aſſenſent hæc eſſe verba Sponſi, non Sponſæ.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

SPonſus, vt magis Sponſam incitaret ad iugem ſui amorem, reuerentiam & gratiarum actionem, v. præcedenti iniecit mentionem crucis & mortis pro Sponſa Eccleſia obitæ: Vnde hîc iure ſuo poſcit, vt ſe crucémque ſuam iugiter gerat in corde & mente, ac in brachio & operatione, eóque quaſi ſignaculo cor & brachium obſignet.

Pro *ſignaculum*. Hebr. eſt, חותם *chotam*, quod propriè ſigillum & annulũ ſignatorium, quo literæ aliæque res obſignãtur, & ſigillantur, ſignificat. Radix enim חתם *chatam* ſignificat occludere, obſignare, ſigillo confirmare. Hebr.

Primò ergo *ſignaculum* hîc ſignificat ſigillum. q. d. Sponſus: me meique memoria & amore, ſigilla ô Sponſa cor tuum & brachium tuum, vt iugem mei formã & ſpeciem, velut imaginem in mente & actione tua ex me expreſſam & impreſſam conſerues. Ita Caſſiodor. Beda, Iuſtus & alij. Vnde Guilielmus: *Pone me vt ſignaculum*, hoc eſt, inquit, *Imprimere mihi intus, me iugiter cogitando; imprimere mihi foris, propter me ſtrenuè operando, vt pia cordis interna cogitatio in externam brachij operationem emanet.* Chriſtus cordis ſignaculum. I.

Rurſum. q. d. ita meos mores & vitam cordi & brachio tuo imprime, vt eorum ſimilitudinem in te, id eſt, in cogitationibus & actionibus tuis exprimas, vt qui te Chriſtianum viderit, Chriſtum ſe videre putet; ſicut qui videt imaginem in cera impreſſam, ſigillum ipſum & exemplar videre ſe æſtimat; ídque tam in agendo quam in patiendo, iuxta illud Pauli: *Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris.* 2. Cor. 4. 10. Ita S. Anſelm. & S. Ambroſ. lib. de Iſaac, c. 8. ac Theodor. *Vult*, ait, *Saluator, vt eum pro ſignaculo in contemplationibus & in actionibus noſtris habeamus, & notam ipſius tum dictis, tum factis imprimamus: Sic enim erunt vt numiſmata Regia, non adulterina, ſed regiam imaginem proferentia.* Sic & tres Anonymi. Paulus.

Audi S. Amb. *Signaculũ Chriſtus in frõte eſt, ſignaculũ in corde. In fronte, vt ſemper confiteamur, in corde, vt ſemper diligamus: Signaculũ in brachio, vt ſemper operemur. Luceat ergo imago eius in cõfeſſione noſtra, luceat in lectione, luceat in operibus & factis: vt ſi fieri poteſt tota eius ſpecies exprimatur in nobis. Ipſe ſit caput noſtrũ quia caput viri Chriſtus, ipſe oculus noſter, vt per eum* Ambroſ.

*videamus patrem: ipſe vox noſtra, per quam loquamur ad patrem: ipſe dextera, per quam Deo patri ſacrificium noſtrum offeramus: ipſe quoque eſt ſignaculum noſtrum, quod eſt perfectionis & charitatis inſigne, qua diligens pater ſignauit filium, ſicut legimus: Quem pater ſignauit Deus.* Ioann. 6.

2. Secundò, *ſignaculum* idem eſt quod ſtigma & ſignum, quale herus imprimit ſuis ſeruis, militibus, ouibus, bobus & rebus, vt ex eis liqueat illas res eſſe ipſius. Sic Apocal. 7. omnes electi ſignantur ſigno crucis. Chriſtus ergo hìc Sponſæ imprimit ſuum ſtigma crucis, vt ex eo liqueat eos eſſe ſeruos Chriſti crucifixi; ſicut Antichriſtus ſuam notam & characterem ſuis ſequacibus in manu vel fronte imprimet. Apocal. 13. verſ. 16. Ita Aponius. Huc accedit Anſelm. *Pone*
Anſelm. *me*, inquit, *regentem cor tuum & cogitationes tuas, vt pateat amicis te continere mea ſecreta; & inimicis item pateat ab eis ſecreta, quæ habes eſſe clauſa, habeáſque me vt rectorem in omnibus operibus tuis.*

3. Tertiò, *ſignaculum* idem eſt quod clauſtrũ ſigillo obſignatum, quo res pretioſas vel charas ita claudimus, vt ab aliorum cõtactu ſemotæ heri duntaxat voluntati, vſuiq; ſeruiant. Sic Sponſa quaſi hortus concluſus, & fons ſignatus, vti dixit cap. 4. 12. vni ſeruatur Sponſo, vt ille ſolus ea fruatur, nec quis alius vel hilum ex ea delibet, ſed ipſa totum ſuum cor, id eſt, mentem & cogitationem, ac brachium, id eſt, omnes ſuas operationes dedat & conſecret Chriſto Sponſo ſuo. Vnde Rupert. ſic explicat:
Rupert. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum*, &c. *id eſt, confidat in me cor tuum; roboretur ex adiutorio meo brachium tuum*, ſicut Imperiale ſignum contra Iudæos, Paganos & Hebræos.

Hac de cauſa Sponſus dare ſolet annulum Sponſæ, tum vt ſignum fidei, amoris & fiduciæ; tum vt eo res domeſticas obſignet. Audi Clementem Alexandrinum 3. Pædag. 2. *Dat ei annulum*
Clem. Alex. *aureum, nec eum quidem adornatum, ſed vt ea obſignet quæ domi digna ſunt, quæ cuſtodiantur; propterea quod ſeruandæ domus ad eam cura pertineat.* Et poſt pauca. *Atque honeſtum quidem eſt, vt viri vxoribus ſuis fidem habentes eis domus cuſtodiam permittant, vt quæ eis apitulatrices data ſunt.* Porrò Sponſa Eccleſia hìc in cælum ſcandens, iubetur meritò obſignari ſigillo Sponſi, vt in cæleſti eius thalamo velut res pretioſa, & ad eius ſolius vſum ſeruanda recondatur. Vnde S. Hieron. Epiſt. 22. ad Euſtochiũ de cuſtod. Virgin. *Quotieſcunque*, ait, *te vana ſæculi delectauerit ambitio, quoties in mundo videris aliquid glorioſum, ad paradiſum mente transgredere, eſſéque incipe quod futura es, & audies à Sponſo tuo: Pone me ſicut vmbraculum in corde tuo, ſicut ſignaculum in brachio tuo; & corpore pariter & mente munita clamabis, & dices: Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, & flumina non operient eam.* Hieron.

Quartò, *ſignaculum* poteſt ſumi pro imagine ſignata. q. d. Geſta ô Sponſa, mei, qui tuus ſum ſponſus, imaginem expreſſam in bulla aurea quam ſuper portas, & in armilla qua brachium ornas, vt iugiter mei recorderis, nec aliud cogites, ames aut agas, quàm de me aut propter me. Vnde Honorius, Chriſtum, ait, ponit ſuper cor ſuum, vt ſignaculum Sponſa, quia eius doctrinam & vitam in corde ita gerit, quaſi præſentem ſemper videat.

Sic Cicero lib. de finibus., docet Epicuri diſcipulos & amicos eius effigiem in annulis geſtaſſe, idem fecere alij aliorum amantes. Ex aduerſo de Iechonia ait Deus: *Viuo ego, ſi fuerit Iechonias annulus in manu dextera mea, inde euellam eum.* Ierem. 22. 24. Atque hinc Eccleſiæ damna omnia naſcuntur, quòd ſcilicet multi non Chriſtum, ſed mundum mundique idolum ponant ſignaculum cordis ſui; quòd ſcilicet ambiant mundanos honores, opes, delicias, non Chriſti amorem & gloriam.

Audi Hugonem Card. hæc & plura complectentem: *Pone me vt ſignaculum*, Hugo.
&c. q. d. *Volo, vt mei pro te crucifixi memoriam habeas; vt per te nihil nociuum intret aut exeat* (nam quæ abſcondita eſſe volumus, etiam ſigillo munimus) *vt mihi ſoli arcanum cordis aperias; vt ſpecies mea in te ſimilitudo reſultet; vt mei character amoris te ab omni alieno diſcernat; vt in caſtro tuo meum ſemper vexillum appareat.* Et poſt nonnulla: *Monile pectoris eſt ſignaculum cordis, ne affectio indigna ſurrepat; armilla brachij ſignaculum fortitudinis in exteriori operatione vt etiam in corpore noſtro ſtigmata Domini noſtri Ieſu Chriſti circumferamus.*

Denique S. Ambroſ. lib. de Iſaac &
anima cap. 8. *Sigillum*, ait, *Chriſtus in fronte* Ambroſ.
*eſt, vt ſemper confiteamur in corde, vt ſemper diligamus in brachio, vt ſemper operemur, vt ſi fieri poteſt, tota eius ſpecies exprimatur in nobis. Ipſe eſt ſignaculum noſtrum, quem pater ſignauit Deus*, &c Idem in Pſalm. 118. ſerm. 15. ad illa verſ. 120. *Confige clauſis à timore tuo carnes meas Fige*, ait, cordi tuo *hoc ſignaculum crucifixi: in fige & brachio tuo, vt*

opera

*opera tua peccato mortua ſint. Fortaſſe hanc imaginem claue non ſolum timoris, ſed etiam charitatis affigunt, quia valida eſt vt mors dilectio: durus ſicut inferi Zelus. His clauis charitatis configatur anima noſtra & caro noſtra, vt & ipſa dicat: Vulnerata charitate ego ſum.*

Porrò hanc Chriſti imaginem in corde imprimi ſigillo charitatis docet Guilielmus, dum ait: *Imprimere mihi quaſi ſignaculo, per amorem mihi fortiter adhærendo, vt à me quaſi ſignaculo formam accipias, vt mea ſubtili expreſſione ſimilitudinem trahas: quanta fuerit impreſſio amoris, tanta & erit expreſſio ſimilitudinis: quanto mihi fortius per amorem inhæſeris, tanto mihi ſimilior eris. Quanto te mihi impreſſeris fortius, tanto ego Chriſtus in te formabor expreſſiùs; & tanto tu in me reformaberis transformaberiſque inſignitus.* Et inferiùs: *Charitas hominem mundo conformem transformat: quia vt ſignaculum, ſic & formam mutat,* vt qui erat mundanus, fiat deificus & diuinus. Guilielm.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sanct.:*

CHriſtus crucifixus iubet animæ piæ, vt ſui effigiem iugiter in corde & brachio, id eſt, in mente & operatione geſtet, vt aliud non videat, cogitet, amet, operetur quàm Chriſtum crucifixum; ſed à mente & affectu omnes alias perſonas & res quantumuis pretioſas excludat; ac tacitè eidem ſpondet, ſi id faciat, ſe viciſſim illius memoria & amore obſignaturum cor ſuum, æquè ac brachium, vt aſſiduè de ea cogitet eámque curet, dirigat, propugnet, proſperet. Ita tres Anonymi apud Theodor. Sic Deus ait Zorobabeli, qui fuit typus Chriſti: *Aſſumam te Zorobabel ſerue meus, & ponam te quaſi ſignaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum.* Aggæi. 2. 24. vbi multa hac de re dixi. Sic Chriſto obſignatus erat S. Paulus, cũ diceret: *Ego ſtigmata Domini noſtri Ieſu Chriſti in corpore meo porto.* Galat. 6. 17. Et S. Franciſcus eadem corpori ſuo impreſſa à Chriſto accepit. Galat 6. Et S. Clara de Montefalco in Italia, cordi ſuo impreſſa Chriſti crucem, clauos, flagelli & ſpineam coronam, etiamnum tot annis poſt mortem ſpectantibus exhibet, idque refert Bozius lib. 1. de ſignis Eccleſ. cap. 18. Ita S. Agnes Sponſa Chriſti, de Sponſo ſuo aiebat: *Dexteram meam & collum meum cinxit lapidibus pretioſis, tradidit auribus meis inæſtimabiles margaritas. Poſuit ſignum in faciem meam, vt nullum præter eum amatorem admittam.* S. Agnes. Vbi ex S.

*Corn. à Lapide in Cant. Canticorum.*

Ambr. de ea canit Eccleſia. Porrò fidelis ita ſit ſignaculum & ſigillum Chriſti, vt eius idæam & mores aliis inſtar ſigilli imprimere ſatagat, vti faciebat Paulus, dicens: *Sicut portauimus imaginem hominis terreni, portemus & imaginem cæleſtis: qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes* 1. Corinth. 15. Et: *Empti eſtis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* 1. Corinth. 6. 20. Et: *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum,* Rom. 13. 24. Et: *filioli mei, quos iterum parturio donec Chriſtus formetur in vobis.* Galat. 4. 19. Paulus Corinth.

Audi S. Gregor. *In corde ſunt cogitationes & in brachio operationes. Super cor ergo & ſuper brachium Sponſæ dilectus, vt ſignaculum ponitur, quia in ſancta anima quantùm ab ea diligatur, & voluntate & actione deſignatur. Signum quippe ſancta mens interius & exterius Chriſtum portat, quia dum in eius meditatione aſſiduè laborat, in exteriori actione eum imitari non ceſſat, quo eius dilecta eſſe dubitari non debeat. De quo ſigno ipſe Sponſus diſcipulis ſuis aiebat: In hoc cognoſcent omnes quia verè mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. De qua dilectione mox ſubditur: quia fortis eſt vt mors dilectio,* &c. Exemplum memorabile eſt in S. Gertrude, quæ lib. 2. Reuel. c. 6. narrat Chriſtum Dominum in ſpecie pueri elegantiſſimi ſibi apparuiſſe, ac illapſum in animam ſuam, eam quaſi in ſe transformaſſe, eique dixiſſe: *Sicut ego ſum figura ſubſtantiæ patris in Deitate; ſic tu eris figura ſubſtantiæ meæ in humanitate, quia recipies in anima quaſi Deifica dona tibi miſſa à mea diuinitate, eo modo, quo aër recipit claritatem ſolis, vt hoc radio penetrata intimè vſque ad medullas, apta habiliſque fias ad familiarem vnionem mecum ineundam.* Et cap. 7. & ſeq. *Cum,* inquit, *in feſto purificationis recepiſſem S. Synaxim, mente intenta in Deum & in meipſam, percepi & ſenſi animam meam inſtar ceræ igne diuino liquefactam, talémque effectam ex ſigillatione pectoris Chriſti; ex eo enim impreſſos accepi theſauros gratiarum, in quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter: atque exinde extiti nobiliter ſignata charactere ſplendentis & ſemper tranquillæ Trinitatis; vt deinceps tota mentis auiditate anhelarem ad ſummum bonum in ſeipſo, quod es tu Domine in veritate tuæ æternitatis, quæ eſt abyſſus charitatis, ex qua immenſos amoris omniſque gratiæ & virtutis gurgites haurire licet.* Et lib. 1. c. 4. Chriſtus cuidam oſtendit monile quoddã ſplendidum & mirè ornatum, quod geſtabat cordi ſuo impoſitum. Monile hoc erat triangulum inſtar trifolij; Addidítque: *Inſignum amoris, quo Sponſam meam Gertrudem proſequor, continuò hoc monile geſtabo.* Et Gregor. Ioan. 13 *S. Gertrudis ſignata Chriſto.*

lib. 5. cap. 3. Imminente morte S. Gertrudis, Chriſtus eam mellifluo hoc promiſſo conſolatus eſt: *Ecce nunc tandem per meũ oſculum efficaciſſima ſuauitate plenum te mihi acquiram, pérque arctiſſimos diuini mei cordis amplexus offeram te meo patri cæleſti.* q. d. Hucuſque te in terra detineri permiſi maioris tui meriti ergo: at nunc, cum feruor delicati amoris non ferat vlteriores abſentiæ tuæ moras, ſoluam & eximam te velut deſideratum mihi theſaurum vinculo carnis, ſiſtámque te tuo creatori, vt deinceps refrigerem in te magnitudinem mei ardentiſſimi amoris, ſecundùm dulciſſimas deliciarum mearum delectationes.

Porrò reuelationes S. Gertrudis, æquè ac S. Brigidæ, Marr. Delrio agens de prophetia in Magic. aliíſque multi viri docti & Critici, qui initio Reuelationum S. Brigidæ citantur, laudant & venerantur vt probas & pias, eſto multa contineant ſymbolica, ideóque ſymbolicè interpretanda. Sunt enim à matronis eximiè ſanctis dictata. Quare dicere eas eſſe confictas, magnæ foret temeritatis & impudentiæ. Non tamen aſſeruerim omnia, quæ in illis ſcribuntur, propriè dictas eſſe reuelationes Deíque oracula, præſertim quia ipſi prophetæ ſubinde falluntur, putántque ſe ſpiritu Dei agi, cùm ſpiritu proprio, licet pio, aguntur, vti contigit Nathan prophetæ. 2. Reg. 7. v. 3. & 4. Hac de cauſa ſubinde reuelationes haſce citò, ſed parcè & cum grano ſalis vbi res exigit.

Honor. Anagog. Honorius hæc accipit de Eccleſia in cælis triumphante: *Tunc*, ait, *Chriſtum vt ſignaculum ſuper cor ponet, quia ipſum, qui eſt imago Dei, in ſeipſa, vt imaginem in cera expreſſam videbit: ſuper brachium vt ſignaculum ponet, quia ipſum pro labore operum mercedem accipiet. Ibi fortis eſt vt mors dilectio, quia ſicut mors omnes reprobos traxit ad interitum, ita Dilectio Dei omnes electos trahet ad gaudium. Dura eſt ibi ſicut infernus æmulatio, quia ſicut infernus omnes ſequaces Diaboli; ſic cælum omnes Dei imitatores Chriſti recipiet. Ibi omnes electi lampades charitatis erunt, quãdo accenſis lampadibus obuiam Sponſo & Sponſa ibunt, qui ſemper in amore Dei, vt ignis ardebunt, quia in regno patris ſui, vt ſol fulgebunt.*

Hic ſenſus non tã Anagogicus videtur, quàm litteralis. Agitur enim hîc de Eccleſia & anima in cælos aſcẽdente, vt ſuperius dixi: Beati enim in cælo Chriſtum vt ſignaculum geſtabunt in corde & brachio, iubilantes cum eo per omnem æternitatem.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto, & B. Virgine.*

Beata Virgo Chriſtum poſuit vt ſignaculum ſuper cor ſuum, non tantum ethicè per amorem pluſquam maternum, ſed etiam phyſicè, cum eum nouem menſibus in vtero portauit, concepit, aluit, genuit. Super brachium verò, cum eum iam natum in vlnis & brachiis geſtauit: quare non imago vel ſimilitudo Chriſti, ſed ipſiſſimus Chriſtus ei fuit ſignaculum cordis & brachij.

Audi Alanum: *Virgo Maria Chriſtum poſuit ſuper cor ſuum; vt ſignaculum, quia ipſi per imitationem conformata eſt, eiúſque gratia conſignata. Hoc autem fuit incognitum Diabolo & cognitum Angelo; ſuper brachium tuum, id eſt, in omnibus operibus tuis memor eris mei. Super cor virginis & ſuper brachium dilectus ponitur vt ſignaculum, quia in cogitationibus, quæ notantur per cor, & in actionibus, quæ per brachium, virgo filium imitabatur.* Alanus.

*Quia fortis eſt vt mors dilectio dura ſicut infernus æmulatio.*] Pro *fortis* Symmac. vertit *inexpugnabilis*. Pro *æmulatio* Hebr. eſt קנאה *kina* Septuag. ζῆλος id eſt, zelus, zelotypia, qua Sponſus adeo ardenter amat Sponſam, vt ſe pro ea periculis, duellis, mortíque ipſi obiiciat: vt nullum patiatur riualem, ſed ſolus Sponſa potiri velit: ac ſi quis eam ſibi eripere velit acriter in eum inſurgat, lædat, & occidat: Vnde Syrus & Arabicus vertunt: *Crudelis ſicut infernus Zelotypia.* Symmach.

Sunt verba Sponſi vt patet ex præced. Minùs rectè Chald. zelum refert ad hoſtes & perſecutores: *Quoniam*, inquit, *fortis eſt vt mors dilectio deitatis tuæ, & robuſtus ſicut gehenna zelus populorum, qui Zelant nos.*

Videtur prima fronte abſonã & horrida comparatio dilectionis cum morte & inferno; ſed hoc loco eſt conſona & commoda, quia amor Sponſi per crucem liberauit Sponſam à morte & inferno, cui ob peccatum addicta erat. Simili modo Apoſt. Rom. 1. potientiorem docet eſſe gratiam Chriſti; quàm fuerit peccatum Adæ, quod mortem in orbem totum inuexit; quia gratia Chriſti vtrumque deſtruxit. Amor igitur & fortitudo amoris Chriſti eſt clauſula & finis Cantic. Vnde Ioannes Gerſon Cancellar. Pariſ. finita expoſitione Cantic, ægrotans, identidem repetens hæc verba: *fortis eſt vt mors dilectio*, amori huic & hiſce verbis immortuus eſt, vbi initio in interpretibus dixi. Syrus. Arab. Chald.

PRI

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

Tò *quia* dat cauſam præcedentium, cur Sponſus ſub malo crucis ſuſcitarit Sponſam, ideóque ab ea poſcat, vt ſe ponat ſignaculum ſuper cor & brachium; cauſa enim fuit amor verus & merus. q. d. Ideo ego Chriſtus pro te ô Eccleſia, à morte ſuſcitanda cruci & morti me expoſui, quia te vt Sponſam puro meróque amore & zelo adamaui. Amor enim fortis eſt vt mors; zelus durus eſt ſicut infernus.

*Amor fortis vt mors.* 1. Primò, quia ſicut mors omnia domat, ſibíque ſubiicit, vt nullum viuens eius vim & imperium effugere queat: Et ſicut infernus ante Chriſtum omnes morientium animas abſorbebat, nec vlla eius manus euadere poterat, quin in eum deſcenderet: ſic pariter amor Chriſti vicit omnia flagella, clauos, ſpinas, crucem, dolores, probra, famem, ſitim, nuditatem omniáque dura & aduerſa, quæ fortiter perpeſſus eſt, vt Eccleſiam Sponſam ſuam à morte redimeret. Sicut ergo morti & inferno nihil reſiſtit; ſic & amori Chriſti forti & duro omnia ceſſerunt & ſuccubuerunt. Addit Caſſiod. & Beda Sicut infernus neſcit miſereri & à pœnis mitigari; ſic Chriſtus nequit deſiſtere ab amandis hominibus ob quantumlibet graues eorum improbitates.

2. Secundò, amor Chriſti fuit fortis ſicut mors & infernus, quia amor eum coëgit mori & deſcendere in infernum: Sed amor Chriſti fuit fortior morte & inferno, quia animas Patrum morti & inferno eripuit, illáſque ex eo liberauit,

Oſee 13. 14. iuxta illud Oſee 13. 14. *Ero mors tua ô mors, morſus tuus ero inferne.* Ita S. Ambroſ. lib. de Iſaac cap. 8. Caſſiod. Philo, Iuſtus, Beda & Gregor. Amor ergo tam fortis eſt, vt vicerit Deum, eúmque in carnem & crucem, quaſi charitatis victimam deduxerit. Quare ſicut Iacob præualens Angelo Dei vicario in lucta, ab eo vocatus eſt Iſraël, id eſt, dominans Deo; Sic multo magis amor nuncupari poteſt Iſraël, quia *vnus de Deo triumphat amor.*

3. Tertiò; quia amor facit vt amans, ſi res amata lædatur, vel ei eripiatur, ſummè angatur & crucietur, ac videatur ſubire ipſam mortis & inferni agoniam,

Pſalm. 17. iuxta illud: *Circumdederunt me dolores mortis, pericula inferni inuenerunt me.* Pſalm. 17.

4. Quartò, quia Chriſtus omnes hæreticos & impios, qui Sponſam ſuam Eccleſiam violare vel maculare contendunt, adigit in mortem & infernum; ſicut maritus occidit adulterum, iuxta illud: *Zelus & furor viri non parcit in die vindicta, nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.* Prouerb.6. Prouerb. 6. Hunc zelum habebat Moſes cum 23. millia Iſraëlitarum adorantium vitulum aureum occidit. Exod. 32. v. 34.

Porrò Chriſtus vt Sponſus eximium ſuum hunc in Sponſam Eccleſiam amorem illi proponit, vt viciſſim ſimilem ab ea exigat. q. d. Dixi; Pone ô Sponſa me vt ſignaculum ſuper cor tuum, ſignaculum, inquam, amoris, quod alias res omnes à corde tuo fortiter excludat: quia ſicut meus in te amor fuit fortis vt mors, & zelus durus ſicut infernus; ſic volo pariter vt tuus ſit: amor enim vult redamari: ſicut ergo ego te amo ardentiſſima charitate; ſic volo vt eadem tu me ames, nec alium amatorem admittas. Amor enim meus eſt zelus, quo vti nihil eſt vehementius, ſic nihil eſt magis ad offenſiones etiam leues magis irritabile. Irritatus autem gignit dolores & iras grauiſſimas, adeo vt præ illis mors & infernus parui faciendi ſint, ait Luyſius. Quare volo, vt amor tuus ſit fortis & durus, ſicut mors & infernus, vt fuit meus, vt ſcilicet inſtar inferni nulli rei vel aduerſitati cedat, ſed omnia domet ſibíque ſubiiciat, adeóque ipſam mortem & infernum ſuperet, ſibíque ſubſternat: Vnde Rupertus paucis ſic explicat: *Fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. q. d. Zelum magnum habet dilectio; iram intolerabilem habet æmulatio.* Et Rupert. Guilielmus: *Poſtquàm dixit: Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum, id eſt, ad expreſſionem mea in* Guiliel.p. *te ſimilitudinis fortiter mihi per amorem adhære, aptè ſubiungit; quia fortis eſt vt mors dilectio, &c. q. d. Nihil impoſſibile moneo, quia ſola ad hoc charitas ſufficit, quæ nimirum inſtar mortis animã à corpore extorquens, hominem ab amore mundi fortiter abſtrahit, & informandum illum mihi vt ſignaculum imprimit, & pro accepta à me forma tam robuſtum in eo zelum excitat, vt nullis illecebrarum blanditiis, nullis aduerſitatum violentiis cedat.*

Minùs genuinè S. Gregor. per æmulationem accipit inuidiam Iudæorum in Chriſtum: *Dura, ait, vt infernus eſt æmulatio, dura extitit, quia ſicut infernus ſine miſericordia, quos tenet, cruciat; ſic Iudaica plebs Chriſtum apprehendens; ſine reſpectu pietatis ad mortem trahebat.*

Et

Digitized by Google

Et Aponius,qui accipit æmulationem Hæreticorum: hæc enim, inquit, dura eſt ſicut infernus,quia ſuperbè æmulando Eccleſiam atque Catholicos,per omnia æquatur diabolo, qui inferni vocabulo nuncupatur, quòd inſtar inferni, neque precibus neque lachrymis poteſt molleſcere,& ita eſt durus,vt nequeat à ſua duritie molliri.

Myſticè, S. Anſelm. per mortem accipit diabolum mortis auctorem. q. d. Sicut diabolus inuincibiliter damnationem confert; ſic dilectio Dei ſaluationem.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

*Dilectio ſimilis morti.* 1. Gregor.

ANima amore Chriſti ſaucia, quod in ſe ſentit, hoc dicit;ſcilicet: *Fortis eſt vt mors dilectio,dura ſicut infernus æmulatio.* Primò, quia amor indncit mortem; facit enim eam mori omnibus cupiditatibus & rebus tēporalibus, vt vni Chriſto viuat. Ita Theod. Caſſiod.Beda, Anſelm.& S. Gregor.quem audi. *Quod mors agit in ſenſibus corporis, hoc agit dilectio in cupiditatibus mentis. Sunt enim nonnulli qui ſic diligunt Deum,vt omnia viſibilia negligant; & dū mente in æterna tendūt, ad omnia tēporalia penè inſenſibiles fiunt.In his nimirū,vt mors, dilectio fortis exiſtit, quia ſicut mors exteriores corporis ſenſus ab omni proprio & naturali appetitu interficit; ſic dilectio in talibus viris omnia terrena deſideria contemnere, mentem aliàs intentam compellit. Huiuſmodi mortuis & & viuis dicebat Apoſtolus. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.*Coleſ.3.

Et S.Ambroſ.in Pſalm. ſerm.15. v. 8.
Ambroſ. *valida eſt charitas ſicut mors: Charitas enim culpam & omnia peccata mortificat: Charitas mortis ictus interimit. Denique morimur flagitiis atque peccato,dum Domini mandata diligimus. Charitas eſt Deus, charitas Dei verbum eſt,quod eſt validū & acutius omni gladio acutiſſimo,vſque ad diuiſionem quidem animæ ac ſpiritus,artúſque & intima penetrans medullarum.Fortis* ergo *vt mors, dilectio*: quia ſicut mors nunquam frangitur, nunquā quieſcit, donec omnium mortalium vitas ſibi ſubegerit:ſic & dilectio non ceſſet, donec omnes paſſiones & vitia ſibi ſubiugarit. Nam vt ait S.Chryſ. hom. 1. ad Phil. *Adeo violentus eſt amor, atque vt ita dicam, tyrannicus; vt nulli cedat occaſioni, ſed continenter inhæreat amantis animo, neque committat vt vlla afflictio, aut vllus dolor ſuperet animam*; nec vlli ſumptui aut labori parcat.

Secundò, quia amor facit animam 2.
piam optare mortem pro Chriſto, vti optarunt martyres. Ita Beda, Philo, & S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 19. & Theodor.Sic S. Agatha lætiſſima & glorianter ibat ad carcerem, & quaſi ad epulas inuitata agonem ſuum Domino commendabat. Sancti item Marcus & Marcelianus, quorum anniuerſaria dies 18. Iunij recolitur, cum eſſent ad ſtipitem alligati, pedibus clauis confixis: *Nunquam*, inquiunt, *tam iucundè epulati ſumus,quàm hæc libenter Ieſu Chriſti cauſa perferimus, in cuius amore nunc fixi eſſe cœpimus; vtinam tamdiu nos hæc pati ſinat, quamdiu hoc corruptibili corpore veſtiti erimus*, vti habet eorum vita & Acta S. Sebaſtiani.S.Eulalia virgo & martyr, cum vngulis laccraretur,exultabat: *Hi*, ait, *ſunt characteres, quibus in carne mea & magis in corde meo inſcribitur & imprimitur Chriſtus*. Vnde Prudentius Hymo 3.περὶ στεφανῶν aſſerit eam dixiſſe: Marcus. Marcellian.

Prudent.

*Scriberis ecce mihi,Domine:*
*Quàm iuuat hos apices legere,*
*Qui tua Chriſte trophæa notant?*

Quocirca igne circumdata, flammam ore auido hauriens, martyr in cælum ſpecie columbæ euolauit. Vnde de ea canit Prudentius:

*Virgo citum cupiens obitum,*
*Appetit,& bibit ore rogum.*
*Emicat inde columba repens,*
*Martyris os niue candidior.*
*Viſa relinquere,& aſtra ſequi:*
*Spiritus hic erat Eulaliæ*
*Lacteolus,celer, innocuus.*

Et de S.Laurentio in craticula aſſato ait S.Leo ſerm. 1. de eo: *Flammis ſæuæ crudelitatis ſuperari charitatis Chriſti flamma non potuit: Segnior fuit ignis,qui foris vſſit, quàm qui intus accendit.* Et S. Gregor. homil. 3. in Euang. loquens de S. felicitate ſeptem martyrum matr. *Neque*, ait, *filios, quos carnem ſuam eſſe nouerat, ſine dolore poterat morientes videre; ſed erat vis amoris interius, qui dolorem vinceret carnis.*

Tertiò,quia ſicut morti & inferno ni- 3.
hil reſiſtit, ſic nec charitati: Sicut ergo mortem impedire nemo poteſt, quin veniat & mortificet;ſic nec charitatem, quin ſaluet, ait Anſelm. Rurſum ſicut infernus, ait Caſſiodor. quos ſemel receperit nunquam dimittit; ſic & ſolida dilectio & zelus animam, quam poſſidet,non deſerit. Vnde Paulus: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia?*

Paulus. *anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?* &c. *Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum,* (nec cælum, nec infernus, nec ſuperi nec inferi) *neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu*
Rom. 8. 35. *Domino noſtro.* Rom. 8. 35. Has tres cauſas affert S. Auguſt. Epiſt. 39. ad S. Hieron.
Auguſt. *Meritò*, ait, *charitas dicta eſt ſicut mors, ſiue quia nemo eam vincit, ſicut mortem: ſiue quia in hac vita eſt vſque ad mortem menſura charitatis, ſicut Dominus ait: Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Siue potiùs, quia ſicut mors animam auellit à ſenſibus carnis; ſic charitas à concupiſcentiis carnalibus.*

4. Quartò, ſicut infernus ſuis quos ſinu ſuo continet, non parcit; ſic nec verè amans parcit ſuis opibus, filiis & ſibiipſi. Ita S. Ambroſ. ſerm. 15 in Pſalm. 118.

*Sancti dolores inferni ſubeunt, vt animas ex eo liberent. Exempla.* Denique charitas compulit multos ſanctorum optare ſibi mortem & infernum, vt ex eo animas liberarent. Ita S. Paulus optabat anathema Chriſto fieri pro Iudæis. Rom. 9. v. 1. & 2. Et Moſes deleri de libro vitæ. Exodi 32. S. Chriſtina mirabiles ſubibat pœnas inferni, puta purgatorij, vt animas ex eo eriperet: quare in aquas gelidas, in rotas, in fornaces ardentes ſeſe iniiciebat & excruciabat, vti refert Card. Vitriaco in eius vita, & ex eo Surius. S. Agnes ex charitate Præfecti Romæ filium à morte & inferno ſuſcitauit. Idem fecere alij, imò multi cenſent S. Gregorium liberaſſe animam Traiani Imperatoris ex inferno. S. Catharina Senenſis optabat corpore ſuo obſtruere os inferni, ne qua anima amplius in illum ingredi poſſet.

Noſter Alphonſus Rodriguez Maioricenſis, ex incenſa charitate offerebat ſe Deo victimam, ad patiendum omnia tormenta inferni per totam æternitatẽ, pro ſaluanda anima cuiuſcunque Æthiopis, Indi, aut barbari. Quare meruit videre in extaſi omnes viros & feminas totius mundi, ac audire quòd tam ardenti amoris deſiderio tantum meruiſſet, quantum ſi totam illam multitudinem conuertiſſet.

B. Iacoponus tempore Bonifacij Octaui Pontificis, magnus ſui mundíque contemptor & Dei amator, ex nobili Aduocato factus Minorita, & quidem laicus, deſiderabat ſubire omnes omnium damnatorum pœnas, ſi Deo placeret, vt eos iis liberaret, omnéſque ſaluaret, ita vt ipſe omnium eſſet minimus in cælo, nec quiſquam ipſorum illi pro tanto beneficio gratias ageret. Ita habet eius vita in Italia celebris.

Porrò Chriſtus charitatem, quæ fortis ſit vti mors & infernus, exigit ab anima non tantùm ad ſe, ſed & ad alios ſaluandos. q. d. Sicut ego tui, ô anima mihi deſponſa, amore moriens mortem & infernum vici, téque inde liberaui; ſic pariter efficito & tu, vt tuo amori in me & fideles meos nec mors, nec infernus præualeat, vel prædam tibi eripiat: ſed tu potius vtrúmque vincas, & animas velut ſpolium è faucibus eorum extorqueas.

Hinc S. Anſelm. dura ait eſt ſicut infernus æmulatio; quia ſicut infernus eſt inſaturabilis. Vnde illud:

*Infernus inſatiabiliter caua gutture pandit;*

Indéq; infernus. Hebr. vocatur שאול *ſcheol*, id eſt, poſtulans, quòd ſemper animas poſtulet, nec vnquam impleatur, dicátque *ſufficit*. Prouerb. 30. 16. Sic pariter charitas eſt inſaturabilis; nam quo magis diligit Chriſtum, eo amplius & amplius diligere cupit; ac eũ multas ei animas lucratur, eo plures & plures lucrari ſatagit. Rurſum ſicut mors & infernus tabeſcere faciunt corpus & animam; ſic & zelus ſanctorum, cum vident Deum dilectum ſuum ab impiis offendi & violari. Teſtis eſt Dauid Pſalm. 118. *Tabeſcere me fecit Zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei.* Et rurſus: *Vidi præuaricantes, & tabeſcebam.* Et Elias 3. Reg. cap. 19. *Zelo zelatus ſum pro Domino exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filij Iſraël.* Teſtis noſtra ætate B. P. N. Ignatius, qui dicebat non tam horrere ſe gehennæ tormẽta, quàm blaſphemias, quæ à damnatis inter tormentorum aculeos in Deum iactabantur. Ita Sanchez. Vnde R. Salomon, Agathius, & Sottomaior ſic exponunt. q. d. Æmulatio & zelus animarum vrit æquè ac ignis, flammæq; infernales.

Pſalm 118.
3. Reg. 19.

Porrò S. Gregor. Caſſiodor. Beda, Aponius & Chald. per æmulationem accipiunt inuidiam, cenſéntque eam hic opponi dilectioni & charitati, quòd charitas fortis ſit vt mors; inuidia verò dura & crudelis vt infernus: ipſa enim eſt vitium, æquè ac tormentum infernale & diabolicum, quod per multas Antitheſes pulchrè repræſentat Noſter Hieron. Prado in Ezech. cap. 8. v. 2 Eas hic ſuaiicio: *Charitatis & inuidia Antitheta.*

Fortis

Digitized by Google

| DILECTIO. | ÆMULATIO. |
| --- | --- |
| Fortis vt mors. | Dura ſicut infernus. |
| Mors interimit. | Infernus cruciat. |
| Efficax in perimendo, ne torqueat. | Segnis in cruciãdo, ne perimat. |
| Si occidit, occidit ſemel. | De pœnis innocentum ridet. |
| Perimit ingenuè. | Cruciat ignobiliter. |
| Gloriæ eſt amare. | Ignominiæ eſt non redamari. |
| Labores conſummat. | Dolores geminat. |
| Alteram donat animam. | Vtramque eripit amanti. |
| Eſt interitus corporis vita animæ. | Eſt corporis, & animi cruciatus. |
| Potitur victoria. | Spolia detrahit. |
| Viuum necat. | Sæuit in mortuum. |
| Iuſtè perimit. | Iniquè ſauciat. |
| Eſt telum aureum. | Eſt cruciatus igneus. |
| Ditat quem traiicit. | Spoliat quem vrit. |

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

OMnia iam dicta præ omnibus competunt B. Virgini, præſertim quòd ipſa ex forti amore Dei, pro hominum ſalute ſeipſam & Chriſtum ſuum in cruce morti deuouerit, & in victimam piacularem obtulerit.

Rurſum, quòd ipſa ex amore Chriſti ſibi mortua erat, & vni viuebat Chriſto; vnde & à Theologis cenſetur, quòd non morbo ſed amore, puta ex continuo & ardenti deſiderio fruendi Chriſto & Deo exanimata, & mortua fuerit. Tanta enim fuit coniunctio & vnio B. Virginis cum Chriſto, vt ipſa reuelarit S. Brigidæ lib. 1. Reuel. cap. 35. *Cum*, inquit, *naſceretur* (Chriſtus) *ex me, ſenſi ego quòd quaſi dimidium cor meum naſceretur & exiret ex me; & cum ipſe pateretur, ſenſi quòd quaſi cor meum patiebatur: ſicut enim illud quod dimidium eſt extra, & dimidium intra, ſi illud pungitur quod eſt extra, aquè ſentit dolorem quod intus eſt: ſic ego, cum flagellaretur & pungeretur filius meus, quaſi cor meum flagellabatur & pungebatur.* Maria.

*Lampades eius* (dilectionis vel potius æmulationis zeli) *lampades ignis atque flammarum*. Lampades propriè dictas, quæ infuſo oleo lucent, hîc accipiunt Caſſiod. Anſelm. & alij, per eáſque accipiunt ſanctorum corda, in quibus quaſi in vaſis dilectio habitat, eſſéque *ignis*, quia intus ardent per amorem, & *flammarum*, quia exteriùs lucent per operationem Iuſtus Orgelit. vero ait, caſtos eſſe lampades, id eſt, vaſa charitatis, dicíque *ignis & flammarum*, quia ſemper ſunt ſplendida, & Spiritus ſancti igne feruentia. Verùm pro lampas hîc & alibi ſæpe idem eſt quòd tæda, titio, carbo, fax ardens, vt patet Iudic. 7. 16. Nam pro *lampades* Hebr. eſt רשפיה *reſcaphim*, quæ vox ſignificat omne id, quod volando adurit, incendit & inflammat. Alludit enim per Metatheſin ad *Seraphim*, id eſt, ardentes, incendentes: Vnde ſignificat ignem & fulgetra, quæ inſtar volucrum celerrimè diſcurrunt & adurunt, vt patet Pſal. 77. 48. item faces & ſagittas ignitas, quæ volant per aëra & domos vrbéſque incendunt, vt patet Pſal. 75. 4. Ex Hebræo ergo ad verbum hoc loco ſic vertit Hortolanus: *Carbones vel faces eius, carbones ignis, qui à flamma Dei.* q. d. faces & carbones charitatis & zeli ſimiles ſunt faculis ignitis, & flammis ardentiſſimis & maximis: quæ enim Dei ſunt, ſunt ſumma & maxima. Sic vocantur montes Dei & cedri Dei, id eſt, altiſſimi & maximi. Hinc *reſcaphin* hoc loco Septuag. vertunt πτέρυγες, id eſt, *volatilia*, id eſt, *volantia iacula*, vel *ala in circuitu*. q. d. charitas circundatur circumcirca alis igneis, vel ſagittis alatis & ignitis. Hinc Chriſtus crucifixus quaſi *ſeraph* alatus apparens S. Franciſco, eidem quinque vulnerũ ſuorum, quaſi quinque incendij charitatis ſtigmata impreſſit. Symach vertit *impetus eius impetus ignis*. Syrus *radij eius*: Arabicus: *Extenſio alarum eius ſicut alarum ignis*. Pagnin. *Prunæ eius, prunæ flammæ ignita ardentiſſima*. Sexta editio: *Scintilla eius ſcintilla ignis*. Alij *prunæ ſcintillantes*: Scintillæ enim volant, & volando ea, quæ contingunt, adurunt. De alis hiſce charitatis ita ſcribit S. Ambroſ. lib. de Iſaac cap. 8. *Bona charitas habens alas ignis ardentes, quæ volitat per pectora & corda ſanctorum, & exurit, quidquid materiale atque terrenum eſt; quicquid verò ſincerum eſt, probat, & quod contigerit, ſuo igne meliorat. Hunc ignem miſit in terras Ieſus, & refulſit fides, accenſa deuotio, illuminata eſt charitas, iuſtitia reſplenduit. Hoc igne inflammauit corda Apoſtolorum ſuorum, ſicut teſtatur*

Lampades ſunt faces.

Symmach. Syrus. Arab. Paguin. Ambroſ.

*Cleophas*

*Cleophas dicens: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, cum aperires ſcripturas. Ala igitur ignis in flamma Scripturæ ſunt diuina.*

*Charitas eſt ignis.* Charitas ergo & zelus Chriſti & eius
aſſeclarum, eſt inſtar ignis & flamma-
1. rum. Primò, quia illarum ad inſtar nun-
quam quieſcit, ſed ſemper arder, lambit,
adurit & incendit omnia; vnde ipſe ait:
Luc. 12. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo,
niſi vt accendatur?* Lucæ 12. 49.

2. Secundò, quia ſicut ignis cruciat cor-
pus, ſic zelus animum, præſertim, ſi vi-
deat Sponſam ab alio amari, vel alium
à ſe amare.

3. Tertiò, ſicut puluis tormentarius mœnibus domibúſque ſubiectus, ſi incendatur, vi ignis diſiicit, imò in altum eiaculatur domos & mœnia horrendo impetu & fragore: ſic & zelus omnes obices quantumuis magnos diſiicit & diſpellit.

*Emblemata Amoris.* Extat emblema Alciari, in quo amor currui inſider, quem trahunt quatuor leones; & alterum, in quo Cupido pingitur cum alis, arcu & ſagittis; depluunt è cælo circumcirca igneæ ſagittæ, ſed fractæ; quo ſignificatur amorem vincere Deum & totum orbem incendere. Vnde lemma:

*Aligerum fulmen fregit Deus Aliger, igne,*
*Dum demonſtrat vti eſt, fortior ignis amor.*

Chriſtus ergo quot pro nobis labores exantlauit, quot aduerſa pertulit, quot flagella, vibices & dolores pro nobis pertulit; tot ſagittis amoris ardentibus cor noſtrum confixit. Tantùm enim fuit Chriſti amoris incendium, talibúſque flammeis alis Seraphinus noſter in cruce panſus, totúſque accenſus superuolauit; vt nihil non vicerit; nam & mortem fortiter pertulit, vt eam moriendo ſuperaret; & infernum quantumuis duriſſimum fregit, vt quos durè ſtrictos tenebat, duriter ac potenter eriperet.

Hinc de Cherubinis Chriſti ſtipatoribus ait Ezechiel cap. 1. 23. *Aſpectus eo-*
Ezech. 1. 23. *rum quaſi carbonum ignis ardentium, & quaſi aſpectus lampadarum.* Et verſ. 12. *Vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur.* Hinc & Chriſtus in Pentecoſte miſit Spiritum ſanctum ſpecie linguarum ignearum, vt iis Apoſtoli totum orbem ſuccenderent. Actor. 2. Vnde Aponius hîc lampades accipiens flammas Spiritus ſancti:
Aponius. *Vinacitas*, ait, *verbi Deitatis, & flammarum illuminationis mentium illuxit de lampade Spiritus ſancti.* Clariùs S. Anſelm. ardores, inquit, ſunt dilectionis Spiritus ſancti, qui eſt ignis: ſuntque tales, vt etiam luceant, quia eos, qui diligunt, lucere faciunt, vt verbo & exemplo illuminent; ſed magis vt accendant, qualis præ omnibus fuit B. Virgo. Vnde S. Cyrillus hom. contra Neſtorium, eam vocat *lampadem inextinguibilem.*

Sic S. Paulus adeo charitate erat refertus & circumuallatus, vt ipſa charitas eſſe videretur; ideo igneis charitatis alis quaſi fulgur orbem peruolauit & incendit. Idem hoc ſæculo in Europa & India fecêre S. Franciſcus Xauerius, Gaſpard Barzæus aliique viri Apoſtolici, & etiãnum faciunt. Audi S. Chryſoſt. hom. 2. in Acta Paulum Angelis conferentem,
imò præferentem: *Nam & tanquam penna-* Chryſoſt.
*tus totum docendo peruolauit orbem, & velut incorporeus labores omnes periculáque contempſit, & quaſi iam cælum poſſidens cuncta prorſus terrena deſpexit; & tanquam cum ipſis iam incorporeis degeret, ita iugi mentis intentione vigilauit: & Angelis quidem ſæpe diuerſarum gentium cura commiſſa eſt, ſed nullus illorum ita creditum ſibi populum gubernauit, vt Paulus, vniuerſum gubernauit orbem.* Et mox: *Michaë-
li gens vna commiſſa eſt Iudæorum, Paulus verò* *Paulus erat
terra ac Maria atque vniuerſi orbis habitatio.* *quaſi Charitas.*
Et hom. 3. *Cùm verò celſus in omnium conſiſteret arce virtutum, omnem tamen flammam præcipuo charitatis ardore vincebat, vt enim miſſum in ignem ferrum totum profectò ignis efficitur; ſic Paulus charitate ſuccenſus totus factus eſt charitas, qui quaſi communis totius mundi eſſet pater, ita in amore omnium ipſos eorum imitabatur parentes, imò cunctos non carnales tantummodo, verùm etiam ſpirituales patres ſolicitudine ac pietate ſuperabat, & pecunias & verba & corpus & animam pro his, quos diligebat, impendens.* Et hom. 16. in Epiſt. ad Romanos explicans illud c. 9. *Optabam anathema eſſe. Etenim*, inquit, *omni pelago latior, omni flamma vehementior erat hæc dilectio, ac nulla illam pro dignitate dictabit oratio: ſed ille ſolus eum nouerit, quiſquis eadem exactè præditus fuerit.* Audi Laurentium Iuſtin. lib. de caſto connubio ver-
bi & animæ, in fine: *Ignitus amor ſemper* Laurent.
*meditatur noua, & inſueta componit. Impatiens namque quum ſit, cogitare non deſinit, quomodo ardentius diligat, diligatur dulciùs, fortiùs teneat, familiarius conuerſetur. Nil ſecum amari vult, ſolus cordis cõcupiſcit poſſidere principatũ. Hinc zelotypia, hinc querimoniæ, hinc amoris murmur, ingeminatio verborum, & abſentiæ intolerantia. Nec à clamore vox, nec gemitus à corde, nec ab inquiſitione ſolicitudo, nec ab intimis conquieſcit deſiderij ardor, niſi per præſentiam dilecti: qui namque feruentius diligit, fatigatur vehementius, quamuis ipſum amoris*

*immenſitas non permittat conſiderare laborem.* Deinde huius amoris mira gaudia & fructus recenſet: *Ex lege igitur amoris, ſancti connuby quanta ſint gaudia, quantáque flagratio charitatis comprobari poteſt. Ex eadem quoque Sponſæ excellentia, atque illius donorum ſublimitas, deliciarum opulentia, latitudo cordis, mentis magnanimitas, ſuauitas ſpiritus, amoris confidentia, deuotionis delectatio, veritatis ſcientia, conſcientiæ puritas, virtutum perfectio; charitatis vinculum, exultationis tripudium, iubilationis gaudium, deſideriorum æſtus, pacis abundantia, contemplationis guſtus, rectitudinis conſtantia, morum probitas, ſapientiæ fœcunditas, luminis delectatio, humilitatis exercitatio, compaſſio fraternæ dilectionis, innocentia candidatio, mundicia decor, iucunditas ſanctitatis, diuinæ magnitudinis laudatio, & verbo ſufficienter agnoſcitur ipſius inhaſio ſalutaris.*

Porrò Chald. S. Gregor. & alij qui æmulationem in malam partem accipiunt pro inuidia & odio, eidem lampades, id eſt, prunas & faces haſce aſſignant. Vnde Chald. vertit: *Et inimicitia, quam referuant nobis ſimilis eſt prunis gehennæ, quam creauit Deus, vt ſuccendantur in eo cultores idololatriæ.*

Chald.

S. Gregor. de inuidia Iudæorum in Chriſtum ſic explicat: *Lampades eius lampades ignis atque flammarum: Sicut enim ignis, qua incendit, conſumit; ſic Iudæos ab omni fidei virtute inuidia ſua deſtruxit, de quibus bene alibi dicitur: Et nunc ignis aduerſarios conſumit, ac ſi diceretur antequam ad æternum ignem veniant, in præſenti conſumuntur, quia in ſe ipſi ignem inuidiæ portant, qui ſine portantis combuſtione non portatur. Hic ignis inuidiæ flammas protulit, quando per exempla in quibus acceſus eſt, etiamſi in Gentilibus vſque ad Chriſtianorum martyria, per mundũ vniuerſum excreuit: ſed quia hinc ignis inuidiæ, hinc ignis charitatis ſe extulit, ideo ſubditur. Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem: nec flumina obruent illam.*

Gregor.

Anagogicè.

Anagogice Beati in cælo erunt, quaſi lampades ignis atque flammarũ, quia fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum, vt ait Chriſtus; & æque ardebunt. Erit ibi plenum charitatis incendium, quo Chriſtus vt Sponſus & Sponſa Eccleſia, puta omnes electi, ſe inuicem ardentiſſime diligent in omnem æternitatem. Vnde Arabicus ad hunc verſum neruosè addit: *Nec eſt menſura incendij amoris.*

Hic ſenſus non tam anagogicus, quàm literalis eſt; Agitur enim hic de Sponſa ſuſpirante ad cælum, vbi erit nuptiarum ſpiritualium, æquè ac charitatis conſummatio: Quare hic æſtus amoris reciprocus, qui hic deſcribitur, nuſquam alibi propriè & plenè inuenietur quàm in cælo. Vnde S. Ambroſ. lib. de Iſaac cap. 8. pro *lampades ignis* legens ex Septuag. *alæ ignis: His alis*, inquit, *euolauit Enoch raptus ad cælum: His alis euolauit Elias curru igneo, & equis igneis ad ſuperna translatus: Hu alis Dominus Deus per columnam ignis deducebat patrum plebem: Has alas habuit Seraphim, quando ſumpſit carbonem de altari, & tetigit os Prophetæ, & iniquitates eius abſtulit, & peccata purgauit.*

Ambroſ.

---

Verſ. 7. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.*

AQVÆ *multa non potuerunt* (Ita Rom. nonnulli legunt *poterunt*: Sic enim habent Hebr. Syrus verò & Arabicus *poſſunt*, quia Hebræi per vnum tempus, puta futurum, reliqua duo, ſcilicet præteritum & futurum ſignificant: Vnde Noſter mox vertit in futuro *obruent*: ſignificatur enim hic conſtantia & vis charitatis Chriſti & Eccleſiæ, quam nulla aduerſa extinguere potuerunt, poſſunt aut poterunt) *extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: ſi dederit homo omnem ſubſtantiam* (Septuag. *omnem vitam*, id eſt, omnem victum quo ſuſtentatur vita) *domus ſuæ pro dilectione* (Septuag. *in dilectione*) *quaſi nihil deſpiciet eam*, non charitatem, ſed ſubſtantiam, vt patet ex Hebr. Septuag. *contemptu contemnent eum*, ſcilicet βίον, id eſt, victum; licet Rabbini referant ad hominem. Vnde Vatabl. vertit: *Si quis det omnes opes domus ſuæ pro amore, omnes eum maximè contemnent*, tanquam iniquum & ridiculum emptorem, vtpote qui charitatem rem pretioſiſſimam viliſſimis opibus emere velit. q. d. Charitas ſuperat omne pretium, omne aurum, omnes opes & res pretioſas. Ita Theodor. & cæteri. Symmach. *pro charitate ſpretus ſpernetur.*

Arabic.

L x x.

Hebr.

Vatabl.

Pro *obruent illam* Hebr. eſt ישטפוה *iſtephuha*, id eſt, inundabũt, & magna aquarum abundantia æque ac impetu ſubmergent, obruéntque eam Pagnin. *profundabunt eam.* Arabicus: *Et flumina non poſſunt abluere veſtigia eius. Si homo commutauerit omnem ætatem ſuam pro amore; non deſpicient illum*, ſcilicet amorem, vel hominẽ: Chald.

Hebr.

Pagnin.

Arab.

Chald. more ſuo referens hæc ad Iudæos, ſic vertit: *Dixit dominator ſaculi populo ſuo domui Iſraël: quamuis congregentur omnes populi, qui comparati ſunt aquis maris, quæ ſunt multa, non poterunt extinguere miſerationes meas à te: etſi congregati fuerint omnes Reges terræ, qui comparati ſunt aquis fluminis, quod defluit cum impetu, non poterunt euellere te à ſæculo: Et ſi dederit vir omnem pecuniam domus ſuæ, vt poßideat ſapientiam in captiuitate, ego reddam & duplum in ſæculo venturo: & omnis præda quam deprædabitur de caſtris Gog, ipſius erit.*

Chald.

# PRIMVS SENSVS

## *De Chriſto & Eccleſia.*

ADeo fortis fuit amor & zelus Chriſti erga Sponſam Eccleſiam, quam ſub arbore malo, id eſt, ſub cruce ſuſcitauit, vt nullæ aquæ, torrentes vel flumina perſecutionum, tormentorum, dolorum, ærumnarum, contradictionum, ingratitudinum, contemptuum, blaſphemiarum, perfidorũ Iudæorum, vel Gentilium potuerint eum extinguere, vel ſopire, quin pro illis ipſis maximos labores prædicando exantlaret, & dolores ſubiret, ac tandem vitam in cruce atrociſſima profunderet, etiamſi in cruce ab iis rideretur & blaſphemaretur, omníque infamia & dedecore velut latro afficeretur; imò potius hiſce aquis & hoc frigidiſſimo cordium humanorum gelu omnique contrarietate ſuperata, quaſi per antiperiſtaſin amor Chriſti vehementiùs exarſit, tonauit, fulgurauit, & in ſimilitudinem fulguris coruſcantis erupit. Ezech. 1. 14. Vnde iturus ad paſſionem, Euchariſtiam quaſi pignus immobilis æternique amoris inſtituit, iuxta illud: *Cum ſuos dilexiſſet, qui erant in mundo, vſque in finem* (tum vitæ tum amoris, id eſt, extremo ſummóque amore) *dilexit eos.* Ioan. 13. quin & in ipſa cruce pro crucifixoribus ardentiſſima charitate cũ lachrymis orauit. Vnde multi eorum in Pentecoſte audita S Petri prædicatione pœnituerunt, Chriſtique fidem amplexi baptizati ſunt. Actor. 2. Chriſti ergo vita in morte fuit extincta, at non charitas; hæc enim mori non potuit, ſed in morte viua permanſit. Rationem ſubiungit: *ſi dederit homo omnem ſubſtantiam* (Septuag. *vitam*) *domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* q d. Chriſtus pro charitate Dei & hominum omnia ſua profudit, quia charitas eſt res pretioſiſſima, tranſcendens & diuina, quæ omne pretium tam auri quàm laborum & dolorum ſuperat, pro qua omnes opes, omnes vires, omnes ſudores vitáque ipſa expendenda eſt. Nam, vt ait S. Ioannes Epiſt. 1. cap. 4. 16. *Deus charitas eſt; & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Robur amoris Chriſti

Lxx.

S.Ioannis.

Emblema.

Alciatus in Emblem. pingit amorem robur Iouis infrigentem, & totum orbem incendentem. Rurſum pingit eum nudum humeris, alatum, dextra tenentem piſcem, ſiniſtra faſciculum florum, quæ ſymbola hiſce verſibus declarat.

*Nudus Amor viden' vt ridet, placidúmque tuetur,*
*Nec faculas, nec quæ cornua flectat, habet.*
*Altera ſed manuum flores gerit, altera piſcẽ,*
*Scilicet vt terræ iura det, atque mari.*
*Nudus amor blandis idcirco arridet ocellis;*
*Non arcus, aut nunc ignea tela gerit.*
*Nec temere manibus florem, delphináq; tractat:*
*Illo etenim terris, hoc valet ipſe mari.*

Alciatus.

*Charitas* (inquit Marcil. Ficinus) *numen eſt amatorium: Si quem prehenderit, veluti ex ſpeculo oculari faciet flammantes radios. Mentem illuſtrat, voluntatem accendit, reflectitque lucem.*

Ficinus.

Simile ſubinde eſt videre in amore mundano & carnali, vt nullis aduerſis, nullis iniuriis etiam amati reſtinguatur; ſed potiùs iis magis accendatur. Vnde illud vulgo iactatum. *Iniuria ſoluit amores,* falſum eſſe queritur amator in Epigram. dicens:

*Fabula, quod iactant, iniuria ſoluit amores:*
*Namque redardeſcit ſic magis iſte furor.*

Porrò Chriſtus vt Sponſus ſimilem à Sponſa amorem, imò amoris fortis vices, quibus ab eà redametur, exigit: Solent enim Sponſæ à procis ad adulterium ſollicitari vel metu pœnarum, vel ſpe munerum: vtrúmque hîc Sponſus excludit, adeóque fortem à Sponſa amorem requirit & conſtantem, vt nullis tormentis, nullis muneribus vel opibus expugnari poſſit: quare ſuo exemplo diſcat Eccleſia & anima pia, ita cor ſuum & brachium amore Chriſti obſignare, vt nullis pœnis, nullis præmiis inuſtum cordi ſignaculum exuri, eradi, aut deleri ſinat, præſertim in perſecutione Antichriſti, quæ vti erit vltima, ſic & acerrima; ad quam proinde ſuperandum, incenſa charitate hic Chriſtus ſuos obarmat. Ita S. Gregor. Caſſiodor. Beda, Anſelm. Rupert. & S. Hieron. lib. 14. in cap. 47. Ezech. vbi ſic legit: *Aquæ multæ non poterũt reſtringuere charitatem, & flumina*

Hieron.

*non demergent eam.* Audi S. Ambroſ. libr. de Iſaac cap. 8. *Meritò Hebræi pueri in fornace ardenti non ſentiebant ignis incendia, quia charitatis eos flammæ refrigerabat. Aqua multa non poterit extinguere charitatem. Charitas adamante fortior, & vinculum indiſſolubile. Nulla diluuia paſſionum charitatem excludere poſſunt, nulla eam acerbitatum flumina inundare. Sicut enim arca in illo mundi diluuio totius orbis ſpatiis innocua ferebatur; ita & tu aduerſus omnium tentationũ fluctus immobilis perſtas.* Ambroſ.

Quare minùs aptus & congruus eſt ſenſus, quem afferunt Philo, Iuſtus & Aponius. q. d. Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pauperibus *pro dilectione*, hoc eſt, pro eo vt diligeret; ſi videlicet eleemoſynam externam præpoſuerit charitati internæ, malens hac carere & illam habere, quaſi nil dederit, *deſpiciet eum* Chriſtus iudex, eiúſque Angeli. Nam vt docet Apoſtolus 1. Cor. 13. ſine charitate nil prodeſt ad ſalutem nec eleemoſyna, nec ſcientia, nec martyrium.

## SECVNDVS SENSVS

*De Christo & Anima Sancta.*

CHriſtus pro animæ ſalute nullis laboribus vel doloribus ſe ſuperari permiſit, ſed pro ea mori & crucifigi voluit. Vicem ergo reddat anima Chriſto, vt nullis tentationibus, nullis terroribus, nullis promiſſis, nullis tormentis, nullis voluptatibus ab eius amore vel hilum abduci ſe ſinat, ſed fortis, imò fortior & conſtantior in omnibus euadat, inſtar aſphalti, qui igne non vritur, ſed alitur, iuxta illud:

*Alit vnda flammas, quoq; prohibetur magis,*
*Magis ardet ignis.*

Titillet ergo caro, mundus blandiatur, dæmon inſidietur; ſtet verus Chriſti amator infractus, nec ſe vllis blanditiis decipi, nec vllis minis deiici ſinat; ſed cum Paulo omnia *arbitretur vt ſtercora*, eáque deſpiciat, imò exhorreat. Cecidit Petrus tentatus ab ancilla & Iudæis ex metu, ac Chriſtum negauit, quia necdũ perfectam habuit charitatem; at vbi eã accepit à Spiritu ſancto in Pentecoſte, nullas Pontificum minas vel pœnas extimuit, quin Chriſtum palam & animosè prædicaret, dicens: *Oportet magis obedire Deo, quàm hominibus.* Act. 4.

Audi S. Greg. *Charitate quippe martyres ſancti viuaciter ardebant, quia in Dei & proximi dilectione mirabiliter flagrabãt. Hanc charitatem aqua multa extinguere non poterant: quia* Gregor.

*quantæcunque tribulationes eis fierent, ad odiũ eos tranſmutare non valebant. Hoc nimirum eſſet charitatem extinguere ſi in tribulationibus, quas ingerebant, ad Dei aut proximi odium eos humiliare potuiſſent. Sed cum aqua dictæ ſint, quid rurſum per flumina, niſi aquarum ipſarum incrementa & viuacitas intelligitur? flumina quippe viuas aquas ſolere dici cognoſcimus. Flumina ergo maximas tribulationes accipimus, quæ dum per totum orbem ſuper martyres ebullierũt, ad extinguendum charitatis ignem grandi impetu confluxerunt. Sed quia inter flumina adeo charitatis vigor vixit, vt potiùs flumina conſumeret, quàm ſe ab illis extingui permitteret, ideo multi etiam perſecutorum ad eandem charitatem ſe conuertebãt, adeo vt dimitterent quicquid in mundo poſſidebant, & ſeipſos morti darent, quàm prius patientibus crudeliter inferebant.*

Et nonnullis interiectis: *Sed homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione tribuit, quando quicquid in mundo poſſidet, pro Christo diſtribuit, vt abiiciens, quod impedit, Deum diligat, & terſo puluere ſollicitudinum oculos aperiat, vt Deum videat. Et cum omnem ſubſtantiam dederit, quaſi nihil eam deſpicit, quia poſtquam oculum terſit, & Deum conſpexit, in illius viſione quicquid poſſederat, nihil pẽdit. Hoc Apoſtoli fecerunt, qui non ſolùm poſſeſſa, ſed etiam cupita vt Chriſtũ ſequerentur, dimiſerũt.*

Exempla dat Theodoret. Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, & Moſen: *Abrahæ charitatem*, inquit, *erga Deum, nec vitæ traductio in terra aliena, neque inopia & fames, neque vxoris ereptio, neque filij ablatio, neque de puteis contentio potuit extinguere; neque Iſaac charitatem moleſtiæ, quibus afflictus fuit; neque charitatem Iacob aſſidui labores & dolores vitæ. Quid Ioſeph tentationibus atriùs? qui à fratribus venditus eſt, & parentibus, à quibus diligebatur, & maiorum ſuorum priuatus eſt domo, & libertate, & fortunis, & indignè ſeruiuit, & pudicitiæ præmium calumniam retulit; & in carcerem coniectus eſt, & incommoda ſuſtinuit innumerabilia; quibus tamen omnibus Charitas erga Deum ſplenduit illuſtrior. Atque vt magnũ Moſen & Ioſue imperatorem, & eximios Prophetas Samuelem & Dauidem & Eliam & Eliſeum ſilentio prætereamus, quid Babyloniis immanius aut truculentius vnquam fuit? quid camino ignis ab illis incenſo formidabilius? attamen ne ille quidem trium puerorum extinxit charitatem. Quid leonibus illis quibus, B. Daniel obiectus eſt, ſæuius aut terribilius? at illum quoque charitas erga Deum reddidit fortiorem.* Theod.

Porrò hæc veriſſima erunt in cælo; ibi enim anima videns diuinitatem Sponſi ſui, ita in illa quaſi bonorum omnium abyſſo abſorbebitur, vt omnia cætera nihili æſtimet, nec ab ea intuenda & xx 1



Digitized by Google

toto corde amanda; vel ad momentũ ſic auertere poſſit; adeóque nullæ aquæ, vel flumina tentationum & aduerſitatum in eam irruere queant. Deſcribitur ergo hîc charitatis ſumma vis & excellentia, quam obtinebit in cælo, vbi nôn tantum ethice, ſed & phyſicè erit inuincibilis & inextinguibilis; imò fulgebit & ardebit ſicut ſtellæ & ſol in perpetuas æternitates. Daniel. 12. Vnde à כבה *caba*, id eſt, extinguere, per geminationem primæ literæ *caph* deducitur כוכב *cocab*, id eſt, ſtella, eo quòd nunquam extinguatur, ſed perpetim noctu, diúque luceat, vti lucet ardétque perpetim beatorum charitas.

Porrò quòd Septuag. vertunt: *Si dederit vir omnem vitam ſuam in dilectione, contemptu contemnent eum.* Theodor. contrariè ſic explicat. q.d. Qui victum, fortunas & vitam profuderit pro charitate, eum contemnent & ridebunt, velut imprudentem illi, qui charitate ſunt vacui, nec eius dignitatem & pretium cognoſcunt. Et S. Ambroſ. ſerm. 21. in Pſalm. 118 ſerm. 5. *Quoties*, ait, *benefacta crimini dantur? quoties virtus opprobrio ducitur; quoties ipſa ingrata eſt gratia? Vendidit iuſtus facultates ſuas, diſpenſauit pauperibus, nihil ſibi reliquit contemnitur plerumque in ipſa Eccleſia, quia diues eſſe deſiit, ſicut Scriptum eſt: Si dederit vir omnes facultates ſuas in charitate, contemptu contemptus erit.*

Ambroſ.

Verùm genuinus verſionis Septuag. Senſus eſt, vt τὸ *eum* referatur ad βίον, id eſt, victum, non ad hominem: quare idem eſt ſenſus. Septuag. & noſtri vulgati, ſcilicet is, quẽ paulò antè aſſignaui.

Denique cum triplex ſit charitas, incipiens, proficiens & perfecta, ſingulorum horum graduum ſigna, æquè ac actus & officia hîc tanguntur, quæ ex S. Auguſt. Richard. Victor. S. Gregor. & aliis ita recenſet R. D. Barthol. de Martyr. Archiepiſc. Bracar. in aureo ſuo doctrinæ ſpiritalis compendio, cap. 24. p. 255. Incipientium ſunt contritio, delectatio in audiendo verbo Domini, præcepta; promptitudo in bonis operibus; triſtitia de defectu ſpirituali proximi concepta, & lætitia de profectu ſpirituali fratris proueniens. Charitatis proficientium ſigna hæc ſunt, iuſta & frequens conſcientiæ examinatio de peccatis venialibus; nam feruori charitatis obſiſtunt: at proficiens charitas eſt, quæ omnes has paleas exurere ſuo nititur calore. Secundum ſignum, concupiſcentiæ temporalium rerum diminutio. Tertium, diligentia in exercitiis ſpiritualibus internis; ſicut etiam exteriorum ſenſuum exercitationes vitæ corporalis ſigna ſunt. Quartum, ſtudioſa mandatorum Dei obſeruatio. Quintum, ſi Dominus ſe tibi reuelat iuxta illud Ioann. 15. *Iam non dicam vos ſeruos.* Vnde Ricard. Victor. ſcribit: *Certiſſimum tibi ſignum ſit, quòd dilectum tuum minùs diligas, & ab eo minus diligaris, ſi ad theoricos exceſſus vocantem ſequi nondum merueris.* Signa verò charitatis perfectæ in via hæc ſunt. Primum, quando quis paratus eſt, ſi ita neceſſe ſit, pro proximi ſalute mortem ſubire, vt inquit S. Auguſt ſcribens in Epiſt. S. Ioannis Secundum, inimicum diligere, & Dei cauſâ illi benefacere, vt docet idem S. Auguſt. Tertium, aduerſa omnia non ſolùm patienter, ſed etiam gaudenter ſuſcipere: charitas namque perfecta hominem reddit adeò à ſenſibus alienum, vt æquè proſpera ac aduerſa contemnat; iuxta Gregor. ſententiam ſuper illud, *fortis eſt vt mors dilectio.* Quartum, ſi homo præſto ſit omnibus propter Chriſtum renunciare, vt liberius charitatis ardoribus vacare poſſit, atque omnia præter Deum veluti ſtercora reputare videatur. Quintum, nihil aliud quàm Deum ſolum timere; hoc eſt, non homines, non pœnas, nõ tormenta formidare. Hæc ſigna externa ſunt, & quæ exteriùs conſpici poſſunt: ſunt præter hæc, alia quinque interna. Primum profunda & intima ſuſpiria mentis, quando memoriâ dilecti ſui tangitur: ſunt enim quaſi nunciã amoris feruida, donec dilectum videat. Secundum, ſublimia & ardentiſſima deſideria videndi Dominum, ac moleſtiſſimè ferre vitæ præſentis pondus. Tertium, cogitationes erga omnia temporalia languidæ: faſtidit namque terrena omnia, ſolis æternis inuigilans. Quartum, tædium quod ex expectatione concipit: nam perfectè amanti mora quælibet longa eſt & expectatio oneroſa: acerbum enim exiſtimat cruciatum cogitationum, quæ nõ ſint amoris. Quintum, affectiones extaticæ. Eſt autem extaſis mentis exceſſus: nam cùm amor non permittat amantem ſui iuris eſſe, ſed in amatum transformari cogat, ideo ſæpe producit exceſſum mentis ſuſpenſæ & in dilecto abſorptæ.

*Signa incipientium.*

*Proficientium.*

*Perfectorum.*

## TERTIVS SENSVS
*De Chriſto, & B. Virgine.*

Beata Virgo paſſa eſt pluſquam martyres & mortales cæteri, imò aliquo modo pluſquam Chriſtus: nam poſt mortem Chriſti, in qua finita eſt Chriſti paſſio, ipſa vſque ad eius reſurrectionem in continuis & acerbiſſimis fuit doloribus; imò per omnem vitam reuoluens dolores Chriſti, iis mirè cruciabatur. At hæc à Iudæis in odium Chriſti multa perpeſſa eſt; imò omnes Chriſtianorum afflictiones, perſecutiones, lapſus ipſa quaſi omnium mater compatiendo intimè ſenſit: dicebátque cum Paulo: *Quis infirmatur & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* 2. Corinth. 11. Sed hæc omnia ne vel hilum charitatis eius extinguere potuerunt, imò potiùs eam auxerunt, & quaſi flabella accenderunt, idque continuò per 23. annos, quibus Chriſto ſuperuixit. Anno enim ætatis 72. finem patiendi æquè ac viuendi fecit, vt habet doctiorum Theologorum & Chronologorum ſententia. Ipſa pariter dedit omnem ſubſtãtiam pro charitate Chriſti: primò, quia inſtar Chriſti ſe & omnia ſua Deo ex amore dicauit. Secundò, quia Chriſtum ſuum, qui erat tota eius ſubſtantia, Deo Patri in cruce cen holocauſtum obtulit. Tertiò, quia omnes ſuas facultates Eccleſiæ dedit, & in pauperes diſtribuit. Paupertatem eum profeſſa, cum primis fidelibus & virginibus in communi vixit, & vitam religioſam egit, vti dixi Actor. 4. Denique omnia iam dicta præ omnibus competunt humanitati Chriſti à Verbo aſſumptæ, vti iam ſæpius monui. Ipſa enim prima & propria eſt Sponſa Verbi, per quam animæ fidelium eidem deſpondentur; ac proinde ipſa ſummè amat Verbum, & ſummè amatur à Verbo; nec hunc eius amorem vincere potuerunt flumina tormentorum, quæ in paſſione & cruce ſubiit.

## VOX SPONSÆ
### Adultæ de iuniore, hoc eſt Eccleſiæ de Synagoga.

Verſ. 8. *Soror noſtra parua, & vbera non habet, quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt.*

**S**OROR *noſtra parua, & vbera non habet.* (Quinta editio: *Soror noſtra es parua, & vbera non habes*) *Quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt?* Hebræa & Septuag. *Quando loquetur in ea.* Syrus: *Quando loquendum de illa*, vt Sponſo nuptui tradatur. Arabicus: *Quando loquetur.* Pagnin. *Quando fiet ſermo cum ea.* Contrariè Sanchez: *in ea*, vel *in eam*, hoc eſt, inquit, *contra eam*, cum ſcilicet proci adulteri contra eam conſilia inibunt, vt eam decipiant, & ſibi ſubiiciant. Sic & R. Salomon: *In die*, inquit, *quo gentes conſilia agitabunt de ea delenda.* Et Rab. Anonymus: *Timeo*, inquit, *ne homines eam deſpiciant, vt cum creuerit, loquantur ad ipſius cor & affectum, deſpiciántque eam.* In hanc ſententiam inclinat Rupertus, qui in illo *alloquenda eſt*, intelligit conſilia dura, quibus Nero & alij Tyranni Eccleſiam adhuc teneram inſectari ſunt. Hebr. Lxx. Syrus. Arab. Pagnin. Sanchez. R. Salom. Anonym.

*Vbera non habet*, ſcilicet tumentia, ſed depreſſa: nulla enim eſt femina, quæ non habeat vbera, ſed in pubertate illa exrare, intumeſcere & lacte turgere incipiunt, vt docet Ariſtot. in hiſtor. anim. Vnde S. Ambroſ. Pſal. 118. ſerm 22. *Hoc*, ait, *ſolet ſignum omnibus virginibus eſſe nuptiis, vt cum vbera cœperint eminere, tunc connubio habiles cenſeantur.* Senſus eſt. q. d. Suffarciamus vbera ſororis noſtræ paruæ iam Sponſæ lana, alióue tomento, vt eminere videantur, ac ſic ipſa matura viro, dignáque Sponſo cenſeatur. Ita S. Ambroſius, & Honorius. Sic ſolent ſorores adultiores iam nuptæ de ſororibus iunioribus eſſe ſollicitæ, vt & ipſæ honeſtè & tempeſtiuè nuptui dentur.

Caſſiodor. S. Gregor. & alij cenſent hæc eſſe verba Sponſi.

Meliùs Hebræi, & Græci, vt Theod. tres Anonymi, Philo & alij cenſent eſſe verba Sponſæ adultæ, puta Eccleſiæ de Sponſa nouella, puta Synagoga Iudæorum conuertenda ad Chriſtum in fine mundi, vti diſertè docet Aponius, Honorius, Chaldæus, Hortolanus, Delrio, & alij. Audi Chald. *In illo tempore dicent Angeli cœli ad inuicem: Gens vna eſt nobis in terra, & merita eius leuia ſunt, & Reges & dominatores non habet, vt egrediatur ad pugnandum contra exercitum Gog: Quid faciemus ſorori noſtræ in die qua locuta fuerint nationes, vt aſcendant contra eam ad bellum?*

Gog enim erit exercitus Antichriſti, vti dixi Ezech. 38. & 39.

PRI

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

CAſsiod.Beda, S. Gregor.Rupertus & alij hęc accipiunt vt verba Chriſti de primitiua Eccleſia ad Patriarchas veteris teſtamenti, quaſi conquerentis, quòd illa tempore Apoſtolorum parua fuerit numero, & prædicatoribus deſtituta, præſertim ante aduentum Spiritus ſancti in Pentecoſte. Audi S. Gregor. *Allocutus eſt Chriſtus ſororem ſuam, quando Spiritum ſanctum ſuper Apoſtolos miſit, & eis in interioribus loquens, illos omnes mundi loquelas multiplici diſtributione docuit. Sed à quibus hoc quærere intelligendus eſt qui omnia nouit, niſi à ſanctis patribus antiquis, quos ad quærendum Spiritu ſancto inſtigauit?* Verum primitiua Eccleſia fuit Eccleſiæ infantia, de qua actum eſt cap. 1. hîc verò agitur de Eccleſia adulta & perfecta in fine mundi, quæ deſponſa Chriſto ad eum anhelans, mox nuptias cum eo conſummatura eſt in cælo, vti oſtendi initio capitis. Hæc enim timens nuptias haſce differendas propter Synagogam Iudæorum, nec dum ſatis ad eas paratam, aut certè illam à nuptiis excludendam conſilium poſcit, quo illa illico ad nuptias haſce paretur, ornetur & perficiatur.

*Soror iunior Eccleſiæ Gentium eſt Synagoga Iudæorum.*

Quare meliùs Aponius, Chald. Honor. Hortolanus, Delrio & alij hæc accipiunt, vt verba Sponſæ adultæ conquerentis coram Sponſo Chriſto, vel potius coram ſodalibus Sponſi de ſorore ſua iuniore, id eſt, Synagoga Iudæorum conuertenda in fine mundi. Hæc enim, vtpote recens nata vel renata baptiſmo, parua erit tum numero, tum fide, conſtantia & virtute, atque vbera prædicationis non tam pandet, quam ſuget. Habebit enim paucos prædicatores ſuæ gentis, ſi cum doctoribus Eccleſiæ gentium conferantur. Licet enim Elias & Enoch ſuo feruore & zelo nonnullos è Iudæis ſint eodem zelo accenſuri, & prædicatores alteróſque quaſi Paulos effecturi; vti dixi cap. 7. tamen hi præ reliquis rudioribus & infirmioribus Iudæis, adhuc lacte fidei Chriſtianæ indigentibus, erunt pauci. Loquitur ergo hîc in perſona Iudæorum imperfectorum, vtpote numero plurium, eóſque vocat ſororem paruulam, quæ vbera non habeat, vt rectè aduertit Guilielmus.

*Sororem* tum quia de ſemine eodem deſcendit de quo Chriſtus ſecundùm carnem, & Eccleſia ſecundùm fidem; tum quia in nouiſſimis diebus ventura eſt ad hanc gloriam fraternitatis Chriſti ait Aponius.

Per diem *in qua alloquenda eſt*, Honorius intelligit tempus prædicationis Enoch & Eliæ: Aponius verò accipit diem, quo plebs Chriſtiana ab Antichriſto, vel eius miniſtris alloquenda eſt: an eligat negato Chriſto ſibi inflectere colla, an atrociſſimæ morti ſuccumbere. Meliùs accipias diem iudicij, quando Chriſtus iudex eam de fide, merito, & præmio examinabit & alloquetur, ſententiámque beatæ æternitati proferet, vt ſibi copuletur in cælo, & Angelorum cetui inſeratur.

Senſus ergo eſt. q.d. Eccleſia gentium Chriſto: Quid fiet de ſororcula mea, æquè ac tua ſecundum carnem à te aſſumptam, purà de Synagoga, id eſt, de Iudæis recens per Eliam ad te conuerſis, qui pauci ſunt numero, & in fide Chriſtiana adhuc rudes, ac in virtute infirmi in die, quo tradetur viro, id eſt, in vltimo iudicij die, quando ad normam charitatis, quam quiſque poſſederit, omnia exigentur? q.d. decet nunc nos operam dare, vt illam mundo idoneo doctrinæ fidei, & operum charitatis inſtruamus, ne maritus illam tum, vt cæleſti coniugio immaturam, repudiatam ſpernat. Tuum hoc eſt, qui potes & vis, diſpicere, & eam qualem tunc tibi optaſti, talem tempeſtiuè efficere. Vis ornatam, orna; vis comptam, come, vis ditem dita. A tua ergo prouidentia & benefi- *Gentium* centia poſco, vt illud ipſum ei præſtes. Iam enim imminet dies iudicij, & nuptiarum in cælo tempus appropinquat. Ita Honorius, Anſelm. Aponius & ex iis Delrio. Igitur Eccleſia auditis tantis à Sponſo charitatis ſuæ laudibus, æquè ac documentis, quódque ſimilem à Spōſa charitatem poſceret, ipſa ibi de ea rectè conſcia, vti in ſequent. oſtendet, ideóque de ſe ſilens, illico angi cœpit de ſua ſororcula, ſcilicet Synagoga Iudæorum, quod multi ex eis recens conuerſi in charitate, æquè ac fide eſſent debiles & infirmi. Rogat ergo Sponſum, vt eos in ea roboret, creſcere & adoleſcere faciat, vt Sponſi nuptiis in cælo mox futuris habiles digni que reddantur.

Decor dramatis tamen magis exigere videtur, vt hæc à Sponſa de ſorore dicantur non ad Sponſum (nec enim ipſa apud Sponſum ſororē accuſaſſet, quòd

parua eſſet nec vbera habens, ideóque ad nuptias inhabilis) ſed ad ſodales Sponſi, putà ad Eliam & Enoch, vel potiùs eorum diſcipulos & aſſeclas (iam enim imminente die iudicij, præſupponuntur mortui Elias & Enoch, & occiſi ab Antichriſto, vti dixi initio capitis) Et ipſi Iudæos in fide & charitate perficiant, itáque eos thalamo Chriſti in cælis dignos reddant.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

DIcat anima ſancta de anima tenera & imperfecta: *Soror noſtra parua, & vbera non habet: Quid faciemus ſorori noſtra in die quando alloquenda eſt?* q.d. quomodo eam in virtute & charitate adoleſcere faciemus, vt in die iudicij digna ſit alloquio Chriſti, vt ab eo velut ſoror & Sponſa in conſortium cæleſtis hæreditatis & thalami inducatur, vt ſcilicet Chriſtus quaſi frater eam loco ſororis habeat, iuxta illud: *Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Rom. 8. 29. vtque ipſe velut Sponſus cum ea nuptias in cælo celebret, iuxta illud Apocal. 19. 6. *Audiui quaſi vocem turba magna, & ſicut vocem aquarum multarum, & ſicut vocem tonitruum magnorum, dicentium Alleluia: quoniam regnauit Dominus Deus noſter omnipotens. Gaudeamus & exultemus & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit ſe.*

Vnde S. Ambroſ. ſerm. 22. in Pſalm. 118. verſ. 8. cenſet animam ſanctam poſtulare nuptiarum inducias, & longius vitæ tempus, vt eo in virtutibus proficiat, itáque digna Chriſti nuptiis efficiatur. Sic & Philo Carp. qui & legens ex Septuag. *Quid faciemus ſorori noſtra in die, quo locuta fuerit in ſe,* id explicat de examine conſcientiæ, quo anima in ſeipſa loquens, recogitat omnes actus vitæ ſuæ. Addit tamen hanc vocem accipi poſſe, vt Patriarcharum & Apoſtolorum, animæ de tanta felicitate, quòd ſuauiſſimo nuptiarum cum Chriſto in cælis colloquio digna ſit habita, congratulantium.

Rectè enim allocutio Chriſti accipi poteſt illa, qua animæ ſanctæ in hora mortis & in die iudicij dicet: *Veni Sponſa, accipe coronam, quam tibi præparaui in æternum. Veni formoſa mea, columba mea, immaculata mea, perfecta mea. Intra mecum in gaudium Domini Dei tui.*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

PRimò, Alanus cenſet hæc ab Angelis dici de B. Virgine ante Verbi incarnationem, q.d. Quid faciemus B. Virgini, cum mox alloquenda à Gabriele Legato Chriſti filij Dei, audiet ab eo: *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum:* ipſa enim per humilitatem eſt parua; ipſa quoque vbera, vt fiet mater, non habet, quia votum virginitatis emiſit: quàre non audebit conſentire, nec volet violare votum puritatis.

Secundò aptiùs ad literam Honorius hæc refert ad ſollicitudinem B. Virginis pro recèns conuerſa Iudæorum Synagoga, & per alloquium accipit prędicationem Eliæ, qui erit legatus Chriſti ad Iudæos, iuxta ſenſum, quem initio aſſignaui.

---

## VOX SODALIVM.

## Sponſi putà diſcipulorum & aſſeclarum Eliæ.

Verſ. 9. *Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea: ſi oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis.*

SI *murus eſt ædificemus* (Vatabl. *ædificabimus*) *ſuper eum propugnacula argentea: ſi oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis* Septuag. διαγράψωμεν ἐπ' αὐτὴν σανίδα κεδρίνην, id eſt, *deſcribamus,* vel *ſculpamus ſuper illud tabulam cedrinam.* Symmach. περισφίγξωμεν, id eſt, *conſtringamus, arctemus,* & hoc propriè ſignificat, Hebr. נצור *natſur.*

Pro *murus* Arabicus vertit *mœnia.* Pro *propugnacula argentea,* idem vertit *tabulas* vel *tabulata argentea* Hebr. eſt *propugnaculum argenteum & tabulam cedri* in ſingulari.

Locus eſt perobſcurus: vnde tot ferè hîc ſunt explicationes, quot interpretes.

Primò, nonnulli cenſent hæc eſſe verba procorum, caſtitati Sponſæ iunioris inſidiantium. q.d. Si Sponſa in caſtitate conſtans eſt vt murus, ædificemus contra eum propugnacula argentea, puta pecunia aurea & argentea, eam expugnemus: ſin ipſa eſt inſtar oſtij, quod facilè vertitur & aperitur, polliceamur *Senſus 1.*

&

& tabulas cedrinas, id eſt, leuia veſtium vel armillarum ornamenta, quibus aditum ad ipſam nobis aperiemus: ſunt enim feminæ philocoſmæ, mulræque, vt corpus elegantibus veſtibus ornent, pudicitiam proſtituunt.

2. Secundò, Theod. cenſet hæc verba eſſe chori Adoleſcentularum docentis, quæ ſint officia vxoris probæ in regenda familia, ſcilicet vt inſtar muri & oſtij clauſi ea, quæ in domo ſunt, tueatur, cuſtodiat & claudat, ideóque danda illi eſſe murorum ornamenta, ſeu propugnacula argentea, & oſtij decora, ſcilicet tabulas cedrinas.

3. Tertiò, Luyſius Legionenſis cenſet eſſe verba Sponſi, quaſi dicat: decretum mihi eſt, vt tunc temporis cùm alloquêda eſt ipſa ſoror parua, eius vitia naturalia corrigantur arte, & quod illi minus à natura tributum eſt, ſuppleatur veſtitus, atque ornamentorum exquiſito aliquo genere. Quemadmodum ſi quis vetuſtos vrbis muros reficiens, ei turres atque pinnas addat auro illitas, aut egregia aliqua pictura ornatas, aut ſi quis ianuæ fores veſtiat tabulis cedrinis.

4. Quartò, noſter Pineda in Iob cap. 24. verſ. 16. ſic exponit. q. d. Quamuis Sponſa muris ac parietibus cincta & munita ſit, tamen ſpecioſiſſimis æquè ac fortiſſimis propugnaculis munienda quoque domus eſt, ex quibus tanquam è ſpecula obſeruari abigiq; poſſint pudicitiæ hoſtes, & oculi inſidiatores atque ſubſeſſores. Quod ſi etiam oſtium ſit, non niſi ex materia duriſſima & fortiſſima compingi, & confici debet. Ad quæ Sponſa ipſa pudiciſſima ſubinfert & reſpondet: *Ego murus*, &c. id eſt, meam pudicitiam non externiſti parietes, non propugnacula, non cuſtodes cuſtodire ſufficiunt, niſi ego ipſa murus eſſem fortiſſimus, atque mea pulchritudo adamantina eſſet & inexpugnabilis.

5. Quintò, noſter Sanchez cenſet hîc doceri Sponſam in fide & officio continendam eſſe donis & minis. Supra, ait, inſinuauerat Sponſus duobus ſolere Sponſam à fideli coniugio, atque ab officio abduci, ſcilicet minis & muneribus; nunc docet eiſdem debere in fide atque officio contineri, muneribus ſcilicet & minis. Si murus eſt vxor, id eſt, côtra omnes machinas & artes munita, quæque nulli præbeat ad vrbem, id eſt, ad Sponſi poſſeſſionē ingreſſum, quem ſi pulſes, non ſtrepit neque reſpondet, neque aperitur, neque quemquam admittit niſi diſiectus ornetur tam fortis murus ſi fieri poſſet argenteis propugnaculis. Si verò porta eſt, quæ omnibus peruia, quæ facilè verſatur, & reſpondet pulſata, & aperitur, id eſt, quæ tentari ſe facile patitur & vinci, claudatur tabulis cedrinis, atque ita claudatur, vt neque venire vnquam poſſit in hominum conſpectum, neque liberum ſpiritum trahere.

Huc facit illud vulgò tritum: *femina aut murus aut maritus*. Et illud Theopompi apud Plutar. in Apopht. qui oſtenſo ſibi muro rogatus: *an bellus eſſet & celſus*, Theopom. reſpondit: *Minimè, ſi mulierum eſt*, ſi videlicet à viris non viris, ſed effeminatis & mulieroſis defendatur.

Iam vt quid mihi ſaluo meliori iudicio videatur, aperiam. Dico Sponſam 6. Genuin. iuniorem hîc, vti & ſuperiùs ſæpe, comparari fabricæ, putà muro, in quo ſit oſtium ad ingreſſum in domum. Murus autem, quia tabulata & tectum turreſque ſuſtentat, ſymbolum eſt firmitatis, roboris, conſtantiæ & perſeuerantiæ. Vnde illud Horatij: *Hic murus ahenus eſto.* Horatius. Et Iſaiæ 26. 1. *Vrbs fortitudinis noſtræ Sion* Iſaiæ 26. 1. *Saluator, ponetur in ea murus & antemurale.* Porrò ſicut in metaphora fabricæ, tota domus repræſentat totum hominem, tectum verò caput, fundamenta autem tibias & pedes; ſic murus repræſentat pectus: hoc enim expanſum & quadratum, coſtis oſſeis quaſi laterculis ſaxiſque incruſtatum, ſolidatúmque, ſpeciem quandam habet muri, in quo vbera eminent extántque quaſi turres & propugnacula. Id ita eſſe liquet ex eo, quod mox ſubiicit Sponſa iunior, de qua hîc agitur: *Ego murus, & vbera mea ſicut turris*. q. d. Ego habeo pectus firmum, robuſtum & immobile inſtar muri, in quo vbera eminent quaſi turres. Idem liquet ex querela præcedenti: *ſoror noſtra parua, & vbera non habet*; cui hîc reſpondetur, dando hoc conſilium & remedium: *Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea*. q. d. ſi Sponſa iunior pectus habet firmum & ſolidum inſtar muri, facilè erit ſuper illud ædificare propugnacula argentea & pretioſa, qualia ipſa mereatur, quæ vberum defectum ſuppleant & repræſentent. Murus ergo notat hîc Sponſæ pectus, id eſt, animum in fide coniugali firmum & conſtantem, vt vni Sponſo adhæreat, cæteros omnes excludat.

Oſtium ergo, quod muro hîc opponitur, notat pectus exile, ſubtile, mobile, verſatile,

verſatile, puta animũ facilè mobilem & flexilem. Tale enim eſt oſtium, quod facile aperitur, & cuius aditum in domum patefacit, cum murus fortis & durus omnibus ſit clauſus, omnéſque ab ingreſſu arceat & excludat. Id ita eſſe liquet, primò ex eo, quòd Sponſa v. 10. dicat ſe eſſe murum, & hoc ipſo neget ſe eſſe oſtium. q. d. Ego ſum fortis & conſtaos in fide vti murus, non mobilis & vacillans vt oſtium.

*Prob. 1.*

2. Secundò ex eo, quod hîc dicitur: *Si oſtium eſt compingamus*. Hebr. *arctemus illud tabulis cedrinis*. q. d. Si Sponſa inſtar oſtij parula eſt, & omnes veoientes admittit, obſeremus & claudamus illam tabulis cedrinis, ne cui ad eam pateat aditus, vti fieri ſolet feminis in Italia & alibi, vtpotè ob ſexum fragilem leuioris naturæ & indolis. Vnde illud ſuperius citatum: *Feminæ aut murus aut maritus.* Nam meretriculæ claudi nolunt, ſed in plateis & oſtiis ſpectandas ſe exhibent, vt amaſios ad ſe alliciant. Ita Hebræi, quibus ferè accedunt Honorius, Tirelman. Genebr. Delrio, Giſlerius & alij, licèt in explicatione oſtij diſcrepent & euarient.

*Hebr.*

## PRIMVS SENSVS

### *De Christo & Eccleſia.*

OMnia hæc ſpectant ad robur charitatis, de quo dixit, v. 6. *Fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio*; Charitas enim eſt, quæ Sponſæ & aſſeclis patefacit cælum, ac in eo cuique pro gradu & intenſione charitatis, quam habet, locum & præmium aſſignabit Sponſus. Cum igitur Sponſa adulta, putà Eccleſia Gẽtium obiecíſſet ſodalibus Sponſi de ſorore iuniore, purà de Synagoga Iudæorum conuertenda in fine mundi: *Soror noſtra parua, & vbera non habet*, id eſt, plebs Iudæorum recèns conuerſa adhuc parua eſt in fide & charitate, nec vbera doctrinæ & doctorum habet, quibus alios lactet, ac proinde necdum habilis eſt ad nuptias cum Chriſto Sponſo celebrandas in cælo. Reſpondent ſodoles Sponſi, id eſt, diſcipuli Eliæ & prædicatores Chriſti: *Si murus eſt*, id eſt, eſto ſit parua & carens vberibus, ſi tamen inſtar muri pectus animúmque habet firmum & reſolutum credendi in Chriſtum, illíque adhærendi, *ædificemus*, Hebr. *ædificabimus ſuper eum propugnacula argentea*, id eſt, inſtruemus illam eloquiis ſacræ Scripturæ & doctrinæ, pietatíſque

*Hebr.*

Chriſtianæ (nam *eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum*. Pſalm. 11. v. 7.) iiſque illam quaſi propugnaculis armabimus contra omnes Antichriſti, & Iudæorum in Iudaiſmo permanentium inſultus, iiſdémque quaſi vberibus decorabimus eam, vt alios in Chriſtianiſmo lactare, docere & erudire valeat, itáque ſe ſuáſque comites in fide & charitate adoleſcere faciet, vt iam adultæ maturæ ſint nuptiis Chriſti in cælo breui ineundis & conſummandis. Iam inter hæc propugnacula argentea eloquiorũ S. Script. præcipua ſunt illa, quæ de futura in cælis gloriæ magnitudine loquũtur. Nam, vt rectè ait Sanchez, propugnacula murorum corona ſunt; ſignificat ergo Sponſæ fidem & conſtantiam coronandam eſſe in cælis corona argẽtea, id eſt, candida & ſplendida, qualem nunc in cælis geſtant beati. Huius enim coronæ ſpes & intuitus Sponſam excitat ad incrementa virtutum, & ad heroicos charitatis martyriíque actus.

*Pſalm. 11. 7.*

*Murus notat conſtantiam.*

Sin Sponſa iunior, id eſt plebs Iudaica ad Chriſtum conuerſa, *oſtium* eſt, non murus, id eſt, ſi ipſa inſtar oſtij pectus animúmque habet exilem, mobilem, & verſatilem, vt Iudaizantibus aures aditúmque aperiat, *compingamus illud tabulis cedrinis*, id eſt, ſepiamus & muniamus eam exemplis & conuerſatione piorum Chriſtianorum, qui eam à Iudaizantibus cuſtodiant, iiſque aditum intercludant, ac piis monitis, æquè ac moribus eam in fide & charitate Chriſtiana confirment, vt ſi ad perfectionem & dignitatem Sponſæ non aſſurgat; mereatur tamen inter adoleſcentulas numerari, quæ vnà cum Sponſa ad nuptias cæleſtes cum Chriſto celebrandas ingredientur. Notat mobile Neophytorum, præſertim Iudæorum ingenium, qui ad Chriſtum conuerſi facilè ad Iudaiſmum, cui à puero aſſueuerunt, elabuntur. Quare inſtar oſtij ſanctorum exemplis velut tabulis cedrinis, id eſt, incorruptibilibus compingendi & corroborandi ſunt, iuxta illud: *Iuſtus vt palma florebit, ſicut cedrus Libani multiplicabitur*. Pſalm. 91. Ita Philo, Honorius & alij. Audi S. Gregor. *Dicitur Eccleſia vt oſtium tabulis cedrinis compingi, quia fidem prædicans populorum multitudinibus decoratur, & dum populi variis virtutibus aſperguntur, vt pictura multis coloribus, ſic Eccleſia multis diſtinctionibus honeſtatur.*

*Oſtium notat mobiles.*

*Pſalm. 91.*

*Gregor.*

Idem S. Gregor. per propugnacula argentea accipit miracula, quibus prædicatores ſuam fidem aſtruunt & propugnant.

gnant. Et S. Ambroſ. ſerm. 22. in Pſalm. 118. v. 8. *Ædificemus*, inquit, *ſuper eam tabulas cedrinas, hoc eſt fidei ſublimis bonum odorē: Eſt enim ſuauis huius materiæ odor, quam non* Ambroſ. *vermis, non tinea corrumpat. Ideo huius materia vſus eligitur tectorum faſtigiis eleuandis, formandiſque literarum elementis, quibus ætas puerilis ad ſtudium liberalis eruditionis imbuitur. Eſt ergo materia iſta ſublimis ad gratiam, leuis ad onus, ſuauis ad odorem, vtilis ad inſtrumentum ſcientiæ, habilis ad miniſterium cognitionis æternæ.*

Hunc eſſe ſenſum liquet ex Antitheſi muri & oſtij. Cum enim omnes ferè patres & interpretes cenſeant per murum notari firmitatem, perſeuerantiam, & conſtantiam Sponſæ, neceſſe eſt vt per oſtium muro contrapoſitum & oppoſitum accipiamus eiuſdem infirmitatem, mobilitatem & inconſtantiam.

Porrò de Iudæis in fine mundi conuertendis hîc agi, patet ex Acobuthia dramatis, cuius hîc eſt vltimus actus, imò vltima ſcena, idque diſertè docet Honorius & alij initio capitis citati.

Huc accedit verſio Chald. *Dicet Michaël* (hic enim princeps eſt Eccleſiæ & Synagogæ) *princeps Iſraël: Si ipſa ſteterit ſicut* Chald. *fundamentum inter populos, & dederit argentum, vt poſſideat veritatem nominis Dominatoris ſæculi, erimus ego & vos cum ſcribis eorum circumdantes eam ſicut ordines argentei, & non habebunt poteſtatem populi, vt dominentur in eam, ſicut non eſt poteſtas vermi vt dominetur argento: & quamuis ſit egena præceptis, quæremus miſerationem propter eam coram Domino, & recordabitur eius propter meritum legis, in qua laborant pueri, quæ ſcripta eſt in tabulis cordis, & ſtat contra gentes ſicut cedrus.*

Salomon ergo hîc Synagogam facit bipartitam, hoc eſt, Iudæos in fine mundi conuertendos in duas diuidit claſſes. Vnam eorum, qui maioribus naturæ & gratiæ dotibus, ac præſertim robore & conſtantia pollebunt, ideóque habiles erunt, vt fiant doctores, prædicatores, catechiſtæ, cum in S. Scriptura magis fuerint eruditi, hos ſignificat nomine muri, cui inædificantur propugnacula argentea: Alteram eorum, qui minores habebunt dotes & robur, ſed tamen ab aliis roborati verbo & exemplo, ſociis viam in cælum patefacient, hos ſignificat nomine oſtij cedro veſtiti & decorati.

Iam huic ſenſui literali aptè, & quaſi ex æquo incumbit & reſpondet Tropologia, quam aſſignant, Caſſiodor. Beda, Aponius, Anſelm. Rupert. & alij, qui per murum & propugnacula argentea, accipiunt prædicatores, qui fidem pietatémque concionando propugnant & propagant; per oſtium verò & tabulas cedrinas, ſacerdotes & fideles ſimplices; qui piis monitis & moribus aliis viam virtutis pandunt, oſtiúmque cæli aperiunt. Hortolanus per murum accipit ſacerdotes, per oſtium diaconos & oſtiarios. Angelomus per tabulas intelligit latitudinem charitatis, per cedros virtutes ſanctorum.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

QVæ iam dicta ſunt de Synagoga, adapta animæ mutato nomine.

Audi Honorium: *Si anima illa murus eſt, ſi velit eſſe ſtabilis in congregatione, ædificemus ſuper eam propugnacula argentea, inſtruamus eam ſententiis ſacræ Script. eloquentia lucidis, quibus ſe à tentationibus muniat, & alios ſe à vitiis abſtinere doceat: ſi oſtium eſt aliis verbo & exemplo ad conuerſionem, compingamus illud tabulis cedrinis, id eſt, ornemus illud multis Patrum exemplis, vt multis pateat introitus per illud ad vitam.* Honor.

Inſuper Theodoret. de anima ſancta ſic exponit. q. d. *Cum magno regi copulanda ſit, & tanquam murus futura domus ipſius, vt curet & cuſtodiat ea, quæ intus ſint, & tanquam oſtium ea, quæ recondita fuerint, conſeruet, tanquam ſuper muro quidem ædificemus argentea propugnacula, hoc eſt, eloquia ratione ſplendentia: Eloquia enim Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum probatum terræ, vt in ipſis conſiſtens hoſtes ſagittis petat, & inſidias ſtruentes perſequatur. Ipſi autem, vt oſtio, tabulas eáſque cedrinas, quæ peccati corruptionem ſuſcipere nequeant, imponamus: putredinis enim expers eſt cedrus.*

Auxeſin affert quod Septuag. pro *compingamus*, vertunt *deſcribamus*, vel *ſculpamus ſuper illud*, ſcilicet oſtium *tabulam cedrinam*; oſtium enim cordis à fideli inſcribi, & inſculpi debet imagine Chriſti, vt eius geſta & paſſiones illi, velut in tabulis cedrinis, id eſt, incorruptibiliter & indelebiliter incidantur, vt ea in cogitationibus, ſermonibus & actibus vbique referat & repræſentet, iuxta illud v. 6. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* Simili phraſi imagines & ſcripta æternitati conſignanda cedro digna nuncupantur. Vnde illud: Lxx.

*Et cedra digna locutus.*

TER

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

OMnia iam dicta præ vniuerſis competunt vni B. Virgini: Vnde facilè cuiuis erit illa ipſi adaptare. Habuit enim ipſa pectus virile & forte inſtar muri, cui quotidie propugnacula argentea eloquiorum ſacræ Scripturæ & inſpirationum S. Spiritus inædificabat, vt vberibus & lacte doctrinæ abundaret, lactarétque Apoſtolos & cæteros fideles. Ipſa quoque eſt oſtium, per quod ad Chriſtum in cælum ingredimur, compactum ex tabulis cedrinis, id eſt, ex variis gratiæ & gloriæ incorruptibilis dotibus. Hinc ipſa in litaniis vocatur & inuocatur *ianua cæli*; & ab Eccleſia in Hymno compoſito à S. Ambroſio: *Intrent vt aſtra flebiles, cæli feneſtra facta es. Tu Regis alti ianua, & porta lucis fulgida.* Et ab Ezech. (Ezech. 44. 2.) cap. 44. 2. de ea ait Dominus: *Porta hæc clauſa erit*, &c. *Quoniam Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam.*

Audi Hailgrinum: (Haigrin.) *B. Virgo oſtium eſt in Eccleſia, quæ malignis obſiſtit ſpiritibus, ne ad deuotos ſuos intrent, & accedant, ſicut volunt, & hoc oſtium tot tabulis eſt compactum à ſancta Trinitate, quot in ea ſunt virtutes & priuilegia dignitatum: & hæ tabulæ cedrinæ dicuntur, quia imputribiles ſunt & odoriferæ, & per humilitatem in profundum radicata creuerunt in immenſum. Sanè per portam orientalem lucidam, & ſemper clauſam Maria ſignificatur apud Ezechielem, quo alludens Diuus Auguſtinus ſic inducit loquentem: Porta facta ſum cæli, ianua facta ſum filij Dei. Illi facta ſum ianua clauſa, qui poſt ſuam reſurrectionem ingreſſus eſt per oſtia clauſa.*

---

## VOX SPONSÆ

### Iunioris, putà Synagogæ.

Verſ. 10. *Ego murus, & vbera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.*

EGO *murus, & vbera mea ſicut turris* (Hebr. *turres* in plurali) (Hebr.) *ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.* Pro *ex quo* Hebr. (Aquila.) eſt [illegible] *az*, id eſt *tunc*. Vnde Aquila vertit: *Tunc fui coram eo inueniens pacem.* Sic & Septuag. niſi quod Vatican. codex habeat *in oculis eorum* in plurali, Complut. tamen Reg. aliiſque legunt *in conſpectu eius* in ſingulari, vt habent Hebr. Vulgata, Pagnin. Vatabl. & Syrus: *Tunc*, inquit, *eram in oculis eius vt inueniens ſalutem.* Arabicus: (Arab.) *Vnica pacis, vnica ſalutis.*

Noſter ſubintellexit propoſitionem *ex*, vt *tunc* ſumatur pro *ex tunc*, id eſt, *ex quo*, quòd Hebræis eſt familiare.

Porrò Vatabl. nouè vertit: (Vatabl.) *qua quidem ſponſione viſa ſum ei ſatisfacere.* Et Sotto maior ſic explicat: Ex quo reſponſo mirificè animum dilecti mei placaui, plenè illi ſatisfaciens, mihíque illum deuinxi. Alij quaſi dicat: Ego ſum murus, habeo vbera inſtar turrium; id autem ex eo habeo, ex quo tibi ô Sponſe Chriſte, plenè perfectéque placui. Luyſius verò Legion. q. d. Muro & vberius opus non habeo; nam pro iis mea mihi eſt pulchritudo, qua ita placeo Sponſo, vt videar ipſi eſſe murus, ac vbera turrita, cæteráque ornamenta habere.

Sunt verba Sponſæ iunioris, nempe Synagogæ Iudæorum in fine mundi conuertendæ, quæ audiens timorem ſororis adultæ, putà Eccleſiæ Gentium de ſe, quod eſſet parua & ſine vberibus; ac conſilium ſodalium Sponſi, vt ſi murus ſit, ædificentur in ea propugnacula argentea, quæ in muro ſunt id, quod vbera in pectore. Sin oſtium ſit, compingatur tabulis cedrinis, protinus vtriſque animosè reſpondet, metúmque omnem adimit dicens, ſe ex eo tempore, quo Sponſo reconciliata, & quaſi Sponſa copulata fuit, ſubitò excreuiſſe inſtar muri, atque vbera ab eo accepiſſe ingentia, non ſolùm inſtar propugnaculorum; ſed & inſtar turrium, ac proinde ſe iam habilem ad nuptias Sponſi.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

SYnagoga Iudæorum in fine mundi, audiens Eliam & Enoch tanto robore & ſpiritu concionantes de Chriſto, ac concionem confirmantes per ſanctitatem vitæ & per ſtupenda miracula, illico in Chriſtum credet, illíque tanta fide & amore copulabitur, vt multos Gētiles ſuperet, ac multos prædicatores producat, qui Chriſtum validè & ardenter inſtar S. Pauli prædicent. Dicet ergo tunc ſorori adultæ, putà Epiſcopis & Prælatis Eccleſiæ Gentium: Non eſt quòd de me ſolliciti ſitis, nec de mea in Chriſtum fide dubiteris: ego enim agnoſcens longum meum errorem, eúmque damnans

Digitized by Google

damnans ac certò ſciens, hunc eſſe Meſſiam ſiue Chriſtum, quia meis patribus indignè crucifixus eſt, in illum credo, illique me totam dedo, atque in hac fide firma ſum inſtar murį, vt facilius ſit murum diruere, quàm pectoris mei fidem & conſtantiam infringere, imò in illa inſtar turrium extantia habeo vbera doctrinæ & doctorum, qui vt turres fidem propugnare, & vt vbera iuniores & debiliores lactare queant: quare illi breui in doctrina vitáque Chriſtiana ita adoleſcent, vt nuptiis Chriſti cæleſtibus digni futuri ſint. In fine mundi enim Iudæi per prædicationem Eliæ & Enoch ac per efficacem Chriſti gratiam mutabunt odium Chriſti in zelum, vt tam ardenter prædicent & propugnent Chriſtum, quàm obſtinatè eum ante oppugnarunt vt fecit S.Paulus. Quare maiores & doctores inter illos minores & rudiores ita erudient & perficient, vt ei ipſi Chriſtum prædicent. Et tunc *omnis Iſraël ſaluus fiet*, vt ait Apoſt Rom. 11.

Porrò hæc habeo, id eſt, habebo, ait Synagoga, non ex me, ſed ex gratia Chriſti, *ex quo* ſcilicet *facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.* Cum enim ex quo Chriſto Sponſo meo chariſſimo reconciliata ſui, pacémque ab ipſo impetraui; ipſum apud me perpetuò omnipotentem & doctorem omniſcium habeo, ab eodem ſummas vires obtineo, quibus principes & poteſtates, harúmque rectores tenebrarum, omnes denique hoſtes tam viſibiles quàm inuiſibiles poſſim repellere, atque intra nec mœnia concluſos, ceu ciuitas munitiſſima, ſeruare ciues meos.

Si enim Deus vnum Ieremiam prophetam cap. 1. poſuit vt columnam ferream & murum æreum, quanto magis poſuit me, qui iam Eccleſia & Sponſa ſum Chriſti, cui ipſe promiſit os & ſapientiam tantam, vt illi nulli poſſint re-
Match. 10. 19. ſiſtere aduerſarij. Matth. 10. v. 19. Nam *turris fortiſſima nomen Domini; ad ipſum cur-*
Prouerb 8. 10. *rit iuſtus, & exaltabitur.* Prouerb. 18. 10. Et hoc eſt quod mihi promiſit Deus Za-
Zachar. 2. 5. char. 2. 5. *Ego ero ei murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius.* Vide ibi dicta. Ita Honorius, tres Anonymi apud Theod. Coſmas Damianus, Delrio & alij. Huc
Chald. accedit Chald. *Reſpondebit*, ait, *cætus Iſraël & dicet: Ego fortis ſum in verbis legis ſicut murus, & filij mei robuſti ſicut turres. Et illo tempore cætus Iſraël inueniet miſericordiam in oculis Domini ſui, & ſalutabunt eum omnes habitatores terræ.*

Huc quoque referri poſſunt Caſſiod. S.Gregor. Beda, Iuſtus, Anſelm. Rupertus & alij, qui hæc accipiunt de Eccleſia, quæ murus dicitur ob firmitatem; fundatus enim eſt in petra, id eſt, in Chriſto, & conſtructus eſt ex viuis & electis lapidibus; nam Synagoga in fine mundi conuertenda fiet Eccleſia Chriſti.

Porrò pro *pacem* Hebr eſt שלום *ſcalom*, *Sponſa eſt Sulamitis 4. pacifica Cant 3.*
à qua voce Sponſus dictus eſt Salomon, id eſt, pacificus; Sponſa verò Synagoga dicta eſt *Sulamitis*, id eſt, *pacifica.* q. d. Ex quo verus Salomon, id eſt, Chriſtus, qui pacem è cælo inter Deum & homines detulit, me Synagogam, quæ Moſi & legi veteri mordicus adhærens eram eius iurata hoſtis, dignatus eſt per gratiam ad ſe vocare, ſibique reconciliare, imò Sulamitem, id eſt, Eccleſiam ſuam Sponſam efficere, illico in tantum fidei & charitatis robur & celſitudinem excreui, vt quaſi Sponſa Sponſo, ſi non par, certè ſuppar eſſe videar: Vnde Arabicus vertit: *Vnica pacis, vnica ſalutis.* Quare τὸ *quaſi* hic, vt & alibi, non ſimilitudinem, ſed veritatem denotat. q. d. *facta ſum quaſi*, id eſt, verè *pacem reperiens*, vel facta ſum ſicut illa, quæ pacem reperiet. Ita Theodor. *Cum me*, ait, *preſciuerit & prædeſtinauerit; quòd pacem quæram & perſequar eam, & perſequens comprehendam, me tum pacificam appellauit, tum ſunamitidem & murum fecit inexpugnabilem hoſtibus formidandum, atque vbera mea, id eſt, doctrinam moralem & theologicam in ſublime extulit, & quaſi turrem conſtituit, vt ex ea pugnans Sponſi hoſtes propellam.*

Anagogicè Honorius: *Eccleſia*, inquit, *videns de viuis lapidibus vt murum in habitaculum veri Dei ædificari, & turrim Angelicam cæleſtis Ieruſalem per ſe reparari, canit exultans: Ego murus, & vbera mea ſicut turris.* q. d. *Ego ſum conſtructa per opificem Chriſtum de electis hominibus, murus de lapidibus in ambitum Ieruſalem cæleſtis, vt murus in circuitum ciuitatis; & vbera mea, id eſt, doctores, qui mihi lac doctrinæ præbuerunt, ſicut turris erecti ſunt pro Angelis, qui inde ceciderunt, & ita cœpit ædificari vt ciuitas per doctos opifices Apoſtolos, & eorum ſucceſſores ex illo tempore: ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.* Ex quo ſcilicet in Chriſtum, qui vera eſt pax, credidi.

Symbol. Aponius per murum accipit *Symbolicè. Aponius.*
humanitatem Chriſti, per vbera & turres Apoſtolos: *Quia*, inquit, *ſicut per os nutrit, ita per eos defendit Eccleſiæ ciuitatem: qui vt turris murum, ita doctrinam Chriſti ornare probantur. Securus ergo in his turribus diuinæ*

*ſcientia armis circumdatus conſiſtit, qui in eorum fide immobilis permanet. Nam ſicut turris portatur à muro, & intra turres arma poſita, ita per fidem à Chriſto ſuſtentantur Apoſtoli, & per Apoſtolos fidelium turma, in quibus vita exempla & recta fidei arma ſunt collocata, quæ qui indeſinenter tenet, vincit; qui dimiſerit, vincitur.*

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

Murus eſt fortitudo, turris oratio.

ANima ſancta eſt murus per firmitatem virtutis, & turris per celſitudinem orationis, in qua conſequitur vbera myſtica, & haurit à Deo lac doctrinæ & ſpiritus, quod in alios effundat; ibi denique plenam conſcientiæ pacem & lætitiam conſequitur. Ita Philo Carpath. Epiſcopus: *Ego, inquit, iam fide munita ſum & charitate referta, & vbera mea, mea inquam (mihi enim donata, & omnibus facientibus ea) hoc eſt, duo teſtamenta & duo præcepta charitatis, itémque duplex vitæ genus (actiuum ſcilicet, & quod contemplationis eſt proprium) iuſtitiæ officiis comprobata: quæ quidem diuina gratia duce ad altiſſimum prabitatis gradum, me turris inſtar euexerunt: ibique iam aliena prorſus eſſe cœpi ab omni rerum humanarum ſollicitudine, perturbatione ac cura, & requieuit: Vnde ſequitur: Ego ſedebam in aculis eius tanquam ea, quæ pacem inuenit. Rectè iam ſedere ſe & conquieſcere in oculis Sponſa gaudet, poſtquam diuina gratiæ munus accepit & pacem, dicente Sponſo, Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, non quomodo mundus dat ego do vobis. Animaduertendum eſt, quod tempore imperfecto vtitur, cum dicit: ſedebam, vt oſtenderet nunquam nos hic poſſe perfectè quieſcere. Non enim habemus hic ciuitatem permanentem, ſed futuram inquirimus, vti Paulus ait* Hebr. 13.

Philo.

Porrò virginibus hæc tribuit S. Hieron. Epiſt. 7. ad Lætam: Virgo, inquit, cum aliquis oſtium pulſauerit, dicat: *Ego murus, & vbera mea turris.* Et S. Ambroſ. lib. 1. de Virgin. *faceſſat*, ait, *Sacris virginibus metus, quibus tanta prælia dedit primùm Eccleſia, quæ tenera prolis ſollicita ſucceſſu, ipſa quaſi murus abundantibus in modum turrium increuit vberibus, donec ſoluto obſidionis hoſtilis incurſu, pacem valida iuuentuti materna præſidio virtutis acquirat. Vnde & Propheta, ait, fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.*

Hieron. Ambroſ.

Porrò in fine mundi erunt 144. millia Virginum, qui ſe vſque ad mortem Antichriſti impietati, & libidini opponent, vti patet Apocal. 14. 1. & ſeq.

Denique Honorius hæc applicat Religioſis: *Anima*, ait, *doctrinis prælatorum vt lapidibus opificum ædificata, & exemplis patrum ornata clamat ſæcularibus: Vas qui in ſæculi negotiis laboratis, in eo exemplo quaſi per oſtium in ſpirituales vitæ requiem intrate, quia ego priùs vobis ſimilis in peccatis labilis, facta ſum vt murus in ſpiritualibus ſtabilis, & vbera mea, id eſt, doctrina vitæ meæ vt turris inexpugnabilis, ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens, id eſt, ex quo me de tumultu ſæculi contuli ad quietem clauſtralem. Nam quaſi in fremitu bellorum deſudat, qui inter aduerſa mūdi & carnis illecebras laborat, ſed quaſi pacem caram Deo reperit, dum in ſpirituali vita requieſcit, quam pacem plenam habebit, quando nullam pugnam inter carnem & ſpiritum ſentiens, in æterna pace gaudebit.*

Honor.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

QVæ dixi de B. Virgine verſ. præcedenti, hîc repete: ipſa enim inſtar muri roborabit Iudæos ad Chriſtum conuerſos in fine mundi, ac vberibus ſuæ gratiæ, & doctrinæ Prædicatorum, quos eis ſubmittet, lactabit, atque velut turris eoſdem propugnabit, tanquam gentem ſuam, olim in Patribus Deo dilectam, ex qua tam ipſa, quàm Chriſtus carnem aſſumpſit, idque facit eo, quod ipſa pacem, id eſt, veniam & gratiam eis apud filium impetrarit, illóſque ei reconciliarit tanquam vera Sulamitis, ac mediatrix & pacificatrix Dei & Synagogæ: quam enim ipſa Deo parier, eandem alere, fouere, prouehere & perficere ſataget. Hoc enim exigit maternus in filios amor. Quomodò B. Virgo ſit turris dixi cap. 4. verſ. 4 de eius pietatis vberibus dixi cap. 1. 1. & cap. 4. verſ. 5.

Porrò Guilielmus ſic B. Virginem dulciter & piè loquentem inducit: *Deinque mox vt ex carne meæ verbum caro factum eſt, inueni & ſenſi me habere in vtero de Spiritu ſancto, & reperi in vtero mea quaſi pacem, nondum quidem pacem, ſed iam quaſi pacem, id eſt, hoſtiam pacis, cuius immo latio hoſtiæ plena pax* &c. *Porrò ex qua ſenſi me in vtero habere de Spiritu ſancto, proculdubio tanta excellentiæ, tanta potentia, tantaque clementia facta ſum, vt omnibus ad me confugientibus non tantùm murus ſim ad muniendum, ſed & mater ad nutriendum, & talis mater, cuius vbera ſunt ſicut turris, id eſt, cuius materna pietas non tantùm paruulos nutriet, ſed etiam dum adhuc in nutrimentis ſunt & minus apti ad prælium, hoſtibus inacceſſibiles*

Guilielm.

*inacceſſibiles faciat, cum creuerint fiducialiter proceſſuros in campum; non tantùm carnem & ſanguinem, ſed & ſpiritualia nequitiæ in caleſtibus prouocaturos ad prælium.*

## VOX SPONSÆ

### Adultæ putà Eccleſiæ.

Verſ. 11. *Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos: tradidit eam cuſtodibus, vir affert pro fructu eius mille argenteos.*

Verſ. 12. *Vinea mea coram me eſt. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui cuſtodiunt fructus eius.*

Hebr. HEBR. *Vinea fuit Salomoni in Baal Hamon. Hamon* eſt nomen proprium vrbis in tribu Nephtalim ſitæ inter mare Galileę & mare Phœniciæ, quæ data fuit Leuitis 1. Paral. 6. 75. ita dictæ à frequentia populi & ciuium. Nam *Baal Hamon* Hebr. idem eſt quod *habens* vel *poſſidens populum.* Vnde Noſter vertit: *In ea quæ habet populos.* Symmach. *In retentione turbæ.* Aquila: *In habente multitudinē.* Sept. verò retinent vt nomē proprium: *Vinea,* inquiūt, *facta eſt Salomoni in Beelamon.* Syrus verò refert ad multitudinem non populi, ſed fructuum: *Vinea,* inquit, *fuit Salomoni, & fructus eius multus.* Baalmon enim erat locus fertilis. Mirum eſt quòd Arabicus vertat: *Salomon factus eſt vinea in Baalamon,* niſi ſic explices q.d. Salomon tam copioſas habebat vineas, in eiſque excolendis erat tam aſſiduus & frequens, vt ipſe in eas quaſi transmutatus dici poſſit. Videtur ergo Salomon verè habuiſſe vineam copioſam in Baal Hamon.

(Margin: Hebr. — Symmach. — Lxx. — Syrus. — Arab.)

*Baal præfigitur vrbibus cur?* Porrò multa nomina locorum & vrbium ornatus cauſa propoſitum habent nomen *Baal*, vt Baal Pharaſim, Baal Meon, Baal Saliſa, Baal haſor, Baal Sephon. &c. ſiue quod olim Baal, id eſt, Bel vel Belus, Lar & Deus tutelaris in iis cultus fuerit, ſiue quod *Baal* idem ſit, quod habens, poſſidens, ſiue aliis de cauſis. Noſter Sanchez aſſerit Baalhamon eſſe Engaddi, palmis & balſamis abundante, ſed nullo auctore id probat.

Chaldæus more ſuo ad Iudæos, hæc refert: vnde per vineam accipit Ieruſalem & Iudæam, cuius Rex fuit Salomon, & poſt eum Rex Iuda fuit Roboam, Rex decem tribuum fuit Ieroboam: *Gens vna,* inquit, *attendu in ſortem Dominatoris ſæculi* (Chald.) *apud quem eſt pax, quæ comparata eſt vineæ. Collocauit eam in Ieruſalem, tradidítque eam in manum Regum domus Dauid, vt cuſtodirent eam, ſicut agricola cuſtodit vineam ſuam. Poſtquam autem mortuus eſt Salomon, Rex Iſraël remanſit in manu Roboam filij eius, & venit Ieroboam filius Nabath, & diuiſit cum eo regnum, & tulit de manu eius decem tribus, iuxta verbum oris Achiæ Silonitæ, qui erat vir magnus. Quando audiuit Salomon Rex Iſraël prophetiam Achiæ Silonitæ, quæſiuit occidere eum, & fugit Achia à facie Salomonis, & abiit in Ægyptum; & in illo tempore dictum eſt in propheta Salomoni Regi, quòd dominaretur decem tribubus omnibus diebus ſuis, & poſt mortem ſuam dominaretur eis Ieroboam filius Nabat: & duabus tribubus, videlicet Iuda & Beniamin, dominaretur Roboam filius Salomonis.*

Vinearum in Canticis crebra eſt mētio, quia Canticum ſcriptum eſt more bucolico: Vnde Salomon hîc inducitur vt vinitor, paſtor & agricola. Quare vti à vineis incipit, ita & in vineis deſinit. Nam cap. 1. ſtatim Sponſa, ſed adhuc iunior inexperta & debiliſait: *Poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui:* hîc verò iam adulta, ſapiens & valida ait: *Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos.*

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

EST vox Sponſæ adultæ, putà Eccleſiæ Gentium, quæ audita voce Spōſæ iunioris ſororis ſuæ, putà Synagogæ Iudæorum aſſerentis, ſe eſſe murum & habere vbera inſtar turrium, concludit per parabolam vineæ fertiliſſimæ & pręſtantiſſimæ tam de ſe, quàm de ſorore ſua, quòd iam copioſus & completus ſit fidelium & electorum tam Gentium, quàm Iudæorum numerus, ideóque tempus eſſe, vt nuptias cum Chriſto in cælo conſummet, quod vtraque vnicè optat & tacitè poſtulat.

Vineam eſſe Eccleſiam tam Gētium, quàm Iudæorū patet ex parabola Iſaiæ, cap. 5. 1. *Vinea,* inquit, *facta eſt dilecto meo in cornu filio olei:* & Chriſti: *Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam,* &c. Matthæi cap. 21. 33. (Iſaias 5.1.)

Igitur vinea hoc loco tam eſt Synagoga Iudæorum in fine mundi conuertenda, quàm Eccleſia Gentium iam pridam conuerſa, ſed in fine mundi & po-

pulis & virtutibus mirè florens, ac numeris omnibus abſoluta & perfecta, idcóque bis repetitur nomen vineæ: vnde nonnulli valdè appoſitè per primam vineam, v. 11. intelligunt Synagogam, per ſecundam, v. 12. Eccleſiam: vtraque enim vinea erit paris vel ſimilis fertilitatis, ac plurimos ſanctos Chriſto proferet, ſed Eccleſia vtpotè multò maior, copioſiorem & numeroſiorem dabit multitudinem ſanctorum. Quocirca per vineam hîc Synagogam accipiunt S. Gregor. Aponius, Chald. Eccleſiam verò Caſſiod. Philo, Iuſtus, Beda, Anſelm. & S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 22. v. 8. qui per cuſtodes accipiunt paſtores & doctores, vel etiam Angelos cuſtodes vti cenſent Caſſiod. & Beda, cuſtodes dicuntur, non coloni, quia colonus propriè eſt Chriſtus.

*Vinea Synagoga Iudaeorum.*

Applicemus ergo ſingula primò Synagogæ, deinde Eccleſiæ. Senſus eſt. q. d Sicut olim Salomon Regi fuit inſignis vinea in Baal Hamon, tum literalis, pendens ei annuè mille argenteos, tum myſtica, putà Synagoga legis veteris, amplum magníque pretij pietatis, Deíque cultus fructum proferens: Sic Chriſto, qui verus eſt Salomon, id eſt, pacificus & pacificans Deum ac homines, in fine mundi erit vinea in Baal Hamon, id eſt, in Iudæa, quæ tum abundabit fidelium populis & virtutibus, eritque perfecta magno ſanctorum & electorũ numero. Vnde S. Ioannes vidit ex ſingulis Iſraëlis tribubus duodecim millia ſignatorum. Apocal. 7. Tunc ergo Sulamitis, id eſt, Synagoga digna erit, quæ Sponſo Salomoni in cælo copuletur, ac vino gloriæ, quod protulit ipſa quaſi vinea, inebrietur. Hanc vineam Salomon, id eſt, Chriſtus *tradidit*, id eſt, tradet *cuſtodibus*, id eſt, Prælatis, Doctoribus & prædicatoribus, qui eam in fide & pietate excolant & cuſtodiant. *Vir*, id eſt, quiſque cuſtodum, qui ſcilicet annui eam cuſtodit, putà Pontifex *pro fructu eius* annua penſione *affert mille argenteos*, id eſt, maximũ & pleniſſimum (millenarius enim ſymbolum eſt ſummæ magnitudinis & perfectionis) virtutum & ſanctorum numerum, pretiúmque offeret Chriſti, putà multa magna, heroicáque opera S. martyrum, Virginum, Religioſorum, Clericorum, Præſulum, Coniugum.

*Et Eccleſia Gentium.*

Simili modo Chriſti vinea eſt Eccleſia Gentium in Baal Hamon, id eſt, in multitudine populorum: complectitur enim omnes nationes, quæ ſub cælo ſunt, atque in fine mundi plurimis abundabit ſanctis & electis Martyribus, Virginibus, Confeſſoribus, iiſque perficietur, tum fidelium, Sanctorúmque numero, tum charitatis, omniúmque virtutũ, bonorum operũ & meritorum copia & perfectione, vt illi iã omnino digni ſint, qui inſtar viuarum maturarum, & vini ex illis expreſſi, in cæleſte conuiuium nuptiarum Chriſti inferantur. Hoc eſt, quod ait Ioannes Apocal. 7. 9. *Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus, & tribubus, & populis, & linguis ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna dicẽtes: Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum & Agno.* Apoc. 7. 9. Ita Guilielmus, qui & rationem affert, quia, inquit, Eccleſia Gentium multos habet populos, cum Synagoga vnum dumtaxat habeat, ſcilicet Iudaicum; Et quia Chriſtus pro Eccleſia potiùs, vtpote tam numeroſa, quàm pro Synagoga è cælo deſcendit, mortemque & crucem ſubiit; & quia Eccleſia longè maiorem fructum, numerúmque ſanctorum, martyrum, Virginum, & Confeſſorum Chriſto protulit & profert, quàm Synagoga, quæ à tot ſæculis ob perfidiam repudiata à Chriſto, in fine mundi dumtaxat ei rurſum aſſociabitur. Ita S. Ambroſ. loco iam citato. Addunt iidem & alij, Eccleſiam factam eſſe vineam Chriſti in Baal Hamon, id eſt, in multitudine populorum in Pentecoſte cum Parthi; Medi, Elamitæ, &c. audierunt Apoſtolos loquentes magnalia Dei. Verùm tunc cœpit Eccleſia, quæ deinde per omnes populos propagata, planè perficietur in fine mundi. Vnde Lyranus per virum accipit Conſtantinum Imperatorem, qui, inquit, pro Eccleſia propaganda, & vberi eius fructu colligendo mille argenteos, hoc eſt innumeras fecit expenſas, Nam alij Imperatores tanquam pueri, qui præ vno crepundio mille aureos contemnunt, immenſas opes pro emendis ſuis voluptatibus effundebant. At verò Conſtantinus tanquam, vir, qui non niſi magnis mercibus magnum pretium appendit, ingentes ſui Imperij theſauros pro theſauro regni cæleſtis comparando liberaliter ſuppeditabat. Hæc Lyran.

Porrò valdè appoſitè, vt dixi, per vineam priorem v. 11. accipias Synagogam per vineam verò poſteriorem v. 12. Eccleſiam, quæ hîc inducitur loqui, & reſpondere Synagogæ, cuius hæc fuit

vox,

vox, *ex quo fui coram ipſo pacem reperiens*; ad hanc enim alludens Eccleſia reſpondet. q. d. Rectè ô Synagoga ſoror id dixiſti: quia Salomon, id eſt, Chriſtus Rex pacificus te, æquè ac me plantauit vt vineam pacis, id eſt, fertiliſſimam, delicatiſſimã & præſtantiſſimam, quæ fructus ſuauiſſimos omnis virtutis, omnis gaudij, omnis gloriæ, omniſque boni abundantiſſimè produceret: qui proinde mille argenteis æſtimantur, id eſt, ſummi & maximi ſunt pretij. Pax enim apud Hebræos omnium deliciarum, omniúmque bonorum copiam & abundantiam ſignificat. Hanc enim apud homines affert pax, aufert bellum.

*Baal Hamon quid?* Congruè addit hanc vineam eſſe in Baal Hamon, quia Hamon erat vrbs ſacerdotalis, data enim fuit Sacerdotibus Aaronicis ad incolendum, qui cæteras vrbes per interualla obibant, vt vbíque populum Dei legem, cultúmque docerent. q.d. Simili modo Synagoga in fine mundi dabit multos ſanctos, doctóſque ſacerdotes Chriſti, qui plebem in Chriſtiana fide pietatéque erudiant & perficiant. Hi ſcilicet erunt vbera, de quibus ipſa, v. 10. dixit: *Vbera mea ſicut turris.*

*Vinea mea coram me quid? Vatabl.* Deinde Eccleſia de ſeipſa ſubdit: *Vinea mea coram me eſt*, id eſt, vt Vatabl. *Vinea mea, quæ me attinet mihi cura eſt.* q. d. Tu ô Synagoga ſoror vineam tuam habes Iudæam, at ego vineam habeo totum orbem reliquum, putà omnes gentes, quas in fide & virtute Chriſtiana per meos prælatos, paſtores, & prædicatores, aſſiduè excolo: quare opus eſt, vt tam amplam vineam ſemper præ oculis habeã, ac magna ſedulitate & labore paſtinem, putem, vindemiem, &c. vti feci, & facio. Quocirca illa iam tot annis & ſæculis à me ſic exculta, quotannis ex fructibus Salomoni hero (putà Chriſto) reddit mille argenteos, id eſt, maximum pretium: cuſtodibus verò eam excolentibus inſuper pro lobore reddit ducentos argenteos. Argenteus intelligitur ſiclus, qui quatuor argenti drachmas, hoc eſt quatuor Iulios Italicos, ſiue quatuor regales Hiſpanicos, hoc eſt, florenum Brabanticum, ſiue Belgicum continebat. Hoc eſt, quod ſequitur.

*Mille tui pacifici & ducenti his, qui cuſtodiunt fructus eius.* Pro *pacifici*. Hebraicè

*Hebr.* eſt, *ô Salomon.* Vnde Complutenſes le-

*Complut.* gunt *pacifice* in vocatiuo. *Tui* ergo *pacifici*, idem eſt, quod *tui ô pacifice*, ô Sa-

*Arab.* lomon. Vnde Arabicus vertit: *Multa millia Salomonis.* Septuag. *mille Salomoni.* Hinc patet τὸ *pacifici* non eſſe nominatiuum pluralem, vti cenſent Honorius, Caſſiodor. Guilielmus, Rupertus & alij, ſed eſſe genitiuum ſingularem, ac denotare Salomonẽ, eiúſque antitypum Chriſtũ.

Senſus eſt. q. d. Sicut tua vinea Iudæorum, ô Synagoga, Salomoni, id eſt, Chriſto Sponſo offert mille argenteos, id eſt, maximum, maximíque pretij fructum charitatis, virtutum & bonorum operum: Sic idem prorſus facit mea vinea Gentium: licèt enim gentes, vtpote Iudæis multò plures, longè plures quàm Iudæi proferant heroicarum virtutum, ac ſanctorum Martyrum, Virginum & Confeſſorum numerum; tamen ad vitandam ſororis Synagogæ æmulationem & zelotypiam dicitur tantundem, quantum ipſa afferre, ſcilicet mille argenteos, id eſt, maximi pretij fructus, ſed proportionaliter iuxta numerum cuiúſque: Eccleſia enim Gentium, quia numeroſior, vtique numeroſiorem dat, dabítque in fine mundi ſanctorum prouentum, quàm Synagoga Iudæorum.

Ait ergo *mille tui pacifici*, id eſt, mille tibi ô pacifice, ô Salomon, id eſt, ô Chriſte argenteos, quos ex fructu vineæ collegi, offero & reddo, quia Chriſti eſt omnis Eccleſiæ, putà fidelium & ſanctorum charitas, virtus, perfectio, beatitudo & gloria. Omnia enim hæc manant à gratia Chriſti, ſicut riuus à fonte, radius à ſole, calor ab igne. Chriſto ergo debentur mille, id eſt, longè potior & maxima bonorum operum dignitas, meritum, & præmium. Eccleſiæ verò & ſanctis debentur, dantúrque ducenti, id eſt, ſanctitas animæ & corporis, vel charitas Dei & proximi, cui ceu præmium in cælo reſpondet gloria animæ & corporis, per decem præceptorum Decalogi obſeruationem, in corde & opere centies duplicatam, id eſt, omnimodè multiplicatam & perfectam: nam centum duplicata faciunt ducenta. Ita Honorius, & ex eo Delrio, Philo, & alij.

Rurſum *mille tui pacifici.* q.d. En Chriſte Sponſe noſter tam Synagoga, quàm Eccleſia, vtráque Sponſa tua offert tibi millenarium, id eſt, vniuerſitatem & plenitudinem ſanctorum omnium, quaſi fructuum, quos per gratiam tuam ex Gentibus æquè ac Iudæis collegit: quare completus eſt iam ſanctorum & electorum numerus. Age ergo, huic labori & militiæ noſtræ finem impone, duc nos tecum è terra in cælum, è militia ad

triumphum, ex agone ad brauium, vt tibi quaſi Sponſo in cæleſti thalamo nuptiis beatiſſimis copulemur. Quare vtrãque hanc vineam tuam è ſolo in cælum transplanta, homines ſanctos Angelis iunge, atque Sponſam tuam tamdiu in arena hac generosè luctantem, effice triumphantem.

*Mille notant copiã.* Nota, millenarius eſt cubus atque quadratura denarij: decem enim in ſe ducta & multiplicata, putà decies decem faciunt centum, decies centum faciunt mille: quare mille notant rei, putà ſanctorum hîc vniuerſitatem & plenitudinem, ait S. Auguſt. lib. 2. de Ciuit. c. 7. & alij paſſim.

*Et virginitatem.* Rurſum millenarius ſymbolum eſt virginitatis; Virginitatis enim ſymbolum & cauſa eſt vnitas, ſiue ſimplex, ſiue compoſita, vti componitur in 10. 100. & 1000. qui eſt millenarius. Matrimonij autem ſymbolum eſt dualitas (iuxta illud: *Erunt duo in carne vna.* Epheſ. 5. 31.) ſiue ſimplex ſiue compoſita, vti componitur in 20. & 200. Quia ergo Eccleſia Chriſti Sponſa, & virgo & coniux eſt, idcirco argentei eius mille ſunt, quia virgo, & ducenti quia coniux, ait Petrus Bongus de Numer. myſteriis in 200. quæ ipſe mutuatus eſt ex Ruperto hoc loco, qui & aliam rationem addit: *Vnitas*, inquit, *virgo dicitur, quia in ſemetipſa multiplicata nihil creat, quia ſemel vnus, tantùm eſt vnus, quod alteri numero nulli contingit: nam bis duo ſunt quatuor, ter tria nouem, atque ita deinceps. Nuptias centenus binarius* (ducenti) *deſignat, quia hæc feliciſſimè indiſſolubili vinculo dilecto copulata eſt.*

*Petrus. Bongus.*

*Et Chriſtum.* Porrò Chriſto propriè competit millenarius, ait Bongus in 100. iuxta illud, *mille tui ô pacifice*: Chriſto, inquam, qui eſt pax ſibi ipſi, & omnia, teſte S. Paulo Coloſ. 1. pacificauit in cælo & in terra, & cuius officium fuit perducere adhuc finem, in quo eſt pleniſſima & feliciſſima pax, perfectiſſimus deputatur millenarius. Hic enim iure optimo in eo; quod finis & vltimus eſt numeri vltimi & conſummati, verè Chriſto ſoli conuenit, qui eſt primus ſecundùm diuinitatem, antequam nullus, nouiſſimus antem ſecundùm humanitatem, iuxta illud 1. Corinth. 15. v. 45. *Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem, nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem.* Millenarius enim omnium numerorum eſt periodus; hoc eſt, principium & finis: incipimus enim numerare ab vnitate & deſinimus in mille. Sic Chriſtus Deus & homo fons, origo & principium primum eſt, æquè ac finis vltimus omnium bonorum, iuxta id quod ipſe de ſe ait: *Ego ſum α & ω, primus & nouiſſimus.* Apoc. 21. 22. Ita Theodor.

*1. Cor. 15. 45.*

Denique millenarius ſymbolum eſt conſummationis mundi, iuxta illud: *Sex millia mundus*, reſurrectionis & gloriæ beatorum in cælis æternæ. Apocal. 20. 5. Ibi enim ſancti Eccleſiæ bibent vinum felicitatis æternæ, ac pace, id eſt, bonorum omnium affluentia perfruentur. Ita S. Gregor. Caſſiod. Iuſtus & alij paſſim. *Et finis mundi.*

Porrò Philo Caſſiod. Rupert. S. Greg. & S. Ambr. cenſent hæc verba: *Vinea mea coram me eſt*, &c. eſſe verba Sponſi Chriſti, qui Sponſæ reſpondeat. q. d. ait Caſſiodor. *Tu dicis, quia Eccleſiam vineam meam tradidi cuſtodibus; attamen ego ſemper curam illius habeo: Noli dubia eſſe pro æterna mercede, quandoquidem tibi paratus eſt fructus retributionis æternæ: Mille enim tui, id eſt, omnia illa, quæ pro me reliquiſti, pacifici* (in recto) *id eſt, proficui tibi ſunt: porrò his qui cuſtodiunt fructus vineæ meæ, parati ſunt ducenti, item pacifici, id eſt, duplicatus fructus redditus eſt proficuus, quatenus iuxta Apoſtoli dictum: presbyteri duplici honore ſunt digni, maximè qui præſunt & laborant in verbo.* 1. Timoth. cap. 5. 15. Hæc ſententia & expoſitio probabilis eſt, ſed probabilior prior, ſcilicet, hæc eſſe verba Sponſæ, iuxta ſenſum paulo ante recenſitum; nam ſequitur: *Mille tui pacifici.* Hebr. *O Salomon*, id eſt, ô Chriſte, quæ eſſe verba Sponſæ ad Sponſum, nemo dubitat. *Caſſiod.*

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

Anima, ait Philo Carpath. *quæ pacem Domini inuenit & requiem à delictis, fit quaſi vinea fructifera Salomoni cæleſti qui cuncta beat in cælo & in terra, omniáque quieta, beata, pacifica præſtat & ſeruat, modò illi ſubiecta ſint & mortem gerant. Nam nec impiis eſt pax, nec improbis quies, nec ſuperbis tranquillitas, ſed manſuetis & rectis corde. Hi ſi Sponſo ſtudent placere, non mundo, non homini, ſua anima, vt vineæ cuſtodes præficiuntur; hoc probat propheta cum dicit: Portio mea Domine, dixi cuſtodire legem tuam. Talis pro mercede accipit mille argenteos, hoc eſt, totius legis & mandatorum plenitudinem ſalutarem ſecum defert in patriam, & ibi ſine fine victurus comedet de fructu manuum ſuarum. Nihil Deo acceptius, quàm benefacere, & benè cæteros docere exemplo ipſius Sponſi, qui de talibus dixit: Vbi ego ſum, ibi ſit* *Philo. Carpath.*

&

*& miniſter meus.* Ioan. 17. 25. Anima ergo, quæ perfectioni ſtudet, aſſiduè dicit: *Vinea mea coram me eſt*, vt aſſiduè ſeipſam inſpiciat, examinet, corrigat, perficiat, ceu vinitor vineam.

Porrò Honorius Caſſiodor. & S. Gregor. hæc applicant Religioſis, qui omnia bona terrena contemnunt, vt Chriſto ſe vniant & deſpondeant. Audi S.

Gregor.

Gregor. *Pro fructu vineæ vir mille argenteos affert, quia quiſquis viriliter in fide quam ſuſcepit ſe habet, libenti mente & perfectè omnia terrena dimittit, vt Chriſtum veraciter habeat. Millenarius enim perfectus eſt numerus; ideo per eum perfectio rei cuiſlibet demonſtratur. Hos argenteos in Eccleſia primitiua illi ferebant, de quibus in actibus Apoſtolorum ſcriptum eſt: Quotquot autem poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendebant, & afferentes ponebant ad pedes Apoſtolorum pretia eorum, quæ vendebant.* Actor. 4. Horum præmium ſunt ducenti argentei, quia tales centuplum recipient in hac vita, & multò magis centuplum in futura, iuxta illud Chriſti promiſſum: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Matth. 19. 29. addit S. Anſelm. ducentos dari cuſtodibus, quia cuſtodes Eccleſiæ & animarum duplex pretium Deo offerunt, quatenus ſe immaculatos ſeruant, & alios lucrantur, ideóque & duplex præmium nanciſcuntur. Huc facit illud: *Argentum electum lingua iuſti.* Prouerb. 10. 20.

Matth. 19

Prouerb 10. 20.

Aliter Theodor. qui per vineam accipit animam fidelem, per cuſtodes eius ſacerdotes, per mille argenteos Chriſtum, per ducentos verò cuſtodiam quinque ſenſuum. Audi eum: *Nam numerus millenarius in Chriſto ſignificat perfectionem, cum ſit vnitas abſoluta, eiuſque rationem non ſolum vi, ſed etiam re in ſeipſo contineat: ab vnitate enim incipit, & per vnitatem oſtenditur; & vnitatis effector eſt. Nam vnitatis nota, mille & myrias indicantur. Numerus verò ducenarius naturæ noſtræ in ſeipſam redactæ per obſeruationem mandatorum ſignificat conſtitutionem: quippe qui decies repetitum per decem mandata vicenarium continet, ex quater quinque compoſitum, & propterea naturam noſtram, quæ ex materia formáque conſtat oſtendentem.* Sic & tres Anonymi apud Theodor. & S. Ambroſ. in Pſal. 118. ſer. 22. v. 8. vbi ſic legit: *Vitis mea in conſpectu meo, mille Salomoni & ducenti ſeruantibus fructum.* Alij ducẽtos referunt ad duplex præmium duplicis vitæ, ſcilicet actiuæ & contẽplatiuæ.

Symbolicè.

Symbolicè, Guilielmus per mille & ducentos accipit S. Angelos qui cæleſtis Sponſi ſunt pacifici & familiares, eíque in cura Eccleſiæ cooperantur: nempe pacifici ſunt, qui quærunt & iugiter rogant quæ ad pacem ſunt Ieruſalem. Nam mille & ducenti faciunt duodecies centum: *Et notandum*, inquit, *quia duodenarius conſtat ex quatuor ternariis, & quodammodo quadratur eis. Quadratorum autem eſt, in quamcumque partem inclinentur, firmiter ſtare. Itaque duodenarius Angelorum, in amore creatricis Trinitatis eorum ſtabilem inſinuat firmitatem. Centenarius verò in literis ſacris ſolemni ratione perfectionem ſignificat. Cùm verò ſancti Angeli duodecies centum dicuntur, in amore ſui conditoris non tantùm firmi, ſed & perfecti oſtenduntur, nempe illi tam firmiter adhærent, vt nullo tempore, nullo caſu in eius valeant amore nutare; & tam perfectè atque integrè, vt nihil quod non ipſo & propter ipſum ament, valeant cum ipſo amare.*

Guilielm.

Hæc ipſe, non ſatis aptè ad literam, tum quia mille dantur hîc Chriſto non Angelis; ducenti verò cuſtodibus vineæ: tum quia *τὸ pacifici*, non eſt hîc nominatiuus pluralis, ſed genitiuus ſinguris ipſúmque Salomonem, hoc eſt Chriſtum denotat, vt patet ex Hebræo, Septuag. Syro, Arabico & aliis.

## TERTIVS SENSVS

### *De Chriſto, & B. Virgine.*

Vinea eſt B. Virgo.

VInea, inquit Honorius in ſigillo, eſt Deipara, quam Deus plantauit in Baal hamon, id eſt, in Ieruſalem & Iudæa populis abundante, quæ patria fuit Apoſtolorum, eámque cuſtodibus, id eſt Apoſtolis commendauit, ac præſertim S. Ioanni moriens in cruce, cum ei diceret: *Ecce mater tua.*

Rurſum & aptiùs ad literam, quæcumque dixi initio de Synagoga & Eccleſia, attribue B. Virgini: ipſa enim poſt Chriſtum vtriúſque, ceu mater, teneram habet curam ac ſingularem prouidentiam.

---

## VOX SPONSI.

Verſ. 13. *Quæ habitas in hortis, amici auſcultant: fac me audire vocem tuam.*

Honor.

QVÆ *habitas in hortis* (malè Honor. legit *in portis*, ſcilicet vitæ & mortis, ait ipſe) *amici auſcultant: fac me audire vocẽ tuã.* Septuag. *Qui ſedetis* (Symmach.

LXX.

Symmach.

*qui ſedetis) in hortis, amici ſunt intendentes voci meæ: vocem tuam inſinua mihi.* Syrus. Syrus *Cuſtodes* ( de quibus ſermo præceſſit) *qui habitant in hortis* ( adſunt) *& auſcultant vocem tuam.* Arabic. Arabicus: *Sedentis* (maſculinè) *in horto alij auſculcant.*

Videntur Septuag. & qui eos ſequuntur. Syrus & Arabicus, pro היושבת *ioſcebet*, feminino, id eſt, *quæ ſedes* vel habitas, legiſſe ישבת *iaſcabta*, maſculinè, id eſt, *qui ſediſti*, id eſt, *qui ſedes.*

Eſt vox Sponſi ad Sponſam, quam bucolicè denutat per τὸ *quæ habitas in hortis*, quaſi ruſtica puella, & nympha quæ ſyluas & montes colit, quales à Poëtis vocantur Dryades & Oreades, de quibus: Virgil. Æneid. 1.

Virgil. *Exercet Diana choros, quàm mille ſecutæ,*
*Hinc atque hinc glomerantur Oreades.*

Vnde Seruius: *Dryades*, ait, *nymphæ ſunt*, quæ *inter arbores habitant. Hamadryades autem nymphæ ſunt, quæ cum arboribus naſcuntur, & pereunt.*

Sic Sponſa hæc quaſi caſtitatis & ſapientiæ nympha amat rura, agros, vineas & hortos. Alludit ad id quod v. præcedenti Sponſa de ſe dixit: *Vinea mea coram me eſt.* Vinea enim ſimul hortus eſt, quia inter vites ſeruntur herbæ, arbores & plantæ, vti fit in hortis. Iam

Senſus. 1. Primò, Aben Ezra per amicos intelligens amaſios, ſiue procos & riuales Sponſæ Sponſique æmulos, ſic exponit. q.d. Sponſus: Caue ô Sponſa, ne publicè canas, quia adſunt proci, qui vocem tuam ambiunt: ita ergo modeſtè & ſecretò cane, vt ego ſolus audiam: ſat tibi ſit, ſi vox tua in meis auribus ſonet; iuxta illud: *Secretum meum mihi.* Aut vt Vatab. q.d. Cane palam coram meis æmulis, vt ipſi audiant te cupere me Sponſum, non illos, vt ipſi doleant, & de tuis nuptiis deſperent.

2. Secundò, noſter Sanchez per amicos accipit teſtes contractus connubialis. q.d. Clara voce ô Sponſa enuncia & profitere, te velle mecum inire coniugium, téque non alium, quam me cupere Sponſum, vt teſtes id audiant, itáque coram ipſis ratum & ſolemne celebremus de more connubium.

3. Genuinè. Tertiò, & optimè, per amicos accipias Sponſi ſodales & paranymphos, quî optant Sponſam Sponſo copulari eiúſq; hac de re votum & deſiderium voce expreſſum audire: poſtulat ergo Sponſus à Sponſa, vt vota ſua, quæ de nuptiis cum Sponſo conſummandis hactenus tacitè inſinuauit, apertè tandem enunciet coram paranymphis.

## PRIMVS SENSVS

*De Chriſto & Eccleſia.*

CHriſtus huc vſque dialogiſmum & colloquium Synagogæ & Eccleſiæ audiuit, illúdque ei placuit: quare ab vtraque iam in fide & religione Chriſtiana vnita, vnáque Eccleſia effecta, petit, vt vltima ſua vota & poſtulata depromat, ſe enim eis cupere annuere & ſatisfacere. q.d. ait Hortolanus, O mea ſuauiſſima Eccleſia catholica, quæ & ipſa hortus es mihi gratiſſimus, & omnium mearum Eccleſiarum, ac ſingulorum electorum velut hortorum meorũ, ſatagis. Ecce iam diu & ſæpe ſæpius abs te vucatus venio. Adſunt mecum omnes Angeli ſodales mei, & communes amici noſtri. Fare iam, age quid me vis. Quid eſt quod téque tuúmque ſpiritum aſſiduè clamare audio, veni, veni, veni Domine Ieſu. Ecce iam veni, ſicut olim promiſi, & merces mea mecum eſt, vt reddam vnicuique iuxta opera ſua. Coram ſum, quem vocas. Opta quod velis. Tu modò loquere: ſcis enim me tua oratione mirificè delectari: delectantur & ea hi omnes amici noſtri, téque loquentem idcirco audire percupiunt. Hi hactenus preces & vota tua ſumma cum voluptate auſcultarunt, & ad me bona fide retulere, te mihi patríque meo de meliore ſemper nota commendare ſoliti, & in hoc (vt aliquando monui) patris mei cæleſtis faciem perpetuò obſeruantes. Porrò Eccleſia fixè habitat in hortis, id eſt, aſſiduè verſatur in amœnitate Scriptur. in excolendis paradiſis iuge virentium, pulchrè florentium & ſuauiter olentium virtutum. Ita Rupert. Honorius & alij: *Amici* ſunt Angeli. Ita Caſſiodor. Theodor. Beda, Aponius, Anſelmus, Haymo, Rupert. & alij.

Huc facit verſio Chald. *Dixit Salomon in fine prophetiæ ſuæ: Dicturus eſt Dominator ſæculi cætus Iſraël in fine dierum. Tu congregatio Iſraël, quæ comparata es horto minimo inter nationes, & habitas in domo doctrinæ cum ſociis Conalij, & reliquis populis, qui auſcultant vocem principis ſcholæ, & diſcunt ab ore eius verba eius, audire fac legem, vocem ſermonum tuorum in tempore, quo tu ſedes ad iuſtificandum, & condemnandum, & aſſentiar omnibus.*

Symbolicè S. Gregor. Caſſiodor. Beda cenſent Chriſtum hîc cupere audire Eccleſiæ *Habitas in hortis quid?*

Eccleſiæ vocem prædicationis ( addit Rupertus orationis & precum ) vt ſcilicet hortum fidelium, in quo habitat doctrina S. Script. &c. excolat: hac enim voce ſe æquè ac amicos, id eſt, Angelos & beatos oblectari.

Minùs rectè Iuſtus Orgelit. legit: *Quæ habitas in hortis; Amice auſculta, fac me audire vocem tuam*, quaſi *τὸ quæ habitas in hortis* ſit vox Sponſi; ſequentia verò *amice auſculta*, &c. ſit vox Sponſæ ad Sponſum. q. d. Fac me ô Sponſe audire vocem tuam iucundiſſimam, qua ei, qui ſanctè vixerit, in die iudicij dices: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Matthæi 25. 21.

Sic & Theodor. qui legens cum Septuag. maſculinè: *qui habitas in hortis*, cenſet hæc omnia eſſe verba Sponſæ ad Sponſum, quæ ſecundum, inquit, Chriſti aduentum ſedulò flagitans atque expectans ſupplex eum orat, dicitque: *Audire me fac vocem* illam *tuam* optatiſſimam: *Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.*

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

TRes Anonymi apud Theodor. legentes eum Septuag. *qui habitas in hortis*, &c. cenſent hæc verba eſſe Sponſæ ad Sponſum, quem in hortis ſedere dicit: *Horti autem*, inquiunt, *diuina ſunt templa, martyrum monumenta, eorum, qui ſolitariam amplexi ſunt vitam, conuentus. In his* Anonym. *mille argenteos pro fructu vineæ afferentibus, Sponſum aſſerit habitare, atque illum obſecrat, vt non ſolum cum Angelicis virtutibus colloquatur, ſed ſe ipſam quoque voce ſua dignam efficiat, néue contemnat ſe, quæ deſiderio ſitique ardet fruendi ſermonibus ipſius.*

Huc accedit S. Ambroſ. in Pſalm. 118. Ambroſ. ſermon. 22. verſ. 8. *Vnde & nos*, inquit, *ſi volumus eum in nobis ſedere, ſimus horti clauſi atque muniti: feramus virtutum flores, gratiæ ſuauitatem, vt diſputantem cum Angelis dominum audire poſſimus.*

Verùm iuxta textum Hebræum, vulgatam verſionem, Arabicum & alios liquet hæc eſſe verba Sponſi ad Sponſam, puta ad animam piam, quæ ipſi ſedulò in omni virtute per omnem vitam ſeruiuit, cui proinde in fine vitæ ad cælum anhelanti dicit: Age ô dilecta, quæ habitas in hortis, quæ ſcilicet hortum animæ tuæ æquè ac proximorum tuorum, aſſiduè omni virtutum genere excolere ſategiſti, poſtula quod vis, dabo tibi: ſcio te cupere diſſolui & eſſe cum Chriſto tuo; age, idipſum ardenter eloquere, voti te compotem efficiam: auſcultãt amici tui, æquè ac mei, ſcilicet Angeli, imò arrectis auribus adſtant, vocíque tuæ intendunt (hoc enim eſt מַקְשִׁיבִים *macſcibim*) quaſi eius ſitientiſſimi, vt eam excipiant & hauriant. Vnde Rupertus: *Fac*, inquit, *me audire vocem tuam, vt lex Domini ſemper in ore tuo ſit, nunc prædicando, nunc operando,* Rupert. *nunc pſallendo. His namque modis libenter audio vocem tuam, & vt amplius ſapienter & ſollicitè id facias, ecce dico tibi, amici aſcultant etiam illi, quos non vides corporalibus oculis, ſancti ſcilicet Angeli, iuxta illud: in conſpectu Angelorum pſallam tibi.*

Porrò hinc, ait S. Ambroſ. lib. de bono mortis, cap. 5. *Hortum illum ſibi Plato compoſuit, quem Iouis hortum alibi, alibi hor-* Ambroſ. *tum mentis appellauit. Iouem enim & Deum, & mentem totius dixit: In hunc introiſſe animam, quam Peniam nuncupat, vt ſe abundantia & diuitiis horti repleret, in quo repletus potu iaceret Porus, qui nectar effunderet. Hoc igitur ex libro Canticorum compoſuit, eo quòd anima Deo adhærens in hortum mentis ingreſſa ſit, in quo eſſet abundantia diuerſarum virtutum.*

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto & B. Virgine.*

PRimò, Guilielmus exponit de Chri- Senſus. 1.
ſto per Gabrielem poſcente conſenſum Beatæ Virginis ad Verbi incarnationem. q. d. O Virgo quæ in hortis animæ paſceris liliis puritatis, audire me fac vocem tuam, qua dicas: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Rurſum idem Guilielmus exponit de Chriſto, poſt reſurrectionem poſcente à matre licentiam è terra abeundi, & aſcendendi in cælum. q. d. audire me fac vocem tuam, qua dicas: *Fuge dilecte mi; aſſimilare capreæ hinnulóque ceruorum ſuper montes aromatum*, vt figias in cælum, indéque mihi & Apoſtolis de tuo diſceſſu mœſtis mittas Spiritum ſanctum.

Secundò, Alanus. q. d. Chriſtus: *O ma-* 2.
*ter mea quæ habitas in hortis; in horto Eccleſiæ corporaliter; & horto virtutum germinantium in vitam æternam ſpiritualiter: in horto qui Chriſtus eſt, per amorem: in horto vitæ æternæ, per ſpem, conſequenter habitatura per ſpeciem. Fac me audire vocem tuam, id eſt, ad me dirige preces de quacumque tribulatione, vt eas impleam, quia inordinatè ordre non potes.*

Tertiò,

Digitized by Google

Tertiò, & aptiſſimè ad literam Hailgrinus Cardin. q. d. *In fine huius operis, in hoc Chriſtus verba concludit; aſsignat ſiquidem matri officium, quod gerat in patria dicens, ô tu dilecta mea, qua habitas in hortis gratiarum & virtutum, fac me audire vocem tuam in precibus, ſonet vox tua in auribus meis, quia amici, ſcilicet Angeli, auſcultant, vt quod à me petieris, ſtatim officioſo peragant miniſterio. Beata autem Virgo libenter obſecundans filio, & tanquam gaudens iniuncto tali officio, ſtatim aſſurgit ad preces, dicens: Fuge*, &c. vt ſequitur.

## VOX SPONSÆ

Verſ. 14. *Fuge dilecte mi, & aſſimilare capreæ hinnulóque ceruorum ſuper montes Aromatum.*

*FVGE dilecte mi, & aſſimilare capreæ hinnulóque ceruorum ſuper montes Aromatum.* Symmach. *ſuauitatum.* Syrus pro *fuge* &c. vertit *vt cum venero dilecte mi.*

Chald. *In illo tempore dicent ſenes cœtus Iſraël: Fuge tibi dilecte mi dominator ſæculi, de terra hac immunda, & habitet maieſtas tua in cœlis excelſis: & in tempore tribulationis, quo nos orauerimus coram te, eris ſimilis capreæ, quæ in tempore, quo dormit, vnus oculus eius eſt clauſus, & alter oculus eſt apertus: aut ſicut hinnulus ceruorum, qui in tempore quo fugit, reſpicit poſt ſe; ſic tu contemplaberis nos, & reſpicies tribulationem noſtram de cœlis excelſis, vſque ad tempus quo beneplacitum erit tibi in nobis, & redimes nos, & introduces nos in montem Ieruſalem, & ibi adolebunt ſacerdotes coram te incenſum aromatum.* Chald.

Eſt vltima & cygnæa vox Sponſæ, qua Sponſo cupienti vocem eius vltimam audire, illam edit, & per eam vltima & extrema ſua vota Sponſo inſinuat, quæ ſunt, vt Sponſus fugiat, id eſt, celeriter ſe proripiat inſtar capreæ ſuper montes aromatum, eóque ſecum rapiat Sponſam, vt ibi illa ipſo ſolo perfruatur; nec enim amor, qui intimis Sponſæ medullis inſedit, vllas Sponſi moras patitur. Fuge ergo ô Sponſe mecum è vallibus hortorum in montes rupium, ex turba in ſolitudinem, ex cœno fœtorum in colles aromatum. Rurſum *fuge*, id eſt feſtina, feſtinanter abi & auola in montes. Sic & Hebræum ברח *barach*, id eſt, fugere, ſubinde idem eſt, quod feſtinanter currere, ait R. Ioſeph Kimchi, cuius ſignificati plura exẽpla recenſet Pagnin. in theſauro linguæ ſanctæ: quia enim fuga fit cum feſtinatione & velocitate, hinc per Metalepſin *fugere* ſumitur pro feſtinare, *fugax*, pro veloci *fuga* pro curſu. Sic Virgil. ait:

*Fuge, id eſt, feſtina.*

*Optima quæque dies miſeris mortalibus æui.* Virgil.
*Prima fugit;*

Id eſt, citatiſſima præterit & auolat. Et Silius:

*Fugit ocyor Euris.*

Et Plautus:

*Remigio velóque quantùm potes feſtina & fuge.*

Vnde Seneca Epiſtol. 118. ſub finem: *Nunquam*, inquit, *Virgilius dicit dies ire, ſed fugere, quod currendi genus concitatiſsimum eſt.* Fuga enim velociſſima eſt, præſertim caprearum & hinnulorum, cum eos canes venatici celerrimè inſectantur. Eſt ergo Emphaſis in verbo *fuge*. q. d. Sicut capreæ & hinnuli à canibus agitati effuſiſſimè fugiunt; ſic tu ô Sponſe quæſo, vt meæ ſaluti conſulas, mecum fuge, id eſt celerrimè me tecum abripe in montes aromatum, id eſt, in cælum, vbi extra omne periculum degam ſimque beata, & te iucundiſſimè perfruar:

*Non fugis, vt fugias: vt capiare, fugis.*

Addit Sanchez *fugere* quandoque ſignificat inuadere: Sic de Ænea Turnum in ſequente canit Virgil. 12. Æneid. *Fugere pro inuadere.*

*Quoties oculos conuertit in hoſtem,* Virgil.
*Alipedúmque fugam curſu tentauit equorũ.*
*Auerſos toties currus Iuturna retorſit.*

Hoc ergo ſignificato innuitur ſanctos, duce Chriſto, per heroica mortificationis, martyrij, charitatis, cæterarúmque virtutum opera inuadere & obtinere montes aromatum, puta montes æternitatis in cæleſtibus, iuxta illud Chriſti: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matth. 11. 12 Fuga ergo hæc notat celerem impetum in agone virtutis, quo ſancti cælum inuadunt & occupant.

Montes aromatum ſunt montes Bether ſiue Bethel, vti dixi, c.2. v.7. vbi Iacob vidit ſcalam è terra erectam in cælum, ac per eam deſcendentes & aſcendentes Angelos ad Deum ſcalæ innixũ, ideóque locum vocauit Bethel, id eſt, domus Dei. Geneſ. 28. v. 12. *Montes* ergo *aromatum*, vel vt Symmach. *ſuauitatum*, Symbolicè denotant cælum, vt exponit Chald. Vatabl. & alij paſſim, vbi ſancti ſuauiſſimè modulantes, iugiter offerunt Deo aromata, id eſt, thura & thymiamata laudis, orationis, gratiarum actionis & iubili, vt patet Apocal. c. 5. & ſeq. Audi Adrichomium in deſcriptione

terræ

Digitized by Google

terræ ſanctæ pag. 16. num. 43. *Bethel ſiue Bether montes ſunt fœcundi, nemoroſi & arboribus conſiti, gramine & herbis aromaticis pleni, & ideo cerui capreæ & hinnuli illorum cacumina frequentant, de quibus in Canticis.*

*Montes aromatum ſunt cæli.* Sic in cælorum montibus quaſi in Bethel, id eſt, in domo Dei, inter Angelos & beatos flagraut, odoratiſſimi roſmarini continentiæ, Balſama immortalitatis, cinnama exultationis, garophylli charitatis, piper acre laudis & iubili.

## PRIMVS SENSVS

### *De Chriſto & Eccleſia.*

ECcleſia in fine mundi conuerſis iam Iudæis, & completo ſanctorum & electorum numero, qui ſedes Angelorum lapſorum reſtaurabunt, & implebunt, toto hoc capite ſua ad cælum ſuſpiria è corde, ſponſi amore ardenti ad eum eiaculatur, vt ibi poſt tot labores & agones, quaſi emerita & victrix cum Chriſto nuptias beatas conſummet, eóque glorioſè perfruatur in æternum, ac cum ſanctis Angelis iuge Alleluia concinnat. Vnde idem ſuſpirium hic iterat, eoque cantico concludit, imminente iam ſecundo Chriſti aduentu ad iudicium. Senſus ergo eſt q. d. *Fuge*, id eſt, feſtina & proripe te ô Sponſe, mox à peracto iudicio, ex valle hac lachrymarum, tot ſceleribus & ærumnis fœtida & putida, in montes aromatum, id eſt, ad colles beatæ æternitatis, ad ſedes Angelorum, vbi omnia fragrant thure & incenſo laudum & iubilorum, cóque pariter me tecum transfer, vti ſolent capreæ & hinnuli fœtus ſuos ſecum eripere (imò ſine iis nolunt ſe ſolos eripere) à venatoribus, & transferre in montes aromatibus redolentes. Cur Chriſtus comparetur capreæ & hinnulo, plures cauſas & analogias recenſui cap. 2. verſ. 9.

Vnde Coſmas Damianus paraphraſticè & patheticè ſic explicat: O optime, & vita mea mihi charior Sponſe mi, Domine Ieſu Chriſte, veniſti tandem die multúmque vocatus mihi & expectatus. Felix, fauſtúſque ſit nobis aduentus tuus. Ecce iam exoptata ſpirat regenerationis noſtræ dies, iam te exorto ſummo ſole & Rege noſtro, principum omnium & poteſtatum, ceu liqueſcentium montium vmbræ contrahuntur: iam omnis creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis: iam vita noſtra, quæ hactenus in te condita latuit, vnà cum tua vita & gloria vniuerſo orbi reuelabitur: iam incorruptibile hoc corpus induet incorruptionem, & mortale immortalitatem, iam denique tecum de peccato & morte triumphaturi, hoſtibus noſtris Oſæeum hoc carmen canentes, inſultabimus: Abſorpta eſt mors in victoria Vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors, peccatum, ſtimulus tuus? Bonum certamen certauimus, curſum conſummauimus, fidem ſeruauimus, vicimus Rogamus ergo te enixè, vt nos omnes, qui ſumus electi & dilecti tui, ex quatuor plagis ad te venire iubeas, & in illam nubem tuam lucidiſſimam rapias, téque & nos è conſpectu hominum impiorum quàm celerrimè in cælum, procul è fœtidis huius mundi montibus, ferinum Leonum & Pardorum virus olentibus transferas in montes cæleſtes omnium gratiarum & virtutum tuarum, ac votorum noſtrorum aromaticam ſpirantes fragrantiam. Audiat tandem, te obſecro, tua Eccleſia promiſſam illam iucundiſſimam vocem tuam: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Veni de Libano, Sponſa mea, veni de Libano; veni coronaberis, de capite Amana, de Vertice Sanir & Hermon, de cubilibus Leonum & de montibus pardorum.* cap. 5.4. Item & illam: *Venite benedicti patris mei; poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Matth 25.34.

*Montes aromatum Chriſti.* Porrò patres paſſim hæc referunt ad Chriſti aſcenſum in cælum, qui contigit 40. die ab eius reſurrectione, quaſi Eccleſia, id eſt, Apoſtoli & fideles ſupplicent Chriſto, vt ſcandat in cælum, ſed ita vt inde ſuos ſanctos oculo miſericordiæ reſpiciat, eóſque ſua gratia & conſolatione ſæpe viſitet: ſanctos, inquam, qui montes aromatum dici merentur ob contemptum terrenorum, & appetitum cæleſtium bonorum & gaudiorum, ait Beda. Sic & Caſſiod. Philo, Iuſtus, Aponius & S. Bernard. ſerm. 9. in Pſalm. *qui habitat:* vbi per montes aromatum accipit omnes Angelorum ordines, ſuper quos Chriſtus, qua homo, ſcandens in cælum triumphans aſcendit.

Verùm quia de Chriſti aſcenſu in cælum iam dudum actum eſt, cap. 1. in Eccleſia adoleſcentia: hinc meliùs hîc vbi agitur de Eccleſia iam adulta, imò perfecta, ideóque ſtatim beanda & glorificanda in cælo, fugam hanc Sponſi in montes

montes aromatum accipias de ſecundo Chriſti aduentu, quo ſcilicet ipſe in die iudicij, eo peracto in valle Ioſaphat, ex ea cum ſanctis glorioſè ſcandet in cælum, eóſque ſecum rapiet, vt ipſos Deo Patri velut fructum crucis ſuæ offerat. Ita Theodor. Honorius, Aponius, S. Ambroſ. de bono mortis, cap. 5. & S. Bernard. ſerm. 9. in Pſalm. *qui habitat*; Et ex Neotericis Luyſius, Nannius, Oſorius, Delrio, Hortolanus & alij.

## SECVNDVS SENSVS

*De Chriſto & Anima Sancta.*

*Et anima ſancta.* Gregor.

PRimò, S. Gregor. *Chriſtus*, inquit, *fugiens reprobos, montes aromatum petit, quia peruerſos dimittens, ſanctas animas viſitare non deſinit, quæ & per contemplationem excelſæ fiunt, & per confeſsiones virtutum odorifera vnguenta ſecum ferunt; ſuper hos montes dilectus capreæ hinnulóque ceruorum aſsimilatur, quia in cordibus ſanctorum virorum manifeſtat, quàm pia charitate humanitatem pro vobis aſſumpſit.*

Ambroſ.

Hinc S. Ambroſ. lib. 3. de Virgin. hæc iis adaptans: *Ibi*, inquit, *filiæ Chriſtum quæramus, vbi quærit Eccleſia in montibus boni odoris, qui excelſorum ſublimitate ſactorum, ſuauem vitæ odorem pro meritorum verticibus exhalant. Fugit enim plateas, fugit conuentus & ſtrepitus fori, iuxta quod ſcriptum eſt: Fuge fraternus meus, & ſimilis eſto ceruo aut hinnulo cerui. Serpentinis enim inuiſus colubris, & effugitans canum, atque humi raptantibus infeſtus ſerpentibus, neſcit commorari, niſi in talibus Eccleſiæ filiabus, quæ poſſunt dicere: Chriſti bonus odor ſumus.*

Ambroſ.

Secundò, aptiùs ad literam S. Ambroſ. lib. de bono mortis cap. 5. hæc accipit de deſiderio animæ euolandi ex hac vita & ſæculo in cælum: *Fuge*, ait, *frater meus. Hortatur, vt fugiat Sponſus, quia iam ſequi poteſt etiam ipſa, terrena fugientem. Dicit autem vt ſimilis ſit damulæ, quæ euadit de retibus: Vult enim & ipſa fugere & euolare ſupra mundum.*

Honor.

Et Honorius: *Dilectus*, ait, *à malis fugit, cùm Sponſam ſuam de ærumnis mundi ad gaudia cæli ducit. Capreæ ſimilis erit, cùm electos à reprobis, vt grana à paleis ſeliget. Hinnulo ſimilis erit, cùm in ſanctis vt hinnulus in vmbra requieſcet. Tunc verò erit ſuper montes aromatum, quando regnabit ſuper altitudinem Angelorum & hominum, in quibus fragrat odor virtutum. Vel ipſa caprea cum hinnulo erit ſuper montes aromatum, quando Eccleſia cum populo fidelium poſsidebit portas inimicorum ſuorum, ſcilicet cum hæreditabit loca apoſtatarum Angelorum. Ecce quò illud carmen eſt deductum, quod humanum genus lapſum deduxit ante Dei conſpectum.*

Porrò ſicut capreæ & hinnuli, qui in montibus aromatum paſcuntur, ait Sanchez, odorem habent ſuauiſſimum aut ex ore, quod fragrantes imbuerunt plantæ; aut ex villis, qui aſſiduo affrictu ad ſtillãtes frutices cum ſtacte & gutta, quibus delibuti ſunt, odorem quoque gratiſſimum contraxere: ſic quoque Sponſus in montibus aromatis aſſiduus, & totus ipſe fragrans, puriſſimos in Spõſæ viſcera inſpirat anhelitus, qui ipſam quamcumque in partem ſe ſe det, ſparare faciunt, quam libauit à Sponſo, ſuauiſſimam animam.

Exemplo ſit S. Paulus, qui ait: *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Galat. 2. Verſabatur enim in cælis aſſiduè cum Chriſto & Angelis, quare non niſi cælum & cæleſtia ſpirabat. *Noſtra conuerſatio in cælis eſt*, ait ipſe Philip. 3. 20. Et: *Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed ciues ſanctorum & domeſtici Dei.* Epheſ. 2. 19. Galat. 2. Philip. 3. 20.

Symbolicè, Rupertus & S. Gregor. censẽt hîc animam piam petere vt Deus ſe abſcondat, ac in ſuam Deitatis caliginem & incomprehenſibilitatem ſe recipiat, ne plus alta de eo contemplans eum ſe comprehendiſſe arbitretur. Audi S. Gregor. 17. Moral. cap. 15. *Fuge dilecte mi, fuge, quaſi dicat: Tu qui ex carne comprehenſibilis es factus, ex diuinitate tua intelligentiam noſtri ſenſus excede & in teipſo vobis incomprehenſibilis permane.* Gregor.

Rurſum Philo: Cùm inquit, tentaris ô anima dilecta fuge ad montes aromatum, id eſt, ad exempla ſanctorum, vt iis animata tentationi reſiſtas. Tentaris libidine, fuge ad arduum caſtitatis montem Ioſeph patriarcham, qui in manu heræ ſe tentatis pallium reliquit, & aufugit. Tentaris ira, fuge ad mitiſſimum clementiæ collem Dauidem, qui Sauli ſcelus perſecutionis ignouit, eúmque imitare. *Simus ergo*, ait, *montes aromatum*, id eſt, adoramenta virtutum. Inſuper in tentatione, præſertim voluptatis, gulæ & luxuriæ ſingulare remedium eſt fuga, vt fugias omnes carnis illecebras, & mulierum ſpecies omnéſque peccandi occaſiones.

Denique S. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 22. v. 8. refert hæc ad fugam in perſecutione, fugit enim Chriſtus non in ſe

in ſe, ſed in nobis, ſuadétque, vt perſecutionem fugiendo declinemus: *Propter infirmos*, ait S. Ambroſ. *fugit, qui tentamenta grauiora ferre non poſſunt*, &c. *tranſeat ad montes aromatum, qui pro martyrio poſſint odorem beatæ reſurrectionis adferre. Montes aromatum ſancti ſunt. Ad eos confugit Chriſtus, quia fundamenta eius in montibus ſanctis. Ad eos igitur confugit, qui ſunt eius ſtabilia fundamenta. In nobis fugit; In illis fida ſtatione conſiſtit. Mons igitur aromatum Paulus eſt, qui poteſt dicere: Bonus enim odor Chriſti ſumus Deo. Mons aromatum Dauid, cuius orationis odor aſcendebat ad Dominum, & ideo dicebat: Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Ambroſ.

Myſtici, ſiue contemplatiui hæc referunt ad myſticos Chriſti ad animam acceſſus & receſſus: hi enim fugæ aſſimilantur. Vnde Noſter Aluarez de Paz de natura Contemplat. lib. 5. parte 2. cap. 12. ſic explicat, quaſi dicat: *Fuge dilecte mi*, &c. quandoquidem ô Sponſe fugiturus es, & me tuo amore relicturus, oro, vt fugias ad inſtar capreæ hinnulíque ceruorum, qui ita inſequentes fugiunt, vt frequenter ad eos ſe conuertant, oculíſque reſpiciant. Vade, ſed redi, vt ſicut diſceſſu tuo humilior, & meam infirmitatem agnoſco, ita acceſſu virtutum augmento exalter, & amoris affectu reſpirem. Tu te ſimilem feciſti Aquilæ.

## TERTIVS SENSVS

*De Chriſto, & B. Virgine.*

PRimò, Guilielmus hæc accipit de B. Virgine rogante Chriſtum, vt in cælum aſcendat, indéque in ſe & & Apoſtolos mittat Spiritum ſanctum, aſcendat, inquam, *ſuper montes aromatum*, id eſt, ſuper omnem excellentiam Angelorum, qui facti ſunt montes aromatum, cùm in amore Dei ſolidari beati meruerunt; *Propter ineffabiles*, inquit, *quibus perpetuò fruentur, delicias internæ ſuauitatis, ex contemplatione ſummæ Trinitatis.* Et B. Virginis.

Secundò, Rupert. docet in quauis neceſſitate fideli confugiendum eſſe ad montes aromatum, id eſt, inuocandos eſſe ſanctos quoſlibet, ſed præſertim B. Virginem, quæ eſt Virgo Virginum, mons montium & Sancta Sanctorum: *Leuaui*, ait, *oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi: Sed ad te præcipuè conuertimur, ad te præſertim oculos noſtros leuamus, tuum præ omnibus auxilium ſuſpiramus. Per ſanctum vteri tui ſacramentum, & illum, qui animam tuam pertranſiuit gladium, obtine, vt videamus ipſam illuminationem montium æternorum, ſcilicet dilectum, & ex dilecto dilectum, & ſimul dilectionem amborum, id eſt, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, Deum vnum, viuum & verum, cuius regnum & imperium permanet in ſæculum ſæculorum. Amen.* Rupert.

*Finis ad Dei & B. V. Gloriam.*



Quia Symbolica Canticorum obſcuritas, & continuum quaſi ænigma prolixiorem me eſſe compulit, vt valde occupatis hæc omnia legere non liceat, aliis etiam non libeat, ſubiicio breue dictorum Summarium, quod totius Cantici harmoniam quaſi in ictu oculi menti repræſentet.

COMPEN

# COMPENDIVM, SIVE SYNOPSIS

## SENSVS LITERALIS & genuini CANTICORVM.

*Senſus literalis & adæquatus Canticorum eſt deſcribere coniugium Chriſti & Eccleſiæ per humanitatem ab eo aſſumptam: partialis Chriſti & animæ ſanctæ, non cuiuſlibet, ſed perfectæ: principalis Chriſti & B.Virginis. Primò ergo deſcribit Eccleſiæ & animæ ſanctæ infantiam à cap.1. vſque ad cap. 2. verſ.8. Secundò, eius adoleſcentiam à cap.2.verſ.8. vſque ad cap.3. verſ.6. Tertiò, eius virilem ætatem à cap. 3. verſ. 6. vſque ad cap. 5. verſ.2. Quartò, eius ſenectam à cap.5. verſ.2. vſque ad cap.6. verſ.3. Quintò, eius renouationem & glorificationem vel potius aſpirationem ad gloriam à cap. 6. verſ. 3. vſque ad finem libri.*

Prima pars Cantici, qua deſcribitur Eccleſiæ ortus & infantia vſque ad cap.2.verſ.8. Hæc infantia fuit à Chriſti ortu & prædicatione vſque ad miſſionem Spiritus ſancti in Pentecoſte.

## CAPVT PRIMVM.

Vers.1. O*SCVLETVR me oſculo oris ſui.*
Petit Synagoga oſculum incarnationis Verbi, quo ſcilicet Verbum oſculetur humanam naturam eam aſſumendo, vt in ea patiendo, illam Deo Patri ob peccatum exoſam reconciliet. Petit anima ſancta oſculum perfectioris, charitatis & vnionis cùm Deo. Petit B.Virgo oſculum Spiritus ſancti, vt fiat mater Chriſti.

*Quia meliora ſunt vbera tua vino.* Vbera
vocat papillas: nec enim viri habent
mammas, vt feminæ: ex papillis autem
Vers.2. virorum ſubinde lac exprimi docet Ga-
lenus & Ariſtot. lib. 1. Hiſtor. animal. cap. 12. & lib. 3. cap. 20. Vbera ſignificant dulciſſimam lactandi facultatem & vim: Chriſtus enim ſua doctrina & gratia quaſi duobus vberibus lactat fideles. Nota τὸ *quia*, hæc enim vox dat cauſam, cur Sponſa ambiat oſculum Sponſi. q. d. quia dulcedinem tuorum vberum, id eſt, tuæ doctrinæ, gratiæ & conſolationis guſtaui, hinc aſpiro ad tuum oſculum, vt ex eius halitu ſpiritum & animam, à qua omnis dulcedo promanat, in ipſo fonte hauriam. Hæc vbera meliora ſunt vino voluptatum ſæculi, æquè ac vino, id eſt, auſteritate legis Moſaicæ: *fragrantia vnguentis optimis.* putà charismatibus Spiritus ſancti præſtantiſſimis. Externa Chriſti vbera ſunt Apoſtoli & Euangeliſtæ.

Vers.2. *Oleum effuſum nomen tuum.* Oleum hîc
ponitur pro vnguento & quouis liquore odorato, qualis eſt balſami. q.d. Nomen Ieſu, id eſt, Saluatoris, tibi ô Chriſte pro-

prium, effuſum in incarnatione, circunciſione & cruce fragrat inſtar balſami. Nomen ſumitur pro re nominata. q. d. Tu ô Ieſu effundens tuum ſanguinem & vitam pro nobis ex mero amore, redoles ſuauiſſimè. Ita Origen. Theod. S. Gregor. Haymo & alij.

*Ideo adoleſcentulæ* (hoc odore tui amoris attractæ) *dilexerunt te.* Adoleſcentulas vocat Eccleſias & animas in fide & virtute Chriſtiana nouellas, vti ſunt recenter baptizatæ.

Verſ. 3. *Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Ecce quod verſ. 2. vocauit oleum hîc vocat vnguenta. q. d. Oro vt tua gratia Chriſte me præuenias & efficaciter trahas ad te, vt ſic poſt te cum meis adoleſcētulis currā, & ſanctiſſimos ac ſuauiſſimos tuos mores imiter.

Verſ. 4. *Introduxit me rex in cellaria ſua,* id eſt, in intima penetralia domus ſuæ (hæc enim Hebræi vocant חדר *cheder*) q. d. Chriſtus patefecit mihi arcana ſua, & præſertim myſteria, in prophetis & figuris veteris teſtamenti abſcondita; item S. Sacramenta, præſertim Euchariſtiæ.

*Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum.* Vatab. *prædicabimus amores: tuos vino præſtantiores.* q. d. Ego Sponſa cum meis adoleſcentulis ebria vino tuæ conſolationis, quod bibimus in cellariis tuis, ac lacte dulcedinis tuæ, quod ſuximus ex vberibus charitatis tuæ, *exultabimus & lætabimur in te.*

*Recti diligunt te.* q. d. tu ô Chriſte rectiſſimus, iuſtiſſimus & ſanctiſſimus es; quare qui recti ſunt, iuſti & ſancti, diligunt te: tu enim eorum amorem rectificas & caſtificas, vt nil carnale ament, ſed tantùm id, quod ſpirituale eſt & diuinū, quale eſt omne id, quod in te cernunt & admirantur, vt poſt te currere geſtiant.

Verſ. 5. *Nigra ſum ſed formoſa filiæ Ieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.* Hæc ita combina. q. d. Ego Eccleſia Chriſti Sponſa *nigra ſum, ſicut tabernacula Cedarenorum.* & Agarenorum, quæ ſole torrentur; nigricantia; *ſed formoſa* pariter ſum *ſicut pelles Salomonis,* quia perſecutionū & ærumnarum caligo & nigredo me magis illuſtrauit, & formoſiorem effecit ob ſplendorem patientię, fortitudinis, charitatis & zeli cæterarúmque virtutum, quas in aduerſitatibus oſtendi & adauxi.

Verſ. 6. *Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſim, quia decolorauit me ſol.* q. d. Nolite mirari, quòd per tribulationes fuſcata ſim, quia hiſce me decolorauit ſol, id eſt, æſtus perſecutionis; ſed idem mihi patientiam & conſtantiam affluit, quæ longe magis me illuſtrat. Ita Caſſiod. Beda & alij.

*Filij matris meæ pugnauerūt contra me, poſuerunt me cuſtodē in vineis, vineam meā non cuſtodiui.* q. d. Iudæi, qui ſunt fratres mei, vtpote ex eadem matre, qua ego, putā ex Synagoga geniti; Iudæi, inquam, pugnātes pro ſuo Moſe & Iudaiſmo me Eccleſiam Chriſti, id eſt, Apoſtolos & primos Chriſtianos acerrime oppugnarunt, ideoque coegerunt illos Iudæam deſerere ac fugere ad Gentes, ibique erigere & cuſtodire vineas, .i. Eccleſias exteras Gentium: quo factum eſt vt vineam meam, id eſt, Eccleſiam in Iudæa ſitam, quæ mihi natiua & propria erat, ac vnice à Chriſto commendata cuſtodire nō potuerim; quare ab ea expulſa oberrare coacta ſum per vineas Gentium, vbi varios ſolis, id eſt, perſecutionis æſtus perpeſſa, ærumnis decolorata, afflicta & offuſcata ſum.

*Indica mihi* (tu ô Sponſe, qui es is) *quem diligit anima mea, vbi paſcas* (gregem tuum fidelium) *vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Eccleſia æſtu perſecutionis Iudæorum & Gentium afflicta & decolorata, petit à Chriſto Sponſo ſuo locum, in quo fideles ſuos paſcit, & cum iis refrigerium cubando captet in meridie, id eſt, in ardore tribulationis, vt ibidem à Sponſo paſcatur, animetur, corroboretur, ne alioqui incidat in Sponſi ſodales, id eſt, æmulos Hæreticos, vel homines impios, à quibus pabulis hæreſum, errorum & vitiorum paſcatur. Verſ. 7.

*Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere & abi poſt veſtigia.* Hebr. *poſt calcaneos gregum tuorum, & paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum.* Pronomen *te* per Pleonaſmum Hebraicum redundat q. d. Si ignoras ô Eccleſia, vbi ego Chriſtus gregem paſcam, egredere & abi poſt veſtigia gregum, id eſt, fidelium tuorum; tui enim greges mei quoque ſunt; atque vbi greges mei ſunt, ibi ſum quoque ego earum fidus & indiuiduus paſtor: *& paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum,* putà Apoſtolorum & Doctorum, illos enim tibi præſides præfeci & magiſtros conſtitui, atque ego in medio ipſorum verſor & dego, vti dum viuerem in medio ipſorum à parentibus meis inuentus ſum in templo. Lucæ 2. 46. iuxta illud: *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Matth. 28. 20. quare per hoſce paſtores ego te vera doctrina paſcam, & in omni ſolis, id eſt, perſecutionis ardore ſolabor & protegam. Hos ſi ſequaris, nō incipies vagari, nec incides Verſ. 8.

des in meos ſodales, id eſt, æmulos & titiuales hæreticos cæterorúmque errorum magiſtros. Ita S. Athanaſ. in Synopſi & Iuſtus Orgel.

Verſ. 9. *Equitatui meo* (Septuag. *equæ meæ*) *in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea.* q. d. Ad bellum te voco ô Eccleſia, vt totum mihi, tibíque ſubigas: quare à me aſſimilaberis equitatui meo Angelico, quē oppoſui equitatui & curribus Pharaonis, cum pro Moſe & Hebræis pugnans eos profligaui, & in mare rubrum demerſi. Simili enim modo per te omnes tuos hoſtes infideles profligabo, ſed ita vt ex infidelibus faciam fideles, ex hoſtibus amicos & rebellibus ſubditos, ex feris homines, ex mortuis viuos, ex dæmonibus Angelos.

Verſ. 10. *Pulchra ſunt genæ tuæ ſicut turturis.* Hiſce genis ſignificatur Eccleſiæ & fidelium, præſertim virginum verecundia & caſtitas, turtures enim caſtæ ſunt.

*Collum tuum ſicut monilia.* Propriè collo quod oneri & iugo æquè ac capiti ſubiicitur, ſignificatur ſubiectio & obediētia Eccleſiæ, quæ Chriſto Sponſo ſuo Deíque legibus per omnia obedit. Hæc enim eam non tam grauat, quam ornat vti monile.

Verſ. 11. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* q. d. aureis obedientiæ legibus & regulis, argento obedientiæ diſpūctis, quaſi murenulis, id eſt, torquibus aureis argento variegatis, decorabimus te ô Eccleſia, ô anima ſancta & religioſa.

VOX SPONSÆ.

Verſ. 12. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* q. d. Dum Spōſus meus, qui eſt Rex Chriſtus, eſſet in menſa ſua nuptiali, putà in incarnatione, paſſione & cruce, ego Sponſa Eccleſia, & anima ſancta ad illum ingreſſa, vnguento nardino humilitatis, pœnitentiæ, orationis cæterarúmque virtutum eundem perunxi, euius odore ille mirificè recreatus eſt. Hoc fit, dum Chriſti incarnationem & paſſionem deuote recolimus, audimus, legimus, & meditamur.

Verſ. 13. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* q. d. Ego Eccleſia, & anima deuota memor incarnationis, paſſionis & crucis, myrrhæ, id eſt, amoris Sponſi mei, quo tam amata pro me vltro ſubiit, ſemper recordabor, illi grata ero, illum amabo, pro illo viciſſim amara quælibet ſubire non detrectabo, ſed optabo & ambiam amara & ardua eius iuſſa, quin & obiurgationes ac mordacia verba, imò flagella & verbera vltrò ſuſcipiam & capeſſam.

Verſ. 14. *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. Cyprus eſt arbor Zizypi foliis, ſemine coriandri, flore candido & odorato,* ait Plinius: præſtans erat in vineis Engaddi, ex vicinia balſami in eis germinantis. Notat ergo lætam & glorioſam Chriſti reſurrectionem. Chriſtus igitur fuit faſciculus myrrhæ in paſſione, ſed botrus cypri in reſurrectione. q. d. Iugiter recordabor reſurrectionis æquè ac paſſionis Chriſti, ac per conſortium paſſionis tendam ad conſortium reſurrectionis eiuſdem: ipſe enim ſua reſurrectione viam mihi ad eandem præiuit & aperuit.

VOX SPONSI.

Verſ. 15. *Ecce tu pulchra es amica mea: ecce tu pulchra es.* Sponſus à Sponſa laudatus, laudem ſuam in eandem reflectit. q. d. à me pulchro tu pariter ô Sponſa pulchra es, quia ego meam pulchritudinem tibi impertiui & afflaui: quare bis pulchra es, primò in dilectione Dei, ſecundò in dilectione proximi. Rurſum primò in actione, ſecundò in contemplatione. Ad hæc primò in humilitate, ſecundò in charitate.

*Oculi tui columbarum.* Amicus in oculis elucet. Senſus eſt q. d. oculos (& conſequenter mentem & intentionem in eis pellucentem) habes columbinos, id eſt, ſimplices, ingenuos, pudicos, amabiles.

VOX SPONSÆ.

Verſ. 16. *Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus.* Sponſa amore & honore certat cum Sponſo, laudéſque ſuas in eum retorquet. q. d. Fateor ô Sponſe me eſſe pulchram, ſed hæc pulchritudo, non tam mea eſt quàm tua; quia à te mihi aſpirata. Nam tu pulcherrimus es formaliter & cauſaliter: tu enim es fons & cauſa omnis gratiæ, decoris & pulchritudinis, quæ in iuſtis & ſanctis reperitur.

Verſ. 17. *Lectulus noſter floridus: tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina.* Pulchrum Sponſum & Sponſam, pulchrum decet cubile & pulchra domus, putà contignata ex cedris & laqueata cypreſſis. Vtrumque hic aſſignat Sponſa in vineis decolorata, inde Sponſum inuitat in domum, vt in ea quieta & læta mutuo fruantur conſortio & colloquio. Lectulus, in quo Chriſtus & Eccleſia, æquè ac anima iuſta conquieſcunt, eſt pura ſanctáque conſcientia florens virtutibus, item oratio & vita contemplatiua. Domus Chriſti & Eccleſiæ ad literam ſunt templa & oratoria fabricata ex cedris & cypreſſis, vti fuit

fuit templum Salomonis, ad quod hîc alludit. Symbolicè tigna, quæ domum continent & ſuſtentant, notant bonos Prælatos, qui ſunt cedrini, id eſt, integræ excelſæque vitæ: Laquearia, quæ tignis affiguntur ex iiſque pendent, notant fideles & ſanctos Prælatis ſuis coniunctos, & ſubditos; hi ſunt cypreſſini, id eſt, rectis & incorruptis moribus, ac frõdibus bonorum operum inſtar cypreſſi decorantur, & coronantur.

---

## CAPVT. SECVNDVM.

### VOX SPONSI.

VERS. 1. EGO *flos campi & lilium conuallium.* Christus fuit *flos campi*, quia ſicut flos in campo ſpõte prouenit ſine ſemine, ſine aratione; ſic & Christus ex Virgine natus eſt ſine opera viri. Sicut ergo flos non alium habet patrem quàm ſolem in cælo, nec aliam matrem quàm plantam ex qua naſcitur in terra: ſic Christus in cælo ſolum patrem habet Deum, qui eſt ſol increatus, & in terra ſolam matrem Virginem. Christus quoque fuit *lilium conuallium: lilium*, per candorem & ſplendorem vitæ; *conuallium*, per humilitatem; tum quia ipſe in ſe fuit humillimus, tum quia humilium & caſtarum animarum, quas inhabitat, idem ipſe eſt decus & ornamentum.

Verſ. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* q. d. Sicut lilium enaſcitur, vigétque inter ſpinas; ſic Eccleſia inter hæreticos, perſecutores & impios, qui illam quaſi ſpinæ pungunt, magis creſcit, ac maiori ſanctitatis fulgore, & odore bonæ famæ coruſcat.

### VOX SPONSÆ.

Verſ. 3. *Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus inter filios.* q.d. Sicut arbor pomifera, v.g. malogranatorũ, excellit arbores ſyluæ infrugiferas & colore, &, odore & ſapore; Sic Christus ſapiẽtia, gratia & virtutibus excellit omnes Adæ filios.

*Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* q. d. Christus mihi eſt quaſi malus & pomus ſua vmbra, id eſt, ſua cura & prouidentia me ab æſtu tentationum protegens, & ſimul ſuis dulcibus fructibus me paſcẽs & oblectans. Fructus Christi ſunt ſeptem dona Spiritus ſancti, ac ſancta ſacramenta, præſertim Euchariſtiæ.

Verſ. 4. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit.* Hebr. *vexillum erexit) in me charitatem:* Cella vinaria, in quam Christus introduxit Eccleſiam, id eſt, Apoſtolos & fideles, eſt altare, in quo celebramus ſacrificium Euchariſtiæ, ac haurimus calicem Domini, qui mentem cæleſti ſuauitate inebriat. Ita Nyſſenus. Item cella hæc eſt plenitudo Spiritus ſancti data Apoſtolis in Pentecoſte: vnde videbantur ipſi eſſe pleni muſto, non vini, ſed zeli, ac tum vexillum charitatis palam in Iudæa, & deinde in toto orbe erexerunt. Vide S. Auguſt. 22. Ciuit. 22.

Verſ. 5. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis: quia amore langueo.* Apoſtoli & fideles recepto Spiritu ſancto, ac frequentantes Euchariſtiam amori Dei ita accendebantur, vt amore languerent, & quaſi in deliquium animi inciderent: vnde ambiebant flagella, crucis & martyria. Optabant ergo fulciri floribus, id eſt, ſuauiſſimis exemplis Christi & ſanctorum Prophetarum, ac ſtipari, id eſt, vallari & roborari pomis, id eſt, precibus eorundem.

Verſ. 6. *Læua eius ſub capite meo, & dextera eius amplexabitur me.* q. d. Christus Sponſus me Sponſam amore eius languentem, eo deficientem ſuſtentet: quare læua eius ſit ſub capite meo, & dextera illius amplexetur me, id eſt, reliquum meum corpus: Læua Christi eſt humanitas, dextera eſt deitas. Rurſum læua eſt gratia & conſolationes præſentis vitæ, dextera eſt gloria & felicitas futuræ.

### VOX SPONSI.

Verſ. 7. *Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas ceruóſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoad vſque ipſa velit.* Eſt iuramentum venatorium. Sponſus enim hîc inducitur vt paſtor, & venator inſequens ceruos & capreas. q. d. Adiuro vos, ô Iudæi; per ſanctos Angelos, qui celerrimi & oculatiſſimi ſunt, vt cerui & capreæ; Angelos, inquam, cuſtodes Iudææ, æquè ac Eccleſiæ meæ in Iudæa naſcentis, ne eius amore mei feruentis, & languentis fidem, pacem & profectum veſtro tumultu, ſchiſmate, perſecutione interturbetis. Rurſum ne illam ab otio ſancto, oratione & contemplatione auocetis ad negotia vitæ actiuæ; ſicut Christus Martham conquerentem de Magdalena repreſſit, dicens: *Martha, Martha ſollicita es & turbaris erga plurima. Porrò vnum eſt neceſſarium; Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Luc. 11.

# SECVNDA PARS CANTICI,

## QVA DESCRIBITVR ADOLESCENTIA Et incrementa Eccleſiæ vſque ad cap. 3. verſ. 6. Sicut infantiam Eccleſiæ deſcripſit à cap 1.hucuſque.

*Hæc adoleſcentia Eccleſiæ fuit poſt Pentecoſten, cum Apoſtoli recepto Spiritu ſancto profecti ad Gentes, ibi Eccleſias fundarunt.*

### VOX SPONSÆ.

Verſ. 8. *VOX dilecti mei: Ecce iſte venit*
*ſaliens in montibus, tranſiliens*
*colles.*
Verſ. 9. *Similis eſt dilectus meus ca-*
*preæ, hinnulóque ceruorum.*

Inducitur hîc Sponſa amore languẽs, quaſi incidens in ſomnium & deliquiũ, ideóque ab adoleſcentulis delata ad lectulum, vt patet, cap. 3. v. 1. In lectulo ergo ſomnians, videtur ſibi audire vocem Sponſi ſalientis per montes & colles inſtar capreæ, hinnulíque ceruorum. Significatur Chriſtus per Apoſtolos è Iudæa proficiſcens, & diſcurrens per totum orbem, omnibúſque gentibus prædicans Euangelium, ac omnes montium itinerúmque anfractus, omniáque Euangelij impedimenta generosè ſuperans, & tranſiliens inſtar capreæ & hinnuli.

*En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.* Chriſtus in Pentecoſte ſeipſum exhibuit Apoſtolis per Spiritum ſanctum à ſe miſſum, putà per linguas igneas Apoſtolorum capitibus inſidentes, quaſi per cancellos, per quos ipſe Apoſtolos clarè intuebatur, Apoſtoli verò ipſum obſcurè, vti fit in cancellis; túmque Apoſtoli & fideles frequentare cœperunt Euchariſtiam in qua Chriſtus latens ſub ſpeciebus panis & vini, per eas quaſi per cancellos, & per parietem intermedium nos intuetur.

Verſ. 10. *En dilectus meus loquitur mihi: Surge, pro-*
*pera amica mea, columba mea, formoſa mea, &*
*veni.* Chriſtus euocat Sponſam Eccleſiam, id eſt, Apoſtolos foras, vt ſcilicet è Iudæa vadant per vniuerſum orbem ad prædicandum Euangelium. *Veni* ergo, id eſt, vade & lucrare animas, eáſque ad me adduc. Cauſam ſubdit:

*Iam hyems tranſiit, imber abiit & receſſit.* Verſ. 11.
*Flores apparuerunt in terra noſtra; tempus* Verſ. 12.
*putationis aduenit, vox turturis audita eſt in*
*terra noſtra.* q. d. Iam ver eſt Euangelij: in vere autem omnia prolificant: prolificate ergo & vos ô Apoſtoli; quia iam hyems & imber frigúſque infidelitatis & peccatorum, æquè ac legis Moſaicæ tranſiit: Sol vernus, id eſt, Spiritus ſancti gratia iam illuxit, omnes gentes præparaps, calefaciens, & deſiderare faciens ſuam ſalutem, Deíque amicitiam: quare flore ſanctorum deſideriorũ iam vbique apparent: *tempus putationis aduenit*, quo ſcilicet vineæ, id eſt, animæ à Deo electæ amputatis vitiis aptantur ad proferendum vuas virtutum: *vox turturis*, id eſt, gemitus gentium pœnitentium, cupientium Deo reconciliari vbique auditur.

*Ficus protulit groſſos ſuos, vineæ florentes* Verſ.13.
*dederunt odorem ſuum.* q. d. Apoſtolis in Vere, putà Pentecoſte, & deinde prædicantibus: *Ficus protulit groſſos*, id eſt, multi Iudæi ad Chriſtum conuerſi ſunt: Et *vineæ florentes*, id eſt, gentes credere incipientes *dederunt odorem* ſanctæ vitæ, famæ & exempli, indéque ſpem magnæ fertilitatis, putà conuerſionis omnium omnino gentium. Porrò ficus groſſi nonnulli matureſcunt, ſed perplures immaturi decidunt; ſic pauci ex Iudæis in fide

fuère conſtantes, perplures enim ex eis à fide deſecerunt, & in Iudaiſmum relapſi ſunt.

*Surge, propera amica mea, ſpecioſa mea, & veni.* Hac iteratione ait Nyſſen. ſuſcitatur Eccleſia & anima ad progrediendum ſemper in virtute, præſertim in zelo animarum & propagatione Euangelij. Propriè enim hîc agitur de Eccleſiæ profectu.

Verſ.14. *Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ: Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Apoſtoli ante aduentum Spiritus ſancti metuentes Iudæos latebant in cænaculo, ſicut columbæ latent in foraminibus & cauernis; inde Chriſtus miſſo iam Spiritu ſancto, qui eos animoſos reddidit, ipſos euocat, vt in publicum prodeant, ibique populis faciem ſuam oſtendant, & vocem prædicationis exhibeant, vtpote ſibi ſuauem & auditoribus ſalutarem.

Verſ.15. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea noſtra floruit.* Vulpes ſunt hæretici, initio Eccleſiæ ſubnaſcentes, vti Simon Magus, Menander, Beſilides, Carpocras, Gnoſtici: hi ſubdolè quaſi vulpes vineam, id eſt, Eccleſiam & fidem ſubuertebant. Iubet eas capi, dum paruulæ ſunt, ne adultæ & generando multiplicatæ capi, & extirpari nequeant.

Verſ.16. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbra.* q.d quia Chriſtus me Eccleſiam, & animam fidelem prior dilexit vt Sponſam, hinc ego eum viciſſim diligo vt Sponſum, totáque illi intendo, ſicut ille intendit mihi. Abite ergo malæ vulpes, quæ me à Sponſo Chriſti diuellere conamini. Chriſtus quaſi apis pura *paſcitur inter lilia*, id eſt, oblectatur animabus candidis & puris, *donec aſpiret dies* claræ & beatæ æternitatis, *& obſcurentur vmbra* obſcuræ & miſeræ mortalitatis, quando eas in æternam ſuam lucem & gloriam cæleſtem transferet.

Verſ.17. *Reuertere, ſimilis eſto dilecte mi, capreæ hinnulóque ceruorum ſuper montes Bether.* Montes Bether, vel Bethel ſunt illi, in quibus Iacob vidit ſcalam à terra in cælum porrectam, Deúmque ſcalæ innixum, indéque locum vocauit *Bethel*, id eſt, domus Dei Geneſ. 28. 12. Iidem vocantur montes Bether, id eſt, diuiſionis, quia diuiſi ſunt & diſſiſi in varios colles, per interiacentes valles. Montes ergo Bether, ſunt Eccleſiæ particulares per totum orbem diffuſæ, & à ſe inuicem diuiſæ: has vt ſua gratia viſitet Chriſtus, orat hîc Eccleſia vniuerſalis. Capreæ hinnuli & cerui amant montes, ac veloces ſunt & acuti viſus; notant ergo Chriſti velocitatem & vigilem prouidentiam, qua Eccleſiis ſingulis acriter intendit & ſuccurrit.

## CAPVT TERTIVM.

*IN lectulo meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni.* VERS.1.

*Surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni.* Verſ.2.

*Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem: Num quem diligit anima mea, vidiſtis?* Verſ. 3.

*Paululum cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam eum donec introducam eum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Verſ.4.

Senſus eſt. q.d. Ego Eccleſia ſuauiter quieſcens in Sion & Iudæa, ibique vacans orationi, Verbo Dei, frequenti communioni, ſanctitati, omníque virtuti & perfectioni Chriſtianæ, vt patet. Actor. 2. & ſeq. ibi quæſiui Chriſtum, ſed non inueni, quia plerique Iudæorum inhærentes legi Moſaicæ Chriſti fidem reſpuerunt. Chriſtus autem reſidet & inuenitur in Eccleſia, id eſt, in multitudine & vniuerſitate credentium totius mundi. Notat enim Sponſa Chriſtum per fidem habitare in cordibus fidelium, vt aduertit S. Bernard. *Dixi, ſurgam & circuibo ciuitatem*, Ieruſalem, reliquámque Iudæam illi ſubiectam, *per vicos & plateas* euangelizando, *quæram, quem diligit anima mea*, Chriſtum ſcilicet, Chriſtíque fidem & cultum: *quæſiui illum, & non inueni*: quia Iudæi Chriſto in Euangelio reſtiterunt: *Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem*, ſcilicet Pontifices, Principes ſacerdotum, Scribæ, Herodes Agrippa & cæteri Iudææ præſides. Interrogaui illos: *Num quem diligit anima mea, vidiſtis?* Agnoſcitiſne Meſſiam Patribus veſtris promiſſum? creditiſne in Ieſum Chriſtum crucifixum? at illi obticuerunt, ac ſuo ſilentio ſe neſcire Chriſtum teſtati ſunt. Quocirca: *paululum cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea*, cùm ſcilicet paulò poſt perſecutionem Pontificum ac necem S. Stephani, ſcilicet anno ſecundo à paſſione Chriſti, Chriſtus S. Paulum conuertit, ac

Doctorem

Doctorem gentium auctorauit dicens: *Vos electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus.* Actor. 9. ac mox S. Petrum ad Cornelium, cæteróſque Apoſtolos ad diuerſas gentes toto orbe conuertendas deſtinauit. Ibi ergo in fide gentium Apoſtoli inuenerunt Chriſtum, quaſi in Eccleſia vniuerſali reſidentem & dominantem. Tunc ergo dixit Eccleſia: *Tenui eum, nec dimittam*, quia fundabo vbique gentium Eccleſias, itáque ſacerdotibus, Epiſcopis, ſacramentis, doctoribus, prædicatoribus, miraculis, &c. eas in fide Chriſti ſtabiliam, vt illæ nunquam illam abiiciant, ſed vel ſimul, vel alternatim & ſucceſſiuè arctè eam retineant, ita vt ſemper magna pars orbis Chriſtum colat & odoret: *Donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ*, id eſt, Synagogæ. Synagoga enim vetus Iudæorum fuit matrix, & genitrix Eccleſiæ Chriſtianorum. Primi enim Chriſtiani, putà Apoſtoli fuêre oriundi è Iudæis. Senſus ergo eſt.q. d. Transferam Chriſtum, Chriſtique fidem & cultum à Iudæis ad gentes, ibique illum firmabo & ſtabiliam, donec in fine mundi per Eliam & Enoch conuertam Iudæos. Sic enim Chriſtum, Chriſtique fidem *introducam in domum matris meæ*, id eſt, in Synagogam Iudæorum, vt omnis Iſraël ſaluus fiat, atque ex Iudæis & gentibus fiat vnum ouile & vnus paſtor.

## VOX SPONSI.

*Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas ceruóſque camporum ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.* Verſ. 5.
Hæc verba hîc iterantur: iam enim audiuimus ea cap. 1. v. 7. quare videtur Sponſa iteratò hîc in ſomnum & extaſin incidiſſe. Primò enim in eam incidit, cap. 2. v. 5. dicens: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.*

Parabolicè ſomnus hîc ſignificat Eccleſiam primitiuam, id eſt, Apoſtolos poſt laborem & diſtractionem aliquot annorum, quos conuertendæ Iudææ impenderunt, recepiſſe ſe per aliquod tempus ad quietem orationis, & otium contemplationis, vt vires mentis reſtaurarent, ac ſe ardentiùs ad nouos maioréſque labores, putà ad conuerſionem omnium gentium compararent. Ad hoc enim opus erat ingenti ſpiritu, quem orando excitare, & à Deo poſtulare par erat. Vnde Chriſtus vetat eos ab hoc ſomno, & quiete tam pia excitari.

# TERTIA PARS CANTICI,

## QVA DESCRIBITVR ECCLESIÆ ÆTAS virilis & perfectio vſque ad cap. 5. verſ. 2.

*Hæc virilis ætas Eccleſiæ perfecta fuit tempore Conſtantini Magni.*

### VOX SYNAGOGÆ

Primitùs conuerſæ de Eccleſia Gentium.

Verſ. 6. QVÆ eſt iſta, *quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij*, id eſt, apothecarij? Primitiua Eccleſia ex Iudæis in Sion & Ieruſalem collecta, audita S. Cornelij per S. Petrum, ac Gẽtium per S. Paulum & Barnabam conuerſione, admirans exclamat: Quæ eſt iſta noua & bella Eccleſia, ex deſerto gentiliſmi tenuiter & graciliter aſcendens, ſicut virgula fumi; ſed ex continua fumi aſcenſione ſurſum agglomerans ſe ſe, in magnam creſcit amplitudinem, atque ſuauiſſimam virtutum expirat odorem; Spirat enim thura, id eſt, Chriſti Deitatem: eredit enim Chriſtum eſſe Deum, illíque thura, id eſt, ſacrificia & diuinos offert honores; ac myrrham humanitatis & paſſionis Chriſti: eredit enim Chriſtum Deum pro nobis aſſumpſiſſe humanam naturam, in eáque paſſum, crucifixum, mortuum & ſepultum, ac vniuerſum puluerem pigmentarium, id eſt, reliquam doctrinam Euangelicæ prædicationis exhalat, ex quaquauerſum diffundit.

*En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël.* Verſ. 7.

Omnes

VERS. 8. *Omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi: vnuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.*

*Lectulus*, in quo requieſcit Chriſtus, eſt cathedra ſancti Petri, putà Eccleſia Antiochena, deinde Romana; hanc ambiunt 60. id eſt, plurimi fortiſſimi Pontifices, Cardinales, Sacerdotes & fideles qui pro fide Chriſti fortiſſimè contra Neronem, cæteróſque tyrannos per 300. annos decertarunt, eiúſque veritatem ſanguine ſuo obſignarunt. Gladius eorum fuit verbum Dei. Epheſ. 6. 13. quo accincti diſpulerunt timores nocturnos, quos in nocte, id eſt, in tenebris infidelitatis, ignorantiæ, & impietatis excitarunt Hæretici prauique Chriſtiani.

Verſ. 9. *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani:*

Verſ. 10. *Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium eius aureum, aſcenſum purpureum: media charitate conſtrauit. Ferculum*, ſiue geſtamen eſt ſella regia, qua quaſi in curru regio & triumphali ad pompam geſtabatur Salomon. *ferculum* hoc deſignat magnificentiam Eccleſiæ Romanæ, quæ poſt perſecutiones, per Conſtantinum iam magnificè toto orbe reſplendet, in qua ſummus Pontifex præſidet, & inſtar Salomonis toti orbi Chriſtiano imperat. In eadem ſunt magnificæ baſilicæ plurimæ, quaſi regia Chriſti & SS. Martyrum fercula, ex lignis præſtantiſſimis, lignis Libani ſimillimis exædificata. *Columna* eius ſunt Cardinales & Prælati, qui eam quaſi cardines ſuffulciunt & ornant. *Reclinatorium*, ſcilicet dorſi & cubitorum, aureum eſt fidelis, piúſque Romanorum populus aurea pietate & religione conſpicuus, in qua ſuauiter quieſcit & quaſi reclinat ſe Chriſtus. *Aſcenſus*, id eſt, ſella purpurea eſt innumera multitudo Martyrum, qui Romæ per 300. annos fortiſſimè pro fide certarunt vſque ad mortem, in quibus confidet Chriſtus: *media*, Septuag. *medium*, *charitate*, id eſt, pyropis, flammis, ſimilíue charitatis hieroglyphico *conſtrauit*, opere quaſi teſſalato, *propter filias Ieruſalem*, vt iis ſe ſpectandum offerret, eáſque ad ſui venerationem alliceret Senſus eſt. q. d. Chriſtus Eccleſiam Romanam tot gratiis & beneficiis dotauit, atque eius fideles tanta charitate, & operibus miſericordiæ ſpiritalis æquè ac corporalis inſigniuit, vt media & intima eius charitate conſtrauiſſe videatur, ídque hoc fine, vt filias Ieruſalem, id eſt, fideles quoſque toto orbe ſparſos ad eius amorem, honorem & cultum attraheret.

Verſ. 11. *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Eccleſia Romana præ cæteris celebrat, oſtentat & prædicat fidelibus omnibus quintuplex Chriſti diadema. Primum eſt ſtola humanitatis, qua Deitas eius veſtita & coronata eſt incarnatione per Deiparam, quando noſtram carnem & Eccleſiam ſibi cum ſummo gaudio deſpondit, & copulauit. Secundum fuit corona ſpinea, qua coronatus eſt in paſſione & cruce. Tertium fuit corona gloriæ, qua amictus fuit in reſurrectione. Quartum fuit domini, & regni, quo coronatus eſt in Pentecoſte, quando miſſo in Apoſtolos Spiritu ſancto, per eos multa millia primò Iudæorum, deinde Gentium conuertit, ſibique ſubiecit. De hoc maximè hîc agitur. Deſcribitur enim hîc virilis ætas Eccleſiæ. Quintum diadema nuptiale, æquè ac triumphale Chriſto accedet in die iudicij, quando Eccleſiam electorum ſecum triumphans ducet in cælum, & illi copulabitur in æternum, illáque quaſi corona gloriæ coronabitur.

---

## CAPVT QVARTVM.

## VOX SPONSI.

VERS. 1. Q*VAM pulchra es amica mea, quàm pulchra es? Oculi tui columbarum abſque eo, quod intrinſecùs latet.* Pulchritudinem Sponſę Eccleſię admirans Spõſus Chriſtus, eã per partes deſcribit, ac incipit ab oculis, quos quaſi columbinos, id eſt, limpidos, innocentes, ſinceros, placidos, amabiles dilaudat, ita tamen vt interiùs latens animi pulchritudo, quæ per oculos pellucet, longè magis ab eo laudetur. Oculi notant Epiſcopos & Prælatos Eccleſiæ, eorúmque vigilantiam & ſollicitudinem.

*Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad.* Capilli Eccleſiæ ſunt fideles plebeij: hi enim ornant tegúntque Eccleſiam, ſicut capilli caput, & ſicut greges caprarum montem Galaad, ídque primò ſua multitudine & denſitate. Secundò ſuo nitore, æqualitate, connexione & ordine. Tertiò ſuo colore, quia per fidem, ſpẽ, charitatem flaui ſunt & fului, id eſt, ignei aureíque

quaſi

quaſi coloris & decoris. Rurſum capilli notant Religioſos. Olim enim Nazarei, qui erant legis veteris religioſi, alebant capillos num. 6.

Verſ. 2. *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt in eis.* Dentes ſunt Doctores Eccleſiæ, qui quaſi dentes frangunt & præmandunt panem, id eſt, doctrinam fidei & S. Scripturam paruulis: hi ob vnionem inter ſe ſũt quaſi *greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro* Baptiſmi & crebræ pœnitentiæ, à peccatorum maculis loti & nitidi: *gemellis ſunt fœtibus* quia charitatem Dei & proximi ſuis diſcipulis inſtillant. Myſticè, dentes animæ ſunt conſideratio, meditatio, conſultatio, quæ rem agendam prius maſticant & ruminant.

Verſ. 3. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Notat prædicatores, quorum ſermo debet eſſe *ſicut vitta*, id eſt, planus, conexus, conſtrictus, concinnus: *Coccinea*, vt rubeat & ardeat charitate, itáque erit ſuauis & dulcis.

*Sicut fragmẽ mali punici, ita genæ tuæ abſque eo quod latet intrinſecus.* Genæ Eccleſiæ ſunt virgines, pudorem & pudicitiam ſanctitatémque in mente latentem, per ruborem genarum repræſentantes.

Verſ. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* q.d. Iuſtæ & erectæ proceritatis es. Nam per collum ſignificat totius corporis habitum erectum & excelſum, per Synecdochen. *Collum* denotat celſum animum, robúrque inuictum Eccleſiæ, quæ tyrannos, hæreticos, & impios ſibi ſubdit. Rurſum per collum & turrim notantur præſules & Pontifices, ac præſertim Põtifex Romanus, qui quaſi collum reſtitère Arrio, Neſtorio, Decio, Diocletiano cæteriſque hæreticis & tyrannis. *Mille*, id eſt, plurimi *clypei pendent ex ea:* clypei hi ſunt ſacra Scriptura, traditiones Apoſtolicæ, decreta Conciliorum, Patrum teſtimonia & exempla, conſenſus omnium ſæculorum, doctrinæ puritas, vitæ ſanctitas, &c. Collum myſticum animæ eſt oratio, per quam à capite Chriſto ſpiritum & gratiam haurimus, quam in cætera animæ & corporis membra tranſmittimus.

Verſ. 5. *Vbera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli,*
Verſ. 6. *Qui paſcuntur in liliis, donec aſpiret dies, &*
*inclinentur vmbræ.* Vbera Eccleſiæ ſunt Sacerdotes & diaconi; qui fideles lactant bonis ſpiritualibus & temporalibus. Hi ſunt quaſi hinnuli, qui paſcuntur inter lilia, quia ætate & virtute florentes, puritate & caſtitate præeminent, ac inter virgines ſanctóſque degunt, quorum virtutibus & exemplis paſcuntur, donec aſpiret dies beatæ æternitatis, & inclinentur vmbræ miſeræ mortalitatis.

*Vadam ad montem myrrhæ, & ad collum thuris.* Laudauit Sponſus Sponſam ab vberum fœcunditate, id eſt, à zelo animarum, nunc ne ita illi intendat, vt ſe negligat, illam ad ſe reuocat, vt ſecum vadat ad montem Myrrhæ, id eſt, ad ſtudium mortificationis, & ad collem thuris, id eſt, ad ſtudium orationis, vt per vtramque maiorem hauriat ſpiritum, quem deinde in alios maiore fructu effundat. Rurſum mons myrrhæ eſt mons Caluariæ, vbi crucifixus eſt Chriſtus & myrrha paſtus: collis thuris eſt idem mons, in quo tertio die reſurrexit, & mons Oliueti, ex quo 40. Die in cælum aſcendit: per reſurrexionem enim & aſcenſionem orbi innotuit Chriſti diuinitas, cui thus adoletur. Vtrumque myſterium animæ piæ crebrò ruminandum eſt, & imitandum.

*Tota pulchra es amica mea, & macula non* Verſ. 7.
*eſt in te.* Ex pulchritudine ſingulorum membrorum iam recenſitorum concludit pulchritudinem totius corporis. Eccleſia tota pulchra eſt in iuſtis & ſanctis, qui ſunt potior & dignior Eccleſiæ portio. In his non eſt macula, ſcilicet peccati grauioris & mortalis: nam venialibus omnibus carere eſt impoſſibile.

*Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano,* Verſ. 8.
*veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* q.d. Tu ô primitiua Eccleſia, quæ per Apoſtolos, eorúmque ſocios & aſſeclas laboras in Libano, Amana, Sanir & Hermon, id eſt, in gentilitate conuertenda ad Chriſtum, inde veni cum magnis gentium à te conuerſarum manipulis, vt eos adducas in Sion, hoc eſt, ad Chriſti Eccleſiam: quod ſi feceris, *coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus Leonum de montibus pardorum*, id eſt, de Gentibus à te conuerſis triumphabis, eáſque quaſi in triumphum duces, ac corona triumphali coronaberis.

*Vulneraſti cor meum ſoror mea Sponſa, vul-* Verſ. 9.
*neraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Pro *vulneraſti*, Hebr. eſt

excor

*excordiaſti*, id eſt, cor mihi abſtuliſti; *in vno crine*, Hebr. *in vno torque* (ſcilicet crines torti faciunt torquem capillorum) *colli tui*, quia nimirum vno totóque oculo (alterum enim velo verecundè obtegis) eóque columbino, id eſt, pudico, modeſto, & ſimplici me aſpicis, mihíque ſoli placere ſatagis: Porrò vnus crinis, ſiue torques crinitus colli, eſt obedientia, qua vltrò collum legi meæ ſubiicis.

Verſ.10. *Quàm pulchræ ſunt mammæ tuæ ſoror mea Sponſa: pulchriora.* (Hebr. *meliora*) *ſunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.*

*Mammæ & vbera* denotant vim lactandi Eccleſiæ, qua per ſuos prædicatores lactat fideles, paſcítque verbo & exemplo, doctrina & ſacramentis, eleemoſyna ſpirituali & corporali. Quocirca *odor vnguentorum tuorum ſuperat omnia aromata*, id eſt, bona fama, quam ex tua charitate, miſericordia, & zelo animarum conſequeris, ac longè latéque diſpergis, melior eſt omnibus odoriferis virtutibus apud Deum, qui, vt dixi, miſericordiam præfert ſacrificio.

Verſ.11. *Fauus diſtillans labia tua, Sponſa: mel & lac ſub lingua tua, & odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.* q. d. Sermo tuus lacteus, melleus & ſuauiſſimus eſt, quo verbo Dei paſcis fideles; veſtimenta Eccleſiæ ſunt bonorum operum ornamenta, hæc habent odorem thuris, id eſt, orationis, quia referuntur ad Deum, Deíque gloriam, Deo enim thus adoletur.

Verſ.12. *Hortus concluſus ſoror mea Sponſa, hortus concluſus, fons ſignatus.* Eccleſia ſimilis eſt horto, ſiue paradiſo omnibus gratiis & virtutibus velut plantis cæleſtibus vernanti; ſuiſque areolis bellè diſtincto, & arte topiaria affabrè diſpoſito, ideóque concluſo, ne qua hæreſis, impietas, aliúdue vitium, aut noxa in illum aut violenter irrumpat, aut fraudulenter irrepat, ſed ſoli Chriſto integer & intactus ſeruetur, eíque omnium virtutum flores & fructus producat; quibus eum oblectet & paſcat. Repetit *τὸ concluſus* bis, vt duplex eius concluſio & ſera ſignificetur. Prima eſt, cuſtodia Angelorum & Doctorum. Secunda eſt tutela ipſius Dei & Chriſti, iuxta illud Zachar. 3. 5. *Et ego ero ei*, ait Dominus, *murus ignis in circuitu*. Ita Caſſiod. Beda & alij. Ruſum Eccleſia eſt ſimilis fonti illimi, limpidiſſimo & ſaluberrimo, ideóque obſignato, ne eius Cryſtallinus veritatis & doctrinæ liquor cœno errorum, aut vitiorum conſpurcetur.

*Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus, cypri cum nardo.* Verſ.13.

*Nardus & crocus, fiſtula & cinnamomum cum vniuerſis lignis Libani. Myrrha & aloë cum omnibus primis vnguentis.* Verſ.14. *Emiſſiones* vocat propagines & ſurculos plantarum arborúmque, quæ è terræ plantæque ſinu videntur quaſi emitti. Pro *pomorum fructibus*, Hebr. eſt, *cum fructu deliciarum*, id eſt, cum omni fructu delicato. *Emiſſiones* ergo ſunt Eccleſiæ particulares à Chriſto & Apoſtolis, ac præſertim ab Apoſtolicis viris, à S. Petro & Pontifice Romano miſſis erectæ & fundatæ, in quibus ſunt mala punica & pomorum fructus, id eſt, virtutum omnium tam ſublimium, quàm mediocrium concentus, ait S. Hieron. *cyprus* quia paruula, notat fidem; *nardus*, quia radice altè in terram defoditur, ſpem; *crocus*, quia aurei eſt coloris & tribus filis rubet, notat charitatem in Patrem Filium & Spiritum ſanctum, quæ quo magis calcatur, eò magis aſſurgit & creſcit, vti facit & crocus. Reliqua quatuor aromata notant quatuor virtutes cardinales, ſcilicet *calamus*, quia rectus & ſimilis regali ſceptro, notat iuſtitiam; *cinnamomum*, quia acre, calidum, & ſapidum, notat ſapientiam & prudentiam; *myrrha*, quia ſua amaritie corruptioni reſiſtit, notat fortitudinem; *aloë*, quia noxios humores purgat, notat temperantiam. Hinc ſymbolicè *cyprus* repræſentat patriarchas, in quibus excelluit fides; *nardus* prophetas, in quibus ſpes; *crocus* Apoſtolos, in quibus charitas; *calamus* Epiſcopos & Principes, in quibus iuſtitia; *cinnamomum* doctores, in quibus ſapientia; *myrrha* martyres, in quibus fortitudo: *aloë* virgines & continentes, in quibus temperantia.

*Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Verſ.15. Eccleſia eſt fons irrigans hortos, id eſt, particulares Eccleſias & cœtus fidelium, ac puteus aquarum viuentium, id eſt, perennis ſcaturigo puriſſimæ ſapientiæ, ſacræ doctrinæ & gratiæ, æquè ac Baptiſmi, Euchariſtiæ cæterorúmque ſacramentorum, *quæ fluunt impetu de Libano*, id eſt, de Chriſto excelſo & candido, aquis iam dictis abundante.

*Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Verſ.16. q. d. *Surge*, id eſt, velociter abi ô aquilo, id eſt, ô diabole, qui in Aquilone ſedere geſtis, ac Aquilonem, id eſt, frigidam infidelitatem & torporem virtutum induxiſti in homines,

homines, tempore legis Moſaicæ & naturæ Veniente ergo Chriſto veniat cum eo Auſter, id eſt, Spiritus ſanctus, qui ſuæ gratiæ calore & feruore faciat, vt Eccleſia, & fideles ſuauiſſimum virtutum omnium odorem per ſanctas earum operationes expirent.

## CAPVT QVINTVM.

### VOX SPONSÆ.

VERS. 1. *VENIAT dilectus meus in hortum ſuum, comedat fructum pomorum ſuorum.* Eccleſia inuitat Chriſtum, vt ſe quaſi hortum ſuum viſitet, ac virtutibus & gratiis fidelium, quaſi fructu pomorum ſuorum, ſe paſcat & oblectet.

### VOX SPONSI.

*Veni in hortum meum, ſoror mea Sponſa, meſſui myrrham cum aromatibus meis.* Chriſtus inuitationem Eccleſiæ acceptat, imò præuenit; ait enim ſe iam veniſſe in ſuam Eccleſiæ hortum, ac meſſuiſſe, id eſt, collegiſſe myrrham, id eſt, Baptizatorum pœnitentiam, mortificationem & martyria fidelium cum cæteris aromatibus, id eſt, virtutibus heroicis.

*Comedi fauum cum melle meo, & bibi vinũ meum cum lacte meo.* His omnibus notat Euchariſtiam, quæ ſuauiſſima eſt, vt lac & mel, ac acris & feruida, vt vinum; facit enim zeloſos, ardentes & martyres. Hanc Chriſtus comedit in ſuis fidelibus & ſanctis.

*Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Sicut amicus gaudio plenus & quaſi ebrius, illud quaſi ſupereffluens in ſinum amici diffundit: ſic Sponſus hìc deliciis mellis & vini quaſi ebrius ad eaſdem amicos inuitat: *inebriamini*, id eſt, ſatiamini & exhilaramini, ſed intra limites temperantiæ, citra mentis alienationẽ, quam facit propriè dicta ebrietas.

# QVARTA PARS DRAMATIS, PVTA CANTICI.

*Hucvſque deſcripſit virilem ætatem, & perfectionem Eccleſiæ: hic vero deſcribit eius ſenectam & declinationem vſque ad cap. 6. verſ. 3.*

### VOX SPONSÆ.

Verſ. 2. *EGO dormio, & cor meum vigilat.* Dormiebat Eccleſia, id eſt, perfecta pace fruebatur tẽpore Conſtantini, ſed vigilabat corde, id eſt, orationi, amori & contemplationi intendens cum Deo agebat in fidelibus & prælatis ſapientibus & ſanctis: in inſipientibus vero & carnalibus dormiebat, quia indulgebat otio, deſidiæ, gulæ, luxuriæ, &c. ſed cor eius vigilabat, quia conſcientia minans eis Dei vindictam, eos metu percellebat, & ad emendationem ſtimulabat.

B. Virgo noctu corpore dormiebat, ſed mente vigilabat, & continuè Deum amabat.

*Vox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſoror mea, columba mea, perfecta mea.* Pulſat Chriſtus oſtium cordis Eccleſiæ, vt illam auocet ab otio contemplationis ad negotium prædicationis, vt ſcilicet in pace ſibi data per Conſtantinum corda infidelium, hæreticorum & impiorum per perfidiam clauſa, claue prædicationis aperiat.

Chriſtus pulſat cor animæ peccatoris, vt pœniteat: ſancti, vt ſe magis ſanctificet, & aliorum quoque ſanctitatem procuret.

*Quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Caput Chriſti eſt diuinitas; cincinni ſunt humanitas, item eius ſancti: ros & guttæ noctium ſunt blaſphemiæ & impietates, item perſecutiones, quibus hæretici & impij impetunt Chriſti Deitatem, vel humanitatem vel ſanctos, quas vt amoueat Sponſa, puta prædicatores Eccleſiæ, excitat eos Sponſus hac voce ab otio contemplationis ad negotium prædicationis, vt impios conuertendo, has iniurias à ſe ſanctíſque ſuis auertant & propellant.

Verſ. 3. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Eccleſia, id eſt, nonnulli Prælati Eccleſiæ pace illis data per Conſtantinum ſe dedere otio, quieti, ſtudio & contemplationi; quare detrectantes laborem prædicandi, diſputandi & paſcendi gregem Domini, ab eo ſe excuſabant hoc titulo, quòd tunicam, id eſt, occupationes temporales exuiſſent, nec poſſent, aut cuperent eas reſumere; quódque lauiſſent pedes, id eſt, affectus ſuos, & nollent eos rurſus per conuerſationem cum peccatoribus inquinare. Verum hic erat prætextus lecti, id eſt deſidiæ. Quocirca.

Verſ.4. *Dilectus meus miſit manum per foramen* oſtij, & peſſulum amouit, oſtiúmque aperuit) *& venter meus intremuit.* Chriſtus peſſulum, id eſt, remoram laborandi pro ſalute animarum amouit, cum metum inquinandi ſe Prælatis ademit, itáq; effecit vt Monachi, quales fuère. S. Baſil. Nazian. Chryſoſt. Auguſt. Gregor. &c. qui antea Epiſcopatus refugiebant, iam à Deo vocati, eos capeſſerent, & ſtrenuè in vinea Dei laborarent: hinc *venter eorum intremuit:* quia viſcera mentis eorum pudore & commiſeratione commota ſunt, quòd non priùs Chriſto vocanti ad curam animarum oſtium cordis aperuiſſent: miſerabantur enim tot animarum perditionem cum tot in Deum offenſis & iniuriis coniunctam.

Verſ. 5. *Surrexi vt aperirem dilecto meo: manus meæ ſtillauerunt myrrham primam, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima.*

Verſ.6. *Peſſulum oſtij aperui dilecto: at ille declinauerat, atque tranſierat.*

Prælati Eccleſiæ excitati à Chriſto ad prædicandum, ei cor per conſenſum aperuerunt, ſed mox myrrha; id eſt, amaritudo perſecutionum & tribulationum progerminans ab hæreticis & impiis, manus & digitos eorum corripuit: in qua Chriſtus quaſi aliò declinans & tranſiens, diutiùs eos reliquit, vt tarditatem & ſocordiam prædicādi tarditate & duratione perſecutionis puniret, & caſtigaret. Rurſum myrrha eſt pœnitentia, mortificatio & caſtigatio præteritæ tarditatis.

*Anima mea liquefacta eſt* (amore, vti cera calore liqueſcit) *vt dilectus meus locutus eſt: Quæſiui, & non inueni; vocaui, & non reſpondit mihi.* Idem dicit aliis & clarioribus verbis.

Verſ.7. *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem: percuſſerunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.* Cuſtodes ſunt Principes vel Prælati Hæretici, vti Valens, Hunericus, Dioſcorus, Neſtorius, Pelagius, qui Eccleſiam per ſciſma diſciderunt, eíque pallium, id eſt, integritatis & pudicitiæ gloriam abſtulerunt.

*Adiuro vos filiæ Ieruſalem, vt ſi inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei quia* (quòd) *amore langueo.* Eccleſia in perſecutionibus afflicta inuocat filias Ieruſalem, id eſt, omnes ſanctos tam Angelos, quàm homines, ciues Ieruſalem, id eſt, Eccleſiæ tum in terra militantis, tum potiùs in cælis triumphantis, vt obſecrent Chriſtum in cælo, vt ipſe languori ſuo medeatur, mittendo ſcilicet homines Apoſtolicos, qui hæreticos, infideles malóſque Chriſtianos conuertant: Languor enim hic eſt zelus animarum. Anagogicè anima amore æſtuans languet deſiderio fruendi Chriſto in cælo. Talis præ omnibus fuit B. Virgo, quæ ex languore hoc mortua euolauit ad Chriſtū. Verſ. 8.

## Vox filiarum Ieruſalem.

*Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, quia ſic adiuraſti nos?* Verſ.9.

Sanctæ Angelorum & hominum animæ, quarum opem Sponſa implorarat, vt nuncient dilecto ſuum languorem, rogant quis & qualis ſit eius dilectus, non quòd id ignorent, ſed vt eius deſiderium in ea acuant, ac materjam illum effuſiſſimè laudandi ei præbeant: vnde ipſa mox idipſum præſtat: hoc enim vnicum erat languoris eius remedium; amore enim & laude dilecti ſanatur, imò paſcitur languor diligentis.

## VOX SPONSÆ.

*Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Hebr. *vexillatus*, id eſt, *inſtar vexilli eminens decem millibus.* Chriſtus fuit candidus & rubicundus, id eſt, roſeo colore ad literam, taliſque apparuit S.Edmundo Cantuar. Epiſcopo, vt habet eius vita. Symbolicè fuit candidus ob puriſſimam & ſplendidiſſimam Deitatem, aut potiùs propter puriſſimam humanitatis aſſumptæ innocentiam & ſanctitatem. Rubicundus ob carnem, quam cum ſanguine rubro ex Virgine aſſumpſit, aut potiùs quam in cruce effuſo ſanguine purpurauit; Et vt ait. S. Hieron. lib. 1. contra Iouinian. *Chriſtus candidus eſt in virginitate, rubicundus in paſſione* Verſ.10.

*ſione: Electus*, Hebr. *vexillatus ex millibus*, quia Chriſtus quaſi dux vexillum innocentiæ & caſtitatis, æquè ac patientiæ & martyrij omnibus martyribus, virginibus & Chriſtianis prætulit, qui pariter candidi ſunt per innocentiam, rubicundi per patientiam. Vnde ex Hebr. vertas, *Signifer & dux myriadum*.

Verſ.11. *Caput eius aurum optimum.* q. d. Caput Chriſti erat fulgidum & ſpecioſum inſtar auri optimi, vel redimitum erat corona aurea. Caput Chriſti eſt deitas. *Dicitur aurum, quia eius humanitas & diuinitas ſua claritate vobis principatur*, ait S. Gregor. ſicut enim aurum cæteris metallis; ſic Deitas creaturis omnibus longè eminet & antecellit. Tangit hìc Arrianos, Eutychianos & Neſtorianos, qui negabant Chriſti diuinitatem.

*Coma capitis eius ſicut elata palmarum, nigra quaſi coruus.* Elatæ ſunt rami & fructus palmarum, qui earum verticem velut coma tegunt & ornant. Sic Chriſtus flauam habuit comam, vti flaui ſunt dactyli, ſed nigricantens. Comæ hæ notant diuina Chriſti conſilia, amores & affectus, qui à Deitate eius in humanitatem emanant, ſicut coma manat à capite. Caput enim Chriſti eſt Deus. Iidem nigri ſunt, quia fortes, viriles & heroici, ac charitate quaſi toſti & nigricantes.

Myſticè, capilli Chriſti ſunt veri Religioſi & Apoſtolici: hi enim Chriſtum quaſi crines ſtipant, coronant & ornant.

Verſ. 12. *Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident ſuper fluenta pleniſſima.* q. d. ſicut columbæ aſſident aquis; ſic oculi Sponſi innatant ſuis orbibus, ſuntque coloris aquei & marini, ideóque cæſij, id eſt, prudentes & ſapientes. Lac notat candorem oculorum & ſinceritatem animi, per oculos tralucentes. Denique oculi Chriſti comparantur columbis, quia placidi ſunt, mites, faciles, benigni, & miſericordes.

Verſ. 13. *Genæ eius ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis.* Genæ Chriſti roſeæ & fragrantes inſtar areolarum aromatum ſignum erant, primò florentis ætatis; ſecundò honeſtatis; tertiò hilaritatis; quartò ingenuitatis; quintò grauitatis & maieſtatis coniunctæ cum lenitate & pietate. Parabolicè binæ genæ Chriſti ſunt miſericordia & iuſtitia, quibus aſpicit regitque Eccleſiam. Tropol. genæ Chriſti ſunt virgines & martyres; illorum enim genæ roſeæ rubent pudore, horum cruore.

*Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam.* q.d. Eloquia Chriſti caſta ſunt, & ad puritatem lilialem inflammantia, ac myrrham, id eſt, mortificationem cupiditatum prædicantia.

Verſ.14. *Manus illius tornatiles* (Septuag. *tornatæ*, id eſt, affabrè elaboratæ) *plenæ hyacinthis.* q.d: Opera Chriſti adeo perfecta erant, ac ſi torno elaborata fôrent, ita vt nil eis poſſet addi, nil demi. Secundò manus Chriſti erant tornatiles, id eſt, verſatiles & agiles ad omne bonum omnémque beneficentiam. Dicuntur aureæ, quia ornatæ charitate: *plenæ hyacinthis*, quia opera Chriſti erant cæleſtia & diuina, atque ad ſpem & amorem rerum cæleſtium excitantia: hyacinthus enim eſt cæleſtis coloris.

*Venter eius eburneus, diſtinctus ſapphiris.* q. d. Omnes internæ Chriſti paſſiones & affectiones erant puræ & validæ inſtar eboris, ac cæleſtes inſtar ſapphiri: Symbol. venter Chriſti ſunt coniugati, qui filios ipſi generant alúntque, puros vt ebur, cæleſtes vt ſapphiri.

Verſ.15. *Crura eius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas.* q.d. Crura Chriſti candida ſunt, recta, craſſa & robuſta inſtar columnæ marmoreæ, *ſuper baſes aureas*, id eſt, ſuper pedes ornatos calceis aureis, quales habuit Salomon. Crura hæc notant itinera Chriſti, quibus per ſe Iudæã, per Apoſtolos verò viróſque Apoſtolicos totum orbem euangelizando obiuit, fuiſſe, puta, recta, fortia & valida, ita vt nemo ea ſiſtere, vel iis reſiſtere poſſet, quin gentes omnes ſibi ſubiiceret *ſuper baſes aureas*, ſcilicet, tum diuinitatis Chriſti, tum charitatis. Charitas enim hoſce pedes ſuffulciit & inuictos affecit. Symbolicè crura Chriſti ſunt viri Apoſtolici, qui fidem Chriſti in India aliiſque locis propagant.

*Species eius vt Libani, electus vt cedri.* q.d. Chriſtus inſtar Libani & cedri fuit procerus, odoratus, imputribilis, & ſpecioſus tum corpore, tum magis mente.

Verſ.16. *Guttur illius ſuauiſſimum, & totus deſiderabilis.* q.d. Anhelitus Chriſti, æquè ac vox è gutture prodiens, erat ſuauiſſimus: quia non niſi affectus & amores diuinos exhalabat & eructabat: quare ipſe totus erat amabilis & deſiderabilis.

*Talis eſt dilectus meus* (qualem hucuſque deſcripſi) *& ipſe eſt amicus meus, filiæ Ieruſalem.*

## Vox filiarum Ieruſalem.

Verſ.17. *Quo abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum?*

*rum? quo declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum?* Filiæ Ieruſalem adiuratæ à Sponſa cap. 5. 8. vt quærerent Sponſum, qui ſe ſubduxerat, audientes eius notas & ſigna, è quibus eum dignoſcāt, hîc rogant, qua via ſe ſubduxerit, vt illam ineuntes, eum inueniant. Chriſtus ab orientali Eccleſia ob hæreſim Arrij moréſque prauos ſe, id eſt, ſuam fidem & Eccleſiam tranſtulit in Occidentem poſt Conſtantinum Imperatorem: quærunt ergo filiæ Ieruſalem, id eſt, fideles ab Eccleſia, id eſt, Eccleſiæ Prælatis, quo abierit Chriſtus, vt eum in Orientem reducant. Huc refer, quæ dixi v, 9.

## CAPVT SEXTVM.

Vers. 1. D*ILECTVS meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat.* Sponſa reſpondet filiabus Ieruſalem Sponſum iuiſſe in hortum ſuum, id eſt, in Eccleſiam occidentalem, hoc eſt, ad congeriem fidelium orationi, mortificationi cæteriſque virtutibus ſtudentium, quibus, quaſi aromatibus, Chriſtus paſcitur & oblectatur, ſed præſertim liliis, id eſt, caſtitate virginum. Quare reformatores Eccleſiæ orientalis vocandos eſſe ex occidentali Eccleſia, præſertim Romana, vti ex eadem in Orientem ea de cauſa à Pontifice Romano miſſi ſunt S. Euſebius Epiſcopus Vercellenſis, Lucifer Calaritanus & alij. Rurſum hortus Chriſti eſt religio & cœnobium.

*Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Verſ. 2.
Hunc verſum explicui cap. 2. verſ. 16. Sponſa enim quia amore Sponſi plena, hinc identidem eum repetit & inculcat. Amantes enim amatorum amore & laude nunquam ſatiantur, ſed eum aſſiduè vſque ad nauſeam audientium repetunt.

# QVINTA ET VLTIMA PARS

## DRAMATIS, PVTA CANTICI, IN QVA

deſcribitur Eccleſiæ ſeneſcentis renouatio, conſummatio, & ad cælum anhelatio.

## VOX SPONSI.

Verſ. 3. P*VLCHRA es amica mea, ſuauis & decora ſicut Ieruſalem, terribilis vt caſtrorū acies ordinata.* Pro *ſuauis* Hebr. eſt *ſicut Terſa*, quæ erat vrbs pulchra, ideóque à Ieroboam facta eſt Metropolis regni Iſraël. Sponſa cum ſuis quærēs Sponſum in horto, ibidem eum inuenit, eíque narrauit quanta in illo quærendo paſſa ſit, quibus notis & elogiis eum adoleſcentulis depinxerit: quare Sponſus eam conſolatur, laudéſque ei cap. 4. aſſignatas confirmat & adauget. Igitur ſenſus eſt, quaſi dicat: Eccleſia pulchra effecta eſt, æquè ac fortis & terribilis vt caſtrorum acies, quando errores & vitia per Arrianos alióſque impios infideles ſuos inducta, per zeloſos Imperatores & Principes, Pontifices & Epiſcopos in Conc. Nicæno, Epheſino, Calcedonenſi, Lateranenſi, Florentino, Tridentino aliiſque tum œcumenicis, tum prouincialibus extirpauit, & Eccleſiam vel vniuerſalem vel prouincialem priſtino fidei & virtutum nitori reſtituit. Maximè verò in fine mundi idipſum præſtabunt Elias & Enoch cum ſuis aſſeclis.

*Auerte oculos à me, quia ipſi auolare fecerunt me.* Verſ. 4.
Hebr. *quia ipſi praualuerunt mihi*, me in ſui amorem rapiendo. Laudat hîc Chriſtus Sponſam à pulchritudine & illicio oculorum, per quos pura Eccleſiæ in Chriſtum intentio & amor ſignificatur, vt dixi cap. 4. 1. ſignificat ergo hîc Chriſtus charitate Eccleſiæ ſe victum, vt ſui tam amantem mirificè redamet, vtque eius amore curſum tempúſque mundi abſoluere decernat, quo reliquiæ Iſraël ſaluentur, de iis enim agit in ſequentibus, vt hoc facto Eccleſia Chriſto Sponſo ſuo in æternum copuletur, eóque feliciſſimè perfruatur in cæleſti gloria, vbi nuptiarum vtriuſque erit conſummatio.

*Capilli tui ſicut greges caprarum.* Hæc gno- Verſ. 5.
me & duæ ſequentes ad laudem Spon- Verſ. 6.
ſæ hîc repetuntur ex cap. 4. verſ. 1. & ſeq. vbi eas explicui.

*Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubi-* Verſ. 7.
*næ, & adoleſcentularum non eſt numerus.*

*Vna*

Verſ.8. *Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matris* (Septuag. *matri*) *ſua, electa genitrici ſua. Vnica matris*, id eſt, vnigenita, vel vnicè præ aliis filiabus dilecta à matre:

*Regina*, id eſt, Eccleſiæ Patriarchales, Primates & Metropolitanæ ſunt 60. id eſt multæ: *concubina*, id eſt, Eccleſiæ Epiſcopales ſunt 80. id eſt, plures: *adoleſcentularum*, id eſt, Eccleſiarum Parochialium & cæterarum non eſt numerus; plurimæ enim ſunt & quaſi innumerabiles: at ſupra has omnes eminet Cathedra ſancti Petri, puta Eccleſia Romana. Quare hæc eſt vna columba, id eſt, vna Sponſa Chriſti vnicè ab eo dilecta, perfecta in fide & religione, vnica matri ſuæ, & electa genitrici ſuæ, id eſt, vnicè pariter dilecta primitiuæ Eccleſiæ Ieroſolymitanæ, ait S. Anſelm. quia ipſa cæteras Eccleſias regit, ac ſi à vera fide vel pietate aberrent, corrigit & reformat. Quocirca *Viderunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicauerunt: reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam*, dicendo: *Quæ eſt iſta*, &c. vt ſequitur.

## Vox adoleſcentularum.

Verſ.9. *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata?* Eſt vox adoleſcentularum, concubinarũ & reginarum laudantium ſponſam ab eius ortu, progreſſu & perfectione. Eccleſia enim oriens in Iudæa ſub Apoſtolis exigua luce fulſit quaſi aurora: mox increuit, fulſitque vt luna luce pallida per terrores, perſecutiones decem Imperatorum: denique toto orbe aurea luce reſplenduit vt ſol, ſub Conſtantino Imperatore, ac mox pugnans & profligans Arrianos, Neſtorianos cæteróſque hæreticos, & abuſus reformans fuit quaſi caſtrorum acies ordinata, talíſque maximè erit in fine mundi decertans contra Antichriſtum, eiúſque aſſeclas.

## VOX SPONSI.

Verſ.10. *Deſcendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium, & inſpicerem ſi floruiſſet vinea, & germinaſſent mala punica.* Chriſtus deſcendit in hortum nucum, id eſt, ad Synagogam durorum Iudæorum, vt eos conuertat, tum per alios, tum maximè in fine mundi per Eliam & Enoch, quando ipſi producent *poma conuallium*, id eſt, fructus actúſque humilitatis & pœnitentiæ, ac vina deuotionis, & *mala punica* charitatis.

## VOX SYNAGOGÆ Iudæorum conuertendæ in fine mundi.

*Neſciui: anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.* q. d. Ego Synagoga Iudæorum hucuſque neſciui Chriſtum à Patribus meis crucifixum eſſe Meſſiam, ideóque eum non colui, quia turbauerunt me quadrigæ *Aminadab*, id eſt, *populi ſpontanei*, puta Chriſtiani, qui è gentilitate ſponte & vltrò audita prædicatione Apoſtolorũ credidit in Chriſtum: *quadrigæ* ſunt quatuor Euangelia, quæ celerrimè per totum orbem diſcurrerunt: propter has, id eſt, quia Euangelia abrogabant Iudaiſmum & legem Moyſi, ego Synagoga Iudæorum hucuſque non credidi in Chriſtum: at iam conuerſa per Eliam in eum credo, & eidem quadrigæ vltro me ſubdo, imò infero & impono. Nonnulli per quadrigas Aminadab accipiũt Saracenos & Turcas; alij Imperatores Eccleſiam oppugnantes; alij Antipapas & Schiſmaticos. Verſ.11.

## VOX SPONSÆ veteris de noua, hoc eſt, Eccleſiæ de Synagoga.

*Reuertere, reuertere Sulamitis vt intueamur te.* Eccleſia gratulatur Synagogæ de eius ad Chriſtum conuerſione: *Synagoga* enim vocatur Sulamitis, id eſt, Ieroſolymitana vel Salomonia. Sicut enim à Paulo Sponſa dicitur Paula, ſic à Salomone Sponſa eius dicitur Sulamitis, id eſt, Salome vel Salomonia. Senſus eſt, q. d. O Sulamitis, id eſt, ô Synagoga Iudæorum iam conuerſa ad Chriſtum, reuertere ad Eccleſiæ è Gentibus congregatæ ſocietatem & conuerſationem, vt Gentes tuum decorem, quem per Baptiſmum accepiſti, intuentes, exultent, tibique gratulentur & Deo gratias agant. Verſ.12.

# CAPVT SEPTIMVM.

*Caput hoc parallelum eſt capiti quarto; nam ſingulorum membrorum elogia, quæ cap. 4. Sponſus Chriſtus aſſignauit Sponſæ Eccleſiæ Gentium, eadem hic aſſignat Synagogæ Iudæorum ad ſuam fidem in fine mundi conuertendorum.*

## VOX SPONSI DE Sponſa noua, id eſt, de Synagoga.

VERS. 1. *QVID videbis in Sulamite niſi choros caſtrorum?* Sunt verba Chriſti Sponſi exultantis de Iudæorum ad ſe in fine mundi per Eliam conuerſione. q. d. Quid videbis, ô Eccleſia Gentium in Sulamite, id eſt, in Synagoga Iudæorum iam conuerſa ad ſuum Meſſiam verámque fidem, niſi choros præ gaudio tantæ conuerſionis cantantium & tripudiantium: ſed choros caſtrorum, quæ ſcilicet ita exultent, vt ſimul fortiter contra Antichriſtianos cæteróſque infideles & impios decertent? *Caſtra quippe militantium ſunt*, ait S. Greg. Nonnulli per choros Caſtrorum accipiunt fundationes Academiarum, & inſtitutiones Religionum tam militarium, vti ſunt Theutonici, Melitenſes, Ieroſolymitani, quam aliarum, vti ſunt Bernardini, Camaldulenſes, Dominicani, Franciſcani, &c.

*Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis?* q. d. Quam pulchra ô Synagoga ſunt greſſus tui, quibus ad me & Eccleſiam acceſſiſti? quam celeri promptitudine ad fidem accurriſti? nec tantùm ad fidem, ſed & ad fidei prædicationem: illico enim, vt fidelis facta es, cœpiſti eſſe prædicatrix Euangelij, inſtar contribulis tui S. Pauli.

*Iunctura femorum tuorum ſicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis. Iuncturæ tuorum femorum* ſunt veritas & charitas, quibus Synagoga cõuerſa adhærebit Eccleſiæ, itẽ eius caſtitas. Hæc enim ornat femora ſicut monile pulcherrimũ & pretioſiſſimum factum manu ſummi artificis Dei. Hanc amplectuntur religioſi, & amplectentur Iudæi in fine mundi, vt efficaciùs Chriſtum verbo & exemplo prædicent. Vnde S. Ioannes vidit 144. millia virginum, qui in fine mundi ſequentur Agnum in Virginitate. Apocal. 14.

*Vmbilicus tuus ſicut crater tornatilis, nun-* Verſ. 2.
*quam indigens poculis. Vmbilicus*, id eſt, medium & quaſi cẽtrum Iudææ erat Ieruſalem: hæc in fine mundi per Eliam conuertenda ad Chriſtum erit quaſi crater tornatilis, quia inſtar crateris abundabit poculis, id eſt, potione, puta vino ſapientiæ & doctrinæ Chriſtianæ, quod in Iudæos circum circa habitantes diffundet. Vnde in Ieruſalem Elias occidetur ab Antichriſto, ac tertia die glorioſus reſurget. Apocalypſis, cap. 11. v. 8. & 11.

*Venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus liliis.* Idem dicit per aliam ſimilitudinem ventris, q. d. Ieruſalem conuertenda ad Chriſtum per Eliam ſimilis erit aceruo tritici, quia plena erat ſacerdotibus & prædicatoribus, qui verbo Dei & Euchariſtia quaſi tritico myſtico fideles paſcant, non ad luxuriam, ſed ad caſtitatem, ideóque vallatur liliis, quia puritatis candorem æquè ac ſuauitatis odorem expirat.

*Duo vbera tua ſicut duo hinnuli gemelli ca-* Verſ. 3.
*capreæ.* Repetit de Synagoga Iudæorum, quod dixit de Eccleſia Gentium, cap. 4. verſ. 5. Vide ibi dicta.

*Collum tuum ſicut turris eburnea. Collum* Verſ. 4.
*turritum*, ſignificat inuictum Synagogæ robur, quo ſe inſtar turris generoſè eriget contra omnes tentationes & perſecutiones Antichriſti. Item Pontifices, Doctores & Præſules, qui eidem heroicè reſiſtens. *Ebur* notat Elephantium (Elephas enim caſtiſſimus eſt,) caſtitatem, puritatem & munditiam, qua pollebunt Iudæi in fine mundi Apocalypſ. cap. 14. verſ. 1. præſertim Doctores & Præſules: Ebur enim candidum eſt, politum, nitidum, teres, æquabile, firmum.

*Oculi tui ſicut piſcina in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis*, id eſt, in porta, quæ ſpectat regionem, in qua magna erat hominum multitudo. q. d. Oculi tui, id eſt, tui Doctores & Paſtores, ô



Digitized by Google

Synagoga, erunt quaſi gemini limpidiſſimi, puriſſimique ſapientiæ fontes, qui filiam multitudinis, id eſt, congregationem populi Iudaici in fide & pietate Chriſtiana abundanter erudient, & aqua ſapientiæ potabunt.

*Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.* q. d. *Synagoga naſus*, id eſt, criſis, prouidentia & proſpectio erit ingens inſtar turris, quæ longè adorabitur & proſpicit omnes Damaſci, id eſt Diaboli & Antichriſti ſanguinem animarum ſitientis; *Damaſcus* enim idem eſt, quod ſaccus, vel præda ſanguinis inſidias & conatus, eóſque ingenti fortitudinis & magnanimitatis ſpiritu eludet & ſuperabit. Magnus enim naſus magnum ſpiritum attrahit, ideóque magnanimitatis eſt index.

Verſ. 5. *Caput tuum vt Carmelus.* q. d. Caput & princeps tuus erit Elias olim Carmeli incola, & inſtar Carmeli ſpiritu excelſus & frugifer.

*Et coma capitis tui ſicut purpura Regis vincta canalibus.* Comæ hæ notant diſcipulos & aſſeclas Eliæ, qui eum vt caput cingent, defendent, propugnabunt, ideóque ab Antichriſto occidentur, & martyrio ſanguinis ſui purpurabuntur.

## VOX ECCLESIÆ AD Synagogam ad Chriſtum iam conuerſam.

Verſ.6. *Quàm pulchra es, & quàm decora chariſſima in delicijs?* Hebr *O quàm pulchruiſti & quàm dulcuiſti amor in delicijs?* Sponſi, ſcilicet Chriſti Domini, eum tua fide & feruore oblectando. Syrus & Aquila, *filia deliciarum.* Sunt verba Eccleſiæ Gentium exultantis & congratulantis Synagogæ de tam ſubita & perfecta Iudæorum conuerſione ad Chriſtum. q. d. Quàm pulchra es & decora, ô Synagoga, ſoror mea, quæ adeò es amabilis, vt charitas deliciarum, & deliciæ charitatis, ac filia deliciarum eis, & verè nuncupari poſſis, quia totam te charitati & delicijs Sponſi impendis.

Verſ.7. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ, & vbera tua botris.* Statura palmaris Synagogæ & animæ ſanctæ, eſt magnanimitas & celſitudo animi, quæ omnia terrena deſpicit & æterna ambit, dicítque cum Paulo: *Noſtra conuerſatio in cælis eſt:* ideóque inſtar palmæ quò magis premitur, eò fortiùs altiúſque exurgit: *Vbera Synagogæ* ſunt eius beneficentia & doctrina, qua quaſi lacte rudiores Iudæos lactabit & nutriet: Sicut palma licet in altum creſcat, tamen ſe demittit cum ſuis botris, id eſt, dactylis nutrit tranſeuntes.

## Vox Chori Adoleſcentularum.

*Dixi: aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius: & erunt vbera tua ſicut botri vineæ, & odor oris tui, ſicut malorum.* Sunt verba chori adoleſcentularum, id eſt, animarum imperfectarum, quarum quæque dicit Synagogæ in fide & amore Chriſti excelſæ, & feruenti vſque ad martytium: Cupio ad tuam ſublimitatē, quam per crucem Chriſti obtinuiſti, conſcendere, vt ad vbera tua pertingam ex iiſque ſugam lac, imò vinum ardentis doctrinæ, fidei & charitatis, ac ſimul ex ore hauriam halitum ſuauiſſimum pietatis & ſanctitatis, palma ergo hîc ad literam ſignificat ſublimitatem Synagogæ, ſymbolicè verò crucem Chriſti. Verſ. 8.

*Guttur tuum ſicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, & labiis eius ad ruminandum.* q. d. gutture tuo exhalas vinum doctrinæ & charitatis ardentis, quo non ſolum Iudæos tuos, ô Synagoga, inebrias, ſed & Chriſtum dilectum meum ita potas & delectas, vt ille illud ipſum aſſiduè mente reuoluat & ruminet. Verſ. 9.

## Vox Sponſæ nouæ, id eſt Synagogæ.

*Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius.* Eſt vox Sponſæ nouellæ, putà Synagogæ, quæ tam laudibus ſuis, quas Chriſtus recenſuit, quàm elogiis ſuis, quæ adoleſcentulæ addiderunt, reſpondet, laudes haſce in Sponſum Chriſtum reflectendo. q. d. Ego quanta quanta ſum, tota dilecti mei Chriſti ſum, quia ipſe dignatus eſt oculos ſuos ad me conuertere, méque ſua fide illuminare & ſua gratia dotare, imò in Sponſam ſibi dilectam aſſumere. Verſ.10.

*Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis*, vt ibi eo familiariùs & ſecretiùs, quò ab vrbano ſtrepitu remotius inuicem conuerſemur & colloquamur, vtque hominibus agreſtibus & rure degentibus Euangelium prædicemus. Verſ.11.

### VOX SPONSÆ antiquæ & nouæ, id eſt, Eccleſiæ, & Synagogæ.

Verſ.12. *Manè ſurgamus* ( vt eamus ) *ad vineas: videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerunt mala punica: ibi dabo tibi vbera mea.* Pagnin. & Vatabl. *amores meos.* Eſt vox Eccleſiæ Gentium congratulantis nouæ Sponſæ, putà Synagogæ Iudæorum, ac cum ea obſecrantis Chriſtum, vt ſecum vadat, id eſt, ſibi cooperetur in prædicatione Euangelij, & conuerſione Iudæorum æquè ac gentium in fine mundi, vt ferant fructus bonorum operum, & mala punica charitatis ac martyrij. Vineam vocat Ieruſalem & Iudæam: hæc enim fuit prima Chriſti vinea. Ibi Synagoga Chriſto dat *vbera*, id eſt, oſtendit amores ſuos in eum. Rurſum dat vbera Chriſto, id eſt, fidelibus Chriſti, putà Iudæis & Gentibus, quos doctrina ſua in fide & pietate lactat, & nutrit amore Chriſti.

*Mandragoræ dederunt odorem: in portis* Verſ.13.
*noſtris omnia poma noua & vetera, dilecte mi, ſeruaui tibi.* Mandragoræ frigidæ tarditatem, torporem & ſomnum inducunt; Vnde ſignificant Iudæos & Gentes ignorantia Dei, & perfidiæ frigore torpentes & ſopitos per Antichriſtum; ſed hi eo mortuo & occiſo, per prædicationem ſociorum Eliæ reuiciſcent in fide & gratia, ac ſuauem virtutis odorem expirabunt: hos ergo quaſi *poma noua* cum veteribus, id eſt, priſcis Chriſtianis Eccleſia offert Chriſto *in portis*, id eſt, in ipſo ingreſſu & aditu Eccleſiæ, putà in Baptiſmo, per quem ingreſſi ſunt in Eccleſiam & Chriſtianiſmum. Nonnulli τὸ *nouo* referūt ad noui orbis, hoc eſt, Americæ, ſiue Peruanorū & Mexicanorum conuerſionem.

# CAPVT OCTAVVM.

### VOX SPONSÆ, ID EST, ECCLESIÆ vniuerſalis Collectæ ex Iudæis & Gentibus, in fine mundi completo iam electorum numero, aſpirantis ad cælum.

VERS. I. *QVIS mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te, & iam nemo me deſpiciat?* q.d. Vtinam te fruar, ô Chriſte, in cælo, ſicut frater fruitur ſuo fraterculo, qui adhuc ſugit vbera matris, eúmque deoſculatur, vt ſcilicet ſicut olim factus homo, mihi per carnem frater fieri dignatus es, ac ſugere vbera matris meæ; tùm B. Virginis (hæc enim eſt mater Eccleſiæ, quia ipſa eſt mater Chriſti, & conſequenter omnium Chriſtianorum) tùm Synagogæ; ſic pariter foris, id eſt, in cœlo frater & conſors mihi fias in gloria beatitudinis, ibíque tecum ſugam vbera matris communis, putà cæleſtis Ieruſalem, quæ lac, imò nectar felicitatis effundit, atque te oſculer tecúmque delicier & diſſuauier in æternum, ideóque iam me nemo deſpiciat, ſed omnes glorificent & beatificent.

*Apprehendam te, & ducam in domum ma-* Verſ.2.
*tris meæ, ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malogranatorū meorum.* Eſt vox Eccleſiæ ad Chriſtum. q.d. Vtinam te apprehendere poſſem & ducere in cæleſtem Ieruſalem, quæ eſt mater noſtra, vt ibi me doceres arcana diuinitatis, ibi ego viciſſim tibi propinarem vinum conditum laudis & gratiarum actionis, ac muſtum malogranatorum æſtuantis amoris, & iubili fælicitatis æternæ.

*Laua eius ſub capite meo, & dextera illius* Verſ. 3.
*amplexabitur me.* Spōſa ex vehemēti amore & deſiderio fruendi Chriſto in cælo, incidit in languorem, ſomnū & extaſim, ac corruens inuocat opem Sponſi, vt ſe collabentem læua dextráque fulciat & complectatur, tum iam languentem in terris, tùm potius mox gaudentem & triumphantem in cælis. Vide cap. 2. 6.

VOX

Digitized by Google

## VOX SPONSI.

Verſ. 4. *Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.* Sponſus vetat Sponſam ab hoc amoris ſomno & extaſi, vtpote ſibi gratiſſimo & Sponſæ ſuauiſſimo excitari. Vide dicta cap. 2. verſ. 7.

## VOX POPVLI occurrentis.

Verſ. 5. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens innixa ſuper dilectum ſuum.* Sponſa à ſomno euigilans, ex languoris & amoris delitiis, brachiis ſuis innixa humeris Sponſi, cum eo aſcendebat ex agro, hortóque verſus Ieruſalem, id eſt, ex terra in cælum. Occurrunt ei turbæ populi tranſeuntis, id eſt, Angeli & cælites, eiuſque ſpeciem, amorem & libertatem admirantes exclamant: Quæ eſt iſta Sponſa tam glorioſa, quæ tam delicioſè, liberè & amoroſè Chriſto Domino innixa, è terris In cælos adeò magnificè aſcendit?

## VOX SPONSI.

*Sub arbore malo ſuſcitaui te: ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* Chriſtus Eccleſiam glorioſè ſecum ſcandentem in cælum monet crucis ſuæ pro ea obitæ, vt eam tanti beneficij memorem gratámque reddat. q. d. Scito, ô Eccleſia, hanc gloriam tuam mihi caro ſtetiſſe; emi enim eam multis doloribus in ligno crucis, eo quòd mater tua Eua comedens ex ligno vetito in paradiſo, tam ſe, quàm te, id eſt, omnem poſteritatem peccato corruperit & perdiderit. Dei enim iuſtitia & ſapientia decreuerat, vt in ligno ſatisfieret culpæ in ligno commiſſæ; vt Diabolus *qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur;* Et *vnde mors oriebatur, inde vita reſurgeret.*

Verſ. 6. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, & ſignaculum ſuper brachium tuum.* q. d. Iugiter & firmiter quaſi ſigillo imprime tibi meæ crucis memoriam, meúmque, quem tibi in ea exhibui, amorem, vt ille ſemper in corde tuo cogitando figatur, indéque in brachium ad rectè operandum tranſeat, ita vt amor meus ſit tibi rector, qui omnes tuas cogitationes & actiones dirigat ad cælum, vbi ille indelebiliter & profundè cordi brachióque tuo inſculpetur, vt in æternum perduret.

*Quia fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio.* q. d. Cauſa, quæ me impulit, vt te in cruce per tot dolores & mortem meam à peccato, morte & inferno, cui abdicta eras, ſuſcitarem, fuit amor & dilectio, qua te vt Sponſam ſummè dilexi: hæc enim fortior eſt omni dolore, morte & inferno; ac inſtar mortis & inferni, omnia aduerſa & triſtia ſibi ſubiicit: quare ſimilem, putà fortem à te, ô Sponſa, dilectionem exigo, vt ponas me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſcilicet mei intuitu & amore mortem & infernum ſuperes & tranſcendas, ac inſtar mortis & inferni nulli hoſti, tentationi, dolori, vel aduerſitati cedas, ſed omnia euincas tibique ſubdas.

*Lampades eius* (dilectionis & æmulationis, ſiue zeli) *lampades ignis atque flammarum. Lampades*, id eſt, faces. q. d. Faces charitatis & zeli Chriſti, ſimiles ſunt ignibus & flammis ardentiſſimis, ac ſimiles ipſe à Sponſa, id eſt, Eccleſia & anima ſancta iure ſuo repoſcit.

*Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Verſ. 7. *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam. Eam*, non dilectionem, ſed *ſubſtantiam.* q. d. Nullæ perſecutiones, calumniæ, flagella, dolores, claui, ſpinæ, &c. quæ inſtar torrentium magna copia & vi irruerunt in Chriſtum, potuerunt, aut vnquam poterunt obruere, vel extinguere eius charitatem, imò potiùs iis creſcentibus creuit Chriſti amor & ardor, ſicut per antiperiſtaſin ignis aquis gelidis circundatus magis ſe intendit, & exardeſcit. Idem iure ſuo à Sponſa Eccleſia, & anima pia repoſcit Chriſtus Sponſus. Ratio eſt, quod charitas ſit res pretioſiſſima, ſupernaturalis & diuina, quæ omne pretium, omnes opes, omnem ſubſtantiam ſuperat, & præ qua omnes cruces & dolores quaſi nihil ſunt, nec æſtimandi.

## Vox Sponſæ adultæ de Iuniore, id eſt, Eccleſiæ de Synagoga.

*Soror noſtra parua eſt, & vbera non habet: quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt?* Verſ. 8. Eccleſia audiens Sponſum Chriſtum tam excellentem erga ſe oſtẽdere charitatem, & ſimilem ab ipſa requirere, tacitè aſſentitur, eámque ſpondet; vti patebit v. 10 & ſeq. ſed ſollicitat

fructum & pretium colligo, illúmque Chriſto meo offero: *mille ergo tui pacifici.* Hebr. *mille tui ô Salomon*, id eſt, hos mille argenteos tibi, ô Chriſte Rex pacifice, offero tanquam tibi debitos, vtpote ex tua gratia partos & productos: *& ducenti his, qui cuſtodiunt fructus eius.* q.d. Prælatis, qui hanc vineam coluerunt, debetur, & dabitur duplex præmiũ, ſcilicet gloria animæ & corporis, ob decem præceptorum decalogi obſeruationẽ in corde & opere, tam in ſe, quàm in ſuis ſubditis, centies duplicatam, id eſt, omni modo abſolutam & perfectam. Centum enim duplicata faciunt ducenta.

## VOX SPONSI.

Verſ.13. *Quæ habitas in hortis, amici auſcultant, fac me audire vocem tuam.* Bucolicè Chriſtus Sponſus hîc inducitur quaſi paſtor, cuius Sponſa caſtitatis & meditationis ſtudioſa, velut nympha ruralis habitat in hortis & vineis, eáſque excolit. Senſus eſt. q. d. Chriſtus: Audiui, ô Eccleſia mea Sponſa, tua in cælum anhelantis ſuſpiria, ſed tecta & obſcura: quare velim, vt ea clarè enuncies. Amici enim mei & tui, id eſt, Angeli auidè ea audire deſiderant: faciam ergo te votorum compotem: poſtula, & impetrabis: loquere, & exaudieris, ſuſpira in cælum, & eò te ducam: Iam enim imminet finis mundi, & dies iudicij, ac beatæ reſurrectionis.

## VOX SPONSÆ.

*Fuge dilecte mi, & aſsimilare capreæ, hinnulóque ceruorum ſuper montes aromatum*, qui cap. 2. verſ. vltim. vocantur *montes Bether* vel *Bethel*, id eſt, domus Dei, putà cæli. q. d. *Fuge*, id eſt, celetrimè inſtar fugientium caprearum & hinnulorum ex terra hac putida & fœtida, ô Chriſte te proripe in ſuaueolentes montes aromatum, id eſt, in cælum, ac me quæſo tecum rape, vt ibi inuicem fruamur in beata æternitate, ſicut capreæ & hinnuli dum fugiunt venatores, ſecum rapiunt ſuos catulos, nec ſine iis fugam capeſſunt in montes aromatum, quales ſunt in Iudæa, Libano, Syria & Oriente. Vnde τὸ *fuge* ſumi poteſt pro *fugere me fac*, per Hebraiſmum, quo *Cal* ponitur pro *Hiphil.* Verſ.14.




*Fuge, tace, quieſce.* S.Anſenius.
*Fuge ad montes aromatum, ad colles beatæ ÆTERNITATIS.*
*Quàm felix, quæ beat, ÆTERNITAS?*

*Noctem*

*Noctem vnam (frigoris) cum ſempiterno æuo commutabimus.* S.Baſil. homil. de 40. martyr.

*Æuum Angelos, tempus homines, Deum ſua beat æternitas.* Doctor Angel. 1. p. q. 10.

*O regnum verè beatum, carens morte, vacans fine, cui nulla tempora ſuccedunt per æuum, vbi continuus ſine nocte dies neſcit habere tempus; vbi victor miles illis hymnidicis Angelorum ſocatus choris, cantat Deo ſine ceſſatione Canticum de Canticis Sion, nobile perpetua caput amplectente corona*, ait S.Auguſt.in Meditat.cap. 22.

# INDEX LOCORVM
## SACRÆ SCRIPTVRÆ,
### Qui in hoc Cantici Canticorum Commentario paſſim citantur.


*Ex libro Geneſis.*

Cap.2.v.7. INSPIRAVIT in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. pag.2

3.17. Maledicta terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi. 211

15.6. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. 274

16.12. Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum. 41

27.27. Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni. 265

29.20. Seruiuit Iacob pro Rachel ſeptem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine. 177

30.13. Hoc pro beatitudine mea: beatam quippe me dicent omnes mulieres. 362

31.48. Tumulus iſte erit teſtis inter me & te hodie. 221

32.2. Caſtra Dei ſunt hæc. 378

49.22. Filiæ diſcurrerunt ſuper murum, &c. 106

27. Deſiderium collium æternorum. 343

*Ex libro Exodi.*

Cap.14.v.13. NOlite timere, ſtate, & videte magnalia Domini. 193

15.20. Maria ſoror Moſis ſumpſit tympanum in manu ſua. egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino. glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem deiecit in mare. 378

18.21. Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis Tribunos & Centuriones, & Quinquagenarios & Decanos, qui iudicent populum omni tempore. 192

32.10. Dimitte me vt iraſcatur furor meus contra eos, &c. 181

33.11. Loquebatur Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet homo loqui ad amicum ſuum. 13

36.14. Saga vndecim de pilis caprarum, ad operiendum tectum tabernaculi. 221

*Ex libro Deuteronomij.*

Cap.8.v.4. VEſtimentum tuum quo operiebaris nequaquam vetuſtate defecit, & pes tuus non eſt ſubtritus. 23

29.5. Non ſunt attrita veſtimenta veſtra, nec calceamenta pedum veſtrorum vetuſtate cõſumpta ſunt. 3

32.32 Vua eorum, vua fellis & botri amariſſimi. 48

33. Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile. 48

*Ex libro Ioſue.*

Cap.10.12. OBediente Domino voci hominis. 180

*Ex libro Iudicum.*

Cap.16.v.17. FErrum nunquã aſcendit ſuper caput meum, quia Nazaræus, id eſt, conſecratus Deo ſum ab vtero matris meæ: Si raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eróque ſicut cæteri hominum. 225

*Ex libro Ruth.*

Cap 1.20. NE vocetis me Noëmi, id eſt, pulcram, ſed vocate me Mara, id eſt, amaram, quia amaritudine valde repleuit me Omnipotens. 289

3.9. Expande pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es. 110

*Ex primo Regum.*

Cap.3.10. LOquere Domine, quia audit ſeruus tuus. 344

9.2. Et non erat vir de filijs Iſraël melior, ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum. 320

*Ex tertio Regum.*

Cap.4.26. ET habebat Salomõ quadraginta millia præſepia equorum currilium, & duodecim millia equeſtrium, &c. 60
19.14. Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Iſraël. 443

*Ex quarto Regum.*

Cap.2.12. PAter mi,pater mi,currus Iſraël,& aurigacius. 61
4.34. Poſuit os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, &c. vnde oſcitauit puer ſeptíes,aperuitque oculos. 16
6.16. Noli timere, plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis. 193

*Ex I. Paralipomenon.*

Cap.4.v.22. ET qui ſtare fecit Solem, viriq; Mèdacij,& Securus,& Incendens. 354

*Ex libro Iudith.*

Cap.15.10. TV gloria Ieruſalem, tu lętitia Iſraël, tu honorificẽtia populi noſtri, quia feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum,eò quòd caſtitatem amaueris,&c.Et ideò eris benedicta in æternum. 378.379
16.11. Sandalia eius rapuerunt oculos eius: pulchritudo eius captiuam fecit animã eius. 379

*Ex libro Iob.*

Cap.40.v.11. VIrtus illius in vmbilico ventris eius. 385.387

*Ex libro Pſalmorum.*

Pſalm.4.9. IN pace in idipſum dormiam & requieſcam. 14.126.130
6.7. Lauabo per ſingulas noctes lectũ meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. 393
8.3. Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis.132
8.5. Gloria & honore coronaſti eum. 215
11.7. Eloquia Domini,eloquia caſta : argentum igne examinatum,probatum terræ,purgatum ſeptuplum. 30.454
15.9. Caro mea requieſcet in ſpe. 97
15.10. Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. 97.100
11. Delectationes in dexterà tua vſque in finem. 126
16.4. Probaſti cor meum & viſitaſti nocte;igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas. 9
15. Satiabor cùm apparuerit gloria tua. 54
17.5. Circumdederunt me dolores mortis. 444
18.5. In omnem terram exiuit ſonus eorum.139
6. In Sole poſuit tabernaculum ſuum,& ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. 209
6. Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. 195
20.4. Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. 323
21.15. Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea. 26
24.10. Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas. 331
27.7. Et refloruit caro mea:& ex voluntate mea confitebor ei. 95
30. 3. Accelera vt eruas me. 164
30.26. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine,quam abſcondiſti timentibus te. 16.20.344
33.3. In Domino laudabitur anima mea,audiãt manſueti, & lætentur. 38
33.8. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum,& eripiet eos. 193
9. Guſtate & videte,quoniam ſuauis eſt Dominus. 37
83.11. Elegi abiectus eſſe in domo Dei magis quã habitare in tabernaculis peccatorũ. 222
35.8. Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt.Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. 111
9. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. 16.36
10. Quoniam apud te eſt fons vitæ ; & in lumine ſuo videbimus lumen, 16
36.6. Reuela Domino viam tuam,& ipſe faciet: & educet quaſi lumen iuſtitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem. 52
40.4. Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius : vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius. 173
41.1. Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum : ita deſiderat anima mea ad te Deus. 549
44.3. Speciosus forma præ filiis hominum. 93
5. Specie tua & pulcritudine tua intende, proſperè procede & regna, propter veritatem,& manſuetudinem,& iuſtitiam. 114
8. Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Myrrha,& gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis, 22.23
Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis ſuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo. 74
9. A domibus eburneis. 390
10. Aſtitit regina à dextris tuis. 32
Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato. 321
14. Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus. 88
15. Adducentur Regi virgines poſt eam. 29
45.5. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. 278
11. Vacate & videte,quoniam ego ſum Deus. 297
62.2. Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. 13
67.14. Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ. 63.69
18. Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in Sancto. 60
68.10. Zelus domus tuæ comedit me. 45

69.2. Domine ad adiuuandum me feſtina. 164
71.10. Reges Arabum & Saba dona adducent. 393
72.23. Vt iumentum factus ſum apud te. 62
25. Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? 13
26. Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum. *ibid.*
Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis, *&c.* 15.122
29. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. 13.181
73.12. Deus autem rex noſter ante ſecula, operatus eſt ſalutem in medio terræ. 385
75.7. Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? 32
79.12. Extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius. 272
80.17. Cibauit illos ex adipe frumenti, & de petra, melle ſaturauit eos. 389
83.6. Beatus vir cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum, in loco quem poſuit. Etenim benedictionem dabit Legiſlator; ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion. 140.173
84.5. Conuerte nos Deus ſalutaris noſter. 11
85.13. Eruiſti animam meam ex inferno inferiori. 436
88.15. Miſericordia & veritas præcedant faciem tuam. 331
38. Thronus eius ſicut Sol in cóſpectu meo, & ſicut Luna perfecta, *&c.* 365
90.15. Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. 133
91.13. Iuſtus vt palma florebit. 408
16. Rectus Dominus Deus noſter, & non eſt iniquitas in eo. 38
92.1. Dominus regnauit, decorem indutus eſt. 211
93.19. Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. 87
100.1. Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. 331
101.18. Reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit precem eorum, *&c.*
20. Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo, Dominus de cælo in terram aſpexit. Vt audiret gemitus compeditorum, *&c.* 74
102.5. Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. 350
103.15. Vt exhilaret faciem in oleo. 27
109.3. Tecum principium in die virtutis tuæ. 371
5. Ex vtero ante Luciferum genui te. 337
110.1. Confitebor tibi Domine in toto corde meo in conſilio iuſtorum & congregatione. Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius. 334
3. Confeſſio & magnificentia opus eius. 334
114.7. Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. 129
118.32. Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum. 32
91. Ordinatione tua perſeuerat dies. 397
103. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! ſuper mel ori meo. 344
120. Confige timore tuo carnes meas. 438.439
131. Os meum aperui & attraxi ſpiritum. 241
*Corn. a Lapide in Cant. Canticorum.*
139. Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei. 45.443
158. Vidi præuaricantes, & tabeſcebam. 443
119.5. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. 43
120.6. Per diem Sol non vret te, neque Luna per noctem. 45
127.3. Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: Filij tui ſicut nouellæ oliuarũ in circuitu menſæ tuæ. 388
131.4. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. 209
138.16. Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur. 105
138.14. Mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcit nimis. 334
141.8. Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant iuſti, donec retribuas mihi. 123
146.1. Deo noſtro iucunda ſit decoraque laudatio. 416
149.6. Exaltationes Dei in gutture eorum. *ibid.*

## *Ex Prouerbiis Salomonis.*

Cap.1. v.8. AVdi, fili mi, diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. 65
24. Quia vocaui, & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret: ego quoque in interitu veſtro ridebo, *&c.* Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, manè conſurgent, & non inuenient me. 314
3.8. Sanitas erit vmbilico tuo, & irrigatio oſſium tuorum. 385
3.16. Longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra eius diuitiæ & gloria. 125
4.18. Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectum diem. 52.364
5.3. Fauus diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur illius: nouiſſima autem illius amara ſunt vt abſinthium, & acuta quaſi gladius biceps. 332
5.19. Cerua chariſſima & gratiſſimus hinnulus: vbera eius inebrient te in omni tempore. 17
Vbera eius inebrient te. 292
6.20. Liga ea in corde tuo, & circumda ea gutturi tuo. 66
34. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima. 441
8.25. Ante omnes colles ego parturiebar. 134
31. Et deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. 406
9.1. Sapientia ædificauit ſibi domum, *&c.* immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam. 114
10.20. Argentum electum lingua iuſti. 264.463
21. Labia iuſti erudient plurimos; qui autem indocti ſunt, in cordis egeſtate morientur. 264

16.23. Cor ſapientis erudiet os eius,& labiis eius adder gratiam. 264
24. Fauus mellis, compoſita verba; dulcedo animæ,ſanitas oſſium. 264.292
18.10. Turris fortiſſima nomẽ Domini:ad ipſum currit iuſtus,& exaltabitur. 457
22.9. Qui pronus eſt ad miſericordiam, benedicetur. 262
23.26. Præbe fili mi, cor tuum mihi. 27
29. Cui væ?cuius patri væ?cui rixæ?cui foueę? cui vulnera ſine cauſa? cui ſuffuſio oculorum? nonne his qui commorantur in vino,& ſtudent calicibus epotandis? 20
25.27. Scrutator maieſtatis opprimetur à gloria. 357
26.14. Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lecto ſuo. 172
31.13. Quæſiuit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum. 208
29. Multæ filiæ congregauerunt diuitias. 106

## *Ex Eccleſiaste.*

Cap.7.v.2. MElius eſt nomen bonum, quàm vnguenta precioſa. 22
5. Cor ſapientium vbi triſtitia eſt,& cor ſtultorum vbi lætitia. 64
29. Virum de mille vnum reperi. 321

## *Ex libro Sapientiæ.*

Cap.2.8. COronemus nos roſis. 213
4.12. Inconſtantia concupiſcentiæ transuertit ſenſum. 55
7.26. Candor lucis æternæ,& ſpeculũ ſine macula Dei maieſtatis,& imago bonitatis illius. 320

## *Ex Eccleſiaſtico.*

Cap.4.12. FVniculus triplex difficile rũpitur. 224
6.25. Et iniice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum. Subiice humerum tuum, & ne acedieris vinculis eius. 66
7.6. Noli quærere fieri iudex, niſi virtute valeas irrumpere iniquitatem. 192
11.2. Non laudes virum in ſpecie ſua, neque ſpernas hominem in viſu ſuo. 43
3. Breuis in volatilibus eſt apis, & initium dulcoris habet fructus illius. 43
19.27. Ingreſſus hominis enunciat de illo. 339
24.11. In omnibus requiem quæſiui,& in hæreditate Domini morabor:tunc præcepit,& dixit mihi creator omnium;& qui creauit me,requieuit in tabernaculo meo. 195
17. Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano. 342
Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano, & quaſi cypreſſus in monte Sion. 100
18. Ego quaſi plantatio roſæ in Iericho. 104
20. Sicut cinnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi, quaſi myrrha electa, dedi ſuauitatem odoris,&c. 23
Quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris. 79
21. Quaſi balſamum non mixtum odor meus. 83
24. Ego mater pulcræ dilectionis. 16
35. Qui implet quaſi Phiſon ſapientiam, & ſicut Tigris in diebus nouorum. Qui adimplet quaſi Euphrates ſenſum:qui multiplicat quaſi Iordanis in tempore meſſis. Qui mittit diſciplinam ſicut lucem,& aſſiſtens quaſi Gehon in diebus vindemiæ. 278
41. Ego quaſi fluuij Dioryx, & ſicut aquæductus exiui de Paradiſo,dixi: Rigabo hortum meum. 279
25.28. Ne reſpicias in mulieris ſpeciem, & non concupiſcas mulierem in ſpecie. 217
26.21. Sicut Sol oriens mundo in altiſſimis Dei, ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus ſuæ. 217
31.27. In omnibus operibus tuis eſto velox,& omnis infirmitas non occurret tibi. 135
28. Splendidum in panibus benedicent labia multorum, & teſtimonium veritatis illius fidele. 262
33.23. In omnibus operibus tuis præcellens eſto. 338
34.19. Oculi Domini ſuper timentes eum,protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris,& vmbraculum meridiani. 52
36.24. Species mulieris exhilarat faciem viri ſui, & ſuper omnem concupiſcentiam hominis ſuperducit deſiderium. 217
40.17. Gratia ſicut Paradiſus in benedictionibus, & miſericordia in ſeculum permanet. 262
43.22. Flauit Aquilo, & gelauit cryſtallus ab aqua:ſuper omnem congregationem aquarum requieſcet, & ſicut lorica induet ſe aquis;& deuorabit montes; & exuret deſertum,& extinguet viride ſicut igne. 280
48.1 Et ſurrexit Elias propheta quaſi ignis: & verbum eius quaſi facula ardebat. 400
9. Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum. Qui ſcriptus es in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini,conciliare cor patris ad filium,& reſtituere tribus Iacob.Beati ſunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati ſunt. 400
51.34. Collum veſtrum ſubiicite iugo, & ſuſcipiat anima veſtra diſciplinam. 68

## *Ex prophetia Iſaiæ.*

Cap.1.6. VVlnus,& liuor, & plaga tumens non eſt circumligata, nec curata medicamine,neque fota oleo. 27
2.2. Mons domus Domini in vertice montium. 163
3. De Sion exibit lex, & Verbum Domini de Ieruſalem. 47.51
3.16. Eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo. 239
18. Auferet Dominus ornamentum calceamentorum. 379
5.1. Vinea facta eſt dilecto meo In cornu filio olei. 459
7. Vinea Domini Sabaoth, domus Iſraël eſt. 148
Vinea Domini exercituum domus Iſraël eſt, & vir Iuda germen eius delectabile: Et expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas; & iuſtitiam, & ecce clamor. 47

7.14. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. 15.28. 159
15. Butyrum & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum. 292
11.1. Et egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini. 97.103
6. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit: vitulus & leo, & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos, &c. 254
12.3. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. 278
16.7. His qui lætantur ſuper muros cocti lateris. 120
19.24. In die illa erit Iſraël tertius Ægypto, & Aſſyrio: benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus exercituum, dicens: Benedictus populus meus Ægypti, & opus manuum mearum Aſſyrio: hæreditas autem mea Iſraël. 360
25.4. Quia factus eſt fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſua, ſpes à turbine, vmbraculum ab æſtu. 52
26.1. Vrbs fortitudinis noſtræ Sion Saluator, ponetur in ea murus & antemurale. 151. 452
35.1. Lætabitur deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans. Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron. Ipſi videbunt gloriam Domini & decorem Dei noſtri. 185
2. Gloria Libani data eſt ei. 341
2. Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron. 400.405
40.6. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri. 21
31. Qui autem ſperant in Domino mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ. current & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient. 33.133
41.18. Aperiam in ſupinis collibus flumina, & in medio camporum fontes, & terrã inuiam in riuos aquarum. Dabo in ſolitudine cedrum, & ſpinam, & myrtum, & lignum oliuæ: ponam in deſerto abietem, & vlmum, & buxum ſimul. 185
43.5. Noli timere, quia ego tecũ ſum: ab Oriẽte adducam ſemen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicã Aquiloni: da; & Auſtro: Noli prohibere; affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ. 254
19. Ecce ego facio noua, & nunc orientur, vtique cognoſcetis ea, ponã in deſerto viam, & in inuio flumina, glorificabit me beſtia agri, dracones & ſtruthiones: quia dedi in deſerto aquas, flumina in inuio, vt darem potum populo meo. 185
20. Glorificabit me beſtia agri, dracones & ſtruthiones, quia dedi in deſerto aquas, flumina in inuio, vt darem potum populo meo, electo meo. Populum iſtum formaui mihi, laudem meam narrabit. 418
45.8. Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum. 274
48.4. Sciui enim, quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua. 66
49.11. Nũquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te. Muri tui coram oculis meis ſemper. 360.361
18. Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi: viuo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento veſtieris, & circumdabis tibi eos quaſi ſponſa. 254
His omnibus velut ornamento veſtieris. 265
18. His omnibus velut ornamento veſtieris & circumdabis eos tibi quaſi ſponſa. 211
23. Erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabũt te, & puluerem pedum tuorum lingent. 360
51.1. Attendite ad petram, vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci, de qua præciſi eſtis. 152
16. In vmbra manus meæ protexi te, vt plantes cœlos, & fundes terram. 111
52.7. Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona! 139
53.3. Deſpectum, & nouiſſimum virorum. 132
5. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. 344
54.11. Sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſapphiris, & ponam iaſpidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos, & omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles. Vniuerſos filios tuos doctos à Domino, & multitudinem pacis filiis tuis. 355
57.17. Abiit vagus in via cordis ſui. 55
20. Impij autem quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Non eſt pax impiis, dicit Dominus. 96
58.10. Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus ſemper, & implebit ſplẽdoribus animam tuam. 14
14. Tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ. 14
60.8. Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? 139
61.1. Spiritus Domini ſuper me, eò quòd vnxit me, ad annuntiandum gentibus miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem, vt prædicarem annum placabilem, & diem vltionis Deo noſtro, vt conſolarer omnes lugentes. 139
10. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me. 251
Gaudẽs gaudebo in Domino, &c. quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumẽto, &c. quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatã monilibus ſuis. 210
Quaſi ſponſum decoratũ corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis. 10
62.5. Et gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus. 153

5. Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis vltrà derelicta, ſed vocaberis, voluntas mea in ea, quia complacuit Domino in te, &c. Et gaudebit Sponſus, &c. 211
63.1. Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? &c. Iſte formoſus in ſtola ſua, &c. Quare ergo rubrum eſt veſtimētum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? 320
66.11. Vt ſugatis & repleamini ab vbere conſolationis eius, vt mulgeatis, & deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius. 19

## *Ex Prophetia Ieremiæ.*

Cap.1.v.11. Virgam vigilantem ego video. 3
14. Ab Aquilone pandetur omne malum. 280
2.2. Recordatus ſum tui miſerans adoleſcētiam tuam, & charitatem deſponſationis tuæ, quando ſecuta es me in deſerto. 211
2. Recordatus ſum tui miſerans adoleſcētiam tuam, & charitatem deſponſationis tuæ quando ſecuta es me in deſerto, in terra quæ non ſeminatur. 50
13. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, &c. 179
8.7. Turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui. 65
22. Nunquid reſina non eſt in Galaad? aut Medicus non eſt ibi? quare igitur obducta non eſt cicatrix filiæ populi mei? 223
9.2. Aſcendit mors per feneſtras noſtras. 137
22.24. Viuo ego, ſi fuerit Iechonias annulus in manu dextera mea, inde euellam eum. 438
22.30. Scribe virum iſtum ſterilem, virum qui in diebus ſuis non proſperabitur. 229
49.3. Vlula Heſebon, quoniam vaſtata eſt Hai: clamate filiæ Rabbath, &c. 393
50.6. Grex perditus factus eſt populus meus: paſtores eorum ſeduxerunt eos, fecerūntque vagari in montibus, de monte in collem tranſierunt, obliti ſunt cubilis ſui. 55

## *Ex Threnis.*

Cap.1.v.16. Ideirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas. 393
2.15. Hæccine eſt vrbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium vniuerſæ terræ? 385
3.15. Oculus meus deprædatus eſt animam meam. 48
19. Conſurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum: effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini. 196
4.5. Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora. 20
7. Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulcriores. 223
8. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis. 45
20. Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus, captus eſt in peccatis noſtris, cui diximus: in vmbra tua viuemus in gentibus. 10.51. 79
20. In vmbra tua viuemus in gentibus. 95. 151

## *Prophetia Ezechielis.*

Cap.1.v.12. Vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur. 445
13. Aſpectus eorum quaſi carbonum ignis ardentium, & quaſi aſpectus lampadarum. 445.
13.4. Quaſi vulpes in deſerto, Prophetæ tui Iſraël erant. Vident vana & diuinant mendacium, dicentes: Ait Dominus, cùm Dominus non miſerit eos. 155
16.4. Et quando nata es, in dies ortus tui non eſt præciſus vmbilicus tuus. 386
16.7. Et grandis effecta es, & perueniſti ad mūdū muliebrē, vbera tua intumuerunt. 407
8. Ecce tempus tuum, tempus amantium, & expandi amictum meum ſuper te. 110
10. Calceaui te ianthino. 381
11. Dedi inaurem ſuper os tuum. 395
25. Diuiſiſti pedes tuos omni tranſeunti, & multiplicaſti fornicationes tuas. 382
27.10. Perſæ, & Lydij, & Libyes erant in exercitu tuo, viri bellatores tui, clypeum & galeam ſuſpenderunt in te pro ornatu tuo. 237
11. Filij Aradij cum exercitu tuo erant ſuper muros tuos in circuitu tuo. ſed & Pigmæi qui erant in turribus tuis, pharetras ſuas ſuſpenderunt in muris tuis per gyrū. 237
44.2. Porta hæc clauſa erit, &c. quoniam Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam. 456

## *Ex prophetia Oſee.*

Cap.1.v.9. Voca nomen eius: Nō populus meus. 371
2.14. Ecce ego lactabo eam, & ducam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius. 13
19. Et ſponſabo te mihi in ſempiternum, ſpōſabo te mihi in iuſtitia, ſponſabo te mihi in iudicio, ſponſabo te mihi in miſericordia, ſponſabo te mihi in fide. 10
6.6. Miſericordiam volui, & non ſacrificiū. 262
11.4. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. 31
13.14. Ero mors tua, ô mors, morſus tuus ero Inferne. 441

## *Ex Prophetia Ioëlis.*

Cap.2.v.28. Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem. 25
28. Senes veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt. 299

## *Ex Michæa.*

Cap.1.v.11. Stillabo tibi in vinum & in ebrietatem. 20
4 8. Turris gregis nebuloſa filiæ Sion. 238
7.1. Præcoquas ficus deſiderauit anima mea. 146

## *Ex Habacuc.*

Cap.3.v.3. Operuit cœlos virtus eius. 22
Deus ab Auſtro veniet. 50
8. Qui aſcendes ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio. 60
15. Viam feciſti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum. 60



Google

## *Ex Sophonia.*

Cap.3.v.14. LAuda filia Sion, iubila Iſraël, & lętare, & exulta in omni corde filia Ieruſalem. 210
15. Abſtulit Dominus iudicium tuum, auertit inimicos tuos: rex Iſraël Dominus in medio tui, non timebis malum vltrà. *ibid.*
16. In die illa dicetur Ieruſalem: Noli timere Sion, non diſſoluantur manus tuæ. *ibid.*
17. Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipſe ſaluabit; gaudebit ſuper te in lætitia, ſilebit in dilectione ſua, exultabit ſuper te in laude. *ibid.*

## *Ex Aggæo.*

Cap.1.v.8. DEſideratus cunctis gentibus. 343
2.24. Aſſumā te Zorobabel ſerue meus, & ponam te quaſi ſignaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum. 439

## *Ex prophetia Zachariæ.*

Cap.1.v.3. COouertimini ad me, & ego conuertar ad vos. 11
2.5. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu. 268
Ego ero ei murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius. 457
8. Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. 304
4.24. Iſti ſunt duo filij olei, qui aſſiſtunt dominatori vniuerſæ terræ. 25
9.1. Domini eſt oculus hominis, & omnium tribuum Iſraël. 92
9. Noli timere filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi mitis & manſuetus, ſedens ſuper pullum aſinæ. 10
17. Quid enim bonum eius eſt, & quid pulctum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? 386
11.1. Aperi Libane portas tuas. 342

## *Ex Euangelio S. Matthæi.*

Cap.3.v.1. POENITENTIAM agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. 143
7. Progenies viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, *&c.* 146
4.19. Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. 138
5.2. Aperiens os ſuum docebat eos, dicens: Beati, *&c.* 11
3. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.
4. Beati mites, *&c.* 71.102
5. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. 87
9. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. 378
6.28. Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut vnū ex iſtis. 102
8.11. Dico autem vobis quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob, in regno cœlorum; filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores. 254
10.16. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. 329
10.22. Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. 41
37. Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus. 332
11.5. Pauperes euangelizantur. 418
12. Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. 37.466
13.43. Fulgebunt iuſti ſicut Sol in regno Patris eorum. 364
16.18. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi nō præualebunt aduerſus eam. 133.151.192
Et tibi dabo claues regni cœlorum. 239
17.4. Domine bonum eſt nos hîc eſſe, faciamus hîc tria tabernacula: tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum. 36
18.20. Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorū. 161
19.21. Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus. 105
29. Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomē meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. 463
21.19. Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum, & areſacta eſt continuò ficulnea. 147
25.21. Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. 465
34. Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. 465.467
Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mūdi: eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi potum, *&c.* Quamdiu feciſtis vni, *&c.* 286
40. Quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. 153
26.25. Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. 146
29. Dico vobis, quia non bibam amodò de hoc genimine vitis vſque in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei. 148
41. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. 136
45. Surgite, eamus: Ecce appropinquat qui me tradet. 141
28.20. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. 56

## *Ex Euangelio S. Marci.*

Cap.7.v.37. BEne omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui. 334
11.23. Diligere proximum tanquam ſeipſum, maius eſt omnibus holocautomatibus & ſacrificiis. 262

## *Ex Euangelio S. Lucæ.*

Cap.1.v.31. ECce concipies in vtero, & paries filiū, & vocabis nomē eius Ieſum. 452

32. Et dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum. 209

35. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, ideóque & quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur filius Dei. 15

Virtus Altiſſimi ohumbrabit tibi. 110

38. Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm Verbum tuum. 145

42. Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. 388

43. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? 428

44. Ecce enim vt facta eſt vox ſalutationis tuę in auribus meis, exultauit in gaudio infaus in vtero meo. 138

47. Magnificat anima mea Dominum, *&c.* Quia fecit mihi magna qui potens eſt. 36

48. Beatā me dicent omnes generationes. 362

78. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos Oriens ex alto. 337

2.7. Et reclinauit illum in præſepio, quia non erat ei locus in diuerſorio. 152

9. Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos. 51

14. Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. 210

19. Maria autem conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo. 36.230

35. Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius. 82

48. Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. 53

4.18. Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, prędicare captiuis remiſſionem, & cæcis viſum, dimittere cōfractos in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et cùm plicuiſſet librū, reddidit miniſtris, & ſedit. 74

22. Et omnes teſtimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius. 74

37. Diuulgabatur fama de illo in omnem locum regionis. 22

7.47. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. 261

10.16. Qui vos audit, me audit. 67.242

41. Martha, Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima. Portò vnum eſt neceſſariū. Maria optimam partem elegit. 361

42. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. 112

11.20. Si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. 335

27. Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. 21

34. Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. 91

12.49. Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur? 29.205.445

13.31. Ite, dicite vulpi illi. 156

16.16. Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem, ex eo enim regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud vim facit. 143

21.29. Videte ficulneam & omnes arbores, cùm producunt iam ex ſe fructum, ſcitis quia prope eſt æſtas; ita & vos cùm videritis hæc fieri, ſcitote quoniam propè eſt regnum Dei. 148

22.19. Accipite & comedite, *&c.* Hoc facite in meam commemorationem. 79

30. Et ego diſpono vobis regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam. 148

32. Et ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. 179.239

23.34. Pater, dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt. 317


## *Ex Euangelio S. Ioannis.*


Cap. 1. v. 14. VErbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. 55

2.19. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Hoc autem dicebat de templo corporis ſui. 342

3.16. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. 205

4.14. Aqua quā ego dabo ei fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. 386

14. Fons aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam. 135

32. Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis. 285

34. Meus cibus eſt, vt faciam voluntatē eius, qui miſit me, vt perficiam opus eius. 286

5.35. Ille erat lucerna ardens & lucens: vos autem voluiſtis ad horam exultare in luce eius. 146

6.44. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. 8.29

56. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. 205

68. Nunquid & vos vultis abire? 146

69. Domine, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes. 344

7.38. Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. 386

8.44. Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis perficere. 47

12.24. Amen, Amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. 389

26. Volo vt vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus. 152

32. Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. 30.408

13.1. Sciens Ieſus, *&c.* cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. 52

14.6. Ego ſum via. 37

18. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. 133

23. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. 70

15.4. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere. 187

15. Vos autē dixi amicos, quia omnia quęcūq; audiui à Patre meo, nota feci vobis. 345


16.14. Ille

12.4. Mulier diligens corona eſt viro ſuo. 211
14.33. In corde prudentis requieſcit ſapientia, & indoctos quoſque erudiet. 264
16.14. Ille me clarificabit,quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. 133
27. A Deo exiui. 279
17.21. Sicut tu Pater in me, & ego in te, ita & iſti in nobis vnum ſint. 33
23. Vt ſint vnum ſicut & nos vnum ſumus, Ego in eis, & tu in me, vt ſint in vnum conſummati. 13
19.15. Tolle,tolle, crucifige eum. 146
20.15. Mulier,quid ploras?quem quæris?&c.Domine,ſi tu ſuſtuliſti eum.&c. 8.9
19. Dominus meus,& Deus meus. 150

*Ex Actibus Apoſtolorum.*

Cap.2.v.2. FActus eſt repentè de cælo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis,& repleuit totam domum vbi erant ſedentes.Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum,&c. 132
37. Quid faciemus viri fratres?Petrus verò ad illos: Pœnitentiam,inquit,agite,& baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti. 143
4.12. Nec enim aliud nomē eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. 26
19. Si iuſtum eſt in conſpectu Dei,vos potiùs audire quàm Deum,iudicate. 448
32. Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna. 222
7.59. Domine ne ſtatuas illis hoc peccatū. 317
9.15. Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Iſraël. 170.201.477
10.45. Quia & in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt. 185
58. Vnxit eum Deus Spiritu ſancto & virtute, qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à Diabolo, quoniā Deus erat cum illo. 22
11.18. Ergo & gentibus dedit Deus pœnitentiam ad vitam. 185
51.8. Calcea te caligas tuas. 339
13.46. Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei:ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ,ecce conuertimur ad gentes. 146
Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei,ſed quoniā repellitis illud & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus. 47
20.30 Et ex vobis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa,vt abducāt diſcipulos poſt ſe. 47
26.24. Inſanis Paule,multæ te literæ ad inſaniam conuertunt. 260

*Ex Epiſtola ad Romanos.*

Cap.1.v.13. PLenitudo autē legis eſt charitas. 412
3.23. Iuſtificati gratis per gratiā ipſius,per redemptionem, per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum.&c. 84
5.3. Sed & gloriamur in tribulationibus. 87
5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. 11
6.9. Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. 305
7.14. Lex ſpiritualis eſt,ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato.
15. Quod enim operor, non intelligo, non enim quod volo bonum hoc ago,ſed quod odi malum,illud facio. 30
23. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ,& captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. 30
8.17. Si enim compatimur, & conglorificabimur. 248
24. Quis me liberabit de corpore mortis huius? 138
26. Ipſe enim Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 144
29. Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. 452
35. Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia? an fames?an nuditas? an periculum? &c. Certus ſum enim quia neque mors,neque vita, neque Angeli,neque principatus,neque virtutes, neque inſtantia,neque futura, neque fortitudo,neque altitudo,neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei,&c. 118.181.442.443
9.3. Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis. 206
5. Cæcitas ex parte contigit in Iſraël: donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret ſicut ſcriptum eſt, Veniet ex Sion qui eripiat & auertat impietatem à Iacob. 171
10.4 Finis enim legis Chriſtus, ad iuſtitiam omni credenti. 169
15. Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem,euangelizantium bona! 139.306
11.26. Et ſic omnis Iſraël ſaluus fieret. 349
33. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! 36.185.
12.11. Solicitudine non pigri, ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes. 140
15. Gaudere cum gaudentibus,flere cum flentibus. 21.81
20. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius. 118
13.14. Induimini Dominum Ieſum Chriſtum. 265.439

*Ex Epiſtola I. ad Corinthios.*

Cap.1.v.13. NOs autem prædicamus Chriſtum crucifixum,Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam:ipſis autē vocatis Iudæis, atque Græcis, Chriſtum,
Dei

Dei virtutem,& Dei ſapientiam. 201
30. Ex ipſo vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio,& redemptio. 23
31. Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi,non eſcam:nondum enim poteratis. 245
17. Templum Dei ſanctũ eſt,quod eſtis vos.99
4.10. Nos ſtulti propter Chriſtum. 260
13. Tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema vſque adhuc. 41.560
6.13. Corpus autem non fornicationi, ſed Domino,& Dominus corpori. 158
17. Qui enim adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt. 10
20. Glorificate & portate Deum in corpore veſtro. 180.200
7.34. Vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. 89
10.31. Siue ergo manducatis,ſiue bibitis,vel aliud quid facitis,omnia in gloriã Dei facite.117
11.3. Caput autem Chriſti Deus. 353
26. Quotieſcunque manducabitis panẽ hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. 79
12.3. Nemo enim poteſt dicere Dominũ Ieſum, niſi in Spiritu ſancto. 92
31. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro. 277
13.4. Charitas patiens eſt,benigna eſt, *&c.* 118
Charitas patiens eſt,benigna eſt, charitas non æmulatur,non agit perperam, nõ inflatur,non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt,non irritatur,nõ cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia ſuffert,omnia credit,omnia ſperat,omnia ſuſtinet. 206
12. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate,tunc autem facie ad faciem. 70.95.
14 40. Omnia honeſtè & ſecundũ ordinẽ fiãt.99
15.45. Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem, nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem. 462
48. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cæleſtis,tales & cæleſtes. 439
49. Igitur ſicut portauimus imaginem terreni,portemus & imaginem cæleſtis. *ibid.*

## *Ex II. ad Corinthios.*

Cap.1.v.5. SIcut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. 87.333
2.14. Deo autem gratias,qui ſemper triumphat nos, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco. 201
15. Chriſti bonus odor ſumus Deo in iis, qui ſalui fiunt, & in iis qui pereunt:aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam. 23.155
3.18. Nos verò reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu. 152
18. Nos verò omnes reuelata facie, gloriam Domini ſpeculantes,in eandem imaginem transformamur. 351
Nos verò reuelata facie, gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu. 62
4.8. In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur;aporiamur, ſed non deſtituimur:deiicimur,ſed non perimus. 41
10. Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes,vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris. 41.200.288.437
5.13. Siue mente excedimus,ſiue inſanimus.260
14. Charitas enim Chriſti vrget nos, *&c.* Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt & qui viuunt,iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt,& reſurrexit. 206
8.21. Prouidemus bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus. 99
11.2. Deſpondi enim vos vni viro,virginem caſtam exhibere Chriſto. 158
29. Quis infirmatur,& ego nõ infirmor? Quis ſcandalizatur,& ego non vror? 45.50
12.9. Libẽter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. 42
13.12. Salutate inuicem in oſculo ſancto. 9

## *Ex Epiſtola ad Galatas.*

Cap.2.v.20. CHriſto confixus ſum cruci. Viuo autem iam non ego, *&c.* 79
Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. 13.122.201.258
4.19. Filioli mei quos iterum parturio, donec, *&c.* 439
Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. 245
26. Illa quæ ſurſum eſt Ieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra. 179
5.22. Fructus ſpiritus eſt charitas,gaudium,pax, patientia,benignitas,bonitas. *&c.* 112
6.14. Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti,per quẽ mihi mundus crucifixus eſt,& ego mundo. 79.110.501
17. Ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto. 71.100

## *Ex Epiſtola ad Epheſios.*

Cap.2.4. DEus qui diues eſt in miſericordia propter nimiam charitatem ſuam,quâ dilexit nos,& cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Chriſto, *&c.* 84
6. Cõſedere nos fecit in cæleſtibus in Chriſto Ieſu. 185
13. Quia eratis illo in tempore ſine Chriſto, alienati à conuerſatione Iſraël,& hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo:nũc autem in Chriſto Ieſu vos, qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti. 285
19. Iam non eſtis hoſpites & aduenæ,ſed eſtis ciues Sanctorum,& domeſtici Dei. 468
4.14. Vt iam non ſimus, *&c.* & circumferamur omni vento doctrinæ, *&c.* ad circumuentionem erroris. 55
41. Deponere vos ſecundùm priſtinam conuerſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris. 305
24. Induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum

Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis. 305

5.14. Surge qui dormis & illuminabit te Chriſtus. 11

26. Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſeipſum pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam. 157. 251

31. Et erunt duo in carne vna. 462

32. Erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt; Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. 157

6.13. Viuus enim eſt ſermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ. *&c.* 195

## *Ex Epiſtola ad Philippenſes.*

Cap. 1. v. 23. CVpio diſſolui & eſſe cum Chriſto. 16

2.7. Semetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo.

8. Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortẽ autem crucis. 26

Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis 200

3.13. Fratres ego me nõ arbitror cõprehendiſſe, vnum autem quæ retrò ſunt obliuiſcẽs, ad ea verò quæ ſunt priora extendens me ipſum, ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto. 240

8. Propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam. 13

20. Noſtra autẽ conuerſatio in cœlis eſt. 224

21. Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratũ corpori claritatis ſuę. 62

4.1. Fratres mei chariſſimi & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea, ſic ſtate in Domino. 215

5. Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. 381

## *Ex Epiſtola ad Coloſſenſes.*

Cap. 2. v. 2. INſtructi in charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitionem myſterij Dei & Patris Chriſti Ieſu, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. 35

9. In ipſo enim inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. 164. 323

14. Delens quod aduerſum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobiſ, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo. 200

3.3. Vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.

4. Cùm Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. 70. 210. 224

12. Induite vos ſicut electi Dei ſancti & dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatẽ, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes inuicem, & donantes vobiſmetipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet querelam, ſicut & Dominus donauit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis. 263

## *Ex I. ad Theſſalonicenſes.*

Cap. 2. v. 7. CVm poſſemus vobis oneri eſſe vt Chriſti Apoſtoli, facti ſumus paruuli in medio veſtri, tãquam ſi nutrix foueat filios ſuos. Ita deſiderantes vos, cupidè volebamus tradere vobis non ſolùm Euãgelium Dei, ſed etiam animas noſtras, quoniam chariſſimi nobis facti eſtis. 139

19. Vos enim eſtis corona noſtra, & gaudium. 215

## *Ex II. ad Timotheum.*

Cap. 1. v. 8. NOli erubeſcere crucem Chriſti, neque me vinctum eius. 236

2.15. Solicitè cura teipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis. 219

3.5. Habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. 55

## *Ex Epiſtola ad Hebræos.*

Cap. 1. v. 3. QVi cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius. 320

7. Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis. 62. 135

2.6. Vidimus Ieſum per paſſionem gloriã & honore coronatum. 211

4.15. Non habemus Pontificem qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatũ per omnia pro ſimilitudine abſque peccato: oportebat enim vt nobis eſſet Põtifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus. 337

5.1. Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro omnibus conſtituitur. in iis quæ ſunt ad Deum. 240

10.5. Ideò ingrediens mũdum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi, *&c.* Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam Deus, voluntatem tuam. 286

11.24. Fide Moyſes grandis factus, negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm tẽporalis peccati habere iucunditatem; maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem. 213

11.37. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & in cauernis terræ. 214

47. Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tẽtati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & in cauernis terræ. 41

Ex

# Index locorum Sacræ Scripturæ.

### *Ex Epiſtola Catholica B. Iacobi.*


Cap. 1. v. 2. OMne gaudium exiſtimate, fratres mei, cùm in teutationes varias incideritis, ſcientes quòd probatio fidei veſtræ patientiam operatur. 213.403

15. Deinde concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm conſummatum fuerit, generat mortem. 48

4.6. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. 28


### *Ex Epiſtola I. B. Petri.*


Cap. 2. v. 1. SIcut modò geniti infantes, rationabile, ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem, ſi tamen guſtaſtis, quoniam dulcis eſt Dominus. 290

9. Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum. 25

4.13. Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete. 333

14. Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis, quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt eius ſpiritus, ſuper vos requieſcit. 213.321

15. Nemo autem veſtrûm patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Chriſtianus, non erubeſcat: glorificet autem Deum in iſto nomine. 321

5.5. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, 135


### *Ex II. Beati Petri.*


Cap. 1. v. 5. VOs autem curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autẽ ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam; in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. 381


### *Ex Epiſtola I. B. Ioannis.*


Cap. 1. v. 1. QVod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de Verbo vitæ, *&c.* 36

2.16. Omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ. 254

19. Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. 47

4.9. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, vt viuamus per eũ. 205

10. Quia Deus prior dilexit nos. 173

16. Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. 205.447


### *Ex Apocalypſi.*


Cap 3. v. 16. SEd quia tepidus es, & nec calidus, nec frigidus, incipiam te euomere ex ore meo. 312

18. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum & & probatum vt locuples fias. 323

20. Ego ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum. 285.302

5.6. Vidi Agnum habentem oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei; qui diſcurrunt ſuper omnem terram. 329

6.2. Ecce equus albus & qui ſedebat ſuper illũ habebat arcum, & data eſt ei corona, & exiuit vincens vt vinceret. 60.212

7.9. Poſt hæc vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante thronum, & in cõſpectu Agni amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabãt voce magna, dicentes: Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum & Agno. 460

9. Et palmæ in manibus eorum. 408

11.4. Hi ſunt duæ oliuæ & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes. 25

5. Et ſi quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum. 400

14.13. Beati mortui, qui in Domino moriũtur. 193

14. Et vidi, & ecce nubem candidam, & ſuper nubem ſedentem ſimilem filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam. 112

19.6. Audiui quaſi vocem tubę magnæ, & ſicut vocem aquarum multarum, & ſicut vocem tonitruum magnorum, dicentium: Alleluia, quoniam regnauit Dominus Deus noſter omnipotens. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit ſe. 452

8. Alleluia, quoniã regnauit Dominus Deus noſter omnipotens. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerũt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe, & datum eſt illi vt cooperiat ſe byſſino ſplẽdenti, *&c.* 212

Byſſinũ enim iuſtificationes ſunt SS. 265

12. In capite eius diademata multa 213

16. Habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum: Rex regum, & Dominus dominantium. 212

21.2. Vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam deſcendentem de cœlo à Deo, paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. 185

4. Abſterget Deus omnem lacrymã ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quia prima abierunt. Et dixit qui ſedebat in throno: Ecce noua facio omnia. 16

22.13. Ego ſum α & ω, primus & nouiſſimus. 462


INDEX

# INDEX

## Rerum & Verborum, quæ in hoc Cantici Commentario continentur.


A.

*Abſtractum.*

ABSTRACTVM pro concreto in Scriptura. 38

*Aceruus.*

Aceruus tritici, fertilitatis & fœcũditatis ſymbolum. 387

*Accubitus.*

Accubitus Chriſti varij & multiplices. 74.75.77

*Actiua vita.*

Actiua vita, primus eſt ſtatus Animæ Deum amantis. 4

*Adoleſcentula.*

Adoleſcentulæ Cantici quænam? 28.29

Adoleſcentulæ ſunt animæ perfectæ. 29. Item animæ caſtæ. *ibid.*

*Adoperta.*

Vox Adoperta in tranſlatione LXX. Interpretum quid ſignificet? 54

*Aduentus.*

Aduentus Dei in animam ſigna. 158.159

*Aduerſa.*

Aduerſæ res & proſperæ læuâ & dextrâ ſignificantur. 125

*Æger.*

Ægri omnia implent. 317

*B. Ægidius.*

B. Ægidius S. Franciſci ſocius rogatus, *Quæ eſſet perfectionis via?* reſpondit, *vna vni.* 12

*Æthiops.*

Æthiopes Iudam & Dæmones pingunt albos, Sanctos verò & Angelos pingunt nigros. 19

*S. Agnes.*

S. Agnes poſt mortem parentibus glorioſa apparens, prohibet ne ſe mortuam lugeant. 12

*Albinus.*

Albinus ſiue Alcuinus Flaccus Bedæ diſcipulus, Caroli Magni Magiſter. 6

*Albus.*

Albi ſunt cæſiis oculis. Quare? 328

*Alexander.*

Alexander Magnus ſibi diadema detrahit vulneri obligãdo, quod in fronte hyſimachus acceperat. 209

*Amana.*

*Amana* qualis mons, & vbi ſitus? 252

*Amans.*

Amantes præ amoris exceſſu verba confundere & quaſi ineptè loqui ſolent. 17

*Aminadab.*

Aminadab quid ſit? 369

Aminadab an Salomonis filius? 372

*Amœbeum.*

Amœbeum carmen in Cantico, vbi alternis contendunt Sponſus & Sponſa. 92

*Amor.*

Amoris emblema. 445.447

Amor dilatat cor, phantaſiam, & mentem. 34

Amor morti comparatur. 440.441

Amor triumphat de Deo. 61

Amor cœlo dominatur. *ibid.*

Amor dignitatis neſcius reuerentiam neſcit. 8

Amor eſt magnes Amoris. 264

Amoris ſummus gradus eſt amentia. 260

Amor vehemens cauſat languorem & mortem. 123

Amor vehemens, præceps, flagrans in Sponſa. 176

Amoris vis quanta? 155.180.181

Amor pudorem neſcit. 8

Amor & poteſtas ex æquo præſumunt, ac cum auctoritate & imperio liberè loquuntur. 8

Amoris violenti tres gradus. 123.124

Amor omnipotentem reddit quaſi impotentem. 181

Amoris Diuini quatuor gradus. 4

Amor Dei eſt gladius fidelium. 196

Amore Dei ſauciari quàm optabile. 122.123

Amor Dei eſt cauſa omnis boni & pulcri. 88

Amoris Chriſti robur. 447.448

Amor eſt languor. 317

Amoris & Inuidiæ Antitheta. 444

*Amygdalus.*

Amygdalis amaris necantur vulpes. 154

*Angelus.*

Angeli cur pingantur alati? 312

Angeli montibus comparantur. 132

Angeli ſunt vineæ florentes. 148

Angeli equis figurati. 61

Angeli ſodales Chriſti quo pacto? 55

*Anima.*

Animæ duplex pulcritudo. 89

Anima vineæ comparata. 48

Anima pia eſt lilium inter ſpinas. 107

Anima, Solis, id eſt, tentationis ardore decolorata, opem Chriſti implorat. 51

Anima fidelis quo ſenſu dicatur *nigra & formoſa*? 40.41.42.43.44.45

Quomodo Anima ſancta debeat quærere Deum? 172.173.174

Animæ cupientis trahi ad Deum pia ſuſpiria. 33

Anima ad cæleſtia anhelans eſt virgula fumi. 190

Animam ſanctam quomodo Deus viſitet? 165

Animæ Deum amantis quatuor ſtatus. 4

Anima ſancta eſt accubitus Chriſti. 77

Animæ pius ſomnus qualis? 128.129

Anima torporem excutiens ſimilis Mandragoræ. 423

Anima caſta eſt lilium. 105

Anima charitate flagrans eſt Ferculum Chriſti. 201

*Annulus.*
Annulum Sponſæ cur dare ſoleat Sponſus. 438
*Antichriſtus.*
Contra Antichriſtum certabit Elias & multi Religioſi. 402.403
*S.Antonius.*
S. Antonius vidit totum mundum laqueis obtentum. 137
S. Antonio cum Dæmonibus periculosè certanti occultus aderat Chriſtus. 138
*Apes.*
Apes copulam carnalem neſciunt, ſed virgines concipiunt, pariúntque 65
*Aponius.*
Aponius quo tempore floruerit? 6
*Apoſtoli.*
Apoſtoli equis figurati. 61
Apoſtoli ſimiles columbis. 139
Apoſtoli & Euangeliſtæ ſunt vbera Chriſti. 19
Apoſtoli qualiter formoſi? 139
*Apparitio.*
Apparitio mira Chriſti & duorum Apoſtolorum Petri & Iacobi iuueni cuidam ad Ciſterſienſem Ordinem vocato,ſed iam intepeſcenti. 72
*Aqua.*
Aquæ viuentes quænam dicantur? 277
*Aquilo.*
Aquilo quaſi aquas ligans. 280
Aquilo arboribus ſaluberrimus. 280
Aquilonis & Auſtri ſymbola. 281.282
*Arabia.*
Arabiæ felicis fertilitas. 393
*Arabs.*
Arabum in fine mundi conuerſio. 393
*Aromata.*
Aromata Doctores & Confeſſores ſignificant. 288
Aromata ſeptem Cantici ſunt ſeptem Eccleſiæ ſtatus. 274
*Aſcenſus.*
Aſcenſus Ferculi purpureus quid? 197.198.199.201
*Aſiſoth.*
*Aſiſoth* quid? 110
*Athleta.*
Athletæ in ſtadio decertaturi oleo ſe ad maiu robur perungebant. 17
*Aurelius Caſſiodorus.*
Aurelius Caſſiodorus Conſul Romanus præclarus Cantici interpres. 5
*Aurora.*
Aurorâ quid ſignificetur in Cantico? 463
Auroræ & Deiparæ analogia. 365.
*Aurum*
Aurum *Paz* quid? 322
*Auſter.*
Auſter quaſi hauſtor aquarum.
Auſter arboribus noxius. *ibid.*
Auſtri & Aquilonis ſymbola. 281.282

B.

*Baal.*
*Baal* cur multis vrbibus præponatur in Scriptura? 459
Baal-hamon quid? 461
*Balſamum.*
Balſamum in Engaddi copioſum. 85
Balſamum vt vitis putatur. 142
*Baptizatus.*
Recens Baptizatis olim dabatur lac & mel. 265
*S.Bernardus.*
S.Bernardus lacte B.Virginis ſuauiſſimè paſcitur. 21
*Bethel.*
*Bethel* eſt Monaſterium. 165
*Bether.*
*Bether* an ſit idē quod Bethel:& quid ſignificet. 163
*S.Birgitta.*
S.Birgitta deſponſa Chriſto. 417
*S.Bonauentura.*
S.Bonauentura piè viſitatur à S.Thoma Aquinate & de ſuo præcipuo libro interrogatur. 113
*Bona.*
Bona terrena læua manu indicuntur, cæleſtia verò dexterâ. 125
*Botrus.*
Botrus Cypri,quid?82.Euchariſtiam repræſentat.86
Botri Cypri varia ſymbola. 86.87

C.

*Cælibatus.*
Cælibatus in primitiua Eccleſia plurimus. 29
*Cæremonia.*
Cæremoniæ Eccleſiaſticæ murenullis figuratæ. 73
*Calceus.*
Calceus typus peccati. 304
*Caluaria.*
Mons Caluariæ,& mons Sion ſũt quaſi duo eiuſdem montis iuga. 249
*Camphora.*
Camphora quid? 82
*Cancelli.*
Cancelli, paries, feneſtræ in Cantico quid portendant? 136.137.138.
*Canticum.*
Canticum Canticorum eſt inſtar dialogi in quo interlocutores ſunt Sponſus Chriſtus, Sponſa Eccleſia, Sponſi ſodales, puta Apoſtoli & animæ perfectæ,adoleſcentulæ comites Sponſæ.id eſt,animæ in virtute teneræ & creſcentes. 2
In Cantico ſicut in parabolis duplex eſt ſenſus litteralis, nempe Grammaticalis,qui eſt corticis litteræ; & Metaphoricus ſiuè Parabolicus qui eſt rei per Metaphoram vel parabolam ſignificatæ. 1
In Cantico iis nominibus appellatur Deus,quæ cùm ſuauiſſima ſint,amorem Sponſæ excitant, fouent, acuunt & augent. 2
Canticum Canticorum eſt carmen metro adſtrictum quod nonnulli Elegiacum eſſe cenſent ex Hexametris & Pentametris verſibus conflatum. 1
*Capillus.*
Capilli Eccleſiæ quinam? 222
Capillis verecundia & pudicitia exprimitur. 222
Capilli ſunt Contemplatiui. 223
Capillis Chriſti quinam ſignificantur? 326
Capillis Religioſi comparantur. 222.224.
Capilli ſunt ſanctæ cogitationes. 222
Capilli Heroum flaui. 221
*Capra.*
Capræ paſcendo aſcendunt. 221
*Caprea.*
Capreæ & hinnulo comparatur Chriſtus. 133.134
*Caput.*
Caput aureum Eccleſiæ eſt S.Petrus. 324. Item Charitas. *ibid.*
Capitis moderata inflexio humilitatem modeſtiamque teſtatur. 68
*Cardinalis.*
Cardinales ſunt Columnæ. 198
*Carmel.*
*Carmel*,id eſt,agnus circunciſus & occiſus. 399
*Carmelita.*
Carmelitæ à monte Carmelo dicti. 399

*Caſſio*

Digitized by Google

# Index Rerum & Verborum.


*Caſſiodorus.*
Caſſiodorus qualis auctor,quo tempore floruerit? 5
*Caſtitas.*
Caſtitatis tres gradus. 364
Caſtitas cuſtos fidei. 314
Caſtitas Elephantem facit longæuum. 390
*S.Catharina Senenſis.*
S.Catharina Senenſis duabus ſibi à Chriſto oblatis coronis aureâ vnâ ſpineâ alterâ,hanc elegit. 213
S.Catharina Senenſis piùs languor. 122
*Cauerna.*
Cauerna maceriæ eſt Sacra ſcriptura. 151
Cauerna cœtus Beatorum. 151
Cauerna,vterus Deiparæ: Et Bethleem: Item vterus Elizabethæ:Etiam ſepulchrum Chriſti. 152
*Cedar.*
Cedar quid? 39
Cedar filius fuit Iſmaëlis,& pater Arabum ſine Nomadum. *ibid.*
*Cella,Cellarium.*
Cella & Cellarium dicuntur à celando. 34
Cella vinaria Cantici quænam? 113.114
Cellæ tres Sponſi,Ardmatica,Vnguentaria & Vinaria? 115
Cellaria Cantici quænam? 34.35.
Cellaria ſunt ſecreta Diuinitatis. 34
In Cellariis Dei exultat Anima ſancta. 36
Cellaris, Sacra Scriptura, Myſteria Incarnationis, Mortis,& Reſurrectionis Chriſti, Cælum, Paradiſus terreſtris, Reuelationes, Viſiones, Raptus, Conſolationes ſpirituales, Sacramenta præcipuè Euchariſtiç adumbrantur. 34.35
Cellaria ſunt Attributa diuina. 35.36
*Ceruus.*
Ceruus dicitur Græcè ἔλαφος ab extrahendo ſerpente, quod halitu ſuo ſerpentes è cauernis extrahat. 134
Per Ceruos & Capreas Cantici quinam intelliguntur? 128
*Chaldæus.*
Chaldæus Paraphraſtes Cantici quiſnam? 5
*Charitas.*
Charitas eſt rectitudo amoris. 38
Charitas eſt ignis. 445
Charitas donum alienum facit ſuum. 207
Charitas eſt Lectulus Chriſti. 194
Charitas ſumitur aliquando pro re chara & pretioſa. 203. Item pro effigie ſeu ſtatua Charitatis. 204
Charitas vexillum erigit virtutum. 118
Charitas virtutibus omnibus coronatur. 206
Charitas meliores ſemper præponit in affectu, ſed non in actu. 119
Charitas collo comparatur. 241
Charitas Omnipotentem reddit quaſi impotentem. 181
Charitatis robur in Ordine conſiſtit. 116
Charitas eſt Turris ſiue Arx. 242
Charitas eſt Caput aureum Eccleſiæ. 324
Charitatis vulnus. 260
Charitatis Incipientis, Proficientis & Perfectæ ſigna. 449
Charitatis pulcra effigies. 204
Charitatis vbera. 19.20
Charitas populi Romani. 205
*Chriſtianiſmus.*
Chriſtianiſmus eſt Imitatio Deitatis. 266
*Chriſtus.*
Chriſtus nomen eſt officij, Ieſus nomen perſonæ. 25
Chriſtus non tantum eſt Pater fidelium, ſed & matet,vnde vocatur πατρομήτωρ. 16
Chriſtus eſt quaſi mammilla Dei Patris. 17
Quomodo Chriſtus omnibus & cuilibet totus intendit. 158
Sub Chriſti natiuitatem fons olei Romæ ſcaturiit, ex quo per integrum diem continuè Oleum fluxit. 27
Chriſti in ſpecie paruuli variæ apparitiones. 418
Chriſtus pulcherrimus, imò ipſummet pulchrum. 93.
Chriſti qualis erat vultus? 154
Chriſtus fuit coloris roſei. 320
Chriſtus flos campi & lilium conuallium. 103. 104
Criſtus paſcit & paſcitur inter lilia, id eſt,inter animas puras & caſtas. 160
Chriſtus quemque pro ſuo ſtatu paſcit. 161
Chriſtus vberibus ſuis nos lactat in Euchariſtia. 19
Chriſtus faſciculus eſt Myrrhæ in Euchariſtia. 79
Chriſtus eſt Nardus.& quare? 77
Chriſtus eſt Caprea & Hinnulus,quo ſenſu? 133. 134
Chriſtus ſalit in montibus tripliciter. 132. 133
Chriſtus ſalit in omnes Animæ potentias. 133
Chriſtus eſt Myrrha multis de cauſis. 79
Chriſtus pomo comparatur. 109
Chriſtus eſt vmbra Eccleſiæ. 111. & Animæ piæ. *ibid.*
Chriſtus Turturi comparatur. 63
Chriſtus non imperiosè mandat, ſed ſuauiter inuitat. 141
Chriſtus ficui comparatut. 147
Chriſtus eſt Eccleſiæ veſtis. 265
Chriſtus dormit negligentibus. 130
Chriſtus cordis ſignaculum. 437
Chriſti quintuplex Diadema. 209
Chriſti duplex vnctio. 25
Chriſti in Eccleſiam Romanam amot. 204. 205
Chriſti algentis queſtus. 303
*Chorus.*
Chori Caſtrorum quid innuant? 376. 377
*Cinnamomum.*
Cinnamomum, ſymbolum Sapientiæ, Prudentiæ, Humilitatis,Pietatis. 276
*Clericus.*
Clericus quidam Niuernenſis animam agens, lacte B.Virginis ſibi viſibiliter apparentis paſcitur & ſanatur. 21
*Clypeus.*
Clypei & arma è turribus olim ſuſpenſa. 237
Clypeus bellicæ fortitudinis inſignæ. 239
*Coccus.*
Coccus Charitatem figurat. 232
*Cognitio.*
Cognitio ſui via eſt ad cognitionem Dei. 57
*Collis.*
Collis thuris,quid? 249
*Collum.*
Collum Animæ eſt Oratio. 241
Collum Conſtantiæ ſymbolum. 241. Item Charitatis variis de cauſis. *ibid.*
Collum circumſpectionem ſignat. 67. Item fidem, purum intellectum,Doctores. 68
Collum eſt humilis & patiens Obedientia. 67

# Index Rerum & Verborum.


Collum roboris & audaciæ ſymbolum. 239

*Columba.*

Columbæ Etymon. 141
Columba cæleſtibus apparitionibus quàm variè ſeruierit. *ibid.*
Columbarum quinque dotes. 90
Columba ſe pro pullis explumat. 193
Columba Contemplationis ſymbolum 141
Columba coronam imponit S.Matinæ Martyr. 142
Columbæ Apoſtolos repræſentant. 139
Columba vna eſt anima perfectiſſima. 361
Columbæ agreſtes nidificant in foraminibus rupium & cauernis maceriatum. 149
Columba Innocentiæ ſymbolum. 91
Vnius Columbæ nomine in Cantico intelligitur Eccleſia. 60
Columba vna Humanitas Chriſti. 362
Columbæ Etymon Græcum. 219

*Columna.*

Columnæ Eccleſiæ ſunt Cardinales. 198. Item Doctores. *ibid.*

*Coma.*

Coma Sponſi ſimilis elatis palmæ, quo ſenſu 325
Coma nigra maximè laudatur in regionibus calidis. 325
Coma flaua ſignum ingenij. 325
Coma purpurea in Cantico quid ſignificet? 401. 402.403.404

*Commentarius.*

Commentarius in Canticum, qui inter opera ſancti Thomæ extat, an ſit ipſius Angelici Doctoris? 6

*Commentator.*

Commentatores Cantici quàm multi & quales? 5.6

*Concionator.*

Concionator priùs in ſe affectum exprimat eorum quæ dicturus eſt. 264
Concionatoris munus eſt, diſcordes vnire. 232
Concionator vitæ comparatus. 232

*Concubina.*

Concubinæ erant legitimæ vxores, licèt ſecundariæ. 352

*Connubium.*

Connubij ſpiritalis deſcriptio. 159
Connubium Amoris. 160

*Contemplatio.*

Contemplationis ſummus gradus. 116
Contemplationis fructus. 219
Ad Contemplationem gradibus ſeptem aſcenditur. 36.37
Contemplationis ſummus gradus in vnione conſiſtit: & quid ſit illa vnio? 13.14
Contemplationis quindecim gradus. 123
Contemplatiua vita ſecũdus eſt ſtatus Animæ Deum amantis. 4
Contemplatiuorum cum Deo vnio quomodo fiat, & vbi? 13.14

*Conuerſio.*

Conuerſio gentium mira quatuor de cauſis. 185

*Copher.*

*Copher* quid ſignificet? 84

*Cor.*

Quale Cor, tale os. 364

*S.Cornelius.*

S.Cornelius Pontifex laudatur, quòd gradatim, hoc eſt, per ſingulos Ordinum gradus ad Pontificatus apicem conſcenderit. 196

*Cornu.*

Cornuta animantia ſuperiori dentium ordine carent. 228

*Corona.*

Coronæ olim in nuptiis. 208
Coronæ ex Nardo pretioſæ. 75
Corona Solis. 209
Coronæ Chriſti ſunt Romæ. 212
Coronæ Chriſti multiplices. 209.210.211
Corona ſpinea eſt corona gaudij & lætitiæ. 213

*Corpus.*

Corporis varia membra in Cantico variè laudata, quomodo intelligenda? 2

*Coruus.*

Coruum cùm lac non habeat, pullos ſuos ſua carne & ſanguine paſcere ferunt nonnulli. 20

*Crinis.*

Crinis fœminæ illex. 257
Crines à diſcretione dicti. *ibid.*

*Crocus.*

Crocus febres refrigerat. 275
Croci ſymbola. *ibid.*
Crocus gaudet calcari & atteri, pereundóque meliùs prouenit. 276
Crocus Symbolum Charitatis, Fidei, Sapientiæ diuinæ, Humilitatis. 275.276

*Crucifixus.*

Crucifixus erat liber S.Bonauenturæ. 113

*Crux.*

Crucis Chriſti materiam fuiſſe ficum ſubindicat Bellonius. 147
Crux Chriſti è Palma. 410.412
Crux fuit ferculum Chriſti. 199
Crucis columnæ, Humilitas & Obedientia. 200
Crux eſt Lectulus Chriſti. 96
Crux Chriſti Martyrum robur. 151

*Cuculus.*

Cuculus primus Veris nuntius. 142

*Cupido.*

Cupido diuinus. 208
Cupidinis effigies. 203

*Cura.*

Cura implicat, quies explicat. 174

*Currere.*

Currendum eſt poſt Chriſtum, nec ſolùm eundum. Quare? 31

*Currus.*

Currus Animæ pœnitentis & conuerſæ. 61.62
Currus Aminadab quinam? 369

*Cuſtos.*

Cuſtodes qui? 316

*M.Curtius.*

M. Curtius cum dentibus natus eſt, vnde Dentatus cognominatus eſt. 228


*Cyprus.*

# Index Rerum & Verborum.


*Cyprus.*

Cyprus quid? 273
Cyprus qualis arbor? 83.84
An Cyprus ſit balſamum? 83. an verò liguſtrum? *ibid.*
Cyprus in Cantico quid ſignificet? 82
Cypri ſymbola. 275

D.

*Dæmones.*

DÆmones in Cantico cur non vocentur Leones, Vrſi, Tigrides, ſed Vulpes paruulæ? 155

*Decalogus.*

Decalogi tabulæ murenulis aureis ſignificatæ. 69

*Delicia.*

Deliciæ corporeæ vino figurantur. 18

*Dens.*

Dentes Sponſæ quomodo ſimiles gregi? 225
Dentes ſunt numero. 32.225
Dentium ſuperiori ordine carent cornuta animalia. 228
Dentes gemelli qui? 226
Dentes animæ ſunt Meditatio & Conſultatio. 229
Dentes ſunt Religioſi. 230
Animalia,quæ Dentes habent conſtipatos, ſiue denſos, diu viuunt. 228

*Deſertum.*

Deſerti varia ſymbola. 188.189
Deſerto ſimilis eſt mundus. 188

*Deſiderium.*

Deſiderium, ſecundus Contemplationis gradus. 32

*Detractor.*

Detractores, ſuſurrones, adulatores ſignificantur vulpibus paruulis quæ vineas demoliuntur. 156

*Deus.*

Deus variis modis eſt in Iuſtis. 201
Deus vt pigmentarius, animam tentationibus & tribulationibus conterit & humiliat. 187
Deus quaſi oſculando Adamum formauit. 11
Deus peccatores ad Reconciliationis oſculum inuitat;quanto ſtudio? *ibid.*
Deum quærit anima ſeptem de cauſis. 173
Deus quomodo quærendus? 172.173.174
Deus non inuenitur in foro. 175
Deus in triplici creatura inuenitur. 174
Deo varia nomina variè tribuit Scriptura. 1
Deus videtur fugere à Contemplatiuis, ſicut nauigantibus videntur fugere montes & ſyluæ cùm iuxtà nauigant. 313

*Dextera.*

Dexteræ manus, vt & lævæ varia ſymbola. 124.125.126

*Diaconus.*

Diaconorum officia. 244
Diaconi hinnulis comparati.Cur? 244.245

*Diadema.*

Diadema quid,& vnde dicatur? 209
Diadema, Regium inſigne quis primus inuenerit? 209
Diadema Chriſti quintuplex. 209

*Dies.*

Diei & vmbræ varia ſymbola. 162
Dies vitæ Chriſti. 51

*Dilectio.*

Dilectio fortis vt mors. 441
Dilectionis & Æmulationis Antitheta. 444

*Dilectus.*

*Dilectus meus mihi, & ego illi*: inſolentia verba, quo ſenſu? 157

*Diſcretio.*

Diſcretionis elogia. 397

*Doctor.*

Doctores ſunt tigna Eccleſiæ. 98
Doctores ſunt columnæ argenteæ Ferculi Chriſti. 200
Doctores dentibus comparantur. 227
E priſcis Eccleſię Doctoribus quàm multi Religioſi. 73

*S.Dominicus.*

S. Dominicus cùm in Miſſa Chriſti corpus puriſſimis manibus in altum eleuaret, cunctis qui aderant,ſpectantibus, viſus eſt cubiti vnius altitudine à terra ſubleuatus. 351.352
S.Dominicus prædicabat è libro Charitatis. 306

*Domus.*

*Domus* apud Hebræos thecam ſignificat. 22
*Domus matris* animæ pia eſt meditatio. 439
Domus genitricis Eccleſiæ eſt ſynagoga. 179
Item Eccleſia Romana,S.Scriptura, Mens. 179.180.181

*Donatiſta.*

Donatiſtæ meridiem de ſua Eccleſia malè interpretantes refelluntur. 51

*Dormire.*

Dormit Chriſtus negligentibus. 130

*Drama.*

Drama quid ſit; 1

*Dux.*

Sine Duce viam vitæ ingredi periculoſum. 176.177

E.

*Ebrietas.*

EBrietas contemplantium. 293.294
Ebrietas ſpiritualis ab Euchariſtia. 293
Ebrietas mentis quartus Contemplationis gradus. 32

*Eccleſia.*

Eccleſia dicitur flos campi & lilium conuallium variis de cauſis. 102.103
Eccleſia hortus concluſus,& fons ſignatus. 268
Eccleſiæ pulcritudo. 250.251
Eccleſia cur ſimilis dicitur Ieruſalem & Terſæ vrbibus? 354.355
Eccleſię infantia fuit ab ortu Chriſti vſque ad Pentecoſten,ſeu miſſionem Spiritus ſancti: Inde verò incipit eius Adoleſcentia. 170
Eccleſia,quomodo dicatur *nigra & formoſa*? 40
Eccleſia aſcendit de deſerto. 432
Eccleſia ſub arbore malo ſuſcitata. 434
Eccleſiæ pulcritudo ac fortitudo conſiſtit in Ordine Hierarchico. 355
Eccleſiæ veſtimenta quænam? 265
Eccleſia Gentium, palmes eſt Chriſto viti inſectus. 187
Eccleſia odoro aromatum fumo cur comparata? 186
Eccleſiæ tunica quænam; 305
Eccleſia, lilium inter ſpinas infidelitatis, hæreſum, & malorum Chriſtianorum. 106
Eccleſia ſub vmbra Chriſti quomodo quieſcat? 111

Eccleſiæ duplex pulcritudo. 88.89
In Eccleſia primitiua plurimus Cælibatus. 29
*Ecſtaſis.*
Ecſtaſis eſt animæ ſomnus. 119
Ecſtaſis quomodo fiat? 351
Ecſtaſeos tres cauſæ. 351
*S. Eduardus.*
De S.Eduardo Rege Angliæ memorabile exemplum. 310
*Elata.*
Elatæ Palmarum, quid? 323.325
*Eleemoſyna.*
Eleemoſyna,puteus aquarum viuentium. 279
*Elephas.*
Elephas diu viuit,& quare? 389.390
Elephas biennio in matris vtero geſtatur. 389
Elephantis caſtitas mira. 390
Elephas adulteris infeſtus. ibid.
*Elias.*
Elias auctor Religioſorum. 213
*Eliſeus.*
Eliſeus oſculo puerum mortuum ſuſcitauit. 16
*S. Elzearius.*
S.Elzearij Comitis Arriani mira patientia. 80
*Emiſſiones.*
Emiſſiones quid? 271.272
*Engaddi.*
Engaddi quid? 85
*Engaddi* ſignificat fontem inciſionis, oculum tentationis,oculum vel fontem felicitatis. 85
Engaddi, id eſt, fons hœdi, Baptiſmi ſymbolum. 86
Engadditanæ vuæ delicatiſſimæ. 84
Engadditanum vinum. 83
Engadditanum Balſamum. 85
*Epiſcopus.*
Epiſcopi ſunt oculi Eccleſiæ. 321
*Equa.*
Equa animæ iuſti ſymbolum. 62
Equâ repræſentatur Eccleſiæ velocitas, obedientia, amplitudo,fœcunditas. 60
Equâ Anima & Humanitas Chriſti adumbrata. 62
*Equitatus.*
Equitatus Pharaonis in Cantico quid ſignificet? 59.60
Equitatus Animæ ſanctæ. 62
Equitatus Apoſtolicus. 61. Et Angelicus ibid.
*Eua.*
Euæ & Mariæ Antitheſes. 141
*Euangelium.*
Euangelica præcepta & conſilia murenulis aureis indicata. 71
*Euchariſtia.*
Euchariſtia eſt Botrus Cypri. 86
Euchariſtia dicitur vmbra Chriſti. 111
Euchariſtia eſt fauus mellis. 290
In Euchariſtia Chriſtus vbera ſua nobis præbet ſugenda. 19
In Euchariſtia Chriſtus ſtat poſt parietem proſpiciés per cancellos. 136
Euchariſtia ferculum Salomonis. 198
Euchariſtiam in Cœna primus ſumpſit Chriſtus. 291
Euchariſtia præit Pontificem proficiſcentem. 205
*Exemplum.*
Exemplum iuuenis cuiuſdam ad Ciſtercienſem Ordinem vocati. 72
Exempla fugientium Epiſcopatus. 107
*Exercitium.*
Exercitiorum crebra mutatio profectui valde contraria. 171
*Exercitus.*
Exercitus robur in Ordine conſiſtit. 126

F.

*S. Fabianus.*
S. Fabianus à Columba capiti ſuo inſidente Pontifex deſignatur. 141
*Facies.*
Facies decora,puritas fidei & operum. 153
Facies Chriſti qualis? 154. Item B.Virginis? ibid.
*Faſciculus.*
Faſciculus Myrrhæ,Chriſtus in Euchariſtia. 79
Faſciculus Myrrhæ Chriſti paſſionem, & Mortificationem ſignificat. 80
*Fauus.*
Faui varia ſymbola. 291.292
Fauus à fouendo dictus. 263
Fauus mellis eſt ſermo Sanctorum. 264
*S.Felicula.*
S.Feliculæ in tormentis conſtantia. 121
*Femur.*
Femorum ſymbola. 381.383
*Feneſtra.*
Per Feneſtras in Cantico quid intelligatur? 138
*Ferculum.*
Ferculum Salomonis quid? 197. 199. 200. 201. 202
Ferculum triplex. 197
Ferculum Euchariſtiæ. 198
Ferculum Deitatis eſt Humanitas. 199
Ferculum Salomonis eſt Romana Eccleſia. 198
*Ficus.*
Ficus etymon. 146
Ficus viri cur iungatur? ibid.
Ficus ſignificat manſuetos;vitis zeloſos. 148
Ficum cenſent multi fuiſſe pomum Adamo vetitum. 147
Ficus dè Chriſto exponitur. 147
Ficus,dicta,burſa bellis. 146
Ficus & vitis ſuauitatem cæleſtis patriæ figurant. 148
Ficu Crucē Chriſti fabrefactam opinatur Bellonius. 147
*Filia Ieruſalem.*
Per Filias Ieruſalem in Cantico quinam intelligantur? 39
*Filij matris.*
*Filij matris mea* in Cantico quinam dicantur? 46. 47
*Fiſtula.*
Fiſtula(aroma) ſymbolum Iuſtitiæ,Humilitatis,Temperantiæ,Orationis. 276
*Flammeum.*
Flammei nuptialis etymon. 216
*Flos.*
Flores primò erumpentes in calice ſuo lætiores & nitidiores videntur. 135
Floribus & malis Cantici quidnam ſignificetur? 120. 121
Floribus & bonis odoribus reficiuntur vires. 120
*Fœmina.*
Fœminæ dos,pulcritudo. 88
*Fons.*
Fons ſignatus quis? 167
Fons Sabbaticus. 278

Fons Sacramentorum. 279
Fons Regius. 267
Fons hortorum qualis? 277
Fons Olei ſub natiuitatem Chriſti Romæ ſcaturiit, è quo per integrũ diem continuè oleum manauit. 27

*Foramen.*

Foraminis ſymbola. 307.308.& 309
Foramen animæ eſt voluntas. 307
Foramina petræ, quinque vulnera Chriſti. 150
Foramina petræ, quatuor Euangelia. 151

*Fortitudo.*

Fortitudo, Prælatorum virtus. 192
Fortitudo Eccleſiæ ac Animæ piæ oritur ex eius pulchritudine. 356

*Forum.*

Forum ſubinde eſt furtum. 175
In Foro Sponſus ſeu Chriſtus non inuenitur. 175

*S. Franciſcus.*

S. Franciſcus viſus eſt toto corpore ſubleuatus à terra, nubecula fulgente circundatus. 351
S. Franciſcus deſiderio Dei & Cæli languens moritur. 123

*Frigus.*

Frigus corporis nocet vineæ animæ. 156

*Fructus.*

Fructus Contemplationis. 219
Fructus Chriſti varij. 112
Fructus cæleſtis Oſculi 13

*Fugere.*

Fugere, ſumitur pro feſtinare. 466. Et pro Inuadere. ibid.

*S. Fulbertus.*

S. Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis lacte B. Virginis Deiparæ ſibi ab eadem inſtillato ſanatur. 21

*Fumus.*

Fumus rectà aſcendens ſimilis Palmæ. 184
Fumo aromatum benè odoro Eccleſia comparatur, & quare? 186

*Fuſcus.*

Fuſci apud Æthiopes pulchri, albi verò deformes. 39

G

*Galaad.*

Galaad mons fertilis. 221

*Gemelli.*

Gemelli fœtus Cantici quinam? 229

*Genæ.*

Genæ quomodo ſimiles areolis aromatum. 330
Genarum ſymbola. 330.331.234.234.236.237
Genis recta intentio comparata. 65.
Genæ purpureæ notant Virgines. 234. Item Martyres. 235

*Gentes.*

Gentium Conuerſio mira quadrupliciter. 185

*S. Gertrudis.*

S. Gertrudis decies diuinum oſculum dulciſſimum cùm pſalmodiæ tota intenderet, ſenſit. 13
S. Gertrudis quomodo ſignata Chriſto. 439

*Gladius.*

Gladius fidelium eſt Amor Dei. 196
Gladius Angelorum qualis? 195
Gladius ſuper femur ſignificat Mortificationem appetituum carnalium. 195

*Godefridus Bullonius.*

Godefridus Bullonius primus è Chriſtianis Ieroſolymorum Rex noluit coronari coronâ aureâ in vrbe, in qua Chriſtus ſpinis coronatus eſt. 210

*Gradus.*

Gradibus ſeptem ad Contemplationem aſcenditur. 36.37
Gradus quindecim Contemplationis. 123

*Gratia.*

Gratiam magnam paruus impedit defectus. 312

*S. Gregorius.*

S. Gregorij Magni charitas in pauperes quanta. 205.

*Groſſus.*

Groſſus quidnam? 146
Groſſis Iudæi comparati. 146.147

*Guſtus.*

Guſtus primus eſt Contemplationis gradus. 37

*Guttur.*

Guttur in Cantico quid ſignificet 414.415. & 416

H.

*Hæretici.*

Hæretici Eccleſiam matrem ſuam oppugnant, affligunt, decolorant. 47
Hæretici quidam cenſuerunt B. Virginem eſſe Deam ac vt Deam adorarunt. 33
Hæretici vulpes ſunt. 154.155
Hæretici quo ſenſu ſodales Chriſti appellentur? 55
Hæretici ſunt ſpinæ. 106
Nullus Hæreticus Pontifex Romæ ſedit. 198

*Hebræi.*

Hebræorum mores à Latinis & Græcis multum diſcrepabant. 8
Hebræi carent caſibus. 203
Hebræi per futurum exprimunt optatiuum quo carens. 8

*Heliotropium.*

Heliotropium Animæ Chriſtum amantis ſymbolum. 417

*Hermannus.*

Hermannus Contractus Comes de Vernigem ſub annum Domini 1040. Compoſuit Antiphonam *Salue Regina.* 22

*Hermon.*

*Hermon* quid? 252

*Heſebon.*

Heſebon quæ & qualis? 321

*Hinnulus.*

Hinnulis quomodo aptè vbera comparentur. 243

*Hædus.*

Hœdis inmundæ cogitationes expreſſæ. 59

*Hortus.*

Hortus concluſus quid? 268
Hortus Chriſti eſt Iudæa. 349. Item Anima ſancta. 350. Item Religio. ibid. Et B. Virgo. ibid.
Hortus concluſus, clauſtra Religioſorum. 277
Hortus nucum quid ſignificet? 366.367. 368.
Hortus Iouis. 269

*Humanitas.*

Humanitas eſt paries Verbi incarnati. 136

*Humilitas.*

Humilitas mundi laqueos euadit ſecura. 137
Humilitas eſt virgula fumi. 189

*Hyacinthus.*

Hyacinthi moderni ſunt Chryſolithi. 333

*S. Hyacinthus.*

S. Hyacinthus ducitur in cælum à B. Virgine ipſo ſuæ Aſſumptionis die. 249

*Hyems.*
Hyeme rigor legis Moſaicæ indicatur. 143.145

I.

*Iehoua.*
Iehoua nomen Dei quid ſignificet? 34
Iehoua nomen Dei, qualiter *oleum effuſum?* ibid.
*Ieruſalem.*
Ieruſalem eſt vmbilicus, ſiue medium terræ. 381
*Ieſus.*
Nomen IESV quàm ſalubre? quot virtutibus pollet? 27.28
Nomen IESV includit cætera Dei nomina. 26
Nomen IESV eſt oleum effuſum. ibid.
IESVS nomen eſt perſonæ, CHRISTVS nomen officij. 25
*S. Ignatius Martyr.*
S. Ignatius Martyr dictus eſt Deifer & Chriſtifer. 200
*S. Ignatius Loiola.*
S. Ignatij Societatis IESV fundatoris Ecſtaſis. 352
*Imber.*
Imber errorum & vitiorum. 145
*Indifferentia.*
Indifferentia opera media ſunt inter virtutem & vitium, 206
*Infernus.*
Inferni dolores ſubire quidam optabant Sancti, vt ex eo animas liberarent. 445
*Inſpiratio.*
Inſpirationes ſanctæ murenulis aureis denotatæ. 71
*Intentio.*
Intentio recta oculo figurata. 93
*Inuidia.*
Inuidiæ & Amoris antitheſes. 444
*Ioannes.*
Duo Ioannes, Baptiſta & Euangeliſta, duo vbera Chriſti. 17.18
S. Ioannes Baptiſta fuit Turtur. 145
S. Ioannes Euangeliſta ſpecie pauperis petit eleemoſynam à S. Eduardo Rege ſuo cliente; ab eóque annulum è digito detractum accipit, quem poſtea remiſit, diémque obitus per nuntium prædicit. 350
Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis, triduo poſt completam ſuam in Canticum expoſitionem, vitam finiuit, anno æraris ſuæ 66. 6
*Iordanis.*
Iordanis vnde dicatur? 178
*Iudæa.*
Iudæa Hortus Chriſti. 349
Iudæa vulpibus abundat. 154
*Iudæi.*
Iudæi ad Chriſtum in fine mundi conuertentur. 456.457
Iudæi Groſſis ſignificantur. 146.147
Iudæi per montes *Bether*, id eſt, diuiſionis ſignificantur. 166
*Iunctura femorum.*
Iuncturæ femorum notant modeſtiam inceſſus, caſtitatem, concordiam, conſonantiam virtutum, amorem coniugum. 383
*Iuramentum.*
Iuramentum venatorium Sponſi, velut Paſtoris. 128
*S. Iuſtinus.*
S. Iuſtinus Philoſophus vbinam ſapientiam, quam quærebat, inuenerit? 372
*Iuſtus Orgelitanus.*
Iuſtus Orgelitanus quo tempore floruerit? 6
*Iuuenis.*
Iuuenis cuiuſdam ad Ordinem Ciſtercienſem vocati pulcrum exemplum. 72

L.

*Labarum.*
Labarum Conſtantini quid, & vnde ſic dictum? 137
*Labium.*
Labiorum tria ornamenta. 231
Labia Chriſti vt lilia ob ſex analogias. 331
*Lac.*
Lac poſt vinum eſt venenum: vinum poſt lac, optabile. 289
Lac è virorum vberibus aliquando expreſſum. 17
Lac pro vino albo ſumptum. 289
Lac eſt Chriſti Diuinitas. 290
*Læua.*
Læuæ manus varia ſymbola, vt & dexteræ. 124.125. 126
*Languor.*
Languor charitatis deſcribitur. 122
Languor amoris à deſiderio vitæ æternæ. 122
Languor & morbus ab Amore. 121
Languoris definitio. 318
Languor amoris oritur ex liquefactione. 121
*Laquearia.*
Laquearia Eccleſiæ quænam? 97.98
*Latria.*
Latria quædam an competat B. Virgini? 324
*Lectulus. Lectus.*
Lectuli Chriſti varia ſymbola. 95.96
Lectulus Chriſti fuit vterus B. Virginis. 97
Lectulus Chriſti eſt Eccleſia Antiochena & Romana. 191
Lectulus animæ peccatricis qualis? 371.372
Lectus animæ eſt Oratio. 193
Lectus Chriſti quis? 172.193.194
*Liber.*
Liber Diuinitatis Mundus dictus eſt à S. Antonio. 58
*Leo.*
Leonis etymologia Hebræa. 287
Leænæ nun ſemel tantùm pariant. 356
*Libanus.*
Libanus Mons vbi ſitus? 252. 253. Cur ſic dictus? ibid.
*Liber.*
Liber S. Bonauenturę præcipuus qualis? 113
*S. Lieba.*
S. Lieba virgo pulcherrima, vnde ſic dicta? 406. à Carolo Magno & vxore eius Hildegarde ſæpius accerſita ac in honore habita. ibid.
*Lignum.*
Quinam per *Ligna Libani* intelligantur in Canticor. 276
*Liguſtrum.*
Liguſtrum qualis frutex? 83.84
*Lilium.*
Lilium florum celſiſſimum. 104
Lilio nihil fœcundius. 104
Lilium eſt ſymbolum Chriſti. 104
Lilium aduerſus ſerpentes & venena remedium. 108
Lilia Symbolum ſunt euectionis ex humili loco ad eximiam dignitatem & gloriam. 387
Lilia Chriſti. 160

# Index Rerum & Verborum.


Lilium ſpei ſymbolum. 332
Lilium Conuallium conuenit Eccleſiæ multis de cauſis. 102.103
Lilia pura legum obſeruantia. 161
Lilium Animam caſtam ſignificat. 105
Inter Lilia, id eſt, animas puras & caſtas Chriſtus paſcit & paſcitur. 160

*Liquefactio.*

Liquefactio Animæ quænā? 315. Quomodo fiat? *ibid.*

*Litera.*

Litera ש *ſchin* quæ media eſt nominis Ieſu, ſpeciem habet candelabri, ſiue lucernæ tricipitis. 26

*S. Lucia.*

S. Lucia oculos ſibi erutos Tyranno ſe perſequenti miſit, velut virginitatis ſuæ obſides & tutores. 217

*Lugens.*

Lugentes ſolent caput & faciem velo operire. 54

*Luna.*

Luna quid repræſentet in Cantico? 363

*S. Lydvvina.*

S. Lydvvina per 30. annos & amplius grauiſſimis afflicta doloribus & morbis, patientiæ coronâ nobilitatur. 213

M.

*Magnes.*

MAgnes Amoris Amor. 264

*Mahomet.*

Mahomet quo anno natus? 371
Mahomet fuit Arabs & dux Arabum. 323

*Malum Punicum.*

Malum Punicum vnde dicatur? 233
Mala Punica quænam? 273

*Mamma.*

Mammæ Eccleſiæ quænam? 262

*Mandragora.*

Mandragoræ quid? 421.422.423
Mandragora mas & fœmina. 422
Mandragora ſymbolum Contemplationis. 424
Mandragora vim habet conciliandi amorem. 421

*Manus.*

Manus tornatiles quid ſignificent? 334

*Margarita.*

Margaritæ Midleton egregia verba. 250

*Maria.*

B. Virginis qualis fuit vultus? 154.225
B. Virginis ſtatura fuit procera. 409. ſimilis palmæ. *ibid.*
B. Virginis facies deſcribitur. 45
B. Virgo num fuerit fuſca? 45
Mariæ oculi pulcherrimi 358
B. Virgo quo ſenſu dicatur nigra & formoſa? 42.43
B. Virginis labia qualia? 233
B. Virginis pulchritudo duplex. 89
B. Virginis ſomnus qualis? 298.299
B. Virginis languor, & mors ab amore. 123
B. Virgo mox vt Chriſtum peperit, eum profundiſſima reuerentia adorauit, & illicò oſculum dedit pedibus eius quaſi Deo; manibus quaſi Domino; ori quaſi filio. 15
B. Virgini oſculum Dei quadruplex propriè competit. 15
An B. Virgo viderit in hoc mundo diuinam eſſentiam. 220
B. Virginem quidam hæretici cenſuerunt eſſe Deam, eámque vt Deam adorarunt. 33
B. Virgo meruit de congruo Chriſti Incarnationē, imò eius maternitatem, vt ſcilicet ipſa vna ex omnibus fieret mater Chriſti. 15
B. Virgo Apoſtolorum Doctrix. 230
Mariæ & Auroræ analogia. 365
B. Virgo lilium inter ſpinas. 108
B. Virgo Roſæ comparatur. *ibid.*
B. Virgo Api comparata. 65
Maria puteus aquarum viuentium. 279
B. Virgo eſt collum Eccleſiæ. 242
B. Virgo Templum fuit Cedrinum in quo habitauit Verbum. 100
B. Virgo terribilis Dæmonibus, Hæreticis, & Impiis ſicut caſtrorum acies ordinata. 356
B. Virgo leæna. 256
B. Virgo multoties Martyr. 82
Beata Virgo prima Virginitatis vexillum extulit. 230
Septem Mariæ dotes, ſeptem vitiis aduerſæ. 246
Deiparæ maternus amor in filium. 159.160
B. Virgo S. Bernardum lacte ſuo aſpergit. 21
B. Virgo S. Fulberti linguam ſacro igne correptam lacte è ſuis ſacris vberibus expreſſo ſanat. 21
Beata Virgo viſibiliter apparet Clerico cuidam Niuernenſi animam agenti, & è ſacri vberis papilla lac exprimens, labiis eius inſtillat, ac eum ſanitati reſtituit. 21
B. Virgo paſſa eſt pluſquam Martyres, & mortales cæteri. 450
Mariæ & Euæ Antitheſes. 141
B. Virgini ſexaginta tres Baſilicas (quot nempe ſunt in corona vna ſalutationis Angelicæ) Roma piè ædificauit. 208

*S. Marina.*

S. Marinæ martyri cæleſtem coronam imponit columba. 141

*Martyr.*

Martyres genis purpureis ſimiles. 235
Martyres murenulis aureis ſignati. 70.71
Martyrum robur ex cruce Chriſti. 151

*Meditatio.*

Meditatio eſt ſimilis Piſcinæ. 393.394

*Membra.*

Membra corporis in Cantico ſæpe laudata quomodo intelligenda? 2

*Mens.*

Mens ad ſe trahens Deum, trahitur ad Deum. 30

*Meretrix.*

Meretrices olim ex pudore ſe palliolo aut velo tegere ſolebant. 54

*Meridies.*

Meridies claram & vniuerſalem fidei prædicationem, quæ vna eſt ex Eccleſiæ Orthodoxæ notis, ſignificat. 51
Meridies ſymbolum ardentis perſecutionis. 50. Item ſummæ claritatis & charitatis. ibid.
Meridies Eccleſiæ Romanæ ſymbolum. 52
Meridies in Euchariſtia. 52
Meridies in cælo. *ibid.*
Meridies beatæ æternitatis. 53
Meridies, ſummus Contemplationis gradus. *ibid.*
Meridies ſymbolum Ieruſalem & Sionis. 51
Meridies Chriſti Natiuitatem, & eius crucifixionem adumbrat. *ibid.*
Meridies ſunt charitate feruentes. 52

*Mille.*

Millenarius numerus eſt cubus denarij. 462
Millenarius numerus ſymbolum Virginitatis. 462
Millenarius numerus Chriſto propriè competit: 462. ſignificat conſummationem mundi. *ibid.*
In Millenario numero omnes numeri perfecti complentur. 240


*Modeſtia.*

*Modeſtia.*

Modeſtia inceſſus laudatur. 380.381
Modeſtia in murenulis aureis Sponſæ depicta. 71

*Modus.*

Modus amandi Deum,eſt amare ſine modo. 8

*Monile.*

Monile à monendo dictum. 67
Monile colli ſpiritualis,Obedientia. 65.66

*Mons.*

Montes Aromatum quinam? 466
Montes Aromatum ſunt cæli. 467
Montes Aromatum Chriſti. 467.468
Montibus Nouum Teſtamentum figuratur:Collibus, Vetus. 135
Mons myrrhæ & collis turis, fuit hortus Salomonis iuxta Ieruſalem. 247
Montes Bether quinam? 163
Montes *Bether*,hoc eſt,diuiſionis,ſignificant Iudæos. 166
Montes Pardorum quinam,& quare ſic dicti?25 2.253
In Montibus ſalit Chriſtus tripliciter. 132.133
Montes & valles quā ratione dicantur ſancti? 164
Montes dicuntur Angeli. 132

*Mores.*

Mores diuerſarum nationum valde diuerſi. 3

*Mors.*

Morti comparatur Amor. 441.442

*Mortificatio.*

Mortificatio & Tribulationes ſunt Chriſti dapes & deliciæ. 288.289

*Mulier.*

Mulieribus Romanis vinum olim prohibitum erat. 9
Mulieres olim vinum bibentes, apud Romanos intemperantes & impudicæ habebantur. 9

*Mundus.*

Mundus,ex S. Antonio,eſt liber Diuinitatis. 58
Mundus habet noctes ſuas & non paucas, imò totus ipſe nox eſt,totúſque verſatur in tenebris. 171
Mundus laqueis & retibus plenus. 137
Mundus eſt deſertum. 188

*Murena.*

Murena qualis piſcis? 68
Murenulæ quidnam? 68.69
Murenularum varia ſymbola. 69.70.71.72.73

*Murus.*

Murus fortitudinis ſymbolum. 458
Murus notat conſtantes: oſtium verò leues & mobiles. 454
Muro cur comparetur Sponſæ ſoror? 451.453.454

*Myrrha.*

Myrrha deſcribitur. 78
Myrrhæ liquor,myrrha dicitur. ibid.
Myrrhæ virtutes. 80
Myrrha ſoporem diſcutit. 310
Myrrha ſymbolum Pœnitentiæ,Baptiſmi , Martyrij. 287.288
Myrrha Mortificationem ſignificat. 185
Myrrha conuenit Chriſto variis de cauſis. 79
Myrrha Chriſti quadruplex. 288
Myrrha & Aloë ſignificant fortitudinem & temperantiam: mortificationem & tentationum amaritudinem, continentiam & caſtitatem: Martyrium & pœnitentiam. 276.277
Myrrha & thus ſignificant mortificationem & Orationem ſimul eſſe iungendas. 247

N.

Littera N ſæpe mutatur & liqueſcit in L. 373

*Nardus.*

Nardus deſcribitur.75.amara & odora ibid.
calefacit,exſiccat,viret perpetuo. ibid.
Nardus herba humilis & deſpecta. 75.76
Nardus eſt Chriſtus. 77
Nardus,humilitas Mariæ. ibid.
Nardi ſymbola. 275
Nardus ſymbolum Humilitatis, Fidei , Pœnitentiæ, Orationis,virtutum omnium. 76.77

*Naſus.*

Naſus Sponſæ qua ratione Turri comparetur? 396
Naſi & Turris comparatio. 395
Naſus ſignificat Prouidentiam. 396
Naſus eſt diſcretio. 397.398
Naſi officia. 396
Naſus magnus index magni iudicij & animi. 395
Naſorum & naſurorum phyſiognomia. 396

*Negligentia.*

Negligentibus dormit Chriſtus. 130

*Niger.*

*Nigra & formoſa* cur dicatur Eccleſia? 40
Nigri apud Orientales & Meridionales pulchri habentur,albi verò deformes. 39

*Nomen.*

Nomina arborum, florum, gemmarum ſunt communia multis ſpeciebus apud Hebræos. 102
Pro nominibus propriis Interpres Scripturę ac LXX ſæpe vertunt eorum ſignificata. 354
Nomen *Ieſu* quàm ſæpe à S. Paulo , & à S.Ignatio Martyre repetitum. 26
Nomen Ieſu in paucis ſuis Epiſtolis repetit. 219. vicibus D.Paulus:Chriſti verò nomen. 401.26
Nomen Chriſti *Oleum effuſum*,quodnam? 24

*Nouus.*

Nouus homo induendus eſt,veteri depoſito. 38

*Nox.*

Noctes variæ & peſſimæ. 171

*Numerus.*

Numerus ſexageſimus eſt perfectus,& quare? 191

*Nuptiæ.*

Nuptiarum feſta dulciariis & deliciis condiuntur ad ineſcandum Sponſæ affectum. 289

*Nux.*

Nucis deſcriptio:& quid repræſentet? 367
Nux ſignificat virtutem perfectam. ibid.
Nucem enucleare eſt examinare conſcientiam. 368
Nux ſacra Scriptura. ibid.
Nux Patientiæ typus. 367

O.

*Obedientia.*

Obedientia eſt portus tutiſſimus. 66
Obedientia eſt monile. 65.66
Obedientia eſt corona virtutum. 66
Obedientia eſt Lectulus Chriſti. 194
Ex Obedientia fluit gratia miraculorum. 23

*Occultare.*

Occultat ſe à nobis aliquando Chriſtus. 137

*Oculus.*

Oculi Sponſi quales? 328
In oculis animus inhabitat. 217
Per Oculos Columbæ quidnam ſignificetur? 90.91
Oculi columbini dotes quinque. 90
Oculus Columbæ, conſideratio rerum ſpiritualiũ.92
Oculus vigilantiæ & prouidentiæ ſymbolũ.328.339
Oculus intentionem rectam bellè ſignificat. 92
Oculi varia ſymbola. 258.259
Oculi Eccleſiæ ſunt Prophetæ,inde Videntes dicti.219

# Index Rerum & Verborum.


Oculis comparantur Epiſcopi. 392
Oculi B.Virginis pulcherrimi. 358
Oculi modeſti indicant modeſtam mentem. 392
Oculorum phyſionomia. 328
Oculi fœminei vis quanta? 217

*Odor.*

Odor ſymbolum eſt famæ. 22

*Oleum.*

Olea victores in ſtadio coronabantur. 27
Oleum non tantùm ex oliuis, ſed ex quolibet flore, herba, aromate diſtillatur. 24
Oleum à Medicis vocatur quinta eſſentia. ibid.
Oleum & Miſericordia, nomina ſunt apud Græcos affinia, videlicet ἔλαιον & ἐλεος. 27
Varia Olei ſymbola. 26.27. nempe, Tranquillitatis, gratiæ, caloris, odoris, hilaritatis, deliciarum, roboris, medicinæ. 27
Oleum eſt aëreum & multum ſpiritus continet, ideò aquis ſupernatat. ibid.
Olei fons Romæ ſcaturiit ſub natiuitatem Chriſti. ib.
*Oleum effuſum* nomen Chriſti: quodnam? 24

*Omnes.*

Omnibus & ſingulis quomodo totus intendat Chriſtus? 358

*Oratio.*

Oratio ſomnus eſt animæ. 129
Oratio contra tentationes remediũ efficaciſſimũ. 241
Oratio quietis, quæ? 130
Oratio eſt lectus animæ. 193
Oratio vitræ ſimilis. 232
Oratio eſt gladius ſpiritualis. 196
Oratio eſt collum animæ. 341

*Orbus.*

Orba in quo differt à ſterili. 226

*Ordinare.*

*Ordinare* eſt verbum militare. 116

*Ordo.*

Ordo quàm ſit neceſſarius. ibid.
In Ordine conſiſtit robur exercitus. 116. ſic & charitatis robur in Ordine pariter firmatur. ibid.
Ordo Hierarchicus murenulis aureis expreſſus. 71
Ordines militares ſunt Chori caſtrorum. 377

*Origenes.*

Origenes ſcripſit ſex homilias in Canticum, in quibus ſeipſum vicit S.Hieronymo teſte. 5

*Oſculum.*

Oſculi quatuor ſymbola. 2
Oſculo doctrina Chriſti ſignificatur. 11
Oſculum Euchariſtiæ. 12
Oſculum vnionis myſticum. 13
Oſculum Reſurrectionis. 15.16
Oſculum Chriſti Ethicum eſt amor. 2
Oſculum Chriſti quàm ſuaue. 16
Oſculum SS.Trinitatis in principio Cantici. 10
Oſculum Dei & iuſti. 11
Oſculum Dei & pœnitentis. 11
Oſculum Dei & amantis. 12
Oſculum Dei & orantis. ibid
Oſculum Dei & B.Virginis quadruplex. 15
Oſculum Chriſti phyſicum eſt vnio hypoſtatica 9
Oſculum ſymbolum eſt reconciliationis, pacis & concordiæ; ſalutationis & bonæ apprecationis, amoris & intimæ coniunctionis. 2
Oſculo Eliſeus puerum mortuũ in vitam reuocauit. 19
Oſculum pedum ſeruorum, & ſubditorum eſt oſculum oris ſponſarum & ſummè amantium. 8
Oſculo Spiritus ſanctus ſignificatur. 11
Oſculum triplex pedis, manus, & oris. 12

*Oſtium.*

Oſtium cur dicatur ſponſæ ſoror? 454

P.

*Palma.*

Palma deſcribitur. 325
Palmæ radix perfecta. 407
Palmæ comparatur vir ſanctus. 408. 409
Palma eſt crux Chriſti. 410.411

*Paries.*

Paries, cancelli, feneſtræ in Cantico quid ſignificent? 136.137.138
Paries Verbi incarnati eſt humanitas. 136

*Paruus.*

Paruus defectus magnam impedit gratiam. 312

*Paſcere.*

Paſcit quemque pro ſuo ſtatu Chriſtus. 161
Paſcere & paſci idem eſt Chriſto. ibid

*Patientia.*

Patientia nuce figuratur. 367

*S.Paulus.*

S.Paulus quàm ſæpe repetat in ſuis Epiſtolis nomen Ieſu, & nomen Chriſti. 26
S.Paulus totus erat charitas. 206.445

*Peccator.*

Peccatorum lectuli quales? 171.172

*Pectus.*

Pectoris phyſionomia. 356
Pectus Chriſti & Salomonis quale? 356

*Pedes.*

Pedes lauabant antiqui dum ibant cubitum. 304

*Perfectus.*

Perfecti ad vnum aſpirent. 361
Peſſulus horti concluſi quis? 269.270

*S. Petrus.*

S.Petrus, Caput aureum Eccleſiæ. 324
Petrus Faber primus S.Ignatij fundatoris IESV Socius in obedientia moritur. 72

*S.Philippus Nerius.*

S. Philippus Nerius charitate vulneratus languebat iugiter. 222

*Pietas.*

Pietas populi Romani. 199

*Piſcina.*

Piſcina eſt meditatio. 393.394
Piſcinâ triplex oculorum ſignificatur pulcritudo. 392

*Platea.*

Per Plateas & vicos Cãtici quidnam intelligatur? 175

*Polygamia.*

Polygamia olim erat licita apud Hebræos. 359

*Pomus, & Pomum.*

Pomum, commune multis fructibus vocabulum. 109
Pomũ Adamo vetitum, ficũ fuiſſe multi cenſent. 147
Pomo Chriſtus appoſitè comparatur. 109
Pomus eſt crux Chriſti. 110
Pomi vmbra iucundiſſima. 110

*Prælatus.*

Prælati non debent eſſe tyrones, ſed exercitati & perfecti. 196
Prælati ſunt Ligna Eccleſiæ. 98
Prælatus ſit ſubditorum ſuorum mater. 36
Prælatis duo ſint vbera, ſcilicet, maternus affectus Congratulationis & Compaſſionis. 21

*Propheta.*

Prophetarum de Chriſto Eccleſiæ Sponſo vota. 10
Prophetæ oculi Eccleſiæ, vnde Videntes dicti. 219
In Prophetarum lectione ſapientiam & fidem Chriſtianam reperit S.Iuſtinus. 172

*Propugnaculum.*

Propugnacula argentea quid ſignificent. 455

*Pulcritudo.*

Pulcritudo corporis externa Templis Ægyptiorum compa-

# Index Rerum & Verborum.


comparata. 218

Pulchritudo dos puellarum. 88

Pulchritudo Eccleſiæ. 250.251

Pulchritudo Eccleſiæ duplex. 88.89. vt & Animæ. 89

*Puluis.*

Puluis pigmentarius virtutes ſignificat Orationis & Mortificationis comites. 85

*Punicum malum.*

Punicum malum vnde ſic dictum. 233

*Puteus.*

Puteus aquarum viuentium quis? 278

Q.

*Quadriga.*

Quadrigæ Aminadab quid ſignificent? 369.370. 371.372

*Quærere.*

Qui quærit Deum, iam eum aliquo modo habet. 173

Quærit Anima Deum ſeptem de cauſis. 173

Quærendus eſt Deus, quâ viâ, & quomodo inueniatur? 172.173.174

*Quies.*

Quies explicat, cura implicat. 174

R.

*Radegundis.*

S. Radegundis in ſpecie Columbæ nauim periclitantem circumuolitans, eam à naufragio liberat. 141

*Reclinatorium.*

Reclinatorium aureũ Ferculi Salomonis quid ſit? 200

*Rectitudo.*

Ad rectitudinem duo requiruntur, nempe recta actio & recta intentio. 38

Rectitudo amoris eſt Charitas. 18

*Regula.*

Regulæ Monaſticæ ſunt murenulæ aureæ. 72

*Relaxatio.*

Relaxationes Regulæ & diſciplinæ ſunt vulpes paruulæ quæ demoliuntur vineas. 156

*Religio.*

Religio dicitur à religando. 68

Religioſi dentibus comparati. 330

Religioſi ſunt Chori caſtrorum. 377. Cur? 378

Religioſi ſunt Laquearia Eccleſiæ cypreſſina. 99

Religioſi fuêre priſcorum Eccleſiæ Doctorum plurimi. 73

Per Religioſos Deus reformat Eccleſiam. 350

Religioſorum ſcapulare Obedientia admonet. 67

*Reuelationes.*

De Reuelationibus Sanctarum Gertrudis & Brigidæ quid ſentiendum? 440

*Roma.*

Roma quoad ſitum eſt munitiſſima. 192

Cur Roma eſt Caput Eccleſiæ? 192

Roma, id eſt, robur, fortitudo. 192

Romæ nullus ſedit Pontifex Hæreticus. 198

Romæ calx ad ædificandum eſt tenaciſſima & ſolidiſſima. 94

Roma ſola magnificas Baſilicas & Templa in B. Virginis honorem ad 63. quot ſalutationes Angelicæ recitantur in Corona (ſeu Roſario) ædificauit. 208

Romana Eccleſia quantùm à Chriſto dilecta. 204. 205

Romani populi Charitas & Eleemoſynæ. 205

Romani populi pietas. 199

*Ros.*

Roris ſymbola. 302.393

*Roſeus.*

Roſeus color pulcherrimus. 330. Fuit Heroum. ibid.

S.

*Sabbatum.*

Die Sabbati maiora beneficia confert B. Virgo. 280

*Saddai.*

*Saddai*, hoc eſt, mammeus dicitur Deus apud Hebræos. 17

*Salomon.*

Salomon quot vxores habuerit? 359

*Salue Regina.*

*Salue Regina* à quonam compoſitum? 22

*Sanctimonialis.*

Sanctimonialis quædam effodit ſibi oculos, quos ad Adoleſcentem amaſium miſit, ne amplius ipſi eſſent ſcandalo. 257

*Saltus.*

Plures ſaltus Chriſti. 134

*Salus.*

Ad aliorum Salutem procurandam Chriſtus animã perfectam vrget quatuor ſtimulis. 301

*Sanctus.*

Sanctus eſt ſimilis Palmæ. 408.409

Sancti ſunt Montes per virtutis eminentiam, & valles per humilitatem. 164

Sancti dolores Inferni ſubire optarunt, vt animas ex eo liberarent. 443

Quò quis ſanctior eſt, eò ad maiorem ſanctitatem aſpirat. 140

*Sanir.*

Sanir mons an idem quod Seir? 352

*Sapphirus.*

Sapphirus qualis gemma? 336

*Satietas.*

Satietas tertius contemplationis gradus. 37

*Scapulare.*

Scapulare Monaſticum obedientia admonet. 67

*S. Scholaſtica.*

S. Scholaſtica S. Benedicti ſoror ſpecie columbæ in cælum aſcendere viſa eſt. 141

*Scriptura ſacra.*

S. Scriptura eſt Chriſti lectulus. 194

Scriptura ſacra fons & puteus. 278

Sacra Scriptura eſt fauus mellis. 265

Scriptura ſacra eſt cauerna maceriæ. 151

Scripturæ S. intelligẽtia murenulis aureis expreſſa. 69

In Scriptura ſacra res ſæpe vocatur talis, qualis exteriùs apparet. 3

In Scriptura ſacra eidem perſonæ & rei diuerſa nonnunquam nomina dantur. 3

In Scripturæ parabolis adduntur ſubinde Emblemata, ad elegantiam parabolæ, quæ non eſt neceſſe, imò nonnunquam eſt impoſſibile applicare rei per parabolam ſignificatæ. 1

*Securitas.*

Securitas quintus contemplationis gradus. 37

*Sella.*

Sella purpurea quid? 199

*Senſus.*

Senſuum diſtinctio in Cantico Canticorum. 2

*Sermo.*

Sermo ſanctorum fauo mellis comparatur. 264

*Sexaginta.*

Sexageſimus numerus perfectus eſt, & quare? 191

Sexaginta fortes Eccleſiæ ſunt Paſtores, Doctores, & Sancti. 192

*Signaculum.*

Signaculum quid? 437.438

*Signum.*

Signa aduentus Dei in animam. 158.159


*Simon.*

# Index Rerum & Verborum.


*Simon.*

R.P.Simon melitarum Generali oranti habitus candiduar à B.Virgine. 400.401

*Sodales.*

Sodales ſp in Cantico quinam? 55

*Sol.*

Sol quid iacet in Cantico? 363.364

Sol char: æſtum ſignificat. 45

*Somniare.*

Somnia: virtute eſt ſignum perfectæ virtutis. 298

*Somnus.*

Somnu-leſiæ. 296

Somnu imæ eſt humanarum rerum obliuio. 128.

Itentio, meditatio, ecſtaſis. 129

Somn-imæ vigilantis. 297

*S.Sotheris.*

S.Sot virginis & martyris conſtantia. 236

*Spina.*

Spin: ò floret, citò areſcit, aculeis pungit. 106

Spin-ronatus eſt Chriſtus duas ob cauſas. 211

*Spiritus.*

Spir ſanctus eſt vmbra Chriſti. 211

Spir ſanctus eſt oſculum. 11

*Sponſa*

Spe dum ſtatim in initio Cantici poſtulat oſcu-lum ſit inuerecunda? 8

Sp num fuerit filia Salomonis? 376

Spa vocatur amor quia ſummè amabilis. 406

Spæ ſoror cur dicatur murus? 452.453.454

*Sponſus.*

Sſus & Sponſa Cantici quinam? 4

Sſus apud Hebræos non accedebat ad Sponſam, iſi vbi traducta fuerat in domum Sponſi. 168

nſi apud antiquos corona redimiti, & vnguentis deliburi nuptias inibant. 22

nſus vocatur frater. Cur? 426

nſi olim coronabantur. 208. Quare? ibid.

*Stacte*

cte quid? 78

*Sulamitis.*

lamitis, id eſt, Salomonis vxor. 372

lamitis & Sunamitis an idem ſint? 373

lamitis quæ ſit moraliter? 373

*Sultanus.*

ltani vnde dicti? 239

*Sunamitis.*

namitis, id eſt, oriunda ex Sunam oppido. 372

*Suſanna.*

Sanna, id eſt, lilium. 102

Sanna virgo in Iaponia. 250

*Synagoga.*

Sygoga Chriſti nouerca. 214

Syagoga mater Eccleſiæ Chriſtianæ dicitur, eo quod rimi Chriſtiani, hoc eſt, Apoſtoli fuere oriundi à udæis. 171

Syagoga Iudæorum eſt ſoror iunior Eccleſiæ Gentium. 451

Syagoga Iudæorum in fine mundi conuerſa Chriſto redet. 456.457

T.

*Talpiuoth.*

TAlpiioth quid. 238

*Tardus.*

Trdè reſpondentis Chriſto pœna. 311.312

Trditas tarditate punitur. 311

*Templum.*

Tmpla B.Virgini ſacra quot Romæ? 208

*Terſa.*

Teſa vrbs admodum ſpecioſa in tribu Manaſſe, alto in monte ſita, vbi Ieroboam primus Rex Iſraël ſi ue decem tribuum thronum ſuum collocauit, eamque Regni caput effecit. 355

*Thadeus.*

Thadæus, id eſt, vberalis, *Thad* enim Chaldaicè ſignificat vber. 19

*S.Thereſia.*

Thereſiam vocat Chriſtus ſponſam ſuam. 419

S.Thereſia ex vehementi Chriſti deſiderio moritur, amoris languore abſumpta. 123

*S.Thomas.*

S.Thomas Aquinas poſt mortem gemmatus & torquatus apparuit. 73

*Thus.*

Thus aromatū eſt odoratiſſimū & lucidiſſimum. 165

Thus orationis ſymbolum. 183

*Tigna.*

Tigna & laquearea Eccleſiæ quænam? 97.98

Tigna animæ ſunt virtutes Cardinales. 99

*Torquatus.*

Torquati quinam? 67

*Trahere.*

Trahit Deus amore & timore. 30.31

Verbum *Trahere* notat renitentiam appetitus. 30

Qui Deum ad ſe trahit, ipſe trahitur ad Deum. ibid.

*Tranquillitas.*

Tranquillitas ſextus contemplationis gradus. 37

*Tres.*

Tres Patres anonymi, qui ſæpe apud Theodoretum citantur, quinam? 5

*Tribulationes.*

Tribulationes & afflictiones ſunt Chriſti dapes. 288

*Triticum.*

Tritici aceruus fertilitatis eſt ſymbolum. 387

*Tunica.*

Tunica Eccleſiæ quænam? 305

*Turca.*

Turcarum Imperij origo. 371

*Turris.*

Turris Dauid quæ? 237

Turris Dauid ſacra Scriptura. 240

Turris eburnea quid? 389.390.391

Turris Libani quænam? 394

Turris & naſi comparatio. 395

*Turtur.*

Turtur veris indicium. 142

Turtur amat ſolitudinem. 64

Turtur gemebunda. ibid

Turtur ſapientiæ ſymbolum., & quare? 64.65

Turtur Chriſti ſymbolum. 63

Turturis & animæ piæ collario. 64

Turtur ſymbolum monogamiæ, viduitatis & fidelitatis. 64

Turtur perſeuerantis amoris ſimulacrum. 144

Turtur pœnitentiæ ſymbolum. 143.144

Item ſilentij & ſolitudinis. 144

Turtur S. Ioannem Baptiſtā & Apoſtolos ſymbolicè repræſentat. 343

Turtures plumis torquati. 65

V.

*Vbera.*

VBera amoris ſedes ac ſymbolum. 263

Vbera Chriſti quænam? 17

Vbera charitatis. 19.20

Vbera cæleſtis Sponſi duplicia. 16

Vbera præbet Chriſtus in Eucbariſtia. 19

Vbera Sponſi conſolationes ſpirituales. 20

Vbera in quo hinnulis ſimilia? 244


Duo

# Index Rerum & Verborum.


Vberũ nomine ſuauẽ Sponſi halitũ expetit Sponſa. 18
Vbera quomodo dantur Chriſto? 16
Vbera Sponſi Dilectio Dei & Proximi. 20
Vbera Chriſti interna, & externa, quæ? 19
Duo Vbera, nouum & vetus Teſtamentum; Amorẽ Dei & proximi; congratulationem & compaſſionem indicant. 81
Duo Vbera Chriſti, duo Ioannes, Baptiſta & Euangeliſta. 17. 18
Duo Prælatorum Vbera quænam? 21
Vbera ſignificant doctrinam Chriſti qua fideles lactat. 18
Vberum varia ſymbola. 244. 245. 246

*Velamen.*

Velamen ſponſarum ob modeſtiam. 54

*Velum.*

Velum eſt vallum virginitatis. 235

*Venatorium.*

Venatorium Sponſi Paſtoris Iuramentum. 128

*Venter.*

Venter quid ſignificet ſymbolicè? 388
Venter ſumitur pro paſſionibus & affectibus. 336
Venter pro viſceribus Miſericordiæ. 3
Venter Chriſti ſunt coniugati. ibid.
Ventris mediocritas, & pectoris ſtrictura ſignificat altitudinem intellectus & boni conſilij. 336

*Ver.*

Ver, tempus vitæ Chriſti. 145
Veris varia indicia. 142

*Veſtimentum.*

Veſtimenta Eccleſiæ quænam? 265

*Vetus.*

A Veteri homine exeat homo, vt nouum induat. 58

*Vexillum.*

Vexillare charitatem quid ſignificet? 117
Duo Vexilla militaria, Chriſti & Luciferi. 118

*Vmbilicus.*

Vmbilicus quid? 384
Vmbilici natura, finis & ſignificatio. 384. 388
Vmbilicus eſt mens ſancta. 385. 386

*Vmbra.*

Vmbræ ſymbola. 162
Vmbra pomi iucundiſſima. 110
Sub Vmbra Chriſti quieſcit Eccleſia & anima ſancta: quænam ſit hæc vmbra? 111

*Vigil.*

Vigiles in Cantico ſignificant Pontifices & Principes Ieroſolymitanos, Angelos, Apoſtolos, Præſules, Paſtores, &c. 476. Item Prophetas, Philoſophos, Hæreticos. 477

*Vinea.*

*Vinea* in Cantico quid ſignificet? & cur eius crebra fiat mentio? 2
Vineæ comparatur Eccleſia tam Gentium quàm Iudæorum. 459. 460
Vineæ florentes ſunt Angeli. 148. Itẽ Patriarchæ. ib.
Vinea mentis iuſto excolenda. 155
Vineis multùm nocent vulpes. 154

*Vinum.*

Vinum eſt lac ſenum. 289
Vinum mulieribus Romanis olim prohibitum. 9
Vinum delicias corporeas ſignificat. 18. 20
Vinum dulce cum lacte mixtum gratum & vtile. 289
Vinum Engadditanum.
Vinum nota & cauſa eſt libidinis furentis.
Vinum poſt lac eſt optimum, lac poſt vinum eſt venenum. 289
Vinum charitatis & amoris ſymbolum. 215
Vinum album lac dictum. 289
Vinum auſteritatem legis Moſaicæ figurat. 20

*Vir.*

E virorum vberibus aliquando lac expreſſum. 17

*Virginitas.*

Virginitas eſt pomum pulcherrimum. 286
Virginitas murenulis aureis figurata. 70
Virginum Elogia. 234
Virgines Solymitanæ & Arabicæ ita faciem velabant, vt vnum ſolum oculum liberarent. 257

*Virgula.*

Virgula fumi, quid? 184. 189. 190

*Virtus.*

Virtus vera & perfecta nihil eſt aliud quàm Ordo amoris. 116. Vitium verò inordinatio. 118

*Vita.*

Vita ex Actione & Contemplatione mixta tertius eſt ſtatus Animæ Deum amantis. 4
Vitæ ſpiritualis perfectiotis qualis ſtatus? 5

*Vitis.*

Vitis & ficus cur iungantur ſimul? 146
Vitis & ficus ſuauitatem cæleſtis patriæ innuunt. 148
Vitis zeloſos indicat, ficus verò manſuetos. 148
Vites & vuæ adſciſcunt ſibi ſaporem fruticum iuxta radices ſuas creſcentium. 84
Vites in Veris initio putandæ. 142

*Vnctio.*

Vnctio Chriſti duplex. 25

*Vnguentum.*

Vnguenta animæ myſtica tria. 23
Vnguentis Chariſmata Spiritus S. ſignificantur. 22
Vnguentis, Chriſti gratiæ, chariſmata, miracula figurantur. 13
Vnguentum gratiæ. 14
Vnguentum Miſericordiæ. 15

*Vnio.*

Vnio fidelium Eccleſiam reddit inuincibilem. 315
Vnio contemplantis animæ quomodo fiat? 114
Vnio realis Sponſæ ſeu animæ fidelis cum Chriſto in Euchariſtia, quæ? 115. quomodo fiat? ibid.
Vnionis animæ contemplatiuæ effectus. 14

*Vnum.*

Ad Vnum adſpirent Perfecti. 3

*Vox.*

Vox dulcis, prædicatio Verbi diuini. 13

*Vulnus.*

Vulnos Charitatis quàm amabile. 122. 23
Vulnera quinque Chriſti, foramina petræ. 50

*Vulpes.*

Vulpes in Iudæa multæ. 54
Vulpes quantùm vineis noceant. ibid.
Vulpes paruæ quoſnam indicent? 55
Vulpes paruulæ quæ demoliuntur vineas ſunt detractores, ſuſurrones, adulatores. 56
Vulpes paruulæ ſunt relaxationes regulæ & diſciplinæ. 56
Vulpes ſunt Hæretici. 154. 55
Vulpes quomodo capiendæ? 55
Vulpes fuere duo Herodes. 56
Vulpes paruulæ dicuntur Dæmones, & quare? 55
Vulpes amygdalis amaris necantur. 54

*Vxor.*

Vxores à viris olim nomen accipiebant. 3

Digitized by Google

1-6-2

Digitized by Google